Les Bibliothèques Virtuelles Huıanistes

Extrait de la convention établie avec les établisseıents partenaires :

- ces établisseıents autorisent la nuıérisation des ouvrages dont ils sont dépositaires (fonds d'Etat ou autres) sous réserve du respect des conditions de conservation et de ıanipulation des docuıents anciens ou fragiles. Ils en conservent la propriété et le copyright, et les iınages résultant de la nuıérisation seront dûıent référencées.
- le travail effectué par les laboratoires étant considéré coııne une « oeuvre » (nuıérisation, traiteıent des iınages, description des ouvrages, constitution de la base de données, gestion technique et adıninistrative du serveur), il relève aussi du droit de la propriété intellectuelle et toute utilisation ou reproduction est souınise à autorisation.
- toute utilisation coınınerciale restera souınise à autorisation particulière deınandée par l'éditeur aux établisseıents détenteurs des droits (que ce soit pour un ouvrage édité sur papier ou une autre base de données).
- les bases de données sont déposées auprès des services juridiques coınpétents.

Copyright - © Bibliothèques Virtuelles Huıanistes

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

256. B.15.

B. BENEDICTI PAPAE VNDECIMI TARVISINI

EX ORDINE PRAEDICATORVM ASSVMPTI,
viri ſuprà ipſam dignitatem ſanctiſſimi, atque doctiſſimi,

IN EVANGELIVM D. MATTHAEI ABSOLVTISSIMA COMMENTARIA


Nunc primùm poſt annos ſuprà trecentos è tenebris in lucem aditta, necnon cùm Authoris vita, tùm copioſiſſimo rerum notabilium Indice locupletata.

OPERA, ATQVE DILIGENTIA R. P. M. F. GEORGII LAZARI de Tarviſio, eiuſdem Ordinis, & in Patauino Cœnobio Præſidis.

OPVS SANE, PRAETER QVAM QVOD TOTIVS CHRISTIANAE Religionis ſummam, à Domino ſermone in monte traditam, admirabili methodo in varios concinnè ſenſus fuſiſſimè explicat, ob frequentiſſima etiam Pâtrum teſtimonia, caſuum conſcientiæ reſolutiones, interpretationes q. Sacrarum Scripturarum, Theologis, Canoniſtis, Concionatoribus, vniuerſis denig. qui ad Chriſtianam perfectionem contendunt, longè accommodatiſſimum, & vtiliſſimum.

CVM PRIVILEGIIS.

COUVENT D'ÉTUDES Province de France



910 PS 1973

VENETIIS.

Apud Damianum Zenarium, M DC III.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

GLi Eccellentissimi Signori Capi dell'Illustrissimo Conseglio di X. infrascritti. Hauuta fede dalli Signori Reformatori del Studio di Padoua, per relation delli tre à ciò deputati, cioè del Reuerendo Padre Inquisitor, del Circ. Secretario del Senato, Zuane Marauegia, & di Domino Fabio Paulini Dottore, Lettor publico. Che nel Libro intitolato Expositio Sanctissimi D. Patris Nostri Papæ Benedicti XI. Ordinis Prædicatorum super Matthæum, non vi si troua cosa alcuna contrà le leggi, & è degno di stampa, concedeno licentia, che possi esser stampato in questa Città.

Dat. die 10. Aprilis. 1603.

D. Marco Antonio Longo.
D. Z. Paulo Gradenigo.
D. Stefano Viaro.
} Capi dell'Illustrissimo Conseglio di X.

Illustr. Cons. X. Secr.
Leonardus Othobonus.

1603. 12. Aprilis.
Registrato in Libro.

Ant. Laured. officij con.
Blasph. Coad. &c.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO D. CYNTHIO ALDOBRANDINO S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO.

FR. GEORGIVS LAZARI TARVISINVS ORDINIS PRAEDICATORVM, AETERNAM PRAECATVR FOELICITATEM.

HOC præclarum B. Benedicti Vndecimi opus, D. N. Clementi VIII. Auunculo tuo dicandum foret, Illuſtriſſime Princeps, Rés enim poſtulare videtur, vt Summi Pontificis Prædicatorum Ordinis partus, foueatur à Summo illo Pontifice, qui hunc Ordinem vehementi complectitur amore. Apud cuius Patres, parentum eius quieſcunt oſſa; atque ipſe ſibi ſepulchrum parandum curauit. Is ille eſt, qui Diuos Hyacinthum, & Raymundum Ordinis noſtri, in Sanctorum numerum retulit: qui B. Agnetem Montiſpolitiani, Dominicanæ lucem Familiæ, ſacris proſequendam officijs mandauit: & præſertim qui de ſummis ipſius B. Benedicti laudibus, publicè ſingulis annis profuſo audientibus Indulgentiarum theſauro, Orationem iuſſit habendam. At verò cum

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

mecum animo meam repeto imbecillitatem, non audeo coràm eo, qui meritò in terris Summi Dei gerit vices, & toti Christiano præsidet Orbi comparere, vt hoc munus ei tradam; nisi tibi hæc cura credatur. Qui sydereis sedibus delapsus, vt cœli viam Euangelicis stratam documentis hominibus indicares, humanos tibi coaptasti artus. Quare non est cur mirentur mortales, te Diuini humaniq́ue Iuris esse peritissimum, certam rerum omnium habere notitiam, omnes callere disciplinas, litterarum esse fautorem, cunctis accommodatum negocijs, & præterea morum grauitate, integritate vitæ, animi magnitudine, intellectusq́; præstantia, multis humanum ingenium sub te interuallis relinquere. Neq́ue hanc curam tuis ab humeris depellere debes, quòd, volente Deo, totus Oriens, Germania, nostra Resp: aliæq́ue nationes tuæ sint creditæ custodiæ; neq́ue quòd prudentissimis Ecclesiæ consiliarijs, consilij Angelus interfis; neq́ue quòd Signaturæ iustitiæ fis Præfectus (vt silentio inuoluam, te olim ab Auunculo tuo tunc Cardinali, in Poloniam ascitum ad Imperatorem, & Sistum Quintum; magna ob negocia missum fuisse) Hæc enim omnia tantùm absunt, vt tuam exæquent potentiam, vt longè alia plura à tua vincantur virtute. Itaque celeberrimum istum B. Pontificis Benedicti XI. librum, super D. Matthæi Euangelium, omni refertum doctrina, grauissimisq́; sententijs, & dicendi luminibus, perinde atq́ue cœlum syderibus distinctum, Illustrissimo tuo, ceu Sole; CYNTHII nomine insignitum, læto excipias vultu, & illum Auunculo tradas, optatosq́; fauoris tui influxus, ne abnuas illi, cuius Beatus Auctor suam tibi annuit Sedem. Ego verò nouum, ad insigne illud, quo me quatuor ab hinc annis affeciſti, beneficium, accessisse arbitrabor, quod nulla vnquam ex animo meo euellet obliuio. Viuas diu fœlix, vt tibi gratus viuere possim. Vale.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

BEATI BENEDICTI PAPAE VNDECIMI VITA

Ex probatis carptim Authoribus desumpta.



BENEDICTI Vndecimi Vitam, res gestas, sanctitatemque nunc primùm copiosiùs (quòd viderim) conscripturus, illud præmittere maxima cum veritatis attestatione cogor; me in hac ipsa conficienda, nihil propriæ vel communi cùm Patriæ tùm Religionis causæ dedisse, nihilque nisi quod in receptis historicis contuereris voluisse referre. Deinde, Lectorem admonere visum est, ne exinde admirationem capiat, quòd me videat rem hanc paucioribus quàm potuisset fieri, complexum fuisse. Non enim illud fuit in causa, quòd pauca sint, quæ de B. Benedicto Annalia proferant, quinimmò, & ea maxima, & perpetuò virtutum omnium (vt re ipsa videbis) fulgore rutilant; sed quòd satis sit, si Solem ipsum non diuturno, verùm celeri, citissimoque oculorum obtutu, conspicere liceat; id quod non artificiosa aliqua, aut fucata verborum luxurie dictum putes, quando & Pater ipse Sanctissimus, in Pontificatus solio, in quo potissimùm Sol referri consueuit, ad instar fulguris, non tàm sedisse, quàm apparuisse visus sit. Accedit quòd Heroum vitas texere, nõ Oratoris amplificationibus; sed Historici breuitate vti oportet. Verùm enimvero illud etiam postremo loco dicendum est, me non satis admodum demirari posse, vnde nam factum sit; vt tot præclarissimi Viri, qui aliorum, præsertim Principum, gesta in Historiarum cumulum coniecerunt; de hoc tamen inter cæteros præstantissimo, non exactè, fusè, atque perfectè; sed sparsim potiùs, & raptim (ne dicam sicco pede) transegerint. Dicent fortasse vel exinde, subobscuratum hominem, quòd è patrio solo, natalitiovè non adeo claro emerserit; vel quòd non ita facta eius eluxerint, neque ea fuerint, de quibus productiori stilo diceretur. At quantùm hæc vera sint; ex ijs quæ nos ipsi, scripturi sumus, mox colliquescet. Quamobrem rem ipsam adoriamur.

NICOLAVS Boccassinus (ita namq; antè Pontificatum vocabatur) Taruisij natus est. Est ea ciuitas inter reliquas Italiæ ciuitates, cùm dignitate; tùm antiquitate (quod præcipuè in vrbibus spectari solet) laudabilis, atque celeberrima. Antiquitate quidẽ; quoniam ex agro quodã Samnitum, vetus Colonia (Liuio teste) deducta est. Dignitate verò; quoniam hæc ipsa est, quæ Totilæ sedes fuit, quævè ob id vt totius Venetæ Prouinciæ caput diceretur; & esset, facilè obtinuit; quæ Alboino Longobar-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

dorum Regi, ſola obſtitit: quæ contra Fridericum Secundum, ſuam ſibi fortiter libertatem ſeruauit: quæ reliquis ciuitatibus, primùm exemplo fuit; vt iugo Tirannorum excuſſo, Venetæ Reipublicæ ſe ſe dederint; quæ inter tot eiuſdem Reipub. calamitates, à confœderatis Cameracenſibus illatas, cum deſciuiſſent cęteræ; ſola in fide perſtitit; quæ ſola Maximilianum Imperatorem potentiſſimum admirabili cõſtantia fregit, ac penitus fugauit; quæ demùm agrorum vbertate, ſed magis, ac magis ingeniorum, in omnium diſciplinarum & artium genere, perpetua feracitate, turgeſcit. Id quod ex multis præſtantiſſimis, qui in omnẽ ętatem floruerũt, præſertim verò ex hoc vno Nicolao, omniũ ſuæ tempeſtatis florentiſſimo, ſatis vt arbitror conſtare poterit. Cui etſi parentũ admodum laudata nobilitas (vt quibuſdam videtur) non acceſſerit; attamen nec illa, meo prorſus iudicio (quamuis minimum hæc in ſanctorum Elogijs ſibi locum vendicent) omnino abfuiſſe dicendum eſt. Quandoquidem Pater eius Boccaſſius, cum publicus eſſet Imperiali authoritate Notarius; etiam tunc temporis, quando non adeò profuſa erat, tantã titulorum luxuries, Dñs nuncupabatur: quem titulum, non niſi viris illuſtribus, ea ætas concedere ſolebat. Ita ex quodam Amitæ eius teſtamento, quod etiam nunc aſſeruatur, quo domus illius, Monaſterio Sancti Nicolai legata eſt. Patruum etiam Boccaſſinum, ſub quo prima rudimenta didicit, Pareciæ Sancti Andreæ Taruiſij Præsbyterum habuit. Illud poſtremò, huius rei non minimam fidem facit, quod Aedes, in quibus B. Benedictus & genitus, & nutritus eſt, quæve Fratribus Prædicatoribus, hæreditario iure obuenerunt, certè vſque in hæc ipſa tempora, honeſtæ familiæ ſignificationem, referre dignoſcuntur. Sed de his caducis, exterisque laudibus ſatis: demus virtuti reliqua. Fauit huic in ſancto ſuo non ſolùm Deus; ſed & natura; cùm in bene partita corporis efformatione; tùm in ea qua ipſe floruit, annorum centuria. Annus agebatur (vt de hoc primo loco dicamus) Millesimus, Ducenteſimus Quadrageſimus; quum hanc in lucem, Nicolaus primùm ingreſſus eſt. Annus certè omnium ferè nobiliſſimus. In eo enim centenario, præter alios quàm plures, in omni mundanarum diſciplinarum genere præcellentes floruerunt Viri, ſanctitate inſignes, à quibus præcipuè in Eccleſia, Religiones inſtitutę ſunt: Dominicus, & Franciſcus; quo etiam tempore, Heremitanorum, Humiliatorum, Sanctę Clarę, Cęleſtinorumque Ordines erecti ſunt. Cruciferorum inſtauratus, Carmelitarum, & Seruorum promoti, ac reformati: è quibus doctiſſimi quique prodierunt, Thomas Aquinas, Albertus Magnus, Durandus, Petrus de Tarantaſio, qui & Innocentius Quintus, in Pontificatu dictus eſt. Ioannes de Voragine, Hugo Cardinalis, S. Raymundus Barchinonenſis, & alij quãplures Prędicatorij Ordinis: Inſuper Aegidius Romanus, Scotus, Nicolaus Lirenſis, Gulielmus, D. Bonauentura, Alexander Alenſis, aliorum Ordinum alumni. Inter hos autem, nemini ſecundus, ac veluti, ſolare iubar emicuit, Nicolaus Boccaſſinus, Vir (vt ſecundò dicebamus) ipſa etiam corporis figuratione conſpicuus. Fuit namque mediocris ſaturę, caluus procedente tempore, iiſdem fermè Adriani Quinti lineamẽtis, prout ex eius numiſmate deprompſimus, in veneranda faciei venuſtate cohoneſtatus, quamquam non minorem ei gratiam addebant, ſumma quam in vultu prętferebat, humilitas, benignitas, ſimplicitas, grauitas, manſuetudo, vt cętera taceam, quę ab intus filio Regis gloriam (Propheta teſte) adaugent; quibus poſtea Religionem ingreſſus, ſplendidiſſimè reluxit. Anno igitur ętatis ſuę quartodecimo Prędicatorum Ordinem, vbi præclariora ingenia, conuolare propenſius videbat, amplexatus (cuius rei marmoreo in lapide Taruiſij, quo primùm anno 1221. Fratres Dominicani Conuentum erexerant, pulchrum monumentum ſculptum extat) ita fęliciter ſudauit puer & alſit, per quatuordecim continuos annos, diuinis humanisque litteris incumbendo, vt per quatuordecim alios, eoſdemque pariter continuos, ſumma cum omnium admiratione, Lector eruditiſſimus publicè priuatimque docuerit; permaximè verò, in excelſa tunc Venetijs Quirinorũ familia; quam etiam ante Religionis ingreſſum nobilium puerorum diſciplina ſummopere excoluiſſe fer-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

se fertur. Quid plura? Quatuordecim adhuc immediatè sequentibus annis per omnes sui Ordinis gradus, vsque ad ipsum supremum Generalatus Magisteriũ, euectus est. Nam cum secundò Lombardię Prouinçialem ageret, in septuagesima septima Synodo Generali Argentinæ celebrata, summo omnium Patrum consensu, post Stephanum Bisuntinum Gallum Generalis Magister creatus est, anno 1296. In quorum omnium admiratione, non satis Diuinæ prouidentiæ contemplatione expleri, satiarivè possum; cum per adeò æqualia temporum spatia, officiorum ministeria, Sancto suo Deum partitum fuisse contueor. Nequaquam enim, id absque ratione, eaque admirabili factum esse putandum est, si numerum hunc xiiij. expendamus. Id quod etiam Herodotus, in quodam Rege, & in Theodosio Imperatore, Diuus Ambrosius obseruasse visi sunt, præclarè fortassis alter illorum meditatus, quòd Luna non nisi, post quartamdecimam Soli coniungitur; Alter verò quod Phasè olim, non nisi post quartamdecimam diuinissimè ab antiquis Patribus coleretur: quemadmodum & D. Augustinus aduertit, Paulum non priùs, quàm circa quartumdecimum annum, ad cęlestia subleuatum fuisse: & alibi Christianam perfectionem attingi neutiquam posse; nisi per decem præcepta, & quatuor Euangelia, præteruehamur: sicut Sanctum hunc nostrum feciſſe, vel ex ipsa virtutum eius enumeratione compertum est. Quid enim quæso in eo quærimus? Humilitatem primum virtutum omnium fundamentum? Tanta fuit, vt spretis proprijs natalium insignijs, ex quibus (quod plerumque homines seculi, consueuerunt) non minimam fortasse existimationem in omnium oculos deducere potuisset; hoc tantùm vno eodemque suæ Religionis non significatione, sed lineis tantum dissimili gentilitio, vsus fuerit, scuto nempè in duas per lõgum partes dissecto, quarum alba vna, nigra erat altera; quo etiam Pontifex vsus est. Studiorum suorum profectum, ac vtilitatem spectamus? fuit & hic tantus, vt etsi non omnia quæ legit scripsit, dictauit, dixit, vel temporum iniuria, vel incuria cuiuspiam alterius, vel etiam propria suipsius, inanem gloriam refugientis voluntate, adseruata, illibataque sint; habuerimus tamen, ad manus nostras, præter tres Tomos in S. Matthæum, etiam super Iob, Psalmos, & Apocalipsim dilucidissima commentaria. Desiderãtur corporis defatigationes & labores? Nunquam ille, nec Prouincialis, nec Generalis, equitauit; sed semper baculo innixus, tàm Prouinçiam; quàm totum Ordinem pedibus visitasse fertur. Parcitas requiritur in victu, & in vestitu frugalitas? Tanta, vt in supremo Magisterij fastigio, constitutus, nunquam aliò quàm in communi Refectorio cum Fratribus suis, nec lautiori quàm cęteri cibo: sed eodem prorsus vsus fuerit. Vestibus item communibus, ijsdemque rudioribus, insuper & aliquando laceris contentus. Paupertas exhibenda est? Nihil vnquam pensi habuit. Regendi demum prudentia? Tanta, vt in Nouitiorum educatione promouenda, potiùs quàm in quacunquẽ alia rei regularis obseruatione, insudarit, inuigilaritvè; ratus cum Platone, nil magis, vel ornamento Reipublicæ, vel excidio fore: quàm vel fotam, vel neglectã, puerorum disciplinam. Circa reliquos vero, ita se gerebat; vt æquitate seruata, nec nimis rigidus in noxios, nec nimis facilis esset in bonos. Quod autem attinet ad communem Religionis statum. Tria successiuè sub ipso Comitia Generalia coacta sunt. Argentinæ primùm 1296. Venetijs postea anno 1297. postremò Metis 1298. In quibus præter multa, quæ cùm regularem obseruantiam; tùm Ordinis dignitatem, promouerent, potissimùm id effecit; vt Religio, quæ tum duodecim tantum Prouinciarum erat, ad decem & octo Prouincias distenderetur. Ad Fratres autem in officio continendos, quantus hic Pater fuerit, facilè videbit quisquis infrascriptas, quas ante dictis Capitulis præfixit Epistolas, perlegendo meditatus fuerit. In Argentinensi Synodo hæ litteræ habentur. *In Deo filijs dilectis Prioribus, & Superioribus, & Fratribus vniuersis Ordinis Fratrum Predicatorum. Fr. Nicolaus eiusdem Ordinis inutilis seruus, salutem, & cœlestis gratiæ continuum incrementum. Apostolica docet authoritas, omnes nos oportere ante tribunal æterni Iudicis assistere, de his quæ in hoc mortali corpore gessimus, ratio-*

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

rationem per singula reddituros. Huius itaque tremendi iudicij, & exactæ rationis non immemor, Vos omnes & singulos, quorum curam nuper suscepi, immeritus, & inuitus, cogor ex sollicitudine impositi mihi officij salutaribus informare monitis, & sacris exhortationibus, viciniora saluti vigilantius excitare. Eia ergo Fratres carissimi, vestram vocationem recolite, & in ea persistentes firmius quæ vouistis Domino, vota persoluite, cui vos professionis vinculo prouidè relegastis; state succincti lumbos vestros, cingulo castitatis, ardentes lucernas bonorum operum, in præsentis noctis caligine, deferentes in manibus, vt dignè possitis sponso occurrere venienti: Non sit quisquam, in vobis torpens ocio, non manus ad operandum remissa, sed vnusquisq; in vinea Domini, tanquam apis argumentosa deseruiat, denarium Euangelicum pro laboris opere finaliter recepturus. Vigeat in vobis, paupertatis amor, obedientiæ promptitudo, animarum zelus, claræ famæ opinio, fraternitatis charitas, virtutum iubar (& vt ad vnum sit dicere) sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videntes conuersationem vestram laudabilem, Deum glorificent in excelsis. Sacra lectio de vestris manibus non recedat, sed habentes solatio sacros libros, euagandi occasiones prescindite, discursus refrænate inutiles, & in cœlis tanquam cœlicolæ residete, familiaritates incautas mulierum, summopere declinate, quarum blanda colloquia, viriles animos emolliunt; religiosorum famam obfuscant; & de virtutum arce, eyciunt virtuosos. Lectioni iungatur oratio, quæ est quoddam cum Deo familiare colloquium, & quædam cathena aurea, per quam rationalis animus, à terrenis trahitur ad Diuina; Prælatis Ecclesiarum, quos amplior gradus dignitas efficit digniores, condignam reuerentiam exhibete, ab eorum offensis diligentissimè abstinentes. Nam & Apostolicus sermo mandat, quòd Præsbiteri, qui benè præsunt, honore duplici habeantur. Super omnia autem mutuam in vobismetipsis charitatem (quæ vinculum perfectionis existit) habete, & conseruare satagite; omnibus, mutuis honoribus & obsequijs, confouentes; cessent iurgia, tollantur litigia, & inæqualitates cum exacta diligentia caueantur. Vnusquisque quæ ad pacem sunt, & sapiat & loquatur, & omnes tanquam viri vnius amoris & cordis, in domo Domini habitemus. In incessu, statu, habitu, & in omnibus motibus nostris, nihil fiat quod cuiusquam offendat aspectum; sed quod nostram deceat professionem. Ad hoc vestram charitatem rogo & exhortor in Domino, quatenus imperfectionem meam (quæ ex multis conflatur defectibus) orationibus vestris dignemini supportare; diuinam interpellantes clementiam, vt ad portandum importabilem mihi Magisterij sarcinam, vires tribuat imbecilli, insufficientiam suppleat, & in salutari suo regentes dirigat vniuersos; vt tempore mei regiminis, quod totum ex intimo cordis propono, vestris mancipare profectibus, Ordo noster (præuia semper Diuina gratia) & merito, & numero augeatur.

Sed contemplemur quæso quæ in Venetensi Capitulo præfatus est. *In Dei filio dilectis, &c. Humanæ naturæ conditio per peccatum grauiter sauciata, ad bonum inuenitur infirma, & ad malum dignoscitur esse procliuior, ex origine vitiata, propter quòd crebris, & salutaribus exhortationibus indiget; quibus retrahatur à vitijs, & virtutibus in tanto lubrico fulciatur. Igitur Fratres dilectissimi, vocationem vestram internis luminibus considerantes attentè, in ea firmiter stantes, de virtute in virtutem indefessis conatibus satagatis, vt iustitiæ vestræ semita quasi lux splendens procedat, & augeatur, donec ad perfectum veniat, continuis incrementis procedat odor bonæ famæ in publicum, cum honestæ conuersationis exemplo, per quæ fidelium mentes, suauitatis virtuosæ comprehensa dulcedine, ad Christum suauiter attrahatis. Obedientiæ promptitudo iugis inueniatur in vobis, quæ vniuersis victimis, & sacrificijs antefertur. Non sit in aliquo vestrum sensus pertinax, non obstinata voluntas, nec difficultas aggrauans; sed vnusquisq; voluntatem suam humiliet nihil in ea proprium recognoscens. Paupertatis Euangelicæ amor reuireſcat in cordibus vestris, quæ terrena vniuersa relinquens, perfectam facit Christi disciplinam, & regnum Cælorum sibi vendicat in excelsis. Magistra virtutum humilitas (quam Rex Cælorum verbis docuit, & exemplis) reluceat in actibus, & operationibus vniuersis, per quam sublimantur abiecti in domo Domini, & supernorum in nos dona charismatum, affluentius*

deri-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

deriuantur. Resplendeat in vestri cordis penetralibus, charitatis & Religionis Zelus feruentior, quem ad nos transmiserunt, sacri nostri Ordinis fundatores. Ad quos attendentes, tanquàm ad virtutis normam, & regulam, ad viciniora salutis, meritis, & exemplis, mens velut columba, iuxta Sacræ Scripturæ fluenta, nocte, dieq; resideat: inde insidiantes nocipitres, inuretur, & deuitet insidias, & aquas perhennes in vitam salientes ærumnam hauriat gratiæ salutaris. Linguam inquietum malum, & facilè lubricum, tacturnitatis, & silentij freno diligentiùs refrenate: ne os Diuinis consecratum eloquijs, ad inania, & dissoluta, seu (quòd absit) ad detractoria, siue mortifera, incautè relaxantes, nostræ Religionis obsequium, inutile omnino reddatur. Sermo autem vester, primò ad limam veniat, quàm ad linguam, nec quisquam molestum, vel asperum contra Prælatos, maximè Ecclesiarum, & mundi Principes, proferatur in publicum, per quod possit eorum fama denigrari, vel in conspectu populi opinio minorari; sed potius eis, vos reuerentes exhibeatis, & mites, qui super candelabrum Ecclesiæ, in modum lucernæ diuinitùs exaltati, micantis lucis splendore irradiant vniuersis. Sanctissimum Patrem, & nostrum Dominum Bonifacium, Diuina prouidentia Summum Pontificem, tanquàm verum in terris Christi Vicarium, ac B. Petri Principis Apostolorum successorem legitimum, præcæteris honorate. Quicquid eius dignitati, aut statui per quoslibet, attentaretur, aut suaderetur contrarium, tanquàm vaniloquium, & sacrilegium detestantes. In tribulatione quam quidam, contra sacrosanctam Ecclesiam, & Pastorem eius, super suscitare conantur, vos pro domo Dei, inexpugnabilem murum opponite; Zelantes, tanquàm deuoti, & grati filij paternum honorem, & apicem Apostolicæ dignitatis, ad quæ mala vitanda (quæso Fratres charissimi) aurem Diuinæ clementiæ pulsate, sedula orationum instantia. Super omnia, rationabile sit vestræ seruitutis obsequium, maturitas morum, conuersationis honestas, fama redolens, lingua modesta, operosa manus, & perfecta species sanctitatis, quam tenentes terrigenæ, Dominum cœli glorificant in ministris, & ad nostræ virtutis aspectum, à suis corrigantur erratis, & florida venustate virtutum, Diuinæ gratiæ suffragijs adornentur. Ad hoc suppliciter exoro vestram charitatem in Domino, quatenus mei pro vobis fideliter (vtinam vtiliter laborantis) iugiter apud Dominum memoriam habeatis; persoluentes celerius, quæ in Actis Capituli Generalis sunt imposita suffragia animarum; Sancti Spiritus gratia semper existat; quæ corda nostra clementer expurget, & pariter ab omnibus aduersitatibus tueatur. Quæso nec pigeat, in hanc quoque oculos mentemque fixisse, quam apud Metim habuit.

In Dei filio, filijs prædilectis &c. Doctrinam Patris audite filij, vobis sub breuitate transmissam; ne prolixitas grauet auditum, & fructum excludat operum. Primùm quidem obsecro, vt quos ad Ordinem, sancta traxit deuotio, quàm longè sint, a tramite Religionis incœptæ, quam à principio tenuerunt, aduertentes recessum, desleant, & ad primæ cœptum Religionis opus inardescant; procedant ex recuperato feruore lux, & flamma, honestas videlicet in conuersatione, & ignitum eloquium in sermone. Quod ne propter defectum scientiæ quemquam ladat, vel minus auidè recipiatur (Fratres charissimi) Lectores audite, quorum est breuiter, & faciliter tradere, quod accipiunt cum labore. Cellæ secretum, sit cuilibet in amplexum, vbi poterit audita repetere, studere ad libitum, & pacem animæ conseruare: sicq; dispositio delectabilis, erit laboris successio; vt vel cum alijs psallat in Choro, vel assistat orationi secretæ, vel modestè conferat de auditis, vel salubriter occupetur in vtilitatibus alienis. Quæ vt ita fiant, oportet, qui præsunt, curam diligentiùs adhibere, vt quos vident in studio, & regularibus obseruantijs negligentes, emendare, & corrigere studeant; & vbi mansuetudo prius accepta non sufficit, rigoris seueritas accipiatur. Nec debet retrahere à correctione, Prælatum, amor quietis propriæ, seu timor displicentiæ, vel offensæ; magis timeat ne detrimentum Fratris, damnum Ordinis, & periculum sibi propriæ salutis enducat. Ceterum seniores, libros in quibus iam non proficiunt, iuuenibus aptis libenter communicent, vt vnde lucrantur alij, lucri fiant participes alieni. Porrò quia charitas non quærit quæ sua sunt, boni communis quilibet debet esse

Zelator,

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

*Zelator, vt ad quærendum pro communitate ſumat audaciam, pro ſe autem, verecundus exiſtat. Glorietur autem in Domino, ſi de collatis propriæ perſonæ, Conuentus ſui, vel fratrum pauperum poſſit indigentias ſubleuare. Sed & ipſi Rectores Conuentuum, omnes Conuentus, & ſibi ſingulariter deputatos, in neceſsitates debent rependere ſubditorum, & tanto magis, quanto magis adſtringuntur, perfectionis exempla cæteris oſtendenda. Hoc autem ſingulariter exhortor, & moneo, vt ſicut in actis Capituli Generalis continetur, in vestibus, & neceſſarijs fratribus vniuerſis, & infirmis, in ſeruitutibus, & neceſſarijs, fiat prouiſio ſufficiens, vndecunq;. Deinde oro, præcipuè, vt pax omnibus optata, inter vos vigeat, vt à vobis omnis amaritudo tollatur, nè (quod abſit) grauamini, vel diffamationi cuiuſcunque, ſed potius emendationi, & beneuolentiæ, omnes intendant; pro quibus diuinitùs obtinendis, ac pro conſeruatione & promotione ipſius Ordinis, reſtat, vt deuoti precibus inceſſanter, aures Diuinæ clementiæ propulſetis, mei memores in eiſdem precibus complectentes; vt qui in vobis proficiendi tribuit voluntatem, dignetur pariter tribuere faculta-*tẽ.

Potuit ne quiſquam melius rem vnquam regularem euehere? Ecquid igitur mirum, ſi tanta tunc Dominicanorum Religio? ſi tantus Religionis cultus? Si tanta cęleſtium fructuum in populos exuberantia? ſi tantus diuinitatis illapſus? Admirabantur, reuerebantur, omnes circumquaque nationes. Quid plura? Summus ipſe Pontifex Bonifacius Octauus, tot tantisque, quas de celeberrimo viro fama attulerat, vocibus excitatus (mortalium nemine inſtigante, ſed ſolo Spiritus ſancti quo regebatur dictamine commonente) Nicolaum noſtrum, Cardinalatus non tàm dignitate cohoneſtare, quàm in conſortium Apoſtolici muneris obeundi, Virum prudentiſſimum euocare conſtituit. Itaque miſſis in Galliam Nuncijs; qui illum Narbonæ, nihil ad tantæ exaltationis rumorem, qui totum iam iam orbem repleuerat, commotum; quinimmo viſitationi Ordinis propenſiùs inſiſtentem inuenerunt; per Apoſtolicas litteras, quæ ineunte feſto S. Mauri, in Capitulo Fratrum, coram Maioris Eccleſiæ Canonicis, & populo, lectę fuerunt, in Cardinalium numerum lachrimabiliter Generalatui Ordinis renũciantẽ, cooptauit. Quarum litterarũ tenor eſt qui ſubſequitur. Videlicet. *Bonifacius Seruus ſeruorum Dei, dilecto filio Fratri Nicolao de Taruiſio, quondam Magiſtro Ordinis Fratrum Prædicatorum, in Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Præsbiterum Cardinalem aſſumpto, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Inter cæteros Ordines in agro plantatos Dominico, ſacrum Fratrum Prædicatorum Ordinem dileximus hactenus, & diligere non ceſſamus; ad ea quæ proſperum ſtatum eius, ſuiq; honoris incrementa reſpiciunt, paternis ſtudijs intendentes. Volentes itaq; perſonam tuam (quam laudabilis fama refert, ac fide digna clamat aſſertio) claris virtutum inſignijs decoratam: & in te præfatum Ordinem multipliciter honorare, te nuper de Fratrum noſtrorum conſilio, in Præsbiterum Cardinalem Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, duximus aſſumendũ. Quò circa, Diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus impoſitum tibi onus à Domino, prompta deuotione ſuſcipiens, te ſubmoto dilationis obſtaculo præpares, ad noſtram præſentiã quantò citiùs acceſſurus. Dat. Reate. Nonis Decembris, Pontificatus noſtri anno quarto.*

Quæ optimi Patris ſublimitatio, ſemper quidem commodè, tum verò peropportunè cecidit; quando vix illo ad tantùm faſtigium exaltato, repentè florentiſſimum Hungariæ Regnum, ob mortem ſine liberis Andreæ Regis, huius nominis Tertij, tres potentiſſimi Regni competitores, maximo eoque pernicioſiſſimo totius gentis ſchiſmate, varijs prætẽſis iuribus, coronam inſtantiſſimè poſtulantes, inſurrexerunt. Atque in primis Otho Bauariæ Dux, ſibi deberi contendebat; eo quia Stephani V. Regis, ex ſorore nepos eſſet. Quò etiam, nitebatur argumento Vinceſlaus, Sancti Vinceſlai Bohemiæ Regis filius, eiuſdem Stephani ex ſorore altera nepos. Vrgebat verò præ cæteris, Carolus Martellus, Caroli Siciliæ Regis natus, eò quod non iam ex ſorore, ſed ex filia Stephani V. genitus erat; atque regium diadema, ſibi decem ante annos à Primoribus Regni (ſuperſtite adhuc verùm impotente Rege) collatum, nõ tàm petere, quàm repetere videri volebat. Feruebat ea res, vt plerumque varia erant hominum

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

minum & Principum hinc inde fluctuantium, & discidentium studia, atque propè vergere ad seditionem videbatur, & demum res erat plena periculi: Cum Pontifex opulentissimæ illius Prouinciæ (at verius totius ferè Christianitatis miseratus excidium, ac vastitatem) præsentissimum remedium attulit. Videbatur enim sibi; tot tamque periculosa dissidia, non nisi vnius Nicolai Boccassini Cardinalis, & Episcopi Ostiensis, citius, & magis, quàm alterius cuiusquàm dexteritate posse sedari. Neque illum fefellit opinio. Nam legati illàc missi, prudentia, ità demùm factum est; vt breui cedente Othone, & Venceslao, à Catholico Patre domum reuocato, Pannonia tota Carolo Martello, à quo potissimum iura stabant, facilè, atque obsequentissimè cesserit, Buda tantùm eo quòd cæteris pertinaciùs, obstitisset, iussu Pontificis interdicta. Ad Curiam ergò peracta tam graui (quæ ei maximam apud omnes mortales existimationem comparauit) legatione; cum rediret, ex itinere, viginti quinque millia florenorum, ad construendum D. Nicolai templum, apud suos Prædicatores Tarui-sij reliquit; moxque Patauij Ecclesiam Sancti Augustini sui Ordinis, post propulsatam truculentissimi Ezzelini tirannidem, ciuium voto erectam, quam plurimis stipatus Episcopis, & Prælatis, cum ingenti ritus solennitate, dedicauit, sacrauitque. Romam cum peruenisset, dici non potest, quanta cum cordis gratulatione, à probis omnibus, dulcissimè vero ab ipso Pontifice, fuerit exceptus: cui gratus, & carus admodum præ cæteris, ob præstitam in Romanam Sedem, virtutum omnium significationem euasit; adeò vt Pontifex, in cunctis quæ illi postea obuenerunt angustijs, præsuris, & afflictionibus, quando videlicet Philippi Gallorum Regis fraude, & milite, apud Anagniam circumuentus, atque ab omnibus, tùm aulicis, & amicis derelictus fuit, à Boccassino tamen Cardinali, cuius exemplum secutus est Cardinalis Toletanus, nũquam derelictus; sed perpetuò constantique pectore, per totum illud erumnarum interstitium comiter associatus fuerit. Nulla enim, nisi turpissima ratione fieri posse existimabat Boccassinus, vt totius Ecclesiæ caput, (cuius ipsi Cardinales prout notauit Glossa, ad Extrauagant. nostri Benedicti, quę incipit, Dudum: membra sunt; nam corporis cęteri Prælati sunt membra) in manibus hostium vexandum, & perimendum desereret. Egregium sanè perpetuæ fidei, paternęque pietatis argumentum; ita vt non multum à verò abesse credendum sit, si hoc ipsum maiori ex parte in causa fuisse dixerimi; quare defuncto statim post quintum diem, ex acutissimo doloris vulnere, Pontifici, ab illis viginti septem, qui tunc aderant Cardinalibus, nemine penitus discrepante, quinimmò collaudantibus omnibus, ad tantum onus sustinendum, ipse suffectus fuerit; Deo certissimè, ita disponente (& quod olim, sanctimoniali cuidam, apud Torcellum Venetiarum Insulam, per nocturnam visionem ostenderat; nempè Fratrem Nicolaum, per omnes gradus, ad Summum vsque Pontificatus apicem ascensurum) ad optatum nunc effectu perducente. Electus itaque Petri successor, atque Benedictus Vndecimus vocatus; siue vt eo nomine Benedictum Quintum, tyrannica Imperatoris Othonis authoritate depulsum; & Benedictum Nonum, qui versutia Sabinensis Episcopi, Papatui cesserat, in Cathalogo Romanorum Pontificum contineret; siue quòd id nomen, spei bonæ plenum sit; certum est ipsa sola nominis compellatione, omnium bonorum animos, recentium malorum recordatione, penè delectos erexisse. Mox per manus Napoleonis Vrsini tit. S. Adriani Cardinalis Diaconi, anno 1303. solennissimè coronatus, peractis demore pro felici gubernationis auspicio, Romæ precibus Mediolani pariter in Ecclesia S. Eustorgij argenteum foliuoque auro coruscum, idque grauissimi ponderis thuribulum; nec non fericeum apparatum magni pretij; ad Sancti verò Petri Martyris aram, trecentas libras offerri iussit. Inde ad totius orbis pacem promouendam assurgens, Fratrem Nicolaum de Prato, sui Ordinis, eum quem & litterarum peritia singulari, & rerum postea sub tribus Pontificibus, bene gestarum prudentia incomparabilem fama personuit, in Cardinalium Collegium assumpsit; iuxta quem etiam, Fratrem Guilelmum Anglum eius profes-

sionis.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

sionis hominem in cuius locum (quoniam hic mortuus superiori æstate repertus est) Fratrem Gualterium, item Anglicum, Regisque Odoardi Magistrum substituit. Ingemuit persepè Fratrem Guiritium Taruisinum socium suum egregium, suæ ætatis concionatorem, cuius cùm dicendi gratia; tùm morum sanctitate, prudentia, dexteritate, in tam graui regiminis mole, libentissimè vsus fuisset. Cęterum clementiæ sinum, (Principum decus) initio Pontificatus, longè lateque in omnes aperuit, expanditque. Pepercit namque Columnensibus, quibusdam schismaticis, eosque ab omnibus, quibus à Prædecessore fuerant censuris, & pęnis illigati, benignissimè absoluit; præcipuè verò Petrum, & Iacobum, præfatæ Familiæ, olim Cardinales, in gratiam recepit; pristinęque dignitati, demùm restituit; in super omnia bona, quibus expoliati fuerant, eis redduci voluit. Qua benignitatis munificentia inuitatus, & ipse Gallorum Rex Philippus, tres ad Pontificem Nuncios, hisce cum litteris destinauit, quas quoniam multas, easque præclarissimas Sancti viri laudes continent, attexere visum est.

Sanctissimo Patri in Domino Benedicto, Diuina Prouidentia Sacrosanctæ Romanæ ac vniuersalis Ecclesiæ, Summo Pontifici. Philippus Dei gratia Rex Francorum, post pedum oscula beatorum. Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ: & erexit cornu saluatis, nobis in domo Dauid pueri sui: qui facit mirabilia solus: qui cælestia pariter, & terrena, salubri moderamine dirigens, ac perpetua ratione gubernans, in hac valle miseriæ miserationes innumeras, liberalis in gratijs, & in misericordia copiosus exercet. Ipse quidem circa Ecclesiam suam, sanctam Petri nauiculam, matrem fidelium Christi sponsam, quam à fundationis initio splendore virtutum, mirabiliter illustrauit, piè semper continuans, miserationis affectum, & paternæ exequens pietatis officium, licet eam in pelago mundi huius, intumescentium vndarum fluctibus, agitari, & procellis concuti patiatur; ad tempus, ipsam submergi, vel periclitare naufragio non permittit, continuum semper in tribulatione impendens solatium, in turbatione pacamen, & in aduersitate succursum, sicut rerum euentus, ac succedentium experimenta temporum, manifestè declarant. Cum enim Ecclesia ipsa diebus nuper præteritis, post oppressiones, & afflictiones multimodas, & graues, quasi parturientis angustias, quas ex malitia præsidentis, in ea mercenarij, sub vmbra Pastorum, longo tractu temporis discriminosi pertulerat: qua prostrata, & naufragio proxima videretur propria virtute deficere; Ipse Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis ad ipsius statum miserabilem, & lugubrem piè dirigens, compassionis affectum, & ad releuationem ipsius, suæ potentiæ dexteram clementer extendēs, ipsam ab opprobriosæ captiuitatis ærumnis, dignanter eripuit; à deplorandæ viduitatis incommodis, misericorditer liberauit; dato sibi cælitus noui sponsi solatio Benedicti, qui vt nomini rem conformet, & præteritis futura continuet, opera Deo grata speratur, & hominibus placitura facturus. Exultet igitur eadem sacrosancta Mater Ecclesia, & in iubilum supernæ laudis assurgat, tenebrarum semota caligine, se nouæ lucis radio, illustratam, & abiecto iugo tyrannicæ seruitutis, status debiti, & pristinæ libertatis resumpsisse decorem iocundetur, deposito vidualis, desolationis nubilo, lætitiæ nuptialis illuxisse serenum, nouum adepta Pastorem, suæ sterilitatis, & opprobrij redemptorem. Exultet præcipuè sacer Prædicatorum Ordo, se talem, ac tantum filium peperisse, alumnum nutriuisse, tàm inclitum, tàm præclarum, quàm Patrem Orbis, & fidei successorem Petri, Christi Vicarium, in supremo sedis iustitiæ solio gloriatur. Lætetur, & iubilet quòd ex eius horto arbor ista fructifera prodijt, quæ in domo Domini complantata, fructum datura creditur suo tempore gratiosum. Lætetur insuper, totum orbem ex eius gremio suscepisse nouum Patrem pauperum, & dispensatorem prouidum fidelium animarum, qui sicut multum apud Deum, sic apud homines proficit in honore. Lætabundus exultet chorus fidelium, fidei Orthodoxæ, cultorumque fides ipsa, quòd ex nefandis Prædecessoris actibus, detestandis operibus & pernicijosis exemplis, obnubilata sui luminis claritate, quæ minabatur excidium, per sanctitatis, & vitæ merita, & virtutum exercitia laudabilia successorum, quibus ab ouili claruisse dignoscitur reformationis accommodæ incrementa salubria, ac fulgorem solitæ claritatis creditur resumptura.

ſumptura. Lætetur pacis optatæ conſequi dulcedinem, quæ per iniquos exceſſus, potiuſquã proceſſus, temerarij abuſus quaſi extra terminos exulabat. Iſte fidelis teſtamenti Dominici executor, ad priſtini ſtatus ſolum procurationẽ, totiq; mundo ſpiritualis, & temporalis commodæ quietis, afferre probabiliter exiſtimatur. Nos autem pro bonis affectibus exultamus, qui meretricalia deliramẽta perpeſſi diutiùs, Patrem confidimus ſucceſſiuè beneuolum, qui Prædeceſſoris erronea corrigat, malefacta reformet, pacem nutriat, iuſtitiam ſoueat, & diligat æquitatẽ; in cuius affectione ſincera deuotionis filialis, paterna benignitas, conquieſcat; ſed ex eo præcipuè materia nobis gaudij, & exultationis accreſcat, quòd regiminis noſtri, in Apoſtolica ſede, virum ſedere conſpicimus; bonorum omnium (ſicut fama teſtatur & publicat) nitore conſpicuum, virtutum ſpeculum, & ſanctitatis exemplar. Virum vtiq; ſecundum cor noſtrum, qui non quærit quæ ſua ſunt; ſed quæ Dei, ad Catholicæ fidei & vniuerſalis Eccleſiæ bonorum, & exultationis incrementa fælicia, ac ſtatum proſperum, & quietum totius Populi Chriſtiani, & ad promotionem fælicem negotij Terræ Sanctæ, ducitur, puro Zelo. Igitur tàm dignæ, tàm ſalubris, & vtilis prouiſionis euentu, bonorum omnium largitori, ad laudes, & gratias, in humilitatis ſpiritum, aſſurgentes: eius imploramus deuotè clementiam: vt qui vos ad regimen Eccleſiæ Sanctæ, ad dandam ſalutis ſcientiam plebi ſuæ, ad ſupernæ pietatis honorem, pia miſeratione prouexit: ſic credita vobis multiplicatione talenta, concedat, ſic in ſanctitate, & iuſtitia, coram ipſo, & in viam pacis dirigat greſſus veſtros, quòd poſt regiminis præſentis excurſum, ad cæleſtis gloriæ ſolium, vnà cum grege vobis commiſſo, clementi pietate, perducat, iudicaturum cum cæteris Sanctis ſuis, omnis orbis terræ, finium nationes. Cæterum nos, & Regnum, cuius moderamini diſponente Domino præſidemus, & Eccleſiam Gallicanam, ſanctitatis Veſtræ fauoribus, fiducialitèr commendamus, & ad exponendum perfectiùs, & pleniùs exhibendum Beatitudini Veſtræ, omnimodæ reuerentiæ, & deuotionis inditia: Ecce dilectos, & fideles, Bernardum Dominum Nercolij, Magiſtrum Petrum Bellipertica, Canonicum Carnotenſem, & Gulielmum de Pleſſiano militem, Nuncios noſtros, ad Sanctitatis V. præſentiam, deſtinauimus: quos benignè recipere, ac eorum relatibus, paterna clementia audientiam præbere placidam, & fidem non dubiam, adhibere dignetur. Vides pientiſſimè lector aculeatam in Bonifacium Epiſtolam.

Quare Pontifex prudentiſſimus, cuius modeſtiam, non tàm adulationes propriæ, quàm Prædeceſſoris iniuriæ, pupugerant: ita prudenter ſe geſſit; quod nec Regem, exaſperationi obnoxium reliquit, nec ſedis Maieſtatem negligendam, putauit; quinimmò, & retinuit nominis exiſtimationem, & Regis animum dulcedinis paternæ blandimentis deliniuit. Neque enim eum ad omnem Eccleſiæ reconciliationem admittendum, tantùm nè laberetur in prius, & furoris delirium, mens efferata ſubiret; à reliquis cenſuris, tanquam nihil proficientibus; immò verò magis, ac magis obdurantibus, hominem abſoluendum exiſtimauit. Ita non nihil, quieſcentibus exteris, ad Italię tranquillitatem, Etruriæ præſertim, quæ ciuilibus tunc diſſidijs quaſſata, feruentiſſimè æſtuabat, animum dirigens; Cardinalem Pretenſem, Legatum à latere, commiſit; qui cum videret, ſe nihil mollibus proficere poſſe, durioribus vſus, Florẽtinis, ſuisque Pratenſibus (quorum obſtinatus animus erat) interdixit; eisque in ſua ſententia dimiſſis, Romam ad Pontificem regreſſus eſt. Qui magna in Florentinos ira percitus, atque eorum ſuperbiam execratus euocatos ſtatim Florentinorum primores, ipſa ſola nominis, ſedisque maieſtate, parere dicto coegit. Erat enim in Benedicto ſeueritudo quędam, ſumma cum benignitate coniuncta, qua facilè quoſcunque quantumlibet procaces, & ceruicoſos, vel à ſua ſententia compeſcebat, vel certè ad obſequendum alliciebat ſuauiter. Eapropter, cum videret quoſdam ſui Prędeceſſoris hoſtes, obſirmato adhuc animo, aduerſus Viri facta, ſemper nouum quippiam moliri, nec vlla vnquam poſſe facilitatis ratione, ad bonum ſenſum reuocari, perſequi illos, atq; poteſtatis plenitudine impetere conſtituit. Quod vt meliùs cederet, & Romanorum fraudes commodiùs deuitaret: Perſium acceſſit; vbi poſt receptos Chriſtianorum

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Principum Oratores,eosque ad solitum obedientię iuramentum admissos,Regi Aragonum Ecclesiæ feudatario, decimas trium annorum in suis Regnis, Pontificali munificentia adscripsit: quemadmodum, & Carolo Neapolitano Regi, ad soluendum Ecclesiæ, octo millium vnciarum auri, tributum, terminum prorogauit. Atque ita huiuscæ copiosæ liberalitatis argumentis, Christianorum Principum animos deuincere cępit,quò facilius eos, suo tempore aduersus fidei hostes inflammaret, atque ad optatissimam illam omnibus seculis,Terræ Sanctæ expeditionem,impelleret; ad quã ipsemet, per frequentissimos Tartarorum Nuncios ciebatur, qui iam iam Agarenorum Prouincias ingressi, longè, lateque omnia ferro, & flammis populabunde deuastabant. Quæ dum animo,die,noctuque meditaretur,& euolueret; nihilotamen minus interim suæ Religionis zelum, & curam remittebat: quinimmò de probo Viro, in Generalem Magistrum eligendo,ad electores in Capitulo Tolosano perscripsit in hæc verba. *Dilectis filijs electoribus Magistri Ordinis Prædicatorum, apud Tolosam congregandis. Benedictus Papa XI. salutem,& Apostolicam benedictionem. Cùm incumbat vobis, proximo Festo, Pentecostes,creatio noui Magistri Ordinis,nos volentes omnia,circa hæc & alia dicti Ordinis, rectè, & ritè, procedere, nullumq; sit impedimentum, aduersus quod possit nostra prouidentia subueniri; præsentium tenore, omnes, & singulos, sententias, excommunicationis, siue suspensionis, vel interdicti, à iure, vel ab homine prolatas, ex causa quacunque,& vndecunque contractas, si quas vos, aut vestrum aliquis, seu ad huiusmodi Magisterium assumendus, forsitan incurristis, de Apostolicæ potestatis plenitudine penitùs reuocamus, Vosq; ac vestrum singulos, ab eis absoluimus, & absolutos fore censemus: ita quod obstaculum aliquod electioni, quam de Magistro dicti Ordinis facietis, propterea nequeat interponi. Sic ergo ad id prudenter intendue, sic in meliorem vestra confideratio dirigatur, quòd Deo propitio, Magister, discretione vigens, scientia pollens, consilio prouidus,in sibi committendo officio fidelis,& exemplo vitæ, & regularis disciplinæ observantia(quam inconcusse custodiri volumus) Ordini fructuosus, vestro ministerio subrogetur. Datum Laterani, Idibus Aprilis &c.*

Hæc omnia eum cunctis amabilem, & admirabilem reddebant; super omnia autem,rara humilitas,quæ tanta fuit, vt nec etiã, Fratrem Falcum Nepotem suum, cùm scientiæ,tùm morum venustate fęlicem,vt in Cardinales referret, vlla vnquam ratione adduci potuit,quinimmò in eo,quò se deuouerat Monasterio, dereliquit. Quid? Rem quæso omni admiratione digniſſimam,totus audiat Orbis Terrarum,& mecum præ stupore incredibili, obtumescar,hęreat. Venerat per hosce dies,vnà cum alijs, ad tantæ lętitiæ nuncium,quasi è somno expergefectata,Perusiũ exultabunda,filiumque complexura,paupercula,eaque vetula octogenaria mater eius. Eam aulici sericis (vt par erat) indutam,ad Pontificem introducũt. Vix coram apparuit,vixq; in illam oculos Pontifex coniecerat; cum sericum luxum demiratus,ad astantes conuersus, Quæ nam (ait) hæc est;tàm illustris matrona,quę tàm fulgida veste,tantoque nitens corporis ornatu, ad nos venit? Illis respondentibus, suam ipsius, quæ illum mundo peperisset genitricem adesse: Minimè verò ait Pontifex (ò inauditum ò admirandum potius,quàm imitandum altissimæ humilitatis exemplum) minimè; mater mea paupercula est,& vilibus indumentis, suaque sorti paribus vtitur; nec vnquam, quod sciam, sericum nedum gestauit; at nec contrectauit quidem: Hæc autem compta, Romano more, nobilissimæ fœminæ diuitias refert. Nequaquam ergò mea hæc mater est. Quo audito,ductores capti admiratione nimia, tantæ in augustissimo viro humilitatis, mox illam seorsùm, sericis exuerunt, proprijsque vestibus reindutam, ad Pontificem reduxerunt. Qui statim, è subsellio matrem veneraturus, assurgens. Hæc, hęc est filioli (ad eos qui aderant ait) hæc est mater mea,& nõ illa diues & pomposa; mox matrem amplexatus tenerrimè, exosculatus est. Flebat Pontifex, flebant vniuersi Cardinales,nec vllus inuentus est, tam saxei pectoris, ab cuius oculis, factum dulcissimum, copiosas easque suauissimas, non eduxerit lachrimas. Vt autem vitæ probi-

tate,

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

tate, cunctorum ad se corda trahebat; ita pastorali vigilantia, adeò clarus euasit, vt ijs quibus præfuit mensibus (nam decem non excessit) plures passim constitutiones, adiderit. Bonifacij primùm constitutionem, quæ incipit; Super Cathedram. Quoniam dissidia inde multa emersérant, correxit; quamuis postea, eadem in Concilio Viennensi, periculis cessantibus, iterum confirmata fuerit. Fratribus suis Prædicatoribus, & Minoribus, ratum habuit Priuilegium illis à Martino Quarto concessum, quatenus scilicet admissi semel à superioribus suis, ad confessionum audientiam, easdem tãquam Sedis Apostolicæ delegati audirent, nec ab Episcopis (nisi in reuerentiæ signũ) licentiam petere tenerentur. Aliud singulare (vt verbis vtar Nauarræ) in hac eadem confessionis materia, statuisse legitur; nempè confiteri iteratò, aliàs admissa peccata, etsi non sit necessarium, quia tamen erubescentiam exprimere compertum est, quam ille, magnam pœnitentiæ partem dictitabat, laudabile certè, & fructuosissimum: ita vt nequaquam reprehendendi sint: quinimmò summoperè commendandi Cartusiani Patres, singulis semel annis, mortalium confessiones ex regulæ præscripto, repetentes. Id quod etiam, non parum fauere videtur, decreto nuper emisso, à Sanctissimo D. Clemente Octauo, quo declarauit confessionem nequaquam scripto faciendam esse: Nam reuera (dicamus obitèr) quæ scripto erubescentia inesse potest? & nonne vulgatum est illud Ciceronianum, Epistola non erubescit? Alteram Bonifacij Extrauag. contra laicos, Decimas Ecclesiarum extorquentes; & contra ipsos clericos, easdem soluentes, ita dilucidauit, vt locum non habeat in his, qui soluunt, quemadmodum nec in his, qui liberè oblatas exigunt. Episcopis, & Inquisitoribus Sanctissimæ Inquisitionis negotia pertractandi, modum, & normam præscripsit. Ecclesias Fratrum Prædicatorum, tàm in diebus dedicationum earundem, quàm in solemnitatibus Sanctissimi Dominici Protoparentis, & B. Petri Martyris, visitantibus, & in concionibus, vel aliàs quomodocunque dictis Fratribus, Eleemosynas largientibus, annorum triginta, & centum viginti dierum, indulgentiam impartitus est. Quoniam verò de Sancti Petri Martyris, hîc mentio cecidit, illud etiam adijcere peropportunum visum est. B. Benedictum, ex magna, qua erga Diuum hunc deuotione afficiebatur, Ordinem seruorum à Beatissimo Petro Martyre institutum, vel (vt aiunt multi) auctum, confirmare voluisse. Atqueita, vir iste Sanctissimus, omniq́ue ratione illustrissimus; hisce, multisq́ue alijs virtutum radijs, vbiq́ue nominis immortalitatem diffundebat; cùm immatura, præcoxq́ue mors Christianitatis, potiùs quàm illius fato, virum immortalitate dignum, ictu terè subitò, impetere orsa est. Quamuis dicat Sapiẽs, Iustus si morte præoccuparus fuerit, in refrigerio erit. Non est præsentis instituti, lachrimas referre, quas huius lucidissimi Solis occasus, ab omnium bonorum oculis excussit: sed potiùs velut Iphigeniæ factum, velo silentij inuoluam, rem dictu indicibilem. Quandoquidem incredibilis erat, toto orbe terrarum de illo spes præconcepta futuræ existimationis. Potissimùm verò; Dominicanæ Religionis iacturam, non solùm referre impossibile est; sed ne cogitare quidem. Etquis namq́ue dolor eius dolori, comparari potest? Amiserat paucis antè annis, fulgidissimum Ecclesiæ lumen, Thomam de Aquino; illum inquam, cuius laus est, non satis posse laudari; vixq́ue deterserat oculos, cum de alterius splendidissimi casu, non nuncium; vt de illo; sed dolorosum spectaculum, suis ipsa oculis, intuita est. Dolorosum dixerim; quia non amplius, quàm mensibus nouem, sexq́ue diebus, Ecclesiam rexerat: sed verius glorioſum spectaculum, si virtutes & prodigia, quæ Deus, eius post mortem meritis operari dignatus est, respexerimus. Tanta namq́ue ad Sancti viri corpus pérgebuit, repentè miraculorum corruscatio, vt dici non possit, quantus tunc hominum venientium ad pedum oscula beatorum, fuerit cõcursus. Tàm enim in Palatio, quàm ipso Prædicatorum in Ecclesia exequiarum tempore, pressura gentium B. Benedicti suffragia implorantium tanta fuit, vt à nemine potuerit cohiberi: ita vt diutiùs quàm oportuisset, super Terram Sanctum cadauer sustineri necesse fuerit. Illud profectò mirabile, quòd super sepulchrum, illo etiam terra tumulato (nam ne in al-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

to collocaretur, idem ipse viuens, ex magna humilitate cauerat) tanta adhuc concurrentium, vndique hominum, & Sancti viri opem expectantium instar locustarum, frequentia extitit; vt Diuinam adesse virtutem, nemo (nisi qui mente captus sit) negare potuerit. Quid ni? si re ipsa, & sensibus, miracula è cœlo in eos prolabi, & videbant, & sentiebant? Quorum pauca, ne ad fucum, & plausum hæc dixisse videamur adijcere placuit. Ioanna Petri dé Francia, fluxu sanguinis per sex Menses, penè exinanita, reddita est sanitati. Viuianus Bon Ioannis de Ponte Montis Castelli, porrectis precibus ad tumulum Beati Benedicti, visum quem omnino ferè amiserat integrè recepit. Naldus ex oppido Montispolitiani, Epilepsiæ (quem caducum morbum vocant) per septennium obnoxius, voto ad Sanctum effuso non amplius molestiam sensit. Gerundisia quam lapsi in prauum artus manibus, & pedibus inualidam reddiderant, salutem consecuta est. Garnero nullius humana ope: sed D. Benedicti precibus, sanata sunt vulnera. Martinus, & Bonazagus, ambo pari ægritudine circa testes infecti, incolumes redierunt. Ioannellus intestini morbo pressus, vix efflagitauit, & comperit auxilium. Mater cuiusdam Fratris Ordinis Prædicatorum, quæ per quattuordecim annos continuos, continuum capitis dolorem, eumque acutissimum perpessa fuerat, facto voto, protinus est curata. Paruulus, qui sine cibo & potu fuerat tribus diebus, à Patre de vita illius desperante, sed qui tamen plurimùm, in D. Benedicto confidebat, ad Sancti viri Sepulchrum deportatus, mox in Ecclesia per seipsum deambulare cœpit. Alius puer, & mulier quædam alia, penitus nil videntes, ad D. Benedicti tumulum perducti, statim lumini restituti sunt. Domicellus quidam Vicecancellarij, impotens vnius brachij, maximacum fide, & deuotione ad sepulchrum viri Dei veniens, ibidem continuò liberatus est. Puerum vnum ad ambulandum, penitus quiam ex multis annis impotentem, præsente, & testimonium perhibente populo, ad gressum perfectè restauratus est. Angeluria Rosa, per viginti quinque annos, Gulielma per septennium: Vaniola de Assisio diebus duodecim; Iuuenis Cortonensis per tres annos à dæmonibus vexati; meritis Beati Benedicti, ad cuius sepulchrum deducti fuerant, liberati sunt. Quid plura? Ad fidelium commodum exhumari, & in alto, eoque honorifico loco, recondi necesse fuit Sancti Dei corpus, sic volente Deo, vt qui se humiliauerat, exaltaretur. Demùm oratio concurrentium, fidei, & deuotioni inseruiens, confici oportuit in hunc modum. Deus qui Beatum Benedictum Pontificem tuum, benedictionis tuæ gratia sublenasti ad Cœlum, populum tuum quæsumus noua benedictione gratiæ tuæ sanctifica, & à cunctis malis imminentibus, eius meritis & precibus, tua nos virtute defende. Per Dñm nostrum Iesum Christum, &c. Quo precandi modo, etiã nunc fides vtuntur, & in posterum vti possunt. Quid enim vetat? immò verò nuperrimè, Sanctissimus Clemens VIII. nedũ annuit libentissimè, vt primà die Augusti, Fratres Prædicatores Taruisij, de Beatissimo Benedicto solenni ritu ad populum possint elegiaca oratione dicere: sed etiam eo die amplissimum indulgentiarum Thesaurum, reseratum esse voluit; vt vel hinc, cognoscamus, quantùm clementissimo huic Clementi, debeat Dominicana Religio, à quo post S. Hyacinthum Polonum, & Hispanum Raymundum, Sanctorum cathalogo ad scriptos, etiam vt Beatissimam Agnetem Politianam eiusdẽ instituti virginem, publicis in Ecclesia officijs honoraret, concessum accepit; insuper & hunc S. Pontificem, quantùm concupiscat in Diuum Album referre, hac prædicta cæremoniarum inchoatione declaratum retulit. Cetetum faxit Deus, vt Pontificem optimè in nostri Ordinis beatos præcipuè animatum, etiam Serenissimus Venetorum Princeps, Senatusque Illustrissimus, sua qua maxima in hũc Ordinem benignitate, atque beneficentia affectus est, exoret, hortetur, adiuuet, atque pro Sancti huius Taruisini majestate, ijs quibus decet vijs inducat, inuitet, impellat. Ita enim fiet, vt Taruisium, tam singulari ab eis cumulata Thesauro, quemadmodum inter cæteras perpetuò fidelissima perstitit, sic etiam S. Benedicti, meritis & præcibus, in Reipublicæ fide sanctius adhuc, & penitus immobilis perseueret. Amen.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

HOC EPITAPHIVM INSCVLPTVM HABETVR PERVSIÆ IN LAPIDE MARMOREO, IVXTA SEPVLCHRVM EIVSDEM B. Benedicti XI. apud Fratres Prædicatores.



QUàm laudandus, quàm dulciter eſt venerandus,
Inclitus iſte Pater, prius extitit ordine Frater
Sancti Dominici, Chriſti vigilantis amici:
Lector honoratus, Prior extitit ipſe vocatus,
Effectus talis, fit Fratrum Dux Generalis:
Sic homo doctrinæ, poſt hæc, fit Cardo Sabinæ.
Hoſtia, Velletrum, titulum ſibi dant duo lętum:
Præfuit Vngariæ Legatus, gemma Sophiæ,
Fit Pater ipſe Patrum, Caput Orbis, gloria Fratrum,
Eſt meritò dictus, re, nomine, vir Benedictus.

Treuigij

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Treuigij natus, hic primo Pontificatus
Anno decessit, sibi recte subdita rexit.
In nono mense, mortis prosternitur ense.
Hunc hominem, tantum reddunt miracula sanctum.
Innumeris signis, dans grata iuuamina dignis,
Lector habe menti, currebant mille trecenti:
Quatuor appositis, dum transit hic homo mitis.
Mense, die sexta, Iulij, sunt talia gesta.

FRATER GEORGIVS LAZARVS TARVISINVS ORD. PRAEDICATORVM SACRAE THEOLOGIAE MAGISTER

Beneuolo Lectori S.P.D.



VI initiò alicuius cùm ſui, tùm alieni operis præfationem inſtituunt, Lector optime, illud quidem non vna, aut altera, ſed triplici, inſuper & alia de cauſa efficere ſolent. Aut enim gratiam captare legentium, aut neceſſitatem æditionis aperire, vel ſin minùs excuſare ſeſe, vel demum ſeruatum ordinem, atq; docendi methodum explicare contendunt. Verùm quoniam, vt ad primum attinet, ſatiùs interdum cum Authoris præſtantia, tùm opus ipſum ſua ipſorum dignitate Lectorum beneuolentiam aucupant, quàm id à cuiuſquam ſplendida, ornataq; oratione præſtolari poſſint (quod nunc vel maximè ſpectari licet, primum in huius operis Authore Benedicto XI. viro, & ſi non ſatis, meritò certè in æuum laudatiſſimo, deinde in ipſomet opere, ea omnia cumulatiſſimè continente, quibus totius Chriſtianæ Religionis ſumma, à Domino in monte tradita conficitur, atq; abſoluitur) ea propter reliqua tria in ipſa æedendi libri ratione tibi aperiturus. Scias candide Lector, dùm Taruiſij celeberrimo D. Nicolai cœnobio præeſſemus, oblatum nobis, tranſmiſſumq; fuiſſe horum Commentariorum exemplar manuſcriptum, ab Adm R. P. M. F. Paulo Pico noſtro Comprofeſſore amiciſſimo, & ſacræ Congregationis Indicis Romæ, à ſecretis integerrimo, ea certè ratione, vt quòd B. Benedictus præfati Conuentus Parens & filius

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

lius conscripserat, illud idem, eiusdem Domus alumnus, alter ad communis Patriæ familiæq; decus mundo patefaceret. Quæ nos ratio adeò mouit, impulitq;, vt nullis vigilijs, laboribus, atq; difficultatibus, quæ sese plurima obuersabant territi, non destiterimus, donec ad perfectum deniq; (quod nostrum fuit) additio hæc, deduceretur. Sed quoniam nec nobis lincei sunt oculi, & in exemplar incidimus malè, ne dicam pessimè descriptum, & in ædificationibus magnisq; Hospitij Taruisini structuris (quæ res ampliſsimi illius Cœnobij commodo, & ornamento sola deesse videbatur) nec non in obeundo secunda Cathedra Patauini Gymnasij munere præpediti, curam hanc non per nos ipsos (vt par erat) sed per alios maiori ex parte præstare coacti fuimus; eam ob rem erratorum omnium (qui nostra potiſsimùm absentia emerserant) Indicem curauimus fieri, eorum præsertim, quæ seueriori animaduersionis nota digna visa sunt. Index enim alter rerum notabilium, quippe qui non ad nostram excusationem, verùm ad operis accrementum, & tuam ipsius commoditatem connexus est, quàm diligenter, copioseq; fuerit excultus, tuum sit iudicium, Lector bone, si perlegeris; quod vt facias obnixè præcor; expectaturus insuper (si hæc non nauseabunt) alia duo eiusdem Doctoris Volumina, eiusdemq; argumenti Tomos. Cæterùm si hæc lectio tuis votis arriserit, Benedicto benedicas, Nobis verò, qui illum è tenebris in lucem reuocauimus, Diuinæ gratiæ sospitatem cœlitùs efflagitare non pigeat. Vale.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

INDEX EORVM QVAE IN HIS COMMENTARIIS CONTINENTVR.

IN QVO, VT CELERIVS QVOD REQVIRIS EMERGAT, Primum paginam, proinde columnam, postremò literulam alphabeticam designauimus. Lineam verò non placuit apponere, quatenus tibi numerandi laborem adimeremus.

A

ABRAHAM, Iacob, & Dauid excusantur à concubinatu. 193.1.A.
Additio ad legem quomodo fieri potest. 127 B. & 137.3 G.
Aduersitas maior quæ sit. 61.4.K.
Aduersarius multipliciter sumitur. 179.2. C. 183.4.H.
Adulterium multiplex 194.1 E.
Adulterium voluntarium. 194.2.E & ibid.4.K.item 195.1. C.necnon. 207.4.F.
Adulterium etiam ante legē scriptā prohibitū erat. 213.3. G.
Adulterium quando dimittenti imputatur. 228.1.B.
Adulterium Fœminis, Machia Viris prohibita est. 191.3. k.
Adulterij exprobratio. 190.4.H.
Adulter tres iniustitias committit. 190.3.I.
Adulteri sunt vir, & mulier non ritè separati, si alijs adhereant. 217.4.I. & ibid.4.H. & 218.2.C.
Adulteri verò non sunt, cùm rite separati fuerint, si alijs nubant. 225.1.D.
Adulteri coniuges tunc sunt, nubentes, si ob fornicationem separati sint. 227.4 I.
Adulteri sunt Christiani post diuortia nubentes, non autem Iudei. 219 1.A.
Affinitate dirimuntur matrimonia. 224.1 B.
Agnum igni assatum comedere quid, significet. 19.2.E.
Agni ossa non comminuere quid sit. 31.1.E.
Amen, dictio est hebraica, multipliciter sumpta. 134 2.B. Iuratoria est. 139.3.I.
Amen A Christo frequenter vsitatum. 140.1.A. & C. Frequentius tamen apud Ioannem. ibid.2.B.
Amici inducentes ad malum deuitandi. 203.4 G.
Angeli non indigent edoceri. 114 4.H.
Angeli tàm boni, quàm mali dicuntur ministri Dei. 185.4.H.
Angelorum gaudium super pœnitente. 23.1.C.
Anima propensior ad virtutem, quam ad vitia est. 28.2.B.
Animalis Homo qui dicatur. 91.1.C.
Antiqui vocantur à Christo non ij qui ante, sed qui post legem fuerunt. 151.4.I. & quarè. 152.1.C.
Appetitus sensitiuus duplex. 181.B. Facit vitium, non peccatum 194.4.F.
Apostolis expediens, quinimmò necessarium fuit maledici ab iniquis. 71.2.B.
Apostoli quarè de iniurijs non contristabantur. 72.1.B.
Apostoli dicuntur Prophetæ 81.2.B. Sal. 83.3.F. et K. & 4. I.84.2.C.86.2.C. Radij Christi 95.4. H. Sal propter Iudeos, lux verò propter gentes. 91.4.K. Montes. 101. 1.B.
Apostoli maiores Prophetis fuerunt. 85.4.K.
Apostoli totum orbem illuminauerunt. 94.3.H. Calefecerunt. 95.1.D.
Apostolica doctrina nec corrūpi, nec fœdari potuit. 94.4.H.
Monti comparatur. 101.2.C.
Apostoli illuminauere legem. 96.1.D. Tenebras in Edelitatis. 96.3.H.
Mundum triplicem homines, peccatores, electos. 97.1. D. & 4.H. & 98.2.B.
Apostoli adiuuabant se inuicem. 100.3.I.
Apostolis, qui vnde superbirent, non habebant, quare præcepta fuit humilitas? 20.1.F.
Apostoli dicuntur Ciuitas. 100.1.D. & 2.D. & 3.I. & 4.I. & 101.1.A.
Apostolica doctrina lucernæ comparatur. 102.2.D.
Auari indigentia. 17.3.H. Vnde sitire, & esurire dicitur. 26.2.E.
Auaritia propriè opponitur iustitiæ commutatiuæ. 26.2.B. et 3.K. Idem quod est cupiditas. G.
Audientium capacitati Predicatores se se accommodare debent. 111.1.C.
Audientium infructuositas non tollit Predicatori vel Doctori præmium. 112.4.I.
Auditores nō tātùm, sed etiā factores nos esse oportet. 5.3.F.

B

Beatitudo quid, & quotuplex. 9.4.H.
Beatitudo actiua perfectorum est. 60.1.A.
Beatitudinis Christianæ supra fictam felicitatem excellentia. 10.2.B.
Beatitudines septem à Christo positæ, absque dono spiritus sancti haberi non possunt. 10.4.F.
Beneficia Dei. 109 2.B.
Bona tria sunt. 60.2.C.
Bonum dicitur minus malum. 215.2.D.
Bonum dicitur ob tria. 114.1.B. Lux dicitur 117.4.I.
Bonum opus dicitur ob tria. 119.1.B. Lux dicitur 117.4.I.
Bona opera à nullo obfuscari possunt. 120.2.B.
Bonum opus aliquando mali occasio est 201.4 K.
Bonorum & malorū cōmistio quando permittenda 204.2.B.

C

Candelabrum multiplex. 106.4.k. Scilicet Doctor, Ecclesia, Crux. 107.2.D. 17.3.k. 109.1.C.
Candelabrum veteris legis explicatur. 107.4.k.
Capharnaum Galilæ ciuitas. 3.3. K.
Carnis & spiritus concordia dup. ex bona & mala. 182.2.B. & 3.K.
Caro nequaquàm legi subiecta est, sed spiritus, & anima. 185.3.H.
Carcer Infernus dicitur. 186.1.E.
Carnis spiritusq; pugna 202.3.I.
Carnis periculum etiam ex bono oritur Surgit. 201.4.k.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Caro dicuntur peccantes peccata carnis. 207.3.G.
Castitati contraria. 46.3.G.
Castitas Lucretiæ Romanæ. 199.2.B.
Cauda hereticus dicitur. 141.4.G.
Ceremoniæ legales in quæ diuiduntur, 128.3.k.
Ceremonialia partim impleta, partim adhuc implenda sunt, 130.4.F.
Charitatis excellentia. 10.1.B.
Charitatis ordo, 41.3.I. *Necessitas,* 185.2.E.
Circulus æternitatis est typus. 65.1.D.
Ciuitatis bonæ conditiones. 99.3.k.
Cœlum specialiter dicitur locus Dei Patris. 117.3 F.
Cœlum quanàm ratione Terram significet, 18.3.k.
Clerici regulares in claustris, seculares verò quare extra claustra maneant. 198.1.E.
Cogitationis morosæ periculum, 188.2.C.
Cognoscitur Deus à nobis per negationem. 46.1.C.
Comminatio diuina duplex est, simplex, & cum iuramento. 139.4.F.
Compassio 32 2.H.
Concilij pœna quid sit. 167.3.H. & 168.1.A.
Concordia duplex malorum, & bonorum. 52.3.H. & 53.1.A.
Concubinatus nomen non semper in malam partem accipitur, 193.1.D. & 3.F.
Concupiscentiæ natura infinita est. 26.3.H.
Concupiscere mulierem etiam absq; exteriori conamine prohibitum est à Christo. 198.4.H.
Concupiscere & concupisci æque prohibita sunt 198.4.K.
Concupiscentiam mundi Christus abscidit. 126.4.G.
Concupiscentiæ peccata quando mortalia, & quando venialia. 143.4.H.
Concupiscentia turpior est quàm Ira, quia hęc rationem sequitur aliqualiter, illa non. 191.1.E.
Concupiscere mulierem quando est peccatum 195.2.C.
Concupiscentia exquacunq; occasione fiat, semper est mechia 197.2.C. & 200.3.I.
Concupiscentia dupliciter sumitur, absolutè, & pro Venerea. 209.1.E.
Concupiscentia venerea omnibus alijs concupiscentijs irrationabilior est. 191.2.B.
Coniux ob fornicationem dimissus vel dimissa perdit omnia iura super consortem. 227.2.C.
Coniux continens & separatus, si nubat vnum tantum adulterium committit, incontinens verò duo. 227.4.I.
Consequi, quid sibi velit. 44.4.G.
Consentire Deo quid importet. 183.2.E. & 3.H.
Consensus coactus dirimit matrimonium. 224.2.B.
Conscientia nostra aduersarius noster erit & testis, 183.1. A. & E.
Consentire aduersario quomodo intelligitur. 179.1.E.
Consiliari & docere dupliciter fit. 42.1.A.
Consiliandi qui sint, 42.3.G.
Consiliorum obseruantia non est necessaria ad salutem nisi ex voto. 146.3.F.
Consiliarij scelestes deuitandi. 203.4.G.
Consolabuntur lugentes & quomodo. 22.2.D. 23.1.A. 2.C. 3.H. 4 G.
Consolandi sunt tristes. 43.1.A.
Consuetudinis malæ causa, 28.2.B. *Pondus,* 24.3.G.
Contemplatio aliquando est causa superbiæ. 210.2.C.
Contemplatio quando dimittenda sit, 210.1.B.2.C.3.G.4 k. 211.2.E.
Contemplatione dimissa Vita actiua sumenda est, 212.E.1. & e contra, 213.2.B.
Contumeliarum genera 167.1.B.
Contumeliosorum pœna 167.3.H. 170.2.B.
Conuersionis initia. 24.2.D.
Coram hominibus & non in hominibus lucere, quid. 116.1.D.
Cordis munditia bonam intentionem designat. 45.2.D.
Corpus humanum candelabrum dicitur, 106 4 K.
Correctio fraterna. 33.3.1. & 4.F. *Eius ordo,* 35.3.k. *Modus,* 36.4.F. & 152.2.B.
Corpus Ecclesiasticum explicatur. 208.2.D.
Corporalis cruciatus debitum soluit. 187.4.H.
Corectio sali assimilatur, 81.4.I.
Corripere quis debeat, & quando debeat, 37.4.A.
Corripere non tenemur sed potius vindicari, quocunq; iniuria Deo irrogata est, 37.3.H.
Crux & Passio Christi dicuntur mandata minima, 147.1.C.
Crux dicitur candelabrum. 109.1.C.
Cupiditas rerum proximi. 25.3.I.

D

Damnatorum pœna duplex, 150.3.K. & 206.1.D, & 164. 2.B. *Status.* 186.2.B.
Damnatorum corpora integra resurgent, 206.3.F.
Dauid non necessario excusatur à fornicatione, 193.2.D.
Debiti redditio quomodo fiat. 187.4.H.
Dei gloria procuranda est, 112 2.B. & 116.1.C. & 2.E.
Deo omnia tribuenda, 111.4.G. & 113.1.D.
Deus quomodo dicatur aduersarius noster, 183.2.E. & 3.H.
Delectatio virtuosi operis, 28.3.k. & 29.4.k.
Detractiones malorum non minuunt bonitatem bonorum. 72.4.H.
Dextera manus, & dexter oculus quid significent, 201 2.C. 202.3.I. 203.2.C. & 4.G. 219 1.C.
Diabolo quomodo consentiendum sit. 179.2.E. & 3.D. 180. 1.C.
Diabolus in homines seuit ad præscriptum Dei. 180.2.C.
Diaboli peccata quæ sunt, 188.4.I.
Dilectio Dei, 31.3.H. *Inimicorum.* 34.2.B.
Dilectio proximi primùm explicatur à Christo, & quarè. 152.4.I.
Dimittere offensas proximo, 39.1.A. & 2.E.
Dimittere offensam, & satisfactionem quomodo differant, 176.1.E.
Discipulorum multitudo, & ipsis, & Doctori proficua. 10.1. & 3.I.
Discretio seruanda est etiam in conseruatione sanitatis. 211.4.I.
Diuitiæ inopes vocantur, 109.2.B.
Diuitias possidere, & non amare difficile, 11.1.C. & D.
Diues offendens præueniendus est à paupere ad reconciliationem. 181.3.G.
Diuortium nequaquàm à lege naturæ, sed à scripta permissum erat, 213.4.F. 214.1.D. 216.3.K.
Diuortium semper fuit malum. 215.3.K. *Licet Deus potuerit facere non fuisse malum.* 215.3.F.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Diuortium facere à Viro Vxor non poterat. 217.1.C.
Diuortium fiebat de vxore carnaliter cognita. 217.2.D.
Diuortium faciendo teneat, & quando non. 217.3.I.
Diuortij legi Christus non contradicit. 217 4.H.
Diuortium fiendum vinculum matrimonij non *soluit.* 218.2.C. & 217.4.K.
Diuortij permissio nõ implicat adulterij pmissionẽ. 219.1.A.
Diuortium non à Deo, sed à Moyse permissum est. 219.3.k.
Docẽdũ magis opere quàm Verbo. 3.1.C.112.2.E.142.1.D.
Docere exterius Doctorũ est, interius verò assentire Auditorum. 115.1.D.
Doceri soli homines possunt. 114.4.H.
Doctoris munus est multis comunicare doctrinam. 1.3.H.
Doctor quare in excelso stare debeat. 2.1.A.
Doctoris sermo audientium captui accommodandus. 2.1.C.
Doctor sali comparatur. 88.1.D. Item luci. 92.2.A.
Doctor malus difficilè emendatur. 88.4.I. *Expellendus ab Ecclesia.* 89.1.B.
Doctori duo necessaria, ita Predicatori, scientia & eloquentia. 113.2.E.
Doctores nouæ legis, veteris legis Doctoribus præstant. 148.3.F.& I.
Doctrina Apostolica Mons dicitur 101.2.C.
Doctrinalia veteris legis illustrata sunt per Christũ. 132.2.E.
Dominicæ Diei supra sabbatum excellẽtia. 125.2.B.& 3.K.
Domus Ecclesiam signat. 110.1.B.
Dona spiritus sancti. 9.4.H.& K.
Donec aduerbium quot modis accipiatur. 12.1.E.

E

Ecclesia dicitur Domus. 110.1.B. *Mons.* 7.1.C. *Candelabrum.* 107.3.K.
Ecclesiasticum corpus explicatur. 208.2.D.
Elatio fons omnis malitiæ. 71.3.H.
Eleemosina corporalis tria requirit. 41.1.C. *est remedium peccati ibid.* D. *quando malè fiat.* 41.2.E.
Elemosina quando Deo non placeat. 45.1.B.& D.
Elementa gerunt simbolum peccatorum. 189.1.E.
Emendationis spe mali cum bonis tolerantur. 204.2.B.
Equiualentis redditio. 187.4.H.
Esurire & sitire iustitiam quid significet. 29.2.A. 31.4.k.
Eternitas inferni etiã peccatis venialibus deputabitur. 186.4.H.
Euangelium & scriptura cessabunt in fine mundi. 137.1.A.
Euangelium lucernæ assimilatur. 106.2.A. *Etiam nolentibus est prædicandum.* 109.2.A.
Eucharistiæ sacrificium figuratum fuit per aliqua veteris testamenti sacrificia. 129.2.D.
Excusatio quando damnabilis. 198.3.K.
Experimentum miseriarum facit misericordem. 34.3.I.
Exultatio quid importet. 75.4.I.
Exultandum etiam corporaliter in tribunalibus. 76.1.B. & 3.k.& 4.H.

I

Facere & docere. 112.2.E. 117.3.I. 148.1.E.
Facere, scire, & docere maius est quàm alterum, vel vtrũq; illorum. 147.2 D.
Fatui vocari possunt Infideles non autẽ Christiani. 168.2.D.
Fatuitas quàm grauis iniuria sit. ibidem.
Fatuitas & stultitia differunt. 168.3.G.
Fœditas quæcunq; citra fornicationem, quarè non separet. 229.3.k.
Fides munus dicitur. 178.2.B. *Lux.* 91.3.F.
Fides formata. 31.2.D. *Fidei visio beata respondet.* 32 1.A.
Fides intentionem dirigit. 3.1.C.
Fidelis cum infideli matrimonium contrahere nõ potest. 220.3.k.& 221.3.G.
Fidelis cum infideli coniuge quãdo remanere possit. 222.3.k.
Fidelium coniugum altero ad infidelitatem transeunte, alter non potest nubere. 223.1.C.
Fidelium matrimonia indissolubilia sunt. 220.3.K.
Filiationis diuinæ adoptiuæ præstantia. 121.1.E. & 2.C.
Filius in diuinis multipliciter nominatur. 65.3.K.
Filius nequaquam minor est Deo Patre. 81.2.D.
Finis prior in intentione debet esse. 1.2.A. *Finis virtutis duplex.* 9.2.B.
Finis vltimus est propter quẽ omnia,& nõ econtra. 11.1.A.
Fornicationem semper fuisse peccatum etiam ante Christum contra hæreticos. 192.2.B.& 3.F.& k.
Fornicatio quare prohibita sit. 190.1.B.& 4.G.
Fornicationẽ patrauit Iudas cũ Thamar nuru sua. 193.2.D.
Fornicatio multiplex. 194.1.E.
Fornicatio est sufficiens causa diuortij. 217.3.I 225.4.I.
Fornicationis spiritualis causa, fieri dẽt separatio. 228.3.K.
Fortitudinis donum quid sit. 10.2.B.
Fraternitas vera quæ sit. 165.3.H.
Fratrem offendentem præuenire ad reconciliationem magna est perfectio. 171.2.C.
Frigiditatis malitia. 95.2.B.
Fruitio charitati respondet. 32.1.A.
Furiosus non potest matrimonium contrahere. 224.3.F.

G

Gaudere propriè loquendo, rationalis est creaturę. 74.1.C.
Gaudium Angelorum super pœnitente. 23.1.C.
Gaudium bonorum & malorum. 74.1.C.& 2.C.& 3.k.
Gaudendum in tribulationibus. 74.4.k.
Gehẽna quare non sola nominetur, sed gehẽna ignis. 169.4.I.
Gehenna infernum significat. 168.4.k.& 169.1.E.
Genitalibus membris exceptis, alia omnia cohiberi possunt. 205.1.D.
Gigas Christus est sustinens humeris suis Apostolos. 99.3.H.
Gloriæ celestis descriptio 44.2.E.& 44.2.E.
Gloria in diuinis quarè Patri tribuatur. 116.4.F.
Glorificatio animarum corporumq; post diem Iudicij futura. 150.1.C.
Gratiæ adiutorio etiam Iudei saluabantur. 149.3.H.
Gratiam tolle, & legem non implebis. 7.2.E.

H

Habitus vitiosi difficultas. 24.2.D.
Hereticorum placita vnde pullulent. 210.3.H.& 19.3.G.
Heretici declinandi 203.4.G.
Heretici montes dicuntur. 3.2.B. *Cauda.* 141.4.G.
Hereticus quis dicatur. 145.4.I.
Heretici relapsi quomodo recipiendi ab Ecclesia. 40.4.G.
Heretici quando de Ecclesia proijciendi. 89.2.B.
Hominum nomine in scripturis qui intelligantur. 71.1.A.
Homines solùm possunt doceri. 114.4.H.
Homo ante Christi aduentũ duobus malis tenebatur. 91.2.E.
Homo solum, non plantę, neq; irrationabilia prohibentur occidi. 154.1.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Homicidiæ pœna, 155.1.C.& 2.A.157.3.k.155.3.H.
Homicidium quando liceat, & quando non. 153.2.A.& 3.K 158.4.K.
Homicidium tripliciter fieri potest. 158.4.k.
Homicidium non sul secutum, sed solum mentale peccatum est. 163.1.E.
Homicidium etiam ante legem prohibitum erat. 213.3.G.
Humilitas multiplex. 13.2.E.
Humilitatis veræ multiplex modus. 14.2.D.
Humilitatis effectus est mansuetudo. 18.4.k. *Item Patientia* 19.1.A.
Humilitatis definitio. 19.1.C.
Humilitas quare Apostolis (qui vnde superbirent, non habebant, præcipitur. 20.1.E.
Humilitas in intellectione scripturarum. 31.1.D.
Hypocritarum astutia vt aliena rapiant. 25.4.H.

I

Iacob excusatur à concubinatu. 193.1.A.
Ignis inferni, corpora punict. 206.1.D. *Dicitur gehenna, quare* 169.4.I.
Illuminantur quare aliqui tantùm, & non omnes. 110.3.H.
Impedimenta obseruandæ legis, quæ sint. 127.4.G.
Imperſonaliter pluribus de causis loquitur Christus dicendo Dictum est antiquis. 152.3.I.
Impleri lex sine gratia non potest. 7.2.E.
Impotentia quando separet coniugatos. 224.3.k.
Immutabilitas Dei. 8.2.A.& H.
Incestus exprobratio. 201 2.C.
Incorrigibilitas subditorum impatientiæ causa est. 213.1.B.
Infernus dicitur Carcer. 186.1.E. *Gehenna.* 168.4.k.& 169.1.E. *Eius acerbitas.* 165.2.B.206.4.G.
Infernus quàm iustè legis transgressoribus præscriptus sit. 187.3.K.
Inferni perpetuitas. 186.2.B.& 4.H. *Tenebrositas.* 187.1.B. *Descriptio.* 207.1.A.
Infidelitas gentium describitur. 96.3.F.
Infidelium matrimonium, nisi fiat cum fidelibus, indissolubile est. 220.3.K.221.4.k.
Infidelis à fideli coniuge dimissus, remanet ei obligatus. 222.3.K.
Infidelis dimissus, deindè factus fidelis non potest repetere coniugem, si alteri nupserit ibidem.
Inimicorum dilectio. 32.2.C.
Inimicus quibus vijs reducendus ad pacem. 178.4.K.
Iniuriarum tristitiam tria auferunt. 71.4.F.
Iniuriæ quando culpabiles. 167.2.E.
Intellectus modestus, & remissus, pauper spiritu dicitur. 15.1.A.
Intellectus superbus incidit in hæresim. 31.1.C.
Intellectuales errores vnde promanent. 210.3.G.
Intrare in regnum cœlorum quid sit. 149.4.k 150.1.C.
Inuidia inter beatos non erit in cœlo. 30.4.F.
Icachini Error ponens Tertiam legem futuram scilicet legem Spiritus sancti. 146.2.E.
Iota siue Iod, & Apex quid significant. 138.1.E.& 3.F.& H.
Ira triplex. 158.1.A. *vsq; ad* 162. *inclusiuè. Ira perfectorum.* 52.1.B.
Ira causa est homicidij. 158.4.G.
Ira contra quem fratrem vetita sit. 165.3.H.
Ira diffinitur 159.1.C. *Quando bona, & quãdo nõ.* 162 3.H.
Ira iniuriosa quàm sit grauis. 166.1.D.
Iræ effectus 18, 1.B.
Iræ filiæ recensentur. 166,3.H.
Ira quomodo vertatur in odium. 171.1.A.
Ira inter fratres ex tribus oriri potest. 171.1.D.
Iudas cum Thamar nuru sua fornicationem admisit. 193.2.D.
Iudeorum error, quod concupiscere mulierem, cum conamine, tantùm est peccatum. 209.4.H.
Iudex non peccat mandans homicidam occidi. 155.2.E.
Iurauerit quarè Christus. 140.1.D.& E.
Iustitia multiplex. 25 2.E *& quid sit,* 26.1.B.
Iustitia perfectorum & imperfectorum, 27.3.I.& 26.4 H.
Iustitiæ saturitas quæ sit. 27.4.H.
Iustitiæ legalis partes duæ sunt. 27.4.K.
Iustitia perfecta inhæcuita quæ sit illa. 29.4.F.
Iustitia sine misericordia, crudelitas est. 33.2.A.
Iustitia virtus legalis vel Vniuersalis exponitur. 149.1.C.
Iustitia Euangelica non contraria, sed perfectiua est legis Moysi. 149.2.B.
Iustitia Iudeorum triplex. 149.3.F.
Iustitia exterior scribarum, & Phariseorum. 150.4.G.
Iustè reprobri in infernum trudentur. 187.3.k.
In Iustificatione, auxilium Dei quomodo concurrat. 94.2.B.
Iustus iustitia legali quis dicatur 29.3.F.
Iustitiam abundare quid sibi vult. 148.4.G.
Iustitiæ esuries & sitis quæ sit. 29.2.A.

L

Labor subleuatur appetitione præmij. 8.2.A.
Lacrimæ iustorum. 20.4.F. *Gaudium afferunt.* 21.4.k. *Earum motiua,* 22.1.D.
Laudari, & blasphemari ab iniquis bonum & malum quomodo fit. 71.1.B.
Laurentij gaudium in Passione 30.2.C.
Laus humana fugienda. 2.D.
Legem veterem Dominus dedit descendendo, nouam verò ascendendo. 2,4.G.
Legis diuinæ excellentia 122.1.B.
Legis nomine plura significantur. 123.2.B.
Legem Moysi, Christus, temperauit, declarauit, ampliauit, 122.3.K.
Legis Moysi nobilitas. 218.3.k.
Legis obseruandæ modum tradidit Christus, 127.4.G. *Impedimenta sunt,* 127.4.G.
Legis diuinæ transgressoribus quæ pœna debeatur. 187.3.k.
Lex vetus in monte data, sed implanitie exposita. non sic Noua. 2.3.H.
Lex noua explicatio veteris est. 3.2.C.
Lex vetus in Syna monte Arabiæ; noua in monte Thabor data fuit. 4.1.A.
Lex impleri non potest sine gratia. 7.2.E.
Lex vetus vmbra dicitur, 96.2.B.
Lex Christi non est contraria legi Moysi 122.2.E. *sed est eius perfectio,* 123.1.D.149.2.B.
Lex triplex est. 133.3.I.
Lex, & legis impletio, vtrumq; à Deo datur. 199.3.H.
Lex vetus audita, noua visa fuit. 151.3.I.
Lex non vana, non falsa, non Diabolica est. 138.4.k.
Lex aduersarius noster dicitur. 183.4.H.
Lex quomodo obseruanda. 184.1.D.

Lex

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Lex Talionis non per legem naturæ, sed per scriptam tantũ permissa erat.213.4.F.
Lex noua quare iugum suaue dicatur.7.2.H.
Libellus repudij erat sub præcepto, licet diuortium ipsum, tantũ permissum.216.4.H.
Libellus repudij non dabatur sponsis, sed tantũ vxoribus cognitis.217.2.D.
Liberales qui verè dicantur.17.2.C.
Lingua indomabile membrum.170.3 G.199 2.E.
Literarum monimẽta, seu libri ad quid inuenta sunt.42.1.E.
Lucernam accensam abscondere quid sit.101.3. G. vsq; ad 102 4.H.inclusiuè.
Lucernam extingui. quid significet.102 1.D.
Lucernam esse accensam quid sibi velit.103 2.C.
Lucernæ proprietates Apostolis, & sanctis applicantur. 103.4.I.104.3.I.
Lucernam poni sub modio quid importet.105.1.A. & 3. G. & 4 I.
Lucernam super candelabrum reponi, quid sit.108.1. E.
Lucere, & illuminare differunt.110 4.I.
Lucere debẽt Doctores et Predicatores propter duo 112.3.I.
Lucis spiritualis & corporalis differentia.114.4.F.
Lucretiæ Romanæ castitas.199.2. B.
Luctus quid sit.24.4.F.Custodia est paupertatis.21.4. G.
Lumen scientiæ abscondere impossibile est 98 3.k.
Luminũ Pater vocatur Pater in diuinis, & quare.116.4.F
Lux dicitur Vita Virtuosa.109.4.I.
Lux opera bona significat.117.4.I.
Luxuria impedimentum est maximum Vitæ cõtemplatiuæ, et actiuæ.209 3.H.
Luxuriæ pernicies.46.3.k.Occasiones.200.3.K.

M

Magnum esse quid sit.147.4.H.& k.
Maius malum est nocere, quàm non bene facere proximo. 153.1.D.
Malæ consuetudinis pondus.24 3. G.
Maledictum dupliciter dicitur.68.4 I.
Maledicta, contumelias, & criminum obiectiones tolerare, magnum est.69.3.F.
Maledictiones reprimunt superbiam.71.3.G.
Maledictiones quãdo sunt, et quãdo nõ sũt meritoriæ.73.1.B.
Malum triplex est.215.1.C.
Manicheorum, Beguinorum, & Valdensium error, quòd Vxor dimitti potest propter Christum.226.1.B.
Mandata minima dicuntur quæ Christus addidit legi veteri. 142.3.F, & 4.k.
Mandata minima Crucem & Passionem Christi significant. 147.1.C.
Mandatorum, non autem consiliorum obseruantia necessaria est ad salutem.146.3. F.
Manicheorum error quòd nec Plantæ, nec irrationalia occidi possunt.154.1.D.
Manicheorum error quòd Deus veteris testamenti sit malus. 155 4.I.156.1.C.& 2.D.
Mansuetudinis seruandæ modus.19.1.B.
Mansuetudo humilitatis effectus est.18.4.K.
Matrimonia per affinitatem et consanguinitatem dirimuntur. 224 1.B.Item per consensum coactum, & per metum. ibid.2.B.Per votum solemne, 224.1.B.
Matrimonium fidelis cum infideli dissoluitur.230.4.H.vsq; ad 223.2.C.
Matrimonium furiosus contrahere non potest.224.3. F.
Manus dextera quid significet 201.2.C.202.3.I.203.2.C. & 4.G.210.1.C.
Marcionistæ vero aiunt quòd iustus quidem fuit, non autem bonus.155.4 G.& H.
Marcionistarum & Manicheorum origo.155.4.k.
Maria Virgo, immunis à peccato.21.3.G.
Mariæ Magdalenæ Lachrimæ commendantur.22.2.A.
Martinus quomodo pauper fuerit, & modicus.15.1.A.& H.
Martyr propriè censetur qui pro fide moritur.63.3.k.
Martirij genus est paupertas voluntaria.65.2.C.
Martyrium absq; sanguine quid sit.61.3.F.
Martirium verè quid sit.61.4.k.
Martyrium tria constituunt.62.4.A.
Martyrium sine charitate, non est martyrium.63.4.H.
Martyrium à causa ob quam patimur expendendum est. 64. 1.B.
Martyrium tollit peccatum originale, & ideo baptismus vocatur.64.2.E.
Martirum præmiũ.64 2.B.Eorũ erga nos auxiliũ.64.3.H.
Martirum est regnum cælorum.13.1.C.
Mechia quid sit.190.1.A.
Mechia & adulterium idem sunt 191.2.C.
Mechia Viris, Adulteriũ verò fœminis prohibetur.191.3.K.
Mechia Viri persè quidem grauior est, per accidens tamen grauius est Adulterium feminę. ibidem.
Mechari quando dicimur.197.2.C.
Mẽbrorũ abscisio quomodo intelligatur.205.3.I.207.2. E.
Membra omnia cohiberi possunt præter membra genitalia. 205.1.D.
Medicina quid significet.177 4.G.
Mercedi nomine præmium gloriæ designatur.77.2.E.
Merces dicitur multa, & copiosa ob quatuor.77.4.H.
Merces ista Deus est.77.4. H.
Merces hæc quare dicitur quòd nostra est in presenti, non autem quòd nostra erit, in futuro.78.3.G.
Merces non hic, sed in cælis, & non in cælo dicitur esse. 78. 3.K.79.2.C.
Minus malum in comparatione ad maius malum bonum vocatur.215 2.D.
Ministri Dei sunt Angeli vel boni, vel mali.185.4 H.
Minima etiã mãdata obseruãda sunt à Doctoribus.148.2. C.
Minimorum mandatorum transgressoribus pœna maxima. 144 2.B.& 3.F.
Minimum vocari Doctorem quid sit.142.1.D.
Minimus pro minimè.141.1.E.
Misericordię spiritualis & corporalis opera.41.1.A.
Miseria duplex.43 4.F.
Misericordia Dei erga homines.43.4.F.32.4.K.
Misericordia in duobus consistit.32.2. F.& G.
Misericordes & liberales qui sint.17.2. C.
Mitis qui dicatur.18.4.I.
Modius euersatus quid significet.104.4. G.106.3. G.
Modius quid sit, & significet.202.3.H.
Moysi ascensus in montem quid significet.2.4 K.
Monachorum peccata circa paupertatem.25.3.B.
Mons multipliciter dicitur.101.1.D.3.1.C.99.2.G.3.2.B. 101.1.B.101.2.A.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Montem quare conscendat Dominus, 1.3.H.
Mortem exhorrent peccatores, iusti amplexantur, 24.1.D.
Mori magis quàm peccare debemus. 206.1.C.
Mulierum ornatus quando licitus, & quando non. 199.1.B.
Munditia cordis multiplex. 45.4.H.
Mundus multipliciter accipitur. 96.4.K. 97.1.D. & 4.H. 98.2.B.
Mundus dicitur Domus 109.2.A. *Rota*. 106.2.E.
Mundus corde videbit Deum quomodo intelligitur. 47.4.F.
Munus ante altare quare dimittendum. 174.4.k.
Munera quæ Domino offeruntur multa sunt. 175.1.C. 178.2.B.

N

Nazareorum error circa obseruantias cerẽmoniarum. 132.4.K.
Nicolaitarum errores recensentur. 89.4.G.
Nicolaitarum error quòd fornicatio non sit peccatum. 192.2.B. & E.
Nominibus multis idem significare consueuit sacra scriptura. 65.3.K.
Nouissimum quadrantem intellige, pro vt exponitur. 186.4.K. 188.1. & 2.C.

O

Obseruanda quomodo lex sit. 184.1.D. & 2.C.
Obseruantia mandatorum necessaria ad salutem. 146.3.F.
Obseruandæ legis impedimenta. 127.4.G.
Oblatio spiritualis quomodo fiat 178.2.B.
Obligatio legis quantum duret. 146.1.C.
Octaua beatitudo perfectorum est. 60.1.A.
Oculus triplex. 47.1.D.
Oculi corporalis ad spiritualem comparatio. 45.2.D.
Oculos, & linguam domare absq; gratia non possumus. 209.2.E. & K.
Oculum eruere, est occasiones fugere. 201.1.B. & E.
Oculus dexter quid significet. 201.2.C. 202.3.I. 203.2.C. & 4.G. 220.1.C.
Occasiones peccatorum vitandæ. 200.2.D. & 3.K. 201.4.k.
Occidere quando liceat, se, vel alios. 153.2.A. & 3.K. 154.4.G. 158.4.k.
Odium inimici non per legem naturæ, sed per scriptam tantũ, permißum erat. 213.4.F.
Odium, Religionis causa susceptum quàm efficax. 86.1.A.
Offeruntur Domino multa. 175.1.C.
Offensus offendenti tenetur remittere. 175.3.F. 181.1.E. & 2.D.
Offendens vel æqualis, vel minor offenso sit, tenetur ad offensum ire 175.3.F.
Offendẽtem præuenire ad reconciliationem magnæ perfectionis est. 171.2.C.
Omnes nõ illuminantur, sed aliqui tantũ, & quare. 110.3.H.
Omnia præcepta sunt implenda non vnum tantum, vel duo. 141.1.A.
Operari virtuosè tenentur. *Prælati, Doctores, & Prædicatores*. 117.3.I.
Operari publicè perfectorum est, secretè imperfectorum. 118.2.D.
Operà bona quando publicè, & quando priuatim facienda. 129.3.G.
Opus bonum quare dicatur opus lucis, 117.4.I.
Opera sali assimilantur 91.3.F.
Orandum pro quibus sit. 43.2.B. 175.4.F.
Origenis Error de duratione inferni. 189.2.E.
Oris apertio quid significet. 5.4.C.
Ornatus mulierum quando licitus, & quando illicitus sit. 209.1.B.
Oseas excusatur à fornicatione, 193.3.I.

P

Pacem tria conseruant. 53.3.k.
Pacis intuitu, etiam mali tolerandi sunt. 53.4.I. & 54.1.E.
Pacem duo generant. 56.1.C.
Patientia humilitatis est filia. 19.1.A.
Pacis ergò, bella fiunt. 57.4.H.
Pacificus dicitur Deus effectiuè. 58.2.A.
Pacificus quarè dicatur filius Dei. 58.1.E. 59.1.E.
Paradisus dicitur Domus. 110.1.E.
Passiones à causis bonitatem sumunt. 62.3.E.
Pati propter Christum quid sit. 73.2.E.
Pati pro defensione alicuius Virtutis martyrẽ facit. 62.4.H.
Pati propter suas iniquitates quando bonum, & quando non. 73.4.F. 80.D.
Pater in diuinis quarè dicatur. Pater luminum. 116.4.F.
Pater quarè potius glorificandus dicatur, non filius vel spiritus sanctus. *ibidem*.
Pater in diuinis quare dicatur pater Doctorum. 117.2.A. & D.E.
Pauperes spiritu qui sint. 11.1.C. 18.1.A. 15.1.A.
Pauperes frequentius irascuntur. 16.1.A.
Pauper offensus quare debeat præuenire diuitem offendẽtem. 181.3.G.
Paupertas Virtutum. 24.4.H.
Paupertas Voluntaria genus est martirij. 65.2.C.
Pax commendatur. 178.3.H. *Multiplex est*. 51.3.G.
Pax bona multiplex est. 57.1.A. *Item Mala duplex*. 56.3.k.
Pax habenda in hac Vita quæ sit. 57.3.H.
Pax quando vtilis, & quando damnosa. 59.3.G.
Peccandum non est, etiam si sit moriendum. 206.1.C.
Peccati effectus. 22.1.A.
Peccator pœnitens fortior est iusto. 23.1.E.
Peccatum quo modo committitur, eo modo de illo penitendũ est. 39.1.D.
Peccata in Deum commissa quomodo punienda. 40.3.F.
Peccatum est inobedientia cœlestium mandatorum. 140.4.K.
Peccatorum descensus vsq; ad hæresim. 145.4.I.
Peccatis licet inequalibus, equalis tamen pœna præscribi potest. 163.3.G. *non sic in alia Vita ibid*. 4.G.
Peccata apud homines minima, maxima sunt apud Deum. 164.3.k.
Peccatorum genera explicãtur. 188.1. & 2.C. & 189.1.D.
Peccata carnis ratione gesta quæ sunt. 188.4.H.
Peccata elementis comparata. 189.1.E.
Peccatum non in appetitus sensitiui consensu, sed in voluntate est. 194.4.F.
Pecuniatiua duplex 27.2.C.
Pelagij error de gratia. 137.3.G.
Pœna infligenda est, vt remoueatur culpa. 35.1.D.
Pœna quæ debeatur ei qui cum inimico pacificari recusat 180.3.H. 181.1.E. & 4.G.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

INDEX

Pœna corporalis quæcunq; etiam mortis leuior est quàm minima inferni. 165. 2. B. 206. 4. G.
Pœnalitas in cœlo nulla. 44. 2. A.
Pœnarum infligendarum ordo. 35. 3. F.
Pœna quare in lege apponatur. 156. 4. G.
Pœnæ noui testamenti graniores sunt quàm in Vet. testamento. 164. 3. G.
Pœnæ iudicij, Concilij, & gehennæ quid sint. 164 4. K.
Pœnitentia quomodo vel assumẽda, vel imponẽda sit. 39. 4. I.
Pœnitentes recipiendi sunt. 209. 2. B.
Pœnitentiã non agentes, diuites spiritu vocantur, & è contra pauperes spiritu pœnitentes. 15. 1. A.
Pœnitentes quomodo consolantur. 24. 3. I.
Percussio multiplex. 75. 4. G.
Perfecti in Virtute facilius irascuntur. 52 1. B.
Perfectus constituitur pro octauam beatitudinem. 60. 1. A.
Perfectorum iustitia. 26. 4. H.
Perfectio non solum in contemplatiua consistit. 211. 2. E.
Periurium etiam ante legem prohibitum erat. 213. 3. G.
Permissio quid sit, & quando licita 214 1. B. 215. 1. C.
Persecutio quot modis fiat. 60. 2. D. & 4. F. 61. 1. B.
Persecutionem patientes non relinquuntur, à Deo. 80. 3. K.
Persecutionum vtilitates. 60. 1. A.
Philosophi quomodo Deum cognouerint. 48. 4. H.
Philosophorum error, & falsitas. 93. 3. K. 210. 3. G.
Platonis error quòd quilibet ad quamlibet accedere possit. 201. 4. I.
Plorant iusti ob multa. 26. 4. F. Iniqui etiã. 21. 1. E. 22. 3. G.
Præcepti & promissionis differentia. 214. 1. B. 135. 3. F.
Præcepta moralia non soluta sed adimpleta fuerunt à Christo. 124. 1. B.
Præceptorum legis & Euangelij differentia. 137. 3. I.
Præcepta tam legalia, quàm Euangelica per gratiam impleri possunt. 137. 4 F.
Præcepta negatiua prius tradita quàm affirmatiua, & quare. 153. 1. D.
Prædicatori duo necessaria scientia & eloquentia. 113. 2. E.
Prædicatores montibus comparantur. 101. 2. A.
Prælato duo sunt necessaria. 20. 2. C. 91. 3. I.
Prælati quomodo aduersus subditos se gerere debent. 20. 2. B.
Prælati impatientiam dilabuntur ob incorrigibilitatem subditorum. 213. 1. B.
Prælati pro subditis mortem subire tenentur. 63. 1. A.
Prælatus sali comparatur. 86. 3. H.
Prælati subditos seuerè corrigere debent. 208. 1. C.
Prælatorum errores latere non possunt. 99. 1. C. 148. 2. C.
Præmia & pœnæ veteris Testamenti in nouo implenda sunt. 113. 3. H.
Præuenire offendentem ad reconciliationem magnæ perfectionis est. 171. 2. C.
Prophetæ quare tot, & tanta perpessi fuerint. 79. 3. I.
Prophetarum constantia nobis exemplo est. 80. 1. C.
Prophetarum tolerantiam adducit Christus in exemplum ob quatuor. 81. 2. A.
Prophetias Iudeorum, non gentium impleuit Christus. 136. 1. C.
Prophetæ hæc dicit Dominus; Christus vero Ego autem dico Vobis dicebat. 158. 2. C. & 3. G.
Pro peccatis etiam venialibus in eternum reprobri cruciabuntur. 186. 4. H.
Promptior est Dominus ad præmiandum quàm ad puniendũ. 170. 1. B.
Promissionis simplicis, & iuratoriæ differentia. 139. 3. k.
Promissiones legis & Prophetarum quomodo impletæ fuerint à Christo. 123. 4. G.
Pueri, & insensati quare non possint addiscere. 41. D.
Pueri matrimonia contrahere nequeunt. 224. 2. B.
Purgatorij Pœnæ non tam graues, sicut Inferni. 206. 3. K.

Q

Quadrans quid sit. 188. 1. C. & 4. F.
Quadrans nouissimus quid significet. 186. 4. k. 188. 1. & 2. C. & 4. H. 189. 2. D.
Quinque retributiones dabuntur sanctis in Patria. 44. 3. F.

R

Rachà quid significet. 167. 1. D.
Raptores rerum alienarum, & Tiranni. 17. 1. A.
Ratio, & voluntas membris omnibus, exceptis genitalibus dominantur. 205. 1. D.
Reconciliari quomodo debeamus fratri, quem nõ offendimus. 171. 4. G.
Reconciliatio quadruplex est. 52. 2. D.
Reconciliatio malorum dissoluenda. 177. 2. B.
Reconciliatio fraterna omnibus anteponenda est. 173 4. H. 174. 1. E. 175. 2. A.
Reconciliatio fraterna est opus iustitiæ, ideo muneri, quod supererogatorium est, præponi debet. 172 4. F. 174. 2. E.
Reconciliatio superioris offendẽtis ad subditum offensum quomodo fiet? 175. 4. k.
Reconciliatio potest fieri remittendo offensam, & non satisfactionem. 176. 1. E.
Reconciliatio præcedere debet Eucharistiæ sumptionem. 176. 4. H.
Reconciliatio facienda etiam leues ob causas vel offensas. 177. 1. D.
Reconciliatio medicina vocatur. 177. 2. B.
Reconciliari Infideli offenso à nobis, non tenemur. 177. 4. K.
Reconciliatio Pauperis & Diuitis quomodo facienda. 181. 3. G.
Reconciliationem procurare perfectorum est. 171. 4. K. 172. 1. E.
Reconciliationem procurare tenetur offendens. 172. 3. G.
Recordatio & memoria differunt. 174. 3. G.
Redditio debiti dupliciter fit. 187. 4. H.
Regnum cœlorum bis sanctis datur. 65. 1. E.
Regnum cœlorum pluribus nominibus explicatur. 65. 4. I.
Regnum cœlorum martyrum esse dicitur. 13. 1. C.
Regnum cœlorum intrare quid sit. 149. 4. K. 150. 1. C.
Relapsi quomodo recipiendi. 40. 4. G.
Remunerat Deus sanctos vltra condignum. 44 3. I.
Repudiare Vxor Virum non poterat. 217. 1. C.
Restitutiones & satisfactiones quomodo faciendæ. 38. 1. A. & 3. F.
Resurgent in Iudicio omnia corpora, integra. 206. 3. K.
Retributiones quinq; sanctis dantur in Patria. 44. 3. F.
Rota mundum significat.

Sab-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

S

Sabbatum quomodo à Christo solutũ fuerit. 124.2.C.& 4.H.
Sabbathi obseruatio partim morale, & partim ceremoniale erat. 125.1.C.
Sabbatho Dominica dies est præstantior. 125.2.C.& 3.K.
Sabbatum quare non obseruetur licet significet Christi sepulturam, & Christus illum obseruauit. 126.1.A.
Sacramenta legis putà Altare, Templum, vnguenta &c. per Christum completa sunt. 130.1.E.
Sacra scriptura, et Euãgeliũ cessibũt in fine mũdi. 137.1.A.
Sacræ scripturæ studio luxuria obest maximè.
Sacrificia legis figurabant Christi sacrificium. 128.4.I.
Sacrificia aliqua significabant Vitam iustorum. 129.3.I.
Sal quomodo generatur. 87.1.E.
Sal qd significet. 81.4.I. 82.1.E. et 4.I. 83.2.A. et 3.F. et 4.I. 84.2.C. 86.2.C. 84.3.k. 85.1.I. 86.3.H. 90.2.A. 91.3.F.
Sal prius quam lux à Christo ponitur. 91.2.C.& 3.F.
Sampson se occidendo non peccauit. 154.1.B.
Sancti in cælo non inuidebunt alter alteri. 30.4.F.
Sapientis & Prudẽtis nomine intelligitur superbus. 79.4.F.
Saturitas duplex. 27.2.B.
Scandalum vitandum pro conseruatione pacis. 54.4.K.
Scandalum duplex. 55.2.E.
Scandalum quid sit. 205.2.E.
Scientiæ à minoribus ad maiora procedunt. 7.1.C.
Scientiæ lumen abscondere impossibile est. 98.3.K.
Scientes qui verè dici possint. 50.3.I.
Sciẽtiã ceteraq; Dei dona possidẽs alios edocere tenẽt. 14.3.
Scriptura melior est quàm Verbum solum. 42.2.B. (F.
Sedeat Dominus quare. 4.1.D.
Sedere quid significet. 4.3.& H.
Sẽsus oĩs, magis tamẽ tactus cõcupiscẽtiã prouocat. 196.2.E.
Sẽsus in mouẽdo prior est tẽpore, appetitu rationali, 191.1.B.
Separatio obsolam fornicationem facta non dirimit vinculum matrimonij. 227.1.A.
Separa. cõiugũ quot modis fiat. 225.2.D. 224.3.k. 228.3.K.
Septẽ beatitud. septẽ spiritꝰ sãcti. Donis correspõdẽt. 67.1.B.
Sepultura Christi per Sabbatum figurata fuit. 126.3.F.
Signo Thau qui signati dicantur. 22.4.H.
Simplicitas Christiana quæ sit. 147.3.G.
Singularitas vitãda pcipuè Religiosis ĩ comuni viuẽtib. 55.4. (F.
Sitire iustitiam quid sit. 29.2.A. 31.4.K.
Societates malę inhibentur. 200.2.E. 203.2.C.& 4.G.
Soluere mandata quis dicatur. 141.2.A.& 4.E. 145.2.E.
Soluere mandata legis antiquæ quando damnabile. 141.3.D.
Soluere multipliciter accipitur. 123.2.E.
Solutio debiti quot modis fiat. 187.4.H.
Spiritus Sanctus dicitur lux. 94.2.A.
Spiritus & carnis concordia duplex est. 182.2.B.& 3.k.
Spiritus legi diuinæ subiectus est, non autem caro. 185.3.H.
Spiritus carnisq; colluctatio. 202.3.I.
Superbia difficilior ad cauendum q̃ alia crimina. 20.3.H.
Superbiæ illapsus. 210.2.C.

T

Tacendum quare sit. 42.4.G.
Tactus magis q̃ Visus concupiscentiam prouocat. 196.2.E.
Tactũ carnis deuitare docemur p abscisionẽ man'. 201.B. et E
Tallionis lex nõ p legẽ naturalẽ, sed p scriptã pmissa erat. 213. (4.F.
Tenebræ inferni quid sint, 187.1.B.
Tentationi resistendum. 61.4.K.
Terra quid signifícet. 17.4.I. 85.3.H.
Thabor mons describitur. 3.4.F.& G.
Thau qui dicantur signati. 22.4.H.
Theologus incipit vbi definit metaphisicus. 49.4.H.
Traditiones, & interpretationes Phariseorum. 151.1.B.
Transire dicuntur cælum, & Terra. 140.2.D.
Transgressio minimorum mandatorum à Regno Dei quaado excludat. 143.3.I.
Tria causant ixram inter fratres. 171.1.D.
Tria iniuriarum tristitiam auferunt. 71.4.F.
Tribulati gaudere debent. 74.4.k.
Tumultus vitare docemur. 2.3.F.
Turpiloquia damnatur. 200.2.E.

V

Valdẽsiũ error & nullo pacto aliquẽ occidere liceat. 154.3.F.
Veniæ facilitas incentiuum est delinquendi. 209.1.E.
Veritas, sapientia, doctrina &c. tacenda non est. 98.4.F.
Veritatis integritas. 94.4.I.
Via Domini quomodo & lata, & angusta. 24.3.k.
Videri Deus oculo corporali potest dupliciter. 47.1.D.
Videre Deum mundus corde potest. 47.4.F.
Videre accipitur aliquando etiã pro actu oĩs sẽsus. 196.2.B.
Videre dupliciter, simpliciter, et concupiscibiliter. 199.4.H. 200.1.A.
Videre mulierem ad concupiscendum eam quando peccatum sit. 195.4.k. 196.2.A. 197.3.H.& 4.I. 204.3.H.
Vinum nouum, nouum est Testamentum. 158.1.E.
Virtutis finis est duplex. 9.2.B. Præmiũ etiã duplex. 9.3.H.
Visio beatifica fidei, fruitio charitati respondet. 32.1.A.
Visio imaginaria Dei quãdo exigat cordis munditiã. 48.1.C.
Visio intellectualis multiplex est. 48.2.E.
Visio Dei in Patria mũditiã cordis maximã sequitur. 51.2.E.
Vitę actiuæ & cõtẽplatiuæ diuersitates. 210.1.C. 212.2.D.
Vita actiua, & contemplatiua aliquando ad peccandum occasio sunt. 210.1.B.& 2.C. 212.3.H.
Vita contemplatiua sola inutilis est. 211.2.E.
Vita contemplatiua quæ requirat. 211.3.H. (3.H.
Vitę cõtẽplat. et actiuę Impedimẽtũ maximũ luxuria ẽ. 209.
Vita actiua quando dimittenda. 212.H.& 4.H. 213.1.B.
Vita actiua quæ mala aliquãdo inducat. 212.4.H. 213.1.B.
Vita præsens amarissima est. 13.4.I.
Vitæ exemplum præit doctrinam. 91.1.C.
Vitiũ in sensu est, peccatum vero in Voluntate. 194.4.F.
Vmbra legem significat. 96.1.B.
Vnionis Apostolicæ diuersitas. 95.1.E.
Vnio Apostolorũ per charitatem. 100.1.D.& 1.D.
Vnus et idẽ Deus est, noui, et veteris Testamenti. 156.1.D.
Voluntatis ad bonum reluctatio. 14.3.F.
Voluntatẽ tolle, & non erit peccatũ. 194.3.F. (224.1.B.
Votũ solẽne, nõ aũt priuatũ dirimit matrimoniũ cõtractum.
Vtiles non pomposi debent esse Doctores & Prędicatores. 115.2.C.& 4.H.
Vxores plures ducere quando licitum fuerit. 193.1.A.
Vxor quomodo dimittenda propter Christum. 226.4.G.


X

Xpus Iustitia dicitur. 32.2.A. Lucerna 103.1.D. 109.1.A. Misericors. 33.1.A.
Xpus ait Ego aũt dico uobis, et quare? 158.2.C. et 3.G.
Xpus dicitur Mõs. 99.2.E. Figas. 99.3.H. Princeps & Rex. (100.4.I.
Xpus, suo exemplo docuit. 122.2.B.
Xpus pro nobis interpellat. 128.3.H.

Z

Zeli natura explicatur. 161.1.B.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris



B. NICOLAI BVCCASSENI TARVISINI ORDINIS PRAEDICATORVM

Aliâs in ſua vocatione nuncupati.

BENEDICTI XI. PONT. MAX.

IN IESV CHRISTI EVANGELIVM

ſecundum Matthæum enarrationes.

TRACTATVS SVPER CAPITVLO QVINTO.

VIDENS *autem turbas Ieſus, aſcendit in Montem: & cum ſediſſet, acceſſerunt ad eum Diſcipuli eius, & aperiens os ſuum, docebat eos, dicens: Beati pauperes ſpiritu; quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Beati mites; quoniam ipſi poſſidebunt terram. Beati qui lugent; quoniam ipſi conſolabuntur. Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam; quoniam ipſi ſaturabuntur. Beati miſericordes; quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Beati mundo corde; quoniam ipſi Deum videbunt. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam; quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Beati eſtis cum maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos, mentientes propter me. Gaudete, & exultate; quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis, ſic enim perſecuti ſunt Prophetas, qui fuerunt ante vos.*

POSTQVAM determinauit Euangeliſta de congregatione, & modo congregandi populos ad Chriſtum, quibus lex noua dari debebat, ponit legiſlationem: & quia opus ſecundum virtutem, de quo lex datur, principaliter duo debet habere; ſcilicet rem, & modum; quia non ſufficit facere bonum opus, niſi illud benè fiat; ideo Dominus duo facit: primò dat præcepta de operibus virtutum: ſecundò ponit precepta de qualitate & modo, quæ habere debẽt opera virtutum. Tertia ibi, in principio ſexti Capituli; [*Attendite nè iuſtitiam veſtram faciatis coràm hominibus.*] Et quia opera virtutum finaliter ad beatitudinem ordinantur; In omnibus autem, vbi agitur propter finẽ, finis debet eſſe prior in intentione, & debet præſtitui; vt ex finis deſiderio, quæ ſunt ad finem rectius ad ipſum ordinentur, & delectabiliùs quæ ſunt ad finem exerceantur; Ideo primò hîc Dominus determinat de fine operum

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

secundum virtutem. Secundò dat præcepta de operibus virtutum. Secunda ibi. [*Vos estis Sal terræ.*] Prima in duas, quia primò ponuntur aliquæ circunstantiæ legem præcedentes. Secundo ponuntur fines excellentium operum, qui sunt Beatitudines. Secunda ibi. [*Beati pauperes spiritu.*] Prima in quatuor; quia primò ponitur locus, in quo sermo habitus est; Secundò ponitur Doctoris situs, vel positio: Tertiò auditorum ad Doctorem accessio; Quartò sermonis inchoatio. Secunda ibi. [*Et cum sedisset.*] Tertia. [*Et accesserunt ad eum.*] Quarta. [*Et aperiens os suum.*] Dicit ergo. [*Videns turbas Iesus ascendit in Montem.*]

SVMMARIVM.

Dominus volens magnam Turbam docere, in Montem ascendit; vt scilicet plures posset docere, & à pluribus docens videri, & non compimi; & an hunc sermonem fecerit, non solum audientibus Discipulis, sed etiam Turbis.

II CIrca quod sunt aliqua intelligenda, & primò circa hoc, quod dicit. [*Videns Turbas in Montem ascendit.*] Quòd ideo volens hunc sermonem facere, in montem ascendit; atque hunc sermonem fecit audiente dicta Turba; vt non solis audientibus Discipulis suis, sed pluribus etiam suam doctrinam cõmunicare posset: Hoc enim spectat ad Doctorem, suam doctrinam communicare volentem; vt quantò plus potest, pluribus eam communicet. Cum enim æquè multi possint doceri, sicut & pauci; quia verba, quæ paucis dicuntur, si præsentes essent multi, ipsa audire possent: ideo cum ex parte Doctoris sit æqualis labor instruere paucos, sicut multos; vel parum maior propter vociferationem; & ex parte auditorum sit maior fructus, dum multi docentur, quàm si pauci; cum etiam vnus propter alium melius addiscat, dicente Hieronymo in Epistola ad Lętam de institutione filiæ; Habeat & in discendo socias, quibus inuideat, quarum laudibus mordeatur; sed laudibus excitandum est ingenium, vt vicisse gaudeat, & victam doleat. Quando enim multi simul addiscunt, vicissim se instruunt; dum illud, quod vnus non intellexit ab ore Doctoris, quod tamen alter intellexit, ab illo, qui intellexit, eruditur. Quia ergo dum multi simul addiscũt, pluribus doctrina prodest, nam quilibet eorum conatur magis addiscere, nè ab alio suo consocio superetur; insuper mutuò se ipsos docere possunt; quia non est aliquis ita ignauus, qui non aliquid addiscat; nec ita diligens, qui totum ex integro capiat. Cum etiam ex parte Doctoris sit quasi æqualis labor, docere multos, & paucos; ille labor multum alleuiari videtur ex hoc, quod multi simul docentur; & bonum quantò plus difunditur, tantò melius, & delectabilius est secundum suam naturam; & ex parte auditorum sit multo maior vtilitas, vt dictum est, dum simul multi addiscunt; ideo quilibet bonus Doctor conari debet, vt multi simul ab eo addiscere possint. Ad quod stare Doctorem in alto loco, multum iuuat. Si enim Doctor est sursum, & auditores subtus eum, vox eius melius intelligitur; quia non ita dispergitur; sicut & solares radij maiorem calorem efficiunt in valle, vbi quasi constringuntur, quàm in planitie, vel monte vbi disperguntur. Ad quod etiam iuuat inspectio docentis, non solum enim lingua, sed & alijs gestibus corporis Doctoris docetur auditor; propter quod melius addiscit auditor Doctorem audiendo, quàm eius doctrinam legendo; & magis dum colloquendo docet, quàm si legendo doceret. Dicente Hieronymo in Epistola ad Paulinum. Habet nescio quid latentis energiæ viua vox, & in aures discipuli de Doctoris ore transfusa fortius sonat. Vnde & Aeschines cum Rhodi exularet; & legeretur illa Demosthenis oratio, quam aduersus eum habuerat, mirantibus cunctis, atque laudantibus, suspirans ait: Quid si ipsam Bestiam audissetis sua verba resonantem? Et Gregorius in homelia de Pascha. Quia lasciscente stomacho ea, quę dictaueram legere ipse non possum, quosdam vestrum minus libenter audientes intueor. Vnde & lectionem sancti Euangelij non dictando, sed colloquendo eddiscerem: quia collocutionis vox, corda torpentium, plus quàm sermo lectionis excitat, & quasi quadam manu sollicitudinis, vt euigilent animum pulsat. Quia ergo non solum sermo Doctoris, sed & eius gestus multum iuuant, vt perfectius doctrina eius ab auditoribus intelligatur: ideo in tali loco debet se constituere, quòd non solum audiatur, sed etiam videatur. Et quia Dominus omnes instruere volebat, videns multos ad se venientes, in locum altum, & eminentem se posuit; vt eius vox perfectius intelligeretur, de loco superiori emissa ad locum inferiorem; & vt ipse docens ab omnibus videretur; qualiter & Iudith fecisse legitur, de qua dicitur Iudith 13. quòd ascendens in eminentiorem locum, iussit fieri silentium, & tunc locuta est ad populum. Et Isaiæ 40. euangelizanti precipitur. Super montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Hierusalem.

Hieron.

Hieron.

Gregor.

Iudith 13.

Isai. 40.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Vel etiam videns multos ascendit in mon-
tem: Concurrente enim multitudine po-
puli ad aliquem audiendum, si in eodem
loco stet cum eis; contingit quandoque
quòd tantus solet fieri tumultus homi-
num eum non solum audire, sed etiam vi
dere cupientium, quòd nihil certum ab
eo dictum percipi potest, propter tumul-
tum circunstantium. Aliquando etiam
contingit quòd ab eis ita opprimatur, vt
nec loqui decenter possit, immo cogitur
magis depressum se eripere, quàm circum
stantes docere. Propter quod docenti ne
comprimatur, & auditoribus ne tumul-
tuentur, expedit quòd Doctor sit ab eis
segregatus, vt videri, & audiri sine tumul
Luc. 5. tu possit. Vnde & Luc. 5. dicitur, quòd
cum Turbæ irruerent in Iesum, vt audi-
rēt verbum Dei, ascendit in vnam nauim,
quæ erat Simonis; & de naui docebat Tur
bas; & eodem modo esse potuit, quòd vi-
dens Turbas ad se venientes, posuit se in
loco eminenti, vt ab omnibus videri, & au
diri posset.

SVMMARIVM.

In Montem ascendit Iesus volens facere hunc sermonem Discipulis suis, quod tamen non efficitur nisi dimissa Turba.

III SI vero hunc sermonē fecit dimissa Tur-
ba solis Discipulis suis, ideo [*Videns Turbas in Montem ascendit*] vt eis dimissis,
liberius, & exactius altissima precepta iu-
stitiæ Discipulis suis, qui capaciores, &
promptiores erant Turbis, proponeret.
Cum enim sermo Doctorum moderandus
sit iuxta conditionem auditorum; quia si
simplicibus, & idiotis alta proponantur,
illi non intelligunt ipsa, qui tamen me-
diocria, vel infima intelligere possent; & si
perfectis, & multum instructis mediocria,
vel infima proponerentur, ipsa non cura-
rent audire, maioribus intenti: ideo si se-
gregari possent perfecti a simplicibus, al-
ta proponenda essent perfectis, & infima,
vel mediocria simplicibus; iuxta quod di-
1. Cor. 2. cebat Apost. 1. ad Cor. 2. Sapientiam lo-
Eod. 3. quimur inter perfectos; & cap. 3. Ego fra-
tres non potui loqui vobis quasi spiritua-
libus, sed quasi carnalibus. Tanquam par-
uulis in Christo lac vobis potum dedi
Heb. 5. non escam; & ad Heb. 5. Facti estis, quibus
lacte opus sit, non solido cibo; Omnis e-
nim, qui lactis est particeps, expers est ser
monis iustitiæ, paruulus enim est: perfe-
ctorum autem est solidus cibus; veluti Do
minus faciebat, qui in parabolis Turbis
loquebatur; in secreto autem Discipulis
Matt. 13. parabolas exponebat; infra 13. Si vero se-
gregari ab inuicem non possunt, tunc ta-

A liter doctrina est proponenda, quòd &
perfecti in ea inueniant cibi soliditatem,
& simplices potum lactis; vt eadem do-
ctrina sit cibus perfectorum, & lac par-
uulorum. Vnde & Glossa super illud ad Glos. Heb. 5.
Heb. 5. Omnis, qui lactis est particeps, di-
cit. Vt paruulus, qui non discernit cibos,
& perit sumendo noxios, lacte est nutrien
dus; sic indoctus, qui etiam minorum, nec
dum maiorum valet apprehendere ratio-
nem, lacte fidei, idest doctrina simplici,
instruendus est. Qui enim non capit; Ver-
bum càro factum est, quomodo capiet; In
B principio erat verbum? Percipere enim
alta non valentibus, sermo, quo agitur, vt
non solum credatur, quod dicitur, verum
etiā intelligatur, & sciatur, oneros us est.
Facilius enim illos premit, quàm pascit;
quia inualida, & inexercitata eorū mens,
nisi fidei quodam lacte teneatur, vt inuisi-
bilia, quæ non vident, & intelligibilia, quę
nondum intelligunt, solum credant, faci-
le ad inanes, & profanas fabulas facilitate
scientiæ seducuntur. Ex quo fit, vt spiri-
tuales ista sublimia carnalibus non omni-
no taceant propter catholicam fidem, quę
C omnibus est prędicanda, non tamen sic dis
serat, vt volentes ea perducere ad intelli-
gentiam non capacem, facilius fastidiri fa-
ciant in veritate sermonem, quàm in ser-
mone percipi veritatem. Et quia Christus
nunc altissima prędecepta iustitię propone-
re intendebat, ad quæ capienda homines
communes sufficientes non erant, ideo re-
cedit a Turbis, vt segregatus ab eis Di-
scipulis capacioribus alta præcepta iusti-
tiæ proponeret. Vnde statim subinfertur,
quòd cum sedisset, [*Accesserunt ad eum Di-*
D *scipuli eius.*] Vnde & August. 2. lib. de con. Aug.
euang. dicit; quòd videns Turbas multas
ascendit in montem, quasi vitare Turbas
volens, & ob hoc ascendit in montem, vt
solis Discipulis loqueretur. Vel etiā ideo
videns Turbas recedit ab eis, vt ostendat
humanam laudem & gloriam calcandam
esse; quia cum tot eum sequerentur pro-
pter mira opera, & verba, quæ dicebat,
non est delectatus in tali comitiua; sed re-
cessit ab eis, per hoc nos informans, quòd
& si debemus gaudere de hoc, quòd &
multi nos sequūtur propter verba, & ope
ra nostra, ad hoc vt ædificentur, & Deus
E laudetur; tamen propter se talia non sunt
amanda, immo fugienda; quia magis dant
occasionem nobis mali, quàm boni. Vnde
& Dominus postquam ex quinque pani-
bus, & duobus piscibus quinque millia ho
minum saturauerat; quo miraculo excita-
ti populi venire volebant, vt raperent eū,
& facerent regem; fugit ipse solus in mon
tem. Ioan. 6. & Chrysost. hîc dicit. Vide Ioan. 6. Chrysost.
quòd honoris amorem, & tumorem spre-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

uit, Non enim circunducit eos secum, sed quando curare oportebat, ipse circuibat ciuitates, & regiones; quando autem Turba multa facta est, in vno sedet loco, & non in ciuitate, & foro medio; sed in monte, & solitudine; erudiens nos, nihil ad ostentationem facere, & a tumultibus, qui sunt in medio abscedere; & maxime cum philosophari, & de necessarijs rebus disputare oportuerit.

SVMMARIVM.

Assignantur causſæ quare Dominus, volens legem nouam dare in montem dicitur ascendisse, cum tamen dicatur descendisse quando legem veterem dedit; quæ etiam explanata fuit in campestribus, vel planicie.

IIII Abscedens autem a tumultu turbarū, ascendit in montem. Ascendit quidem primò vt ostendat exteriori opere quid facere intendebat: Proponebat enim dare alta præcepta iustitiæ, & quæ quasi super hominem erant, & ideo ascendit de planitie ad montem, scilicet de præceptis communis iustitiæ, ad præcepta danda sublimis, & altæ iustitiæ. Vnde & lex vetus licet data fuerit in monte, tamen exposita
Deut.1. fuit populo in planicie. Deut. 1. Hæc sunt verba quæ locutus est Moyses ad omnem Israel trans Iordanem in solitudine campestri, quia licet in veteri testamento posita fuerint præcepta æque alta, & sublimia sicut ista; tamen ad populum communiter talia præcepta non perueniebant, sed solum perfecti viri sic ea intelligebāt, quemadmodum Dominus interpretatus est: propter quod in monte data, in campestribus fuit exposita. Sed Dominus ascendens in montem dedit præcepta altissima, & ibidem exposuit ipsa; quia iam aduenerat tempus in quo non solum perfectis, sed & communibus populis præcepta altæ iustitiæ imponenda erant. Vnde
Deut.33. Deut. 33. dicitur de prædicatoribus noui testamenti. Populos ad montem vocabūt, ibi immolabunt victimas iustitię, qui inundationem maris quasi lac sugent, & thesauros absconditos arenarum. Et recte qui ad alta alios ducere debebat ad alta ascendit, vt suo exemplo populos ad se
Isai.2. trahat, iuxta illud Isa. 2. Erit in nouissimis diebus præparatus mons Domini in vertice montium, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent. Venite ascendamus ad montem Domini, & docebit nos vias suas. Faciliter autem sursum ducere potest qui primo sursum ascendit; & qui primò agit illa quæ postea prædicat; quia ad agendum illa, quæ dicit fortius auditorum corda accendit. Quia ergo alta præcepta iustitiæ debebat proponere, & exponere, quæ antequam proponeret compleuerat opere, ideo recte in montē dicitur ascendere, vt post se alios trahat. Vnde Bern. 1. ser. de festo omnium Sanctorum exponens hoc, dicit. Ascendit in mōtem, in qua ascensione si vos melius non habetis, Ego illud intelligendum puto, quòd cepit Iesus facere, & docere; vtique non iuxta Pharisæorum morem, qui alligabant onera grauia, & importabilia, & imponebant ea in humeros hominum, digito autem suo nolebant ea mouere. Et infra. Fiducialiter sequor te Domine quo cumque ieris, & secure incedo viam mandatorum tuorū, sciens quòd per eam præcesseris ipse. Et Aug. 1. lib. de ser. domini in mon. hoc exponens dicit. Ascensus in montem intelligitur significare, quòd danda erant maiora præcepta iustitiæ, quia minora erant, quæ Iudæis data sunt. Et videtur significari per hoc, quòd non lex vetus data fuit, quia Dominus non descendit sed ascendit in montem; quia olim malitiam, & duritiam antiqui populi vidēs, eorum infirmitati condescendens, præcepta minoris iustitiæ eis imposuit, quia hoc sufficere visum est pro tunc, si illi quamuis essent pessimi aliquo modo ad virtutem accederent, sciens quòd malus subito, nisi Dei adiutorio non peruenit ad magnum statum virtutis; sed paulatim ducendus est, quia si a principio imponerentur ei magna opera iustitiæ, nec ipsa inchoare, & minus complere vellet. Vnde & Apost. ad Gal. 3. loquens de lege antiqua dicit. *Lex pedagogus noster fuit in Christo*; quod exponens Glossa dicit. Pedagogus paruulis assignatur, vt lasciuiēs refrenetur ætas, & prona in vitia teneantur corda; dum tenera studijs eruditur infantia, vt metu pœnæ coercita præparetur ad maiora. Et lex populo lasciuienti ad instar pedagogi apposita est, vt custodiret eos, & futuræ fidei præpararet; sed hoc non est magnum, quia paruorum est, non adultorum. Quia ergo Deus humanę infirmitati condescendens præcepta non perfectæ iustitiæ, sed inchoatæ veteri populo dedit; vnde & sola illa, quæ ex se mala sunt prohibuit eis; sicut non occides, non adulterabis &c. Ideo dicitur, quòd Dominus descendit, quando legem veterem dedit. Sed quia malus si desistat a magnis maleficijs, quæ prius gessit, & incipiat se custodire, ne talia perpetret, licet sit adhuc malorum concupitor; tamen ascendere ad bonum dicitur; ideo Moyses, qui personam proprij peccatoris gestabat, dictus est ascendere. Sed in nouo testamento Dominus ascendit in montem, & ad se Discipulos traxit, quia non condescēden-

Bernar.

Augus.

Galat.3.

Glo.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

do ad humanam infirmitatẽ ſe habuit in promulgandis iuſtitię preceptis, Sed veræ & completæ iuſtitiæ propoſuit præcepta, & homines illorum præceptorum dando eis ſuam gratiam operatores fecit. Vnde & Auguſtinus loquens de perfectione humanæ iuſtitię in principio lib. de ſer. Domini in monte dicit. Si quis piè, ſobrieq; conſiderare voluerit ſermonem quem locutus eſt Dominus in monte, puto quòd inueniet in eo quòd ad mores optimos pertinet perfectum vitæ chriſtianæ modum, & infra. Sermo ſic concluditur, vt appareat in eo præcepta eſſe omnia quæ ad informandum vitam pertinent. Quia ergo non condeſcendendo humanæ infirmitati, ſed vt veræ & plenæ iuſtitiæ Chriſtus præcepta daturus erat, ideo aſcendere in montem dictus eſt. Vel etiam, vt ſupra tactum eſt, ideo volens proponere alta præcepta iuſtitiæ in montem aſcendit; vt nos erudiat quòd illi, qui ſublimia iuſtitiæ præcepta dant alijs, ipſi primo illorum præceptorum debent eſſe factores. Vnde & Chryſoſt. hic dicit. Aſcendit in montem, vt oſtẽdat nobis quomodo in altitudinem ſpiritualium virtutum conſiſtere debet, qui docet iuſtitiam Dei, vt magis opere doceat, quàm ſermone: Qui enim ambulat per conuallia vitæ terrenæ, & obſcuras ſemitas calcat, & loquitur altos ſermones, non alterum inſtruit, ſed ſe ipſum caſtigat; nemo enim poteſt in valle ſtare, & de mõte loqui, & ideo vbi ſtas inde loquere. Si in terra eſt animus tuus, vt quid de cęlo loqueris? Si ergo in terra ſtas de terra loquere, ſi autem de cœlo loqueris, in cœlo conſiſte. Vel ideo in montem aſcendit, volens perfectę iuſtitię dare precepta, vt oſtendat quòd tunc valet præceptorum iuſtitiæ impletio, quando in fide Eccleſiæ quæ eſt mons vber, in quo complacuit Deo habitare in eo, etenim Dominus habitabit in finem: aliàs nullum opus iuſtitiæ, vel potius nullum opus habens imaginem iuſtitiæ aliquid valet ad ſalutem; ſi recta catholica fides deſit; Sine fide enim impoſsibile eſt placere Deo; & opus ſimulatum iuſtitiæ eſt, & non verum opus iuſtitiæ quodcumque agitur ſine fide; fides enim intentionem dirigit; non poteſt autem habere rectam intentionem, quæ eſt neceſſaria ad bonum opus, qui fidem non habet. Vnde & infra 6. dicitur. Si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebroſum erit. Vnde & ſi illi, qui ſunt extra eccleſiam videntur aliqua de genere bonorum operari; tamen illa quæ agunt non ſunt vere bona opera iuſtitiæ, ſed ſimulata, quia veram fidem non habent.

Auguſt.

Idem.

Chryſoſt. hom. 9.

Pſal. 69.

Heb. 11.

Matth. 6.

SVMMARIVM.

Soluitur contrarietas, quæ videtur eſſe inter Matthæum, & Lucam de iſto ſermone quia vnus eorum dicit; quòd volens facere hunc ſermonem montem aſcendit; & alter dixit, quòd volens facere ſermonem deſcendit ad locum campeſtrem.

CHryſoſt. hic dicit Mons Eccleſia appellatur, de quo dicit Propheta. Mõs Dei mons vber. Aſcendit ergo in mõtem, vt illic Diſcipulis ſuis myſteria traderet veritatis, oſtendens, quòd omnis, qui vult diſcere myſteria veritatis debet aſcendere in montem Eccleſiæ, & non in montes hęreticorum de quibus dicitur in Pſalmo. Vt quid ſuſpicamini montes coagulatos? coagulatum eſt enim cor hæreticorum vt lac. Et ad euidentiam prædictorum eſt intelligendum, quòd licet in veteri teſtamento eadem præcepta quantum ad ſubſtantiam fuerint poſita, quæ & in nouo poſita ſunt; tamen non ita clarè & explicitè ibi poſita fuerunt, ſicut & in nouo per Dominum; propter quam obſcuritatem præceptorum poſitorum in veteri lege data fuit occaſio Iudæis expoſitoribus legis, quòd dicta præcepta non benè interpretarentur; quæ tamen per Dominum clare & explicitè expoſita ſunt: & ex hoc aliquando dicitur quòd eadem & æquè alt. præcepta data fuerunt in veteri teſtamento, ſicut & in nouo, attẽdendo ad ſubſtantiam præceptorum: & aliquando dicitur, quòd altiora ſunt præcepta nouæ legis, quàm veteris, attendendo ad explicitã intentionem Domini. Sed hic dicitur, quòd aſcendit in montem, videtur contrarium eſſe illi, quòd dicitur Luc. 6. quòd deſcendens de monte in loco campeſtri hunc ſermonem fecit. Ad quod dicendum, quòd ſatis veriſimile eſt, quòd ſermo, qui ponitur hic a Matth. fuerit alius a ſermone, qui ponitur in Luca; quamuis ambo ſermones eodem modo incæpti fuerunt & eodem modo terminati. Sed ſermo, qui hîc ponitur fuit prior illo ſermone, quem ponit Lucas; & iſte fuit factus in monte, ille in plano, iſte ſolis Diſcipulis fuit dictus: ille Diſcipulis, & Turbis; iſte fuit dictus ſedendo: ille vero ſtando; iſte quando aſcenderat montem, & ille quando deſcendit de monte: & iſte fuit multũ prolixus, ille vero fuit ſatis breuis: Euangeliſtæ vero, ſicut & alia, ita & iſtos ſermones ſibi partiti ſunt, vt Matth. diceret iſtum, & Luc. alium, & ſic nulla contrarietas eſſet. Vel etiam dici poteſt, quòd ſermo, quem narrãt Euangeliſtæ ambo vnus, & idem fuit, vt dicit Auguſtinus de conſen. euang. lib. 2. ſed hic ordo fuit rerum vel actuum, quia primo Dominus in mon-

V Chryſoſt. hom. 9. Pſal. 69.

Pſal. 69.

Luc. 6.

Aug. de conſen. euang.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

tem ascēdit orare, & ibi pernoctauit quasi in cacumine montis, & facto mane in eodem loco existens conuocauit Discipulos suos ad se; & ex eis duodecim elegit, quos & Apostolos nominauit: deinde videns Turbas descendit de cacumine montis ad aliquam planiciem, quę erat in monte; sicut solet contingere, quòd in aliquibus mõtibus infra cacumine eorum, & supra vallem inferiorem sunt aliquæ planicies, quę tamen mons dicuntur: & ibi stando expectauit populum, qui veniebat ad ipsum; & hucusque narrat Lucas. Et cum populus venisset, ipse sedit, & Discipuli circa eum, accedendo vt dicit Matth. & tunc sermonem istum habuit, quem ambo Euangelistæ ponunt: & secundum hoc, diceretur descendisse pro tunc, quando sermonem habuit; sed pro illo tunc, quando erat voluit ascendisse: non enim dimisit Turbam, quia docere volebat. Vel etiam esse potuit, quòd in illa planicie in qua stando populum expectauit, esset aliquis monticulus, vel terrę tumor eminens alijs partibus planiciei, in quem prædicare volens ascendit; & in quo sedit prædicans populo de dicto loco, qui monticulus vel terræ tumor per comparationem ad cacumen montis sub quo erat, dicitur locus campester, vel locus pedeplanus secũdum Ambro. Ambro. Sed per comparationem ad cæteras partes planiciei mons dici poterat, vt sic secundum Lucam, & descenderet de cacumine montis ad dictam planiciem, in qua erat dictus monticulus; & ascenderet in montem secundum Matth. ascendendo de planicie ad dictũ monticulum; Et quia illa planicies erat infra montem, mons dictus est a Matth. a quo monte descendit postea facto sermone in latam planiciem.

F

G

H

I

SVMMARIVM.

Quòd iste mons in quo Dominus sermonem fecit est in Galilæa, & ab aliquibus dicitur, quòd est mons Thabor: & si hoc sit, assignantur aliquæ rationes quare in monte Thabor Dominus legem nouam dedit: cum lex vetus in monte Sinai, qui est in Arabia data fuerit.

VI Hieron. QVis autem mons fuerit iste, in quem Dominus ascendit, certum non est; quia vt dicit Hieronymus aliqui æstimarunt, quòd ille fuerit mons Oliueti; quod tamen verum non est, quia Euãgelista præmisit, quòd dum prædicaret in Galilæa, Turba venit ad eum, quam videns in montem ascendit; & post descensum montis statim intrauit Capharnaum, vt patet infra 8. Capharnaum autem in Galilæa erat: & ideo oportet, dicere; quòd hic mons, in quẽ Dominus ascendit in Galilæa erat. Matth. 8.

K

Propter quod visum est aliquibus, quòd iste mons fuerit mons Thabor, qui est in Galilęa, de quo dicit Hieronymus in lib. de locis. Thabor tribus est Zabulon. Est autem mons in medio Galileæ campo mira rotunditate sublimis, distans a Diocęsarea decem millibus contra Orientalem plagam; qui confinium inter tribum Isachar & Neptalim fuit. Vnde idem hîc dicit, ex prędecedentibus, & sequẽtibus in Galilæa esse hic locus monstratur, quem pũtamus esse, vel Thabor, vel ex illis quemlibet alium montem excelsum. Recte autem diceretur lex noua data in monte Thabor fuisse; Thabor enim aduentus luminis aut lucis accessio interpretatur. Christus autem cum sit lux vera, venit ad illuminandum mundum existentẽ in tenebris ignorantiæ peruersæ cupiditatis; iuxta illud Ioan. 12. Ego lux mũdi veni vt omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. Et quia per doctrinam suam & vitę præcepta Christus tenebras ignorantiæ, & peruersæ cupiditatis à mundo expulit; ideo benè in Thabor, qui aduentus luminis dicitur promulgare legem nouam voluit iuxta illud Psalmi. Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis. Et quia lex noua non est nisi quædam declaratio, & manifestatio veteris legis, quæ quidem lex vetus etiam lux erat (licet obscura) iuxta illud Sap. 18. per quos incipiebat incorruptum legis lumen seculo dari, ideo lex noua, quæ est veteris legis illuminatiua in Thabor, quæ accessus luminis dicitur, datur. Vnde & Apost. ad Heb. 12. loquens fidelibus noui testamenti dicebat. Non accessistis ad tractabilem montem, & accessibilem ignem; sed accessistis ad Sion montem & ciuitatem Dei viuentis Hierusalem cœlestem, & multa millia Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cœlis, & iudicem omnium Deum, & Spiritus iustorum perfectorum, & testamenti noui mediatorem Iesum, & ideo videte ne recusetis loquentem. Et in Psalmo dictum est. Accedite ad eum & illuminamini. Quia ergo lex noua illuminat tenebras ignorantiæ, & refrænat peruersas cupiditates, & declarat, & manifestat veterem legem; ideo ratione in Thabor promulgata diceretur esse, si certũ esset, quòd in illo monte Dominus hunc sermonem fecisset. Sed quia incerta non sunt affirmanda pro certis; ideo non est hoc pertinaciter asserendũ; Sed hoc solum sufficit, quòd in monte aliquo Galilęę; licet magis sit verisimile, quod in monte Thabor data fuerit. Cum enim vetus testamentum datum fuerit in monte Sina, qui est mons in Arabia ad Gal. 4. Et est extra terram promissionis; Sina autem interpretatur tentatio

Hieron.

Ioan. 12.

Psal. 77.

Sap. 18.

Heb. 12.

Psal. 33.

Gal. 4.

egre-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

egrediens; & Arabia interpretatur callida, vel insidiatrix, per quod significatur quòd lex subingrediebatur, vt peccatum abunda ret, iuxta illud Apost. ad Rom. 5. Lex subintrauit, vt abundaret delictum, & cap. 7. Occasione accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam: ideo ne lex vetus plus obesset, quàm prodesset, superuenit lex noua data in monte Thabor; qui & calliditatem & insidias Arabiæ illuminaret, & nostram fragilitatem ad bonum iuuaret, & inclinationem ad malum à nobis remoueret; vt qui legem dedit, qua fit peccati cognitio, det & gratiam, qua fiat peccati conculcatio, vt sic accessio luminis gratiæ fiat illuminatio ignorantiæ, & caligo Moysi clarificetur lumine scientiæ Christi, vt sic dicere possit Euangelista Ioan. 1. Lex per Moysen data est, in monte Syna, qui est in Arabia; qua peccatum ostendatur, & concupiscentia augeatur, & clara diuinorum cognitio nube figurarum tegatur; sed gratia qua peccatum superetur, & concupiscentia refrænetur, & veritas, qua diuinorum cognitio clara habeatur, per Iesum Christum in monte Thabor, idest in lumine veniente scientiæ claritatis, & in accessione luminis gratiæ facta est.

Rom. 5. Eod. 3. Ioan. 1.

SVMMARIVM:

Assignantur causſæ aliquæ quare Dominus volens facere hunc sermonem, sedit.

VII SEquitur. [*Et cum sedisset acceßerunt ad eum Discipuli eius.*] Vbi ostenditur situs, & dispositio docentis, & auditorum affectus audiendi eius doctrinam. Dicitur autem quòd Christus volens nunc prædicare sedit; primò, vt ostendatur eius doctrinæ firmitas, & soliditas. Cum enim motus corporales siue sint membrorum, siue interiorum humorum, & spirituum multum impediant, & scientiæ acquisitionem, & scientiæ ad alios diffusionem; propter quod & pueri quia in eis est motus magnus humorum ad caput, & homines leues, & mobiles addiscere non possunt; quia imagines ex quibus doctrina oritur non sunt quietæ in eis; sed vt in aqua vehementer mota imagines confusæ apparent; ita in istis, qui multum mouentur exterius, vel in quibus magnus motus est interior non possunt esse phantasię determinatæ: & ideo qui volunt addiscere, vel docere, & motus exteriores cohibere debent, & commotiones spirituum & humorum: aliter nec benè, nec ordinatè scientiam, nec isti addiscere, nec illi docere possent. & ideo vt perfectius Doctores possent docere sedere debent, dum docent. Vnde & de Dauid dicitur 2. Reg. 23. Dauid sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres. Propter quod & Iudices qui populorũ recte iudicare habent sedere debent; vt patet Ruth 4. vbi dicitur. Tollens Booz decem viros de senioribus ciuitatis dixit. Sedete hîc, & tunc proposuit suã causſam; & in Psal. dicitur. Illuc sederunt sedis in iudicio sedes super domum Dauid. Quia ergo quando sententia firma est ferenda, vel docenda, sedendũ est, vt nullo modo dans, vel eam docens possit turbari. Ideo Dominus volens docere quomodo firmissimas sententias dare, & altas doctrinas docere debemus, sedit, iuxta illud 1. Reg. 2. Vt sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat. Vnde & hîc dicit interlineares; dignitas magisterij hîc notatur. Vel etiam ideo docere volens sedet; quia licet Doctor ambulando possit aliquos paucos docere, tamen multos simul docere non potest, nisi stet, vel sedeat, sicut ad sensum apparet. Vox enim ambulantis nõ ęquè perfecte potest pertingere ad multos; quia ad eos, qui sunt retro eum, nec ad latus, nec ad illos etiam qui sunt ante eum, si multi sint non perfectè pertingit; quia auditus prædictorum non recta linea opponitur voci loquentis, sicut stantis, vel sedentis. Quando autem prolixus sermo fieri debet, magis expedit, quòd & Doctor & Auditores sedeant, quàm stent; longo enim tempore stare multum solet grauare corpus stantium; ex quo contingit quòd grauati labore standi non attendunt perfectè, nec Doctores quod dicunt; nec illi quæ audiunt. Anima enim intenta illi afflictioni non attendit ea quæ dicuntur; & frequenter fatigati Doctores sua breuiant verba; & ideo quãdo sermo longus faciendus est, expedit quòd Doctor & Auditores sedeant. Vnde & August. in lib. de cathechizandis rudibus ca. 13. dicit. Consultius in quibusdam Ecclesijs trans marinis non solum Antistites sedentes loquuntur ad populum; sed & ipsi etiam populo sedilia subiacent, ne quisquam infirmior stando lassatus à saluberrima intentione auertatur, aut etiam cogatur abscedere. Sanè autem si breuis sermo futurus est, & concessui locus aptus non sit, stantes audiãt: Sed cum multi audiunt, & tunc non initiandi periculosè loquimur stantibus. Tamen si iam sic cepimus, saltem animaduerso auditoris tædio, afferenda est sessio; immo vero prorsus vrgendus est, vt sedent. Et quia Dominus longum sermonem facturus erat, & coram magna multitudine; ideo sedet, vt sine tædio suum sermonem continuare possit. Vel etiam sedit; vt ostendat, quòd humanæ, & non imperiosæ, vel rigidæ vitę præcepta dare volebat; magis

2. Reg. 23. Ruth 4. Psal. 121. 1. Reg. 2. August.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

gis intendens fideles ſuos ad opera virtutum ducere per amorẽ, & benignitatem, quàm timore & rigiditate; cuius quaſi cõtrariũ contigit in veteri teſtamento, quando lex data fuit; quæ cum tanto terrore fuit data, vt & Moyſes legiſlator territus eſſet, dicente Apoſtolo. ad Heb. 12. Moyſes dixit. Exterritus ſum, & tremebundus. Vnde & populus timens non ſedit, ſed pedes ſtetit. Exo. 20. Cunctus populus videbat voces, & lampades, & ſonitum buccinæ, & montem fumigantem; & perterriti; atque terrore concuſsi ſteterunt procul. Sed Dominus benignè, & humanè hominibus condeſcendens ſedet, vt rigiditatem non oſtendat; ſed pietatem, & manſuetudinem; quibus agnitis Diſcipuli acceſſerunt ad eum ſicut ad pium, & clementem; vnde & in Pſal. dicitur. Deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam, principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham. & Iſa. 16. Et præparabitur in miſericordia ſoliũ eius, & ſedebit ſuper illud in veritate in tabernaculo Dauid. Vnde & Bernardus primo ſer. de omnibus ſanctis dicit. Cum ſediſſet inquit benigniſsimè prorſus inclinauit ſe, & exinaniuit vſque ad ſeſsionem; Sedit enim, vt ad eum, quem nec ipſi quidem Angeli ſtantem attingere poterant, & publicani & peccatores accedãt. Vel etiam ideo ſedit, vt oſtendat pro hominibus ſe humiliaſſe ab æqualitate patris vſque ad infima hominis. Seſsio enim humilitatem incarnationis ſignificat, in qua modo prædicare volebat: qui enim in veteri teſtamento locutus eſt patribus in prophetis, nunc volebat loqui populis iu homine, quem aſſumpſit. Vnde etiam dicit Remig. Niſi ſediſſet, ideſt cauſſa noſtræ ſalutis humiliatus fuiſſet, nullo modo ab hominibus videri potuiſſet. Tũc ergo ſedit, quando cauſſa noſtrę ſalutis humiliatus per myſterium incarnationis viſibilis in mundum venit; ante enim incarnationem pauci eum cognoſcebant; nunc verò poſtquam ſedit, ideſt homo fieri voluit, per totum mũdum cognitus eſt; quia vox eius vox dulcis, & facies eius decora Cant. 2.

Heb. 12. Exo. 20. Pſal. 46. Iſa. 16. Bernar. Remig. Cant. 2.

F

quando viderunt quòd parabat ſe ad docendum, acceſſerunt ad eum, vt nullum dictum eius eos effugiat: qualiter ſtudioſi auditores facere ſolent, qui ſemper ad pedes Doctorum ſedere volunt; ſicut & Paulus de ſe loquens Actu. 22. dicit. Secus pedes Gamalielis eruditus ſum iuxta veritatem paternæ legis. & Deut. 33. dicitur de Deo. Qui appropinquant pedibus eius, accipient doctrinam illius. Et Eccl. 51. Dicit Sapiens. Appropinquate ad me indocti, animæ veſtræ ſitiunt vehementer, aperui os meum, & locutus ſum. Vnde & Chryſoſt. hîc dicit. Acceſſerunt ad eum Diſcipuli. Vides repente eorum virtutis vegetationem, & qualiter repente meliores facti ſunt. Alij enim erant miraculorum inſpectores, hi autem audire aliquãdo deſiderabãt magnum & excelſum. Vel etiam ideo acceſſerũt, vt oſtẽderetur quòd Chriſti doctrina quodam ordine habebat venire ad diuerſos, vt ſcilicet primò eam audirent Apoſtoli & Doctores, & per illos deueniret ad alios, quomodo & in veteri teſtamento ſoli Moyſi; Aliquando etiam ſibi, & Aaron locutus fuit Deus, qui poſtea populo loquebatur; quod vtile multum eſt, quia ex hoc honor debitus, & ordo congruus in Eccleſia conſeruatur, cum aliqui alijs præferuntur. Cum enim ordo debeat eſſe, & ſuppoſitorum, & ſubiectorum ordinata poſitio; oportet, quòd in omnibus in quibus eſt ordo, aliqui præſint, aliqui ſubſint: qui ordo maximè ex actibus, & operibus cauſſari habet; vt illi ſint priores, quorũ actiones, & opera in alios proueniũt; & a quibus vel ſuum eſſe, vel bene eſſe inferiores ſuſcipiunt. Propter quod, quia Eccleſia eſt ordinata, ordo eſſe debebat in miniſtris; vt aliqui eſſent priores, à quibus doctrina, & miniſtratio ſacramentorum debebat in alios deriuari. Vnde Regina Saba videns ordinẽ miniſtrantium Salomonis mirata eſt. Vt ergo omnis pulchritudo, quam & in mũdo Deus fecerat, in Eccleſia etiam appareret, ideo aliqui propius ad Chriſtum acceſſerunt, vt ab eis ad alios doctrina fidei veniret; de quo ordine loquens Apoſt. ad Eph. 4. dicit. Quoſdam quidem dedit Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Euangeliſtas, alios vero Paſtores & Doctores ad conſummationem miniſterij in ædificationem corporis Chriſti. Et ad Heb. 2. dicit. Salus Chriſti cum initiũ accepiſſet enarrari per dominum ab ijs, qui audierunt in vos confirmata eſt. Vt ergo pulchritudo ordinis, & debitus honor inter membra Eccleſiæ ſeruaretur, aliqui in Eccleſia facti ſunt Doctores, qui propius ad Chriſtum acceſſerunt, alij vero remanſerunt aliorum auditores, quaſi a Chriſto remotiores. Hæc ſo-

Actu. 22. Deut. 33. Eccl. 51. Chryſoſt. hom. 13. Ephe. 4. Heb. 2.

G

H

I

K

SVMMARIVM.

Quare ad Dominum volentem facere hunc ſermonem dicantur eius Diſcipuli acceſſiſſe, & aſſignantur aliquæ conuenientiæ, vel cauſſæ.

VIII *Cvm autem ſediſſet acceſſerunt ad eum Diſcipuli eius.*] Acceſſerunt quidem non ſolum greſsibus corporis, ſed affectibus mentis; erant enim de numero illorum, qui Chriſtũ ſequebantur, vt audirent eius doctrinam, & imitarentur vitam; & ideo

lum

lum per hoc factum est, sed & vt ministeria membrorum Ecclesiæ non turbentur; Quemadmodum enim in corpore animalis Deus multa organa sensuum fecit, & motuum, quibus anima suas virtutes possit manifestari per actus; ita & in corpore mystico, in quo est maior diuersitas, distinctas dignitates & officia posuit; vt spiritus sancti gratiæ, qui quasi est anima corporis mystici, per diuersos manifestentur & explicentur; Quod melius & commodius fit cum diuersis diuersa dona donantur: Quemadmodum enim si oculus videret, audiret, odoraret, gustaret, loqueretur, incederet, operaretur quasi manu, animal à multis operibns impediretur; quia simul tam diuersa vnum membrum operari non posset: quæ tamẽ simul fiunt, cum diuersis operibus diuersa instrumenta præparantur: ita & in corpore mystico, si omnia officia, & dignitates vni darentur, plus essent impedimẽti, quàm profectus: & ideò vt melius omnia compleantur, constituti sunt aliqui, qui habeant alijs prouidere de ijs, quæ spectant ad animæ salutem: sicut est doctrina, vel sacramentorum administratio; & alij, qui istis habent prouidere de necessarijs ad vitam, vt sic membra corporis mystici mutuò se iuuent, & iuuentur ad inuicem; & pro se sint mutuò sollicita, & vt nullum scisma in corpore mystico posit apparere; quam rationem perfectè deducit Apost. 1. ad Cor. 12. Valet etiam ad hoc, vt perfectius homines doctrinis celestibus imbuantur. Cum enim omnes homines non sint æqualis ingenij naturaliter, sed aliqui sunt subtiles, aliqui rudes: & quandoque esse contingat quòd illi, qui sunt subtilis ingenij, vel propter rerum necessariarum indigentiam, vel propter curam rei familiaris, vel propter desidiam, vel propter fugam laboris, studijs litterarũ à principio non attendant; propter quod rudiores ad intelligendum efficiuntur. Quando autem homines, vel sunt rudes naturaliter, vel effecti sunt rudes, quia non addidiscerũt tempore debito, si aliquid subtile eis dicatur non intelligunt; quod tamen, quando profertur à Doctore prouecti in scientia statim intelligunt; & quemadmodum si rudibus aliqua subtilia dicantur, etiam subtiliter, non intelligunt ab eis: qui tamen intelligerent rudia & figuraliter dicta: Ita & instructi, si eis rudia dicantur, vel subtilia, non subtiliter attẽdunt. Ideo Doctores instructis debent loqui subtiliter; tardis verò crasso modo, & figuraliter: & si Doctor non potest simul

1.Cor.12

A

B

C

D

E

vtrosque informare, sed solum subtiles; tunc subtiliter eis loqui habet; vt ipsi postea alijs crasso modo, & figuraliter declarent illa, quæ subtiliter audierunt. Quemadmodum quia puer recenter natus non valet cibum siccum sumere, sed solum liquidum; idcirco mater comedit cibum siccum, & conuertit in lac, vt ex illo puer nutriri possit; & sicut quando puer iam potest nutriri cibo sicco, & tamen nondum potest masticare mater accipit panem, vel carnes, & ipsa masticat, & ita masticata in ore pueri ponit transglutienda; Sic & homines instructi, qui à Doctore subtilia, & subtiliter audiuerunt, quando rudes habent docere, illa subtilia crasso modo figuraliter, vel exẽplariter declarant, & exponũt, vt possint rudes de subtilibus instrui; Vnde quia Dominus non poterat singulos instruere iuxta eorum qualitatẽ, & modum, quia magnum impedimentum præstitum fuisset doctrinæ abũdanti Christi, qui de omnibus necessarijs ad salutem instruere Ecclesiam debebat; ideo habuit Discipulos circa se, quibus spiritualem doctrinam dedit subtiliter, & sic per illos alios instruxit. Vnde, & dicebat eis infra 13. Vobis datum est nosce mysteria regni cœlorum; illis autem, scilicet turbis, non est datum; ideo in parabolis loquor eis. Et Apost. 1. ad Cor. 3. dicit. Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, tamquam paruulis in Christo lac podum vobis dedi non escam, nondum enim poteratis. Vt ergo ostenderetur, quòd illa, quæ Dominus dicturus erat, erant talia, quæ vt prolata sunt à Christo non poterant intelligi à communi plebe nisi per Doctores declararentur; ideo Discipuli, qui aliorum Doctores futuri erant, accedunt ad Christum, vt illa subtilia subtiliter dicta audiant à magistro, quæ postea per multa exempla, & deductiones populis declararent; Vnde & Isa. 51. dicitur Doctoribus. Accedant & tũc loquentur. Et infra eodem capitulo. Accedant & annuncient vobis. Vnde Bern. 1. sermone de omnibus sanctis dicit. Accesserunt non quilibet de populo, sed Discipuli; vt sicut testamẽtum vetus datum legitur in monte Sina solo Moyse ascendente, & populo expectante deorsum, sic & modo susciperent montes pacem populo, & colles iustitiam; & velut in tenebris quibusdam, & in occulto diceretur Apostolis, quod postea dicerent in lumine, & audirent in aure, quod prædicarẽt post modum super tecta. Vel etiam ideo accedunt Discipuli ad Dominum sedentem

Matth. 13.

1. Cor. 3.

Isai. 51.

Bernar.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

tem in monte, vt ostendatur quòd nullus est bonus, & perfectus auditor cęlestium præceptorum nisi iam sit factus cęlestis. Cum enim moralia præcepta data sint, non ad hoc quòd sciãtur, sed ad hoc, vt secundum illa viuatur: ideo ille, cui non est affectus ad viuendum secundum ipsa, licet possit audire, & intelligere, quę dicũtur; tamen non potest dici, quòd ipsa sapiat, vel etiam quòd perfectè approbet ipsa: quia etsi ipsa approbet secundum intellectum, non tamẽ approbat secundum affectum; Vnde & 7. Ethic. dicitur de incontinẽtibus, quòd licet dicant sermones scientiæ moralis, tamen non propter hoc sunt scientes in actu. Sed illi quibus non solum placet audire præcepta moralia, vt sciant ipsa, sed etiam volunt viuere secũdum ipsa, illi perfecti dicuntur scientiæ moralis auditores. Propter quod & primo Ethic. dicitur, Quòd

Aristot.

Idem.

passionum sectator existens inaniter audiet, & inutiliter moralem scientiã, quia finis eius non cognitio sed actus. Sed illis qui secundum rationẽ volunt sua desideria tentare, & operari secundum præcepta moralis scientiæ multum vtile est ipsum scire; Vnde quia Dominus nunc sermones morales vitæ cęlestis dare volebat; ideo Discipuli, qui ipsa præcepta implere cupiebant accedunt ad eum; Vnde & hîc dicit Glo. Accedunt ad eum, vt vicinius audiant, qui ad implendum animo prope erant, & Chrysost. hîc dicit, Populus, qui audit iustitiã Dei debet in altitudine bonorum consistere, quia discipulus imitator debet esse magistri. Si autem in peccatis viuas, & audias iustitiæ verba docentem iudicium tibi non salutem acquiris, Audis enim vt ne ignorantię excusationem habeas ante Deum. Ecce homo si quamcunque artem ex toto corde voluerit addiscere, prout pingere, aut ædificare, cum frequenter magistrum suum audierit, vel viderit, tollit se in secreto, & accipit ferramentum, & tentat si potest iam facere, quod frequenter audiuit, aut vidit; Sic & tu si facere iustitiam non vis vt quid prædicatorem iustitię audis? Aut cur illum Doctorem appellas, cuius non vis esse discipulus? Vnde presens scriptura docet, vt populus super mõtem sanctitatis ascendat, qui vult audire pietatis doctrinam.

Glos.

Chrysost. hom. 9.

SVMMARIVM.

Signantur aliquæ causſæ quare Dominus volens facere hunc sermonẽ dicitur os aperuisse.

IX Sequitur. [*Aperiens os suum docebat dicens.*] Vbi ponitur inchoatio. Dicitur autem quòd aperuit os suum, primò vt ostendatur quòd non ex passione, sed ex ratione hunc sermonem facere volebat. Quando enim passio concupiscentiæ, vel tristitię mouet aliquem ad aliquid agendum, non dicitur homo illa propriè agere, sed dicitur quòd illa passio illa opera facit, vel verba dicit; Vnde & de sene incontinẽte dicitur Dan. 13. Concupiscentia subuertit cor tuum; quemadmodum propriè agere est rationabilium, agi autem irrationabilium; ita & in hominibus illa dicũtur ipsi agere, quę ex libera ratione procedunt; sed illa dicuntur agi, quæ ex passione irrationabilis partis fiũt; Vnde & in scriptura vt frequentius solet dici, quòd aliquis os suum aperuit quando videbatur quòd ex aliqua passione locutus fuerit; cum tamẽ non ex passione, sed ex ratione illa dixerit, ad quod insinuãdum ponitur, quòd [*aperuit os suum*] Vnde & de Sancto Iob dicitur 3. Post hæc aperuit Iob os suum. Quod exponens Greg. lib. 4. moral. ca. 5. dicit. Ex ipso narrationis ordine perpenditur, quia nequaquam maledictum per patientiam protulit, qui ad maledictionis vocem amicis adhuc tacentibus erupit. Et infra. Patefecit qua mente hæc quietus dixerit, qui tot Dei laudes etiã percussus enarrauit. Et quia fortè visum fuisset quòd Dominus ex hoc quòd multi sequebãtur eum, ex quadam passione inanis gloriæ verbum ad eos habere voluisset, ideo ponitur quòd aperuit os suum, vt ostẽdatur, quòd non ex passione, sed ex ratione motus fuerit ad prædicandum. Vel etiam ideo dicetur quòd [*os suum aperuit*] vt ostendatur, quòd magna, quæ in eo latebant effundere volebat. Quemadmodum enim clauso vasculo nescitur quis liquor in eo contineatur, & cum aperitur, quod latebat ostenditur; sic homo sapiens dum tacet eius sapientia ignoratur, quando vero loqui incipit, statim quod latebat in eo euidẽter ostenditur. Ideo quia Dominus hucusque pauca locutus fuerat eius sapientia ignota erat, sed nunc cum os aperit suam sapientiam ostendit; Vnde & Greg. 4. lib. mor. dicit. Sicut clausis vasculo, quod intus habeãt ignoramus, aperto verò ore vasculorum quid intrinsecus contineatur agnoscimus, ita sanctorum corda, quæ clauso ore occulta sunt aperto ore deteguntur; & cum cogitationes detegunt, os aperire referũtur vt intenta mente quasi apertis vasculis, quid intus contineant festinemus cognoscere, ac nos metipsos eorum intimo odore recreare. Vnde & sublimia præcepta Domi

Dan. 13.

Iob 3.

Gregor.

Idem.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

no in monte dicturo, præmittitur [*Aperiens os suum*] Quomodo os suum aperire
Eccl.51. sumi videtur Eccl.51. Animę vestrę sitiũt vehementer, aperui os meum & locutus sum, cõparate vobis sine argento sapientiam. Vel etiam dicitur os aperire, vt ostendatur quòd de magnis rebus lõgum sermonẽ facere intendebat. Solent enim homines locuturi de magnis rebus ad tẽpus tacere, vt quasi recollecti & præmeditati loqui videantur. Vnde & de Sapientia dicitur Prouer.8.
Prouer.8. Audite quoniam de rebus magnis locutura sum, aperientur
Auguſt. labia mea vt recta prædicent. Vnde Aug. 1.lib.de ser. Do. in mon. ad hanc intentionem hæc exponens dicit. Ista circumlocutio qua scribitur, & aperiens os suũ, fortasis ipsa mora commendat aliquãto longiorem futurum esse sermonem. Vel etiã dicitur os aperire, vt ostendat quòd id quod latebat circa Dei præcepta in veteri testamento, exponere, & declarare volebat, abscindendo peccatorum radices, vt iram, incontinentem aspectum, & cætera talia: & declarando modum, quo meritoriè impleantur diuina præcepta, vt scilicet propter Deũ fiant, & non propter fauorem humanum, vel commodum
Luc. vlt. tẽporale. Vnde & Luc. vlt. dicitur, quòd aperuit Discipulis sensum, ut intelligerẽt scripturas postquã interpretatus fuerat ipsas. Et Glo.hîc dicit. Oris apertio
Gloſ. mysteriorum, quæ in Proehetis latebant, est reseratio. Vel etiam dicitur, os aperire; ut ostendat quòd profunda, & quasi impenetrabilia hominibus præcepta daturus erat, quæ nisi per eum hominibus aperiri non possent. Quid enim tam occultum, quàm pauperes beatos esse, & lugentes, & tristes, & persecutionem sustinentes, cum beati apud homines dicantur, quibus rerum abundantia, cum pace
Bernar. & gaudio suppetitur? Vnde Ber.1.ser.de omnibus sanctis loquens de ista oris apertione dicit. Verè apertũ est os eius, quia eructauit abscondita à cõstitutione mundi. Quid enim tam absconditum, quàm
Gloſ. paupertatem esse beatam? Et Glo.hîc dicit. Apertio oris profunditatem significat Sacramenti, quasi abyssum, quasi thesaurum aperit, quasi fluuiũ paradisi. Vel etiam os aperit, vt ostendat quòd lex noua non erat scribẽda in tabulis lapideis, sed cordibus credentiũ infigenda. Quem admodum enim stylo, vel celpte scribuntur litteræ in lapidibus, ita & scientia scribitur in corde auditoris lingua Doctoris, iuxta illud
Pſal. 44. Psal. Lingua mea calamus scribę. Vnde quia Dominus non scribendo sed colloquẽdo legem nouam dedit, & in corde audientiũ Discipulorum scripsit; ideo dicitur quòd os aperuit, quasi stylum quo scribenda erat, emittens, & trahens ad diuersa verba formanda. Vnde & hîc dicit interli. Os aperuit, intus in corde scribendo vt Deus. Gloſ.

SVMMARIVM.

Assignantur seorsum aliæ causſæ quare Dominus volens facere hunc sermonem dicitur os suum aperuisse.

DIcitur autem quòd os suũ aperuit, X
quia aperuerat ora Prophetarum, ad hoc, vt loquerentur populo veteris legis, olim enim Deus loquens patribus in Prophetis, nouissimè locutus est nobis in filio, ad Heb. 1. Hoc enim est os quo Heb.1.
osculari se desiderauerat sponsa cũ dicebat. Osculetur me osculo oris sui: quod exponens Bern. super Cant. ser.2. dicit. Cant.c.1. Ber.
Ante Christi aduentum dicebat quisque perfectus. Quo mihi ora hæc est seminiuerbia Prophetarum? Ipse potius speciosus forma præ filijs hominum. Osculetur me osculo oris sui. Non audio iam Moysen; impeditioris siquidem linguæ factus est. In Isa. labia immũda sunt, Hieremias nescit loqui, quia puer est; & Prophetæ omnes ellingues sunt. ipse quem loquuntur loquatur, vox in eis iam autem per eos loquatur mihi, Quoniam tenebrosa aqua in nubibus aeris; sed ipse me osculetur osculo oris sui, cuius gratiosa præsentia, & admirandæ fluenta doctrinæ fiant in me fons aquæ salientis in vitam æternam, cuius sermo viuus & efficax osculum mihi est; scilicet planè infusio gaudiorum, reuelatio secretorum, mira quædã, & quodammodo indiscreta commixtio superni luminis, & illuminatæ mentis: meritò proinde visiones & somnia non recipio; figuras, & ænigmata nolo; ipsas quoque angelicas fastidio species, sed solum hoc opto, vt ipse, & ore aperto me doceat. Ipse enim, qui est in sinu patris solus potest mihi pandere secreta, & consilia Dei patris. Ioan. 1. Ad Ioan.1.
quam intentionem hoe exponens Augu. Auguſt.
1.lib.de ser. domini in mon. dicit. Fortè non vacat, quòd nunc dictum est aperuisse os suum, quòd ipse in lege veteri aperire soleret ora Prophetarum. Vel etiam ideo dicitur [*Aperiens os suum docebat eos*] quia Christus verbo & opere suos auditores instruebat, dicente Augustſt. de vera
Idem. reli. cap. 16. Tota vita eius in terris per hominẽ, quem susc ipere dignatus est disciplina morum fuit, cum omnia quæ ha-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

bere cupientes nunc rectè viuebamus carendo vilia fecit, & omnia quę vitare cupientes à ſtudio deuiabamus veritates perpetiendo deiecit, nullum enim peccatum committi poteſt, niſi dum appetuntur ea, quæ ille contempſit, aut fugiuntur ea, quæ ille ſuſtinuit. Quia ergo Chriſtus quaſi hucuſque homines docuerat de vita perfecta opere, nunc incipit ipſam docere ſermone, dicẽte Chryſo. Cur appoſitum eſt aperiens os ſuum? vt proculdubio diſcas quia non cum loquitur modò, verum etiã cum taceret docebat, tunc quidem os aperiens, nunc verò ipſam vocem operibus emittens. Vel etiam aperiẽs os ſuum docere dicitur, vt oſtendatur quòd propria auctoritate, & non delegata ab alio, loquebatur. Prophetæ enim loquebãtur iuſsi à Domino, & non ſua verba, ſed Domini, loquebantur. Vnde ſemper in Prophetis præmittitur. Hęc dicit Dominus. Propter quod & eorum ora ad loquendum Dominus dicitur aperire. Vnde Ezech. 3. Cum locutus fuero tibi aperiam os tuũ, & dices ad eos. Hæc dicit Dominus. Sed Dominus locutus eſt auctoritate propria, vt Deus; vnde & dicebat infra eodem. Ego autem dico vobis. Propter quod iam non dicitur quòd ab alio os eius apertum fuerit.

Chryſoſt. hom. 15.

Ezech. 3.

SVMMARIVM.

Quare ſi iſte ſermo fuit factus audientibus Diſcipulis & alijs Turbis, dicitur quòd Diſcipulos docebat, cum generaliter omnibus aſtantibus loqueretur?

XI

SEd cur dicitur, quòd docebat eos ſcilicet Diſcipulos, numquid ſolum diſcipulos docebat? Eſt dicendum, quòd immo docebat omnes aſtantes; ſed quia doctrina eius magis Diſcipulorum cordibus adhęrebat, quàm aliorum; ideo magis eos docere dicitur, quàm alios. Iſti enim, vt Chryſoſt. dicit, auidius intendere doctrinæ debebant; Vnde & ſi ad vniuerſos hunc ſermonẽ extendebat; tamen quia Turbæ valde deficiebant ab ijs, quæ dicebantur, vt non oneroſam faceret doctrinã; dicit quòd ad Diſcipulos conuertit ſermonem. Si enim dum Doctor loquitur multi aſsiſtunt, quorum aliqui doctrinæ acquieſcunt, vel eam intelligunt, alijs non acquieſcentibus, vel non intelligentibus, licet poſsit dici quòd Doctor omnibus loquatur; tamen propriè non dicitur docere niſi acquieſcentes doctrinæ, vel intelligentes ipſam; nullus enim poteſt docere, niſi alter doceatur. Doctor enim & diſcipulus relatiuè dicuntur; diſcipulus autem à diſcendo eſt dictus; & ideo, qui non addiſcit diſcipulus non eſt; & per conſequens nec loquens ei poteſt dici docens eum. Quia ergo Diſcipuli Chriſti doctrinam ejus intelligebant, & ei adhærebant, alijs non intelligentibus, vel adhærentibus; ideo benè dicit, quòd Diſcipulos docebat.

Chryſoſt. hom. 9.

SVMMARIVM.

Aſſignantur aliquæ rationes quare minora præcepta iuſtitiæ data fuerint populo Iudæorum in veteri lege; & maiora præcepta fuerint data à Deo in noua lege.

XII

SEd cum dictũ fuerit ſupra, quòd alia mandata Deus dedit populo veteris teſtamenti; & alia dedit Chriſtus populo nouæ legis; dubium eſt. Cur Deus alia mãdata voluit dare antiquo populo per Prophetas, & alia nouo populo per ſeipſum; quia videretur ex hoc mutabilis eſſe Deus in præceptorum mutatione? Et ad hoc dicendum primò, quòd hoc rationabiliter factum eſt, ſi conditio vtriuſque populi attendatur. Ille enim populus rudis, & duræ ceruicis erat; quando autem auditor eſt rudis, vel nouus, ſi ei alta & ſublimia, vel ſubtilia dicãtur, non capit ipſa, qui tamẽ capere poſſet rudia, & infima. Propter quod ſi debet inſtrui in moralibus, primò illa debent ei proponi, quæ manifeſtè ſunt per ſe mala, vel per ſe bona, & deinde illa, quæ non ſic euidenter ſunt mala, vel bona; & maximè quando habitũ vitioſum ex frequentia operum acquiſiuit: Talibus enim vitioſis ſufficit, quòd proponatur, vt à magnis & enormibus peccatis ſe compeſcant; quod cum factum fuerit, tunc & minora peccata ſunt eis prohibẽda; quia ſi à principio minora peccata eis prohiberentur, timendum eſſet ne deſperati non ſe cohiberent ab aliquo peccato, æſtimãtes quòd virtute prediti eſſe non poſſint. Qui enim vix ſe cohibere poteſt ab adulterio, vel inceſtu; quomodo ſe abſtinere poterit ab incontinenti aſpectu? Et qui vix poteſt cohibere ſe à ſanguine proximi, quomodo ſe cohibere poterit ab ira, vel commotione animi? Ideo qui nouos & maximè vitioſos habet inſtruere de moribus, primò habet præcipere q abſtineant à magnis peccatis, & deinde ſucceſsiuè minora peccata, & peccatorũ radices ſunt eis prohibenda; & quia populus Iſrael erat nouus, quo ad doctrinã moralem, quanto lex vetus data fuit,

malè

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

malè etiam, & vitiosè nutritus fuerat in
Ezech.23 Aegypto iuxta illud Ezech.23. Duę mulieres filię matris vnius fuerunt, & fornicatę sunt in Aegypto, in adolescentia sua fornicatæ sunt, ibi subacta sunt vbera earum; Nomina earum Oolla, & Ooliba, & habui eas, & pepererunt filios, & filias; porrò nomina earum Samaria Oolla, & Hierusalem Ooliba. Ideo ei fuerunt proposita præcepta, quibus prohibebantur euidenter mala, & præcipiebantur euidenter bona, vt patet in præceptis decalogi. Ille etiam populus durę ceruicis erat; & vix auerti ab aliquibus vitijs poterat; & ideo condescendendo se Deus habuit præcepta dando, aliqua etiã permittens, quæ bona ex sua natura non erant; quomodo dare libellum repudij eis
Matt. 19. permissum erat infra 19. Moyses inquit, ad duriciam cordis nostri permisit vobis dimittere vxores vestras; sufficit enim quòd peccatori in peccatis assueto præcipiantur illa, quæ aliquo modo trahant ipsum ad bonũ. Sed populus nouus quibus Dominus loquutus est iam instructus erat per legem, & Prophetas, de vitijs & virtutibus; iam etiam aliquo modo in via virtutum suos pedes dirigebat; cor etiam lapideum ab eis Dominus remouebat; & ideo iam apti erant, vt maiora vitæ præcepta à Domino acciperẽt. Qui enim benè vsus est minoribus, quæ accepit, dignum est vt maiora ei dentur; Vnde quemadmodum in scientijs à minoribus ad maiora intelligenda ascenditur; & quemadmodum aliqua laudantur in pueris, vel eis permittuntur, quæ tamen postea in prouectis vituperantur, vel etiam puniuntur; Et quemadmodum cibi & diętæ, quæ conueniũt ęgris sanis nocumentum afferrent: ita præcepta data veteri populo infirmo puero inscio nõ conueniunt populo nouo, instructo, prouecto sanato: quam rationem deducens Au
Augusti. gust. 3. confess. ca. 7. dicit. Patres veteris testamenti ab imperitis iudicantur iniqui iudicantibus ex humano die, & vniuersos mores humani generis ex parte moris sui metientibus: tamquàm si quis nescius in armamẽtis quid cuique membro accõmodatum sit, ocrea velit caput contegi, & galea calciari, & murmuret quòd non apte conueniat; aut in vno die in dicto a meridianis horis institio quisquam stomachetur non sibi concedi quid venale proponere quia mane concessum est: aut in vna domo videat aliquid tractari manibus à quoquam seruo, quod facere non sinatur, qui pocula ministrat: aut aliquid post præsepia fieri, quod ante mensam prohibeatur; & indignetur cum sit vnum habitaculum, & vna familia non vbique atque omnibus idem tribui. Sic sunt isti qui indignantur cũ audierint illo seculo licuisse iustis aliquid, quod isto non licet iustis: & quia illis aliud præcepit Deus, istis aliud pro temporalibus caussis, cũ eidem iustitiæ vtrique seruierint, cum in vno homine, & in vno die, & in vna domo videant aliud alij membro congruere, & aliud iamdudum licuisse, & post horam non licere, & quoddam in illo angulo permitti, aut iuberi, quod in isto iusta ratione vetetur, & vindicetur. Et primo lib. de ser. do. in mon. dicit. Vnus Deus per sanctos Prophetas, & famulos suos secundum ordinatissimam distributionem temporũ dedit minora præcepta populo, quem timore adhuc alligari oportebat; & per filium suum maiora populo, quę charitate iam liberari conuenerat. Cum autem minora minoribus, maiora maioribus dentur, ab eo dantur qui solus nouit congruentem suis temporibus humano generi exhibere medicinam. Secundò hoc rationabiliter factum fuit. Cum enim quisque iuxta vires suas debeat operari bona opera quantò plus potest, iuxta illud Eccl. 9. Quodcũque potest manus tua facere instanter operare. Ideo secundum quod maiores vires dantur ad benè operandũ, secundum hęc quisque maiora opera bona exercere debet; Et quia in veteri testamento non erat data gratia sic abundanter, vt in nouo est data, quia illi æstimabant se posse implere legem solo libero arbitrio, quod tamen facere non potuerũt; ex quo occasionaliter per legem peccata sunt aucta iuxta illud Apost. ad Rom. 5. Lex subintrauit, vt abundaret delictum; vbi dicit Glo. Oportebat vt superbis de libertate sui arbitrij præsumentibus lex daretur, qua præuaricata suam infirmitatem, & legis insufficiẽtiam peccatum non consumẽtis intelligentes humiliarentur; natis enim in peccatis viribus suis multum præsumentibus datur lex à Deo ad domandam superbiam; qua dicebant, non deest qui impleat, sed deest, qui iubeat. Horum ergo superbiam volens domare Deus, legem dedit quasi dicens hominibus. Ecce do vobis præcepta, ne putetis deesse iubentem; non deest qui iubeat, sed deest qui impleat: quia homo in peccato natus per se non potest legem implere, nisi liberum arbitriũ gratia Dei adiuuetur. Ideo cum in veteri testamento nec præcepta, quæ in eo data fuerant impleri potuerunt eorum viri-

Idem.

Eccl. 9.

Rom. 5.

Glo.

bus;

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

bus; propter quod & iugum graue lex
Act.15. vetus dicta est à Petro Act. 15. quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus: si præcepta quæ Dominus hîc ponit in lege illa fuissent posita, non solum non fuissent impleta, sed & fuissent neglecta. Quemadmodum si onerato vltra vires pondus addatur, non solum non portatur ab eo, sed & reijcitur: vel si conetur portare, tamen onus ante portantis vires succumbunt, quàm onus feratur ad terminum. Quia ergo in veteri testamento modica virtus ad implendum Dei præcepta erat, scilicet liberum arbitrium corruptum per peccatũ; ideo suffecit, quòd pro tunc præcepta darentur, quibus prohiberentur peccata manifesta etiam per rationẽ naturalem; & imperarentur opera iustitiæ, quæ naturalis ratio dictat agẽda. Sed quia in nouo testamento est virtus aucta, quæ gratia per Christum est data abundanter, quæ gratia iuuat nostram infirmitatem, & facit nos potentes implere diuina præcepta; ideo dignum fuit, vt quibus maior virtus est data adimplendi præcepta, acciperent maiora præcepta iustitiæ. Vnde quia hac virtute data in nouo testamento, considerata dicta virtute, facilius maiora præcepta implẽtur, quàm in veteri testamento non data hac virtute minora impleri non poterant: ideo lex noua, quæ maiora præcepta cõtinet, non dicitur iugum graue, sed iugum leue infra 11. quia vt dicit Augustinus de ver. Dom.
Matt.11. August. ser. 9. Omnia sęuia, & immania prorsus facilia, & prope nulla efficit amor; qui amor datus est in nouo testamento. Quia ergo in veteri testamẽto virtus implendi præcepta erat parua, debilis, & infirma, in nouo vero est virtus magna, sanata, & roborata, ideo minora præcepta data sunt in veteri lege, & maiora in noua; cum nec illi minora implere potuerint, & isti maioribus contenti non sint; sed vltra præcepta implent consilia semper ad maiora tendentes, dicentes illud
Psal.118. Psal. Viam mandatorum tuorum cucurri cum
Philip.3. dilatasti cor meũ, & illud Apost. ad Phil. 3. Quæ retro sunt obliuiscens ad ea quæ sunt priora extendens me ipsum ad destinatum persequor brauium supernę vocationis. Tertiò, hoc factum fuit vt ostendantur radices veteris legis & nouę, quę sunt timor & amor; Timor enim habet constringere cor, Amor vero cor dilatat; & ideo qui timore aliquod præceptum obseruat, nihil superaddit vltra præceptum, immo nec illud integrè complet; quia si complet exteriori opere, tamen illud non implet interiori voluntate, pro-

F pter quod, timor pœnam habet. 1. Ioan. 4. 1. Ioan. 4
Et qui aliquid facit ex timore continuè indiget stimulo vt impleat saltem exteriori opere quod iubetur; animo interius renitente. Vnde & licet Indęi qui ex timore legem obseruabant aliquotiẽs implerent opera mandatorum exteriora, tamen præceptum de opere interiori sicut erat, Non concupisces, implere non curabant; quia timor licet perficiat opera exteriora, vel se cohibeat à malo opere exteriori timore pœnæ corporalis, tamen
G non cohibet malum opus intrinsecum; quia propter ipsum talem pœnam non timet; & ita non desistit malè concupiscere. Vnde & Apost. ad Rom. 7. Loquens de Rom. 7.
concupiscentia dicit. Peccatum non cognoui nisi per legem. Nam concupiscentiam nescieba nisi lex diceret non concupisces, occasione autem accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Ex quibus patet, quòd ille, qui timore pœnæ aliquid facit, nihil supra præceptum operatur;
H vix etiam, & cum quodam tædio, & desidia, nisi stimuletur, substantiam præcepti adimplet quantũ ad opus exterius; quantum vero ad mentes affectum semper manet voluntas renitens: & ideo si facit bonum, non tamẽ facit benè; propter quod, nec opus bonum simpliciter est. Et quia talis non ad melius se mouet, sed retinetur ne ad deteriora prolabatur; sufficit quòd illa ei præcipiantur, quibus retinetur ne omnino pessimus fiat: sicut sunt maiora crimina, à quibus etiam vix cohibere se potest. Sed qui amore iustitiæ mouetur ad faciendum bonum, vel malum
I vitandum, non solum est contentus quòd vitet magna crimina, sed etiã omnes peccatorum occasiones fugere appetit; sciẽs melius esse nunquã iuxta periculum fuisse, quàm iuxta periculum existendo non perijsse, nec solum est contentus, quòd faciat opera bona, quæ naturalis ratio dictat agenda; nisi etiã impleat omnia; quæ vidẽtur esse Deo grata; Quemadmodum in amore venereorum non solum timetur magna offensa dilectæ, sed etiam omnis offensa; nec solum impletur præceptum
K dilectę, sed etiam omne illud, quod gratum & esse æstimatur, delectabiliter perficitur, nec amans indiget alijs stimulis ad agendum, quia amor sic stimulat, vt quiescere non sinat. Vnde & Dion. exponens proprietates Seraphim, qui incendentes significantur, dicit cap. 7. cęlestis hierar. quòd nominantur calefacientes. Mobile enim semper eorum circa diuina & incessabile, & calidũ, & acutum, Dion.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

& ſuper feruidum intentæ, & forſan intimæ,& inflexibilis ſemper motionis.Ex quibus patet quòd qui amore ad aliquid fertur non indiget alio ſtimulante, quia amor ſtimulus eſt, quo fertur quodã impetu amãs ad id,quod amatur: qui etiam ex amore aliquod facit, voluntate ducitur,non neceſsitate cogitur, Ex quibus patet,quòd ille,qui ex amore iuſtitiæ aliquid operatur, non eſt contentus quòd ſolum impleat præceptum;ſed ſupra præceptum progreditur: nec lentè & deſidiosè operatur; ſed feruenter & velociter; nec cogitur ad bonum, ſed voluntate ducitur. Propter quod non ſolum bonum agit, ſed & benè; & quia ſic ducitur ad bonũ amore, omnia iuſtitiæ præcepta ei ſunt danda; & modus eſt imperandus eidem, cum nec ei ſufficiat, quòd impleat præcepta eo modo,quo ſunt implenda; niſi ſuperaddat in bono illa, etiã quæ ſunt conſulta.Vnde quemadmodum equus velociter ſponte currens pungendus eſt à ſeſſore,vt velocius currat; ſic & qui amore iuſtitiæ voluntariè minora adimplet præcepta,addẽda ſunt ei maiora,vt velocius, citius, & perfectius ad finem bonorum operum perueniat:quemadmodum & qui minora implet timore, oportet quòd ſtimuletur; ſed lentè, ne fortè & illudmet, quod faciebat dimittat; ſicut Aſinus tardus licet ſtimulari debeat, vt vadat, tamen ſic lentè ſtimulari debet ne currat. Et quia illi,qui erãt ſub veteri teſtamento,obſeruabãt legem timore, ſufficit quòd manifeſta mala eis prohiberentur, cum vix ab illis poſſent abſtinere; & manifeſtè bona eis præciperentur,quæ vix perficere poterant opere exteriori, manente quaſi voluntate coacta. Sed quia illi, qui ſunt in nouo teſtamento legem obſeruant amore,ideo alta iuſtitiæ præcepta eis erant danda,& modus bonorum operum iniungẽdus; quia amor ſemper vltra facit, quàm præcipiatur ei; non enim conſtringitur infra fines præcepti, ſed ſemper dilatatur ad maiora ſe extendens. Vnde & Apoſt. loquens
1.Cor.6, 2.Cor.ca,6,dicit. Cor noſtrum ò Corinthij delatatum eſt, tamquàm filijs dico dilatamini & vos. Quia ergo nunc debebat noua lex amoris promulgari, ideo benè maiora præcepta ſunt data, vt filijs ab illo, qui dedit minora in veteri teſtamento tãquàm ſeruis ſuis. Vnde ad hanc
Auguſt. intentionem loquens Aug. 1. lib. de ſer. Dom. in monte dicit,Deus dedit minora præcepta populo, quem timore alligari oportebat; & per filium ſuum maiora populo, quem charitate iam liberari conue

A nerat. Quartò, Hoc factum fuit rationabiliter, ſi præmia vtriuſque legis attendantur. Cum enim appetitio præmij faciat tolerare laborem, quantò præmium maius promittitur, tãtò maiora imponi poſſunt opera deſiderantibus maius præmium conſequi:& quia promiſſa præmia veteris legis erãt terrena; promiſſa;vero nouæ legis ſunt cęleſtia bona, ideo non incongruè minora præcepta dantur pro obtinendo terrena, & maiora pro adipiſcendo cęlo: Vnde Auguſt. 1.lib. de ſer. Auguſt.
B Do. in mon. dicit. Nec mirum eſt, quòd dãtur præcepta maiora propter regnum cœlorum, & minora data ſunt propter regnum terrenum ab eodem vno Deo, qui fecit cœlum & terram,

SVMMARIVM.

Quòd licet multi Patres veteris teſtamenti ſecundum tẽpus haberent ſecundum affectum perfectionem noui teſtamenti, & è contra, multi exiſtentes ſecundum tempus in nouo teſtamento ſecundum affectum ſint veteris teſtamenti; tamen quando comparatur ſtatus ad ſtatum, quia tempore veteris teſtamenti plures erant, qui affectum ſuum habebant ad promiſſiones terrenas; & pauci ad res cæleſtes; cuius contrarium contingit in nouo teſtamento; ideo illa,quæ ſupra dicta ſunt in præcedenti capitulo non dicuntur comparando perſonas ad perſonas, ſed comparando ſtatum ad ſtatum.

C

XIII

D Licet autem communiter loquendo, illi, qui erant ſub veteri teſtamento rudes eſſent,& duræ ceruicis;& communiter non haberent gratiam adiuuãtem, & ſeruirent potius timore, quàm amore obedirent, & magis terrena affectarent, quàm cęleſtia; tamen inter eos multi fuerunt, qui licet ſecundum tempus eſſent ſub veteri teſtamento, tamen ſecundum ſpiritum erant noui teſtamenti;quia ſeruiebant Deo ex amore,& propter regnũ cęleſte; & habebant gratiam adiutricem ad diuina præcepta implenda;ſicut æquè
E multi ſunt in nouo teſtamento, qui magis obſeruant Dei præcepta ex timore, quàm amore; & propter remunerationẽ terrenam,vel temporalem,quàm cęleſtẽ: qui licet ſecundum tempus ſint noui teſtamenti, tamen ſecũdum meritum ſunt veteris teſtamenti. Sed quia ſermones generales intelligendi ſunt ſecundum communem modum, ideo quia in veteri teſtamento, paucis exceptis, illius conditionis erant,quæ dicta eſt: Ideo ſtatus,reſpiciendo ad multos, talis vel talis dicitur,

non

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

non reſpciendo ad paucos, qui in vtroq; teſtamento repperti ſunt obſeruare rem
Aug. alterius teſtamenti. Vnde Aug. lib. 16. contra Fauſtum cap. 1. dicit. In illo primo populo Sancti Patriarchę, & Prophetæ, qui intelligebant, quod agebant; vel per eos agebatur in nouo, habebant iam ſpem ſalutis æternę, illis enim pertinebant ad illud quod intelligebant & diligebāt; quia & ſi nondum id eis oculis reuelabatur, iam tamen figurabatur: ad vetus autem pertinebant illi, qui non amplius illic quā promiſſa temporalia cogitata concupiſcebant, in quibus ęterna figurata, & prophetata non intelligebant.

SVMMARIVM.

Quòd non ex hoc quòd diuerſa præcepta Deus dedit tempore veteris teſtamenti populo, & tempore noui teſtamenti, ſequitur quòd Deus, vel Dei voluntas ſit in aliquo mutata, & oſtenditur quare vna Dei voluntate infinita diuerſa fieri poſſunt per eam ſine mutatione vel variatione eius.

XIIII NEc tamen Deus dicendus eſt fuiſſe mutatus, vel mobilis, quando ſecundum diuerſitates hominum diuerſa pręcepta dedit. Poteſt enim eſſe, quòd manente immobili re aliqua ad mutationē alterius illa res immobilis mutata videatur; cum tamen in rei veritate non ſit, ſicut in multis patet. Eadem etiam voluntate infinita æterna diuina, non mutata in ſe aliquo modo diuerſa fiunt, in hoc mundo, & fieri poſſunt, etiam ex nihilo; quia velle Dei omne velle includit, & ſuper excedit; Vnde licet ex determinato velle & I finito non poſſit ſequi aliud ad aliud, niſi mutato illo velle; tamen ex velle infinito, continuo, æterno, poteſt eſſe, & fieri quodlibet volitum finitum aliud & aliud illo velle infinito immutato, cum ſit infinitum intenſiuè & extenſiuè; Vnde ſicut per multa velle ſi eſſent finita poſſet fieri quodlibet volitum: ita per vnum velle infinitum eodem modo ſemper ſe habēs poſſunt fieri eo immutato alia, & alia finita. Et ſicut diuerſę res poſſunt fieri ab vno illo velle immutabili in ſe permanente; ita K & diuerſa præcepta poſſunt dari ab illo vno velle, poſito quòd nulla variatio eſſet facta in illis, quibus illa præcepta dari deberent; ſicut de rebus fuit factum in noua mundi creatione procedente a voluntate æterna; & ſicut de præceptis merè legalibus factum fuit tēpore quo data fuit lex vetus; ſic ergo ſine voluntatis diuinę mutatione alia pręcepta data ſunt ſecundum F diuerſam populi diſpoſitionem in lege veteri & noua.

TRactatus ſequens protenditur vſque ibi (Beati qui lugent, &c) *& continet 27. capitula, & primò quare Dominus actibus vel operibus virtutum perfectarum duos fines ponit; quorum vnus datur in vita præſenti* G *& alter poſt hanc vitam; & quia ex hoc Dominus habuit longè plures ſequaces ſuæ doctrinæ quam philoſophi habuerint, qui pro maiori parte ſolum ponebant virtutum fines, vel præmia in vita præſenti, & non in vita poſt mortem corporis.*

H *BEati pauperes ſpiritu.*] Vbi ponitur Chriſti doctrina, quę incępta eſt abeatitudinibus, quę fines virtutis ſunt, & duo facit. Nam primò generaliter proponuntur virtutes, in quibus cæterę virtutes continentur, ſecundò declarantur, & applicantur ad certos perſonarum ſtatus, ſecundū ibi. [*Beati eritis*] Primò ponuntur octo actus virtutum, quibus beatitudo debetur, vel quì ſunt beatitudo ipſa. I

Circa quod intelligendum eſt, quòd operi perfectę virtutis duo præmia debentur, ſcilicet in præſenti vita, & in futura, iuxta illud Apoſt. 1. ad Tim. 4. Pietas ad omnia vtilis eſt promiſſionem habens vitæ, 1. Timo. 4
quę nūc eſt, & futurę. Cum enim actus procedens ex perfecto habitu ſit delectabilis, & maximè quando eſt ſecundum virtutū habitus; quia tunc nihil habet in ſe, vnde ſit non delectabilis, cum & appetitus inferior ex conſuetudine ad talem actum ſit inclinatus. Ratio etiam recta cognoſcens actum illum factum ſecundum quod ipſa dictauit; & ſecundum quod congruit dignitati animæ in tali delectetur; ideo nec ex parte ſuperioris partis, nec ex parte inferioris talis actus nullam indelectationē habet. Sed actus vitioſus licet delectabilis ſit parti inferiori, tamen pœnitentia partē replet ſuperiorem; quæ pœnitudo redundat in partem inferiorem. Dum enim conſiderat ratio, quòd inordinatè, & contra rectam rationem conſenſit peccato, pœnitentia eam ſequitur; quæ nec in damnatis extingui poteſt. Vnde & Ber. in ſer. ad Cle Ber.
ricos ca. 3. dicit. Tranſit velociter totus

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

pruritus delectationis iniquæ, & voluptatis illecebra tota breui finita est; sed amara quædam impressit signa memoriæ, & vestigia fœda reliquit. In illud si quidem repositorium velut in sentinam aliquam tota decurrit abhominatio, immunditia tota defluxit, quia & si delectatio fauces miseras breui transitu dulcedine friuola visa est oblectasse; tamen venter memoriæ vbi tota est congesta putredo cum se considerat obscenis sputis illitam, & fœdissimis quibusdam sordibus inquinatam vehemẽter exhorrescit, & exinde tribulatio uehemens, & iustissima causſa doloris est; cum excitatus a somno misere voluptatis interiorem cæperit quis deprehendere lepram, quam sibi ipse multo studio, & labore quæsiuit. Et vt idem dicit cap. 4. Idem. Si vidisti hominem scalpere manus, & vsquæ ad sanguinem confricare, euidentẽ habes in eo similitudinem peccantis expressam; cedit si quidem voluptas illa dolori, & succedit pruritui cruciatus, neque id ignorabat, sed dissimulabat ille dum scalperet; ex quo manifestum est, quòd actus vitiosus, & hic habet pœnam, suam, quando anima reuertitur ad se ipsam, & in futuro etiam habebit pœnam, quando iuxta qualitatem operis vitiosi anima punietur, semper enim pœnitentia mali replentur, & per oppositum actus secundum virtutem in præsenti delectationem habet, & in futuro maiorem habebit, dicente Ber. in hom. Idem. Dixit Simon petrus ad Iesum. Quanto enim est sibi vicinior, & naturali necessitudine charior anima carne sua est, tanto acrius doleat necesse est, & molestius ferat propriam, quàm corpoream læsionem; vbi a stupore, & insensibilitate fuerit excitata. Sicut e contra bona propria, & delitias spirituales, internamque animi voluptatem, vbi eam cõtingerit experiri, eo vsq; delectabilius amplectatur, iocundiusque fruatur oportet; quo proprius, & expressius eam tangunt nec exterius mendicantur; & infra. Idem. Nemo sanę mentis ampliorem credat in vitijs, quàm in virtutibus delectationem, præsertim cum sit Deus virtutum totius veræ iucunditatis fons, letitiæ, & exultationis origo. Nec enim carni, seu mundo, aut maligno principi, sed Christo vtique seruire, regnare est. Audi hominem de propria vtique experiẽtia perhibẽtem fidele testimonium veritatis. Psal. 118. In via testimoniorum tuorum delectatus sum sicut in omnibus diuitijs Quid erit in patria, si tanta est copia delectationis in via? Quia ergo actus secundum virtutem & in præsenti est delectabilis, & habet præmiũ, & in futuro maiorẽ delectationem, & remunerationem habebit; & præmia proportionantur virtutibus, & actibus earum, quia maiori virtuti & actui eius maius præmium debetur, & in præsenti, & in futuro: Ideo vt virtutum perfectissimarum præmia præsentia & futura ostendantur; uni actui duo præmia coniungit Christus dicens. *Pauperes spiritu sunt beati, quia ipsorum est regnum cælorum*] & sic de alijs. Vnde Glo. dicit, quòd beati sunt in spe in præsenti, & promittuntur eis in futuro diuitiæ cęli, vt sic domestici Christi duplicibus vestiantur, vt non timeant à frigoribus niuis. Prou. vult. sicut & domestici diaboli induuntur sicut diploide cõfusione sua. Circa quod etiam est attendẽdum, quòd licet secundum philosophos virtutis cuiuslibet sit duplex finis, scilicet proprius, quẽ ex actu proprio attingit, & vltimus ad quem disponit; qui finis dicitur beatitudo, quæ proprie est actus vltimus suprema virtutis respectu supremi obiecti in vita perfecta: tamen quia hi fines in præsenti vita secundum eos attingũtur, quia (vt eorum plurimi æstimabant) post mortem animarum, vel hominum beatitudo non erat, sed solum in præsenti vita; ideo ad beatitudinem consequendam, parum animos hominum dicta philosophorum excitabant. Cum enim vix tota vita sufficiat ad vnam virtutem, vel scientiam perfectè habendam, & magnus labor sit in acquirendo scientiam vel virtutem; ideo considerando quòd magnus labor erat virtutem vnam perfectè acquirere, vel scientiam vnam; & modicũ durabat præmium virtutis, vel scientię acquisitæ propter vitæ breuitatem, & incertitudinem; ideo homines parum mouebantur ad acquirendam scientiam, vel virtutem; quia magnus labor modicam, breuem, & incertã remuneratione habebat. Et hoc etiam veritatem habet, si finis proprius cuiuslibet scientiæ, vel virtutis moralis attendatur. Sed quia beatitudo perfecta secundum eos erat in actu perfecto sapientiæ, qui vix esse poterat, vbi omnes scientiæ speculatiuæ, vel maior pars earum prius fuissent scitæ, quod vix, vel nunquã in præsenti vita fieri potest, & si fiat hoc vix contingit in senio; Ideo magis desperabatur quòd hec beatitudo attingi ab aliquo posset. Beatitudo etiam pratica requirebat perfectam prudentiam secundum eos, quæ perfectionem omnium virtutum presupponit, quod valde difficile est consequi in vita præsenti. Quia ergo finis vltimus virtutum intellectualium,

Glo.

Prou. vlt. Psal. 108.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

& moralium quasi desperabatur posse attingi, & si attingeretur à paucis attingebatur, & quasi in vltimo vitæ; propter hoc & desidiosè quærebatur propter nimium laborem; & parũ affectabatur propter eius bonitatem; à paucis etiam quærebatur propter desperationem perueniendi; dum etiam habebatur timebatur ne cito deficeret; propter quę quasi à nullo, vel a paucis laborabatur, vt attingeretur; quia multum laboriosius, summè difficilis, vel impossibilis, incertus & breuis, timore plenus, & instabilis videbatur. Vnde & Hilar. 1. de Trinitate cap. 5. dicit. Si pietatis professionem spes aliqua incorruptæ beatitudinis non aleret, quàm sancta de Deo opinio, & boni mores quodã victricis militiæ stipendio morentur, non esset fructus aliquis benè de Deo opinari cũ omnẽ sẽsũ mors perimeret, & occasus quidem naturæ deficientis aboleret. Fatigabatur itaq; animus partì suo, partim corporis metu; qui cum & constantem sententiam pia de Deo professione retineret, tamen sollicitam de se; atque occasuro secum vt putabat habitaculo suo curam recepisset. Sed è contra Dominus veniens vt ostenderet, quòd virtutum perfectarum opera non solum in præsenti uita suam remunerationem habẽt, sed quòd in futuro perfectissimum præmium consequentur, maximè excitauit animos hominum ad virtutum opera, vt possent consequi præmia tam præsentia quàm æterna; ostẽdendo præmiorum magnitudinem, æternitatem, indefatigationem, & laboris modicitatem, breuitatẽ, & dando adiutorium; quo faciliter laboriosa opera fiãt, quæ sunt maximè incitatiua ad virtutum opera peragẽda. Breuis enim labor, & paruus affectuosè suscipitur pro maximo, & æterno, ac inessabiliter præmio habituro ab illo, qui laborem exercet. Vnde & Dominus multos sequaces habuit suę prędicationis, & doctrinę, quia promisit præmia, quę non finiuntur in morte corporali, sed tũc incipiunt, cũ finire videtur homo vitam istam. Vnde & hoc attendens Apost. 2. ad Cor. 4. dicit Quod in præsenti est momẽtaneũ & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur. Et ca. 5. Scimus quòd si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus domum nõ manufactã, sed æternam in cęlis. Vnde & Dominus vt moneret homines efficaciter ad virtutum opera, duos fines uirtutum ponit; quorum

Hilar. G

2. Cor. 4. K

Eodem 5.

vnus habetur in præsenti, vt ex perceptione præsentium munerum certa sit expectatio futurorum, cum operibus virtutum præponit [*Beati*] & alium ponit consequendum in futuro, cum dicit. [*Ipsorum est regnum cœlorum, vel terram possidebunt &c.*] posita in alijs beatitudinibus, vt magis videbitur infra.

SVMMARIVM.

Quòd si istæ beatitudines, quæ hic a Domino ponuntur sint actus imperati a charitate mota, & inclinata per dona Spiritus sancti, istæ beatitudines in præsenti sunt excellentiores actus quàm sint actus, in quibus philosophi ponebãt beatitudinem speculatiuam, vel practicam, tũ ratione charitatis a qua imperantur, tũ ratione donorum Spiritus sancti, tum ratione certę spei futuræ beatitudinis consequendæ.

ET vt prædicta magis perfectè videantur, est intelligẽdum, quòd diuersitas videtur esse inter Doctores, quid importetur nomine beatitudinum hîc positarũ. Nã aliquibus videtur, quòd per beatitudines intelligantur opera uirtutum pro ut anima mouetur ad illa exercenda per inclinationes, quas in ea fecerunt Spiritus sancti dona. Dicunt enim, quòd virtutes sunt habitus immanentes; dona vero sunt quædam inclinationes, siue motiones Spiritus sancti, quibus mouetur, & agitur anima ad virtutum opera perficienda propter Deum. Vnde & Apos. ad Ro. 8. dicit. Quicunque Spiritu Dei aguntur ij filij Dei sunt; sed beatitudines dicuntur opera ipsa procedentia à perfecto habitu virtutũ inclinato, & moto dono Spiritus sancti; sed fructus dicuntur delectationes spirituales, quæ sequũtur virtutũ opera, quemadmodum pulchritudo iuuẽtutem; & secundum istos manifestum est quòd beatitudines istæ sunt opera perfecta in vita præsenti facta ab anima perfecta habitu secundum virtutem, mota aliquo dono Spiritus sancti propter Deum, vel circa Deũ facta. Vnde viderẽtur istæ beatitudines esse tales actus, quales sunt illi, in quibus philosophi humanam beatitudinem posuerunt, videlicet quòd beatitudines istæ sunt perfectiores actus vt poteliciti per habitus virtutum theologicarum, quę virtutes sunt maiores virtutibus moralibus, vel intellectualibus positis a philosophis. Dona enim Spiritus sancti semper videntur supponere in anima charitatẽ, per quam Spiritus sanctus mẽtem inhabitat; charitas autem in non beatis præsuponit fidem, & spem, quæ in bea

XII

Rom. 8.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

tis euacuatur crescente charitate, & sic quia ab habitu charitatis talia opera, quæ dicuntur beatitudines eliciuntur, vel imperãtur: quæ charitas est excellentior inter omnes morales, vel intellectuales virtutes a philosophis positas; ideo opera, quę dicuntur beatitudines, perfectiora sunt operibus virtutũ moraliũ, vel intellectualiũ, quãtò enim virtus est superior quæ elicit, vel imperat aliquem actum, tãtò est actus nobilior. Et non solum beatitudines sunt nobiliores actus actibus, in quibus philosophi beatitudinem humanam posuerunt, ex parte habitus caritatis à quo eliciuntur, vel imperantur; sed etiam ex parte inclinatiui, vel motiui ad actum, quæ sunt dona Spiritus sancti; Quantò enim motui naturali alicuius rei motiuum excellentius additur tãtò velocior, & perfectior efficitur ille motus. Et quia charitas inclinat ad opera virtutum propter Deum faciẽda, si ei addantur dona Spiritus sancti, quæ sunt quędam inclinationes ad opera virtutum faciẽda propter Deum, perfectiora opera eliciũtur. Opera vero virtutum, in quibus humana felicitas secũdum philosophos consistit, solum eliciuntur, vel imperantur ab habitu scilicet virtutum naturaliter acquisito, non habente aliam motionem à superiori; & ideo iste beatitudines tã ex parte habitus supernaturalis, tam ex parte motionis Spiritus sancti inclinãtis, & mouẽtis ad ipsas, sunt perfectiora opera vel actus, quàm opus vel actus ille, in quo philosophi humanam beatitudinem posuerunt. Vnde & de sapiẽtia, quæ est primũ donum Spiritus sancti dicitur Proue. 8. Melior est sapientia cunctis præciosis simis, & omne desidetabile ei non potest comparari, & Sap. 7. Venit in me Spiritus sapientiæ, & infra. Super salutem & speciem dilexi illam, & proposui pro luce haberi illam, quoniam inextinguibile est lumen illius, venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & infra. Neminem diligit Deus nisi eum qui cum sapientia inhabitat. Vnde & hæc sapientia luci, ideſt beatitudini philosophorum comparata inuenitur prior, illi enim succedit nox. Sic ergo, si beatitudines dicantur talia opera qualia dicta sunt, manifestum est, quòd sunt excellentiora opera illis, inquibus philosophi suam beatitudinẽ posuerũt, & vltra hoc includunt certam spem futuræ beatitudinis, quam nec occulus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quã prępararuit Deus diligẽtibus se; qua spe priuata beatitudo ficta, humana, frigida, tepida, & timorosa manebat.

Prouer. 8.

Sap. 7.

Ibidem.

Ibidem.

A

SVMMARIVM.

Quòd si beatitudinis istæ sint quidam habitus, quibus homines quasi Dij efficiuntur in vita præsenti, & operantur opera istorum habituum quasi Dij; istæ beatitudines, & actus ipsarum sunt excellentiores habitibus, & actibus, in quibus philosophi humanam beatitudinem posuerunt, & etiam delectatio consequens actus istarum beatitudinum, est multo maior, quàm delectatio sequens humanam felicitatem; quæ posita est per eos.

B

SEcundum verò alios beatitudines istæ sunt habitus, quibus homo diuina opera diuinè operatur, quasi si iam homo non esset, sed quasi quidã Deus, Vt enim dicunt, virtutes, dona, beatitudines, & fructus in hoc distinguuntur; quòd virtus dicitur habitus, quo quis exercet illius virtutis actum humano modo, sicut virtus fortitudinis dicitur actus, quo quis tolerat terribilia propter bonum virtutis, in qua sufficit non nimium contristari. Sed donum fortitudinis disponit animam ad tolerandum terribilia propter Deum cũ gaudio, quemadmodum dicebat Laurentius. Gaudeo planè quia hostia Christi efficiar merui: sed beatitudines disponunt hominem quasi ipsum extra se ponentes, vt modo diuino non solum toleret terribilia, nec solum gaudeat dum patitur ipsa, sed etiam affectet ea pati; & dum patitur quasi extra modum humanum gaudet & exultat, ita quòd gaudenter moritur, & patienter viuit, quemadmodum faciebat Andreas qui vidẽs sibi crucem paratam dicebat. O bona crux, quæ decorem, & pulchritudinem de membris Domini suscepisti, diu desiderata, sollicitè amata, sine intermissione quæsita, & aliquando iã concupiscenti animo præparata, securus & gaudẽs venio adte, ita vt & tu exultãs suscipias me, Discipulum eius qui pependit in te, quia amator tuus semper fui, & desideraui amplecti. Vnde talibus infra dicitur. [*Beati eritis cum maledixerint vobis homines, & persecuti fuerint, & dixerint omne malum aduersum uos mentientes propter me, gaudete & exultate quoniam merces uestra copiosa est in cœlis.*] Et secundum eos tales beatitudines habentes in scriptura Dii sunt vocati, iuxta illud Psal. Dij fortes terræ vehementer eleuati sunt, & ego dixi Dii estis, & filii excelsi omnes. Fructus autem dicuntur in vita præsenti quædam præguſtationes dulcedinis vitæ æternæ, & secundum hoc adhuc beatitudines istæ essent excellentiores habitus illis habitibus, ex quibus eliciuntur opera, in qui-

III

Laurent.

Andreas.

Psal. 81.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

bus secundum philosophos humana felicitas consistebat, quia illi habitus, vel erant sapientia, vel prudentia, qua cognoscebantur diuina, vel agebantur humana, non humano modo vel ad maius cognoscebantur diuina, & agebantur diuina modo super humano, qui modus apud eos heroicus poterat dici. Sed per istas beatitudines homo quasi Deus efficitur, & modo diuino operatur, & quasi consors diuinæ naturæ efficitur. Vnde 2. Pet. 1. dicitur. Omnia diuinæ virtutis suæ, quæ ad vitam, & pietatem donata sunt per cognitionem eius, qui vocauit nos in propria gloria, & virtute, per quem maxima, & præcioſa nobis promissa donauit, vt per hoc efficiamini diuinę consortes naturæ; & secundum hoc Christus vltra humanam beatitudinem, quam philosophi viderunt posse haberi in hac vita addidit has beatitudines, quas ipsi videre non poterant; quia nec virtutes a quibus eliciuntur, vel imperantur si istæ beatitudines sint operationes, cognouerunt, vel si beatitudines sint habitus, non cognouerunt ipsos, quia solum dantur a Deo gratis, & non per nostra opera acquiruntur. Charitas enim & cętera talia dona supernaturalia dantur a Deo per spiritum sanctum, & non fiunt in nobis per nostrum liberum arbitriũ, & vltra has beatitudines quæ haberi possunt in hac vita Dei dono promisit veram, perfectam, & perpetuam beatitudinem dare in futuro, ex quibus patere potest, quàm delectabiles sint huiusmodi operationes, quæ beatitudines dicuntur, siue opera, quæ à beatitudinibus eliciuntur; cum opera felicitatis humanæ sint delectabilissima pateat, & quãtum finis beatitudinis a Christo promissus, & datus sit superior, & appetibilior fine humano, quem philosophi posuerũt. Et quia iuxta proportionẽ finis ea, quæ sunt ad finem fieri debent, ideo non est mirum si excellentiora præcepta sunt data a Christo de operibus virtutum pro talibus duobus finibus consequendis, tam in præsenti vita, quàm in futura quorum inferior est incomparabiliter excellentior humano fine posito ab ijs, vt dictum est, quoniam a philosophis data fuerunt pro humano fine consequendo.

2. Pet. 1.

F

G

H

I

K

SVMMARIVM.

Quòd istæ beatitudines sunt mediæ inter dona Spiritus sancti, quæ impetrantur per septem petitiones orationis dominicæ; sed vnum donum, & vna petitio magis conuenit vni beatitudini quàm alijs.

EST etiam intelligẽdum secundũ Aug. in 2. lib. de ser. do. in mõte, quòd istæ beatitudines quasi sunt in medio constitutæ inter septem dona Spiritus Sancti, & septẽ petitiones, quæ positæ sunt in oratione dominica, vt ostẽdatur, ꝙ istę beatitudines haberi non possunt sine Spiritus Sancti dono; qui Spiritus Sãctus impetratur per orationẽ. Vnde & orãtibus Discipulis Spiritus Sanctus datus est. Act. 3. Licet autẽ per quãlibet petitionẽ orationis Dominicæ impetretur Spiritus Sãctus dari, & dona eius, tamen appropriatè magis per vnã petitionẽ, quàm per aliam distinctũ donũ Spiritus Sancti petitur; & eodẽ modo licet quodlibet donum posset conuenire cuiulibet beatitudini; tamen appropriatè magis vnum donum conuenit vni beatitudini, quàm alteri. Vnde vltima petitio posita in oratione, & vltimũ donum positum Isa. ij conueniunt primæ beatitudini quæ est. Beati pauperes Spiritu; donum enim timoris facit quòd homo sit pauper spiritu, quod impetratur cum postulatur, sed libera nos a malo: Pessimum enim malum est superbia, quæ omnis peccati initiũ est, a qua liberatur qui pauper spiritu est, quia talis de se alta non presumit, sed humilia de se sentit.

IIII Augusti.

Act. 3.

Isai. ii.

SVMMARIVM.

Quare Dominus inchoans dare præcepta nouæ legis, à beatitudine incepit dicens. Beati] *quia per amorem volebat sua præcepta impleri.*

V.

CONUENIENTER autem legem nouam inchoans à beatitudine incæpit dicens [*Beati*] Cum enim beatitudo sit res naturaliter desiderata, & amata, quæ non potest non amari; sicut miseria non potest non odiri: ideo lex amoris ab illo sumere principium debeat, quòd non potest non amari. Vnde quemadmodum in prolatione veteris legis, incæptum est a terrore, quia in seruitutem populos generabat; ita & lex noua inchoata est ab amore, quia filios liberos generare debebat, propter quod in veteri lege dato primo præcepto pœnæ apponuntur, dicente Domino. Non adorabis nequę coles deos alienos. Ego sum Dominus Deus tuus fortis, Zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderũt me. Exo. 20. Sed in nouo testamento præmium pręponitur præcepto; quia filijs loquens persuadebat bona agere, vt hæreditatem consequerẽtur paternam, ex amore obseruan

Exo. 20.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

tes præcepta paterna, vt vere filios se ostẽderent. Vnde & hîc dicit Glo. In monte nouum testamentum in cordibus filiorũ scribit, incipiens a beatitudine, qui in monte Sinai vetus testamentum seruis dedit incipiens a terrore. Vel etiam ideo a beatitudine incipit, vt ostẽdat quòd nihil sic mouet ad opera virtutũ, sicut beatitudo ipsa; cum beatitudo sit vltimus finis omnium bonarum actionum: Vltimus autem finis est propter quem omnia sunt, & fiunt; & ipse nõ est propter quod cunquæ aliud. Vnde sciens quòd promissio vltimi finis facit quòd ardenter bonũ opus fiat: ideo prẽmium vltimum promittens multum mouet ad peragendum bona opera.

Glos.

SVMMARIVM.

Distinguitur de paupertate rerum extrinsecarũ, vt ostendatur quòd paupertas spiritus hic a Domino beatificetur; quia est paupertas rerum extrinsecarum cum cupiditate habendi eas; & paupertas cupiditatis cum rerum abũdantia; & paupertas rerum, & cupiditatis, quæ sola beneficialis est.

VI

DIcit ergo [*Beati pauperes spiritu.*] Hæc autem paupertas multipliciter intelligi potest; Primò quòd dicantur pauperes spiritus, qui voluntariè pauperes sunt; idest quos voluntas pauperes facit, non necessitas. Multi enim sunt pauperes rebus, qui non sunt pauperes voluntate; quos paupertas nõ facit beatos, sed premit. Circa quod intelligendum est, quòd aliqui sunt pauperes rebus extrinsecis, & non voluntate: Quia vellent habere multa, vel omnia, quæ aliorum sunt: propter quòd & si pauperes sint rebus, diuites tamen sunt cupiditate; ex qua prouenit, quòd omnem modum lucrandi, & habendi res exteriores acceptant; nec verentur, quod aliquis modus habendi diuitias sit laboriosus, inhonestus, vel impius, dummodo per illum modum diuitias habere possint, quãuis per illum efficiantur raptores, adulteri, homicidæ; nec aliquod genus peccati est, in quod non se præcipitent, dummodo diuitias acquirere possint: qualis fuit Iudas, qui cupiditate pecuniæ ductus, Dominum Iudæis vendidit, & suum magistrum tradidit. Aliqui etiam eorum sunt, qui licet de iniusto diuitias acquirere nolint timore mundi magis, quàm amore Dei, attamen nullus labor, nullum periculum, nullum ministerium reputant sibi fore magnum, vel inhonestum; dũmodo diuitias quas concupiscunt, habere, vel acquirere possint; & *isti pauperes spiritu* nõ sunt, quia voluntas eorum non afficitur ad paupertatem habendam, sed ad periculum fugiẽdam. Vnde de talibus pauperibus loquẽs Basil. *super Lucam* dicit. *Plures sunt pauperes in substantia, auarissimi verò secundum affectum, quos non saluat paupertas, sed affectus damnat: nihil enim inuoluntariorum beatificabile est, eo quòd omnis virtus libero designatur arbitrio.* Et prou. ij. de talibus pauperibus dicitur *Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt; Alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt. Alij vero sunt pauperes voluntate, non rebus; quia & si magnas diuitias possident, tamen cor suum in diuitijs nõ ponunt, facientes iuxta illud psal. Diuitiæ se affluant nolite cor apponere;* & tales magis, quantum ad se diuitias habere nollent, sed propter suorum sustentationem, vel pauperum alimẽta; vel quia alienæ sunt, & cura & regimine conseruanda rum diuitiarum alienarũ eis imponitur; vel propter aliquas alias causas honestas tolerant habere diuitias, non affectant: & sunt dispensatores diuitiarum vt domini, non earum custodes, vt serui; Qualis pauper fuit Abraham, qui diues erat in possessione auri, & argenti, in cuius sinu pauper Lazarus ab Angelis portatus est: in tantum enim diuitias non amabat, quòd quando ei fuit præceptum à Domino, quòd filium, cui diuitias conseruabat sibi immolaret, non est cunctatus hoc facere; sed libens voluit filium Domino immolare. Sed tamen, nisi sint multum perfecti tales pauperes, periculosè viuunt in diuitijs; quia difficile est habentem diuitias non eas diligere inordinatè, nõ propter eas superbire, non ex eis non superfluè viuere. Vnde Dominus infra 19. dicit quòd diues difficilè intrabit in regnum cælorum. Quod exponens Hilar. super Matth. dicit. *Habere diuitias crimen non est, sed modus in habendo retinendus est:* & vt dicit Rabanus. *Tutius est non habere diuitias, nec amare, quàm habere & non amare: diuitiæ enim habitæ difficilè contemnuntur; periculosa enim cura est,* vt dicit Hilar. *ditescere, & graue onus innocenter subit in conseruatione opum occupata. Re m enim seculi famulatus Dei non sine seculi vitijs assequitur.* Qua prõpter, & licet possit esse in perfectis quòd habeant diuitias, & nõ sint affecti ad eas, & tractent eas, & vitij diuitiarũ non polluantur; tamẽ quia hoc multum difficile est hominibus imperfectis magis conuenienter expedit non habere

Basil.

Prou. 11.

Psal. 61.

Matth. 19.

Hilar.

Raban.

Hilar.

bere diuitias, nec earum affectum, quàm habere eas sine earum affectu, propter quod & Apostoli ad perfectionem tendẽtes omnia dimiserunt: qui tamen postea, vel eorum successores, ecclesiasticas diuitias habuerunt, non vt proprias, sed vt communes; vt minus essent affecti ad eas, propria enim plus diliguntur, quàm cõmunia, & qui non habet nisi propter se, & alios sustentandos, non curat eas habere, nisi tot quot sufficiunt ad sui, & aliorum sustentationem, vel in præsenti necesitate, vel pro futura verisimiliter imminente. Alij verò sunt pauperes voluntate, & rebus exterioribus; quia nec res habent exteriores, nec habere volunt, nisi quantum sufficiunt ad necesitatem vitæ quotidianæ, quam trausigunt, vel labore manuum, vel prædicatione euangelii, vel mendicitate, quibus tenuis victus, & vilis vestitus sufficit ad corporalis infirmitatis sustentationem; qui dicere possunt cum Petro. Ecce nos reliquimus omnia, & actu, & affectu; & cum Paulo. Tam quam nihil habentes, & omnia possidentes. Et hi sunt viri perfecti, vel ad perfectionem tendentes; quibus non sufficit, quòd se a malo custodiant, nisi & malorũ occasiones vitent; de quibus Ber. in homilia dixit. Simon Petrus ad Iesum, ait. Omnia reliquerunt, omnia sanè dixerim, non tantum possesiones, sed etiam cupiditates, & eas maximè. Plus enim mundi concupiscentia, quàm substantia nocet: & hæc fugiendarum causa diuitiarũ præcipua est; quòd aut vix, aut nunquam sine amore valeant possideri; linosa siquidẽ, & glutinosa nimis non modo exterior, verum etiam interior substantia nostra videtur, & facilè cor humanum omnibus quæ frequentat adheret; & infra eodem Nimirum longè aliud est in luto aquarũ multarum diuisi fundo maris iter carpere, terrena licitè possidendo, aliud ipsum quoq; nouis gressibus vndam calcare, omnia relinquendo; Neque id dicimus tamquam saluari quis vel hoc tempore nequeat, nisi secus egerit, sed vt gradum agnoscat proprium, & locum perfectionis, aut discipulatus officium non vsurpet; habent enim euangelia, & perfectionis consilium, & remedium infirmitatis Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra. Hæc perfectio est, siquidem filius hominis vbi caput inclinaret non habebat. Petro & Ioanni nec argentum, nec aurum erat; Paulus victu simplici, & vesti tu contentus, hæc ipsa labore manuum acquirebat, & Hier. in epistola contra Vigilantium dicit; Quòd asseris melius eos facere qui vtuntur rebus suis, & paulatim fructus possesionum suarum pauperibus diuident, quàm illos: qui possessionibus venundatis simul omnia largiuntur, non à me eis, sed a Domino respondebitur tibi: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quę possides, & veni sequere me. Ad eũ loquitur, qui vult esse perfectus, qui cum Apostolis patrem, nauiculã, & rete dimittit, iste quẽ tu laudas, secũdus, & tertius gradus est, quem & nos recipimus, dummodo sciamus prima secundis, & tertijs præferenda.

Matt. 19.

2. Cor. 6.

Ber.

Idem.

Matth. 6.

Hiero.

F

G

H

I

K

SVMMARIVM.

Distinguitur de voluntaria paupertate, quia quę dam est solum professione, & non affectione; quædam vero est etiam affectione, sic tamen quòd paupertatis incommoda non sentiantur, & si contingant talia incommoda euenire, impatienter tollerantur; quædam vero est affectione, & voluntate, & incommodorum paupertatis patienti toleratione, non tamen propter Deum, sed propter seculi vanitatem, vel sapientiæ humanæ studium, quædam etiam est & voluntate, & cum gaudio incommodorum paupertatis acceptatione propter Deum, & hæc sola vltima beatificatur a Domino.

VII

Isti autem pauperes in multiplici differentia sunt, quia quidam sunt qui licet professione se pauperes dicant, tamẽ actu se nolle esse pauperes ostendunt, dũ omnia faciunt, quæ possunt, vt aliorum diuitias habeant; adulando diuitibus, negocijs secularibus se ingerendo, & magis seculariter, & lautè viuendo, quàm ante paupertatis professionem vixissent, vel viuere potuissent, de quibus loquens Hiero. in epistola ad Nepotianum dicit Nonnulli sunt ditiores monachi, quàm fuerant seculares; & clerici, qui possidẽt opes sub Christo paupere, quas sub locuplete, & fallace diabolo non habuerant; vt susciperet eos ecclesia diuites, quos tenuit mundus ante mendicos; Negotiatorem clericum, & ex inope diuitem, & ex ignobili glorioum, quasi quandam pestem fuge; & infra. Natus in paupere domo, & in tugurio rusticano, qui vix milio, & cibario pane rugientem satiare vẽtrem poteram, nunc similam, & mella fastidio. Noui & genera, & nomina piscĩu in quo littore cõcha lecta sit; calleo saporibus auiũ, discerno prouincias, & cibaria præciosa. Audeo præterea in senes, & anus absq; filijs quorundam turpe seruitium. Ipsi apponunt mapulam, obsident

Hiero.

Ibidem.

lectum

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

lectum,& prurulẽtia ſtomachi,& flegmata pulmonis manu propria ſuſcipiunt, vt eorum diuitias ſibi appropriare poſſint. Et in Epiſtola ad Ruſticum monachum dicit idem. Vidi ego quoſdam; qui poſtquam renunciauere ſeculo,veſtimentis duntaxat, & vocis profeſsione, non rebus, nihil de priſtina conuerſatione mutaſſe,res familiaris magis aucta, quàm in minuta, eadem miniſteria ſeruulorum, idem apparatus conuiuij. In vitro & patella ficteli aurum comeditur,& inter turbas, & examina miniſtrorum nomen ſibi vendicant ſolitarij;& infra; Pudet dicere Sed neceſſe eſt vt ſaltem ſic ad veſtrũ erubeſcamus dedecus publicè extendentes manus;pannis aurum tegimus, & contra omnium opinionem plenis ſacculis morimur diuites, & quaſi pauperes viximus; & tales pauperes profeſsione,non rebus, non ſunt illi de quibus hîc Dominus loquitur, cum magis ſint vocis præuaricatores,quã paupertatis ſectatores;& ideo profitentur paupertatem, & ſub tali ſimulatione diuitias,quas affectant, conquirere poſsint. Alij ſunt quidem pauperes non ſolum rebus, ſed & voluntate nihil volentes habere; ſed tamen defectus qui contingunt ex carentia rerum temporaljum,vel impatiẽter omnino tolerant, vel parum patientię in tali defectu habẽt: & tales pauperes eſſe volunt, ſic tamen, quòd nihil eis deſit; & hi non diligunt paupertatem,ſed tolerant, quaſi inuiti. Et quia virtutis actus debet eſſe voluntarius & delectabilis, maximè talis actus qui dicitur beatitudo, ideo tales pauperes nõ propriè poſſunt dici beati;de quibus Ber.4. ſer. de aduen. loquens dicit. Videmus aliquos pauperes, qui ſi veram haberent paupertatem,non adeò puſsillanimes inuenirentur,& triſtes, vtpote reges & reges cæli; Sed hi ſunt qui pauperes eſſe volunt, eo tamen pacto vt nihil eis deſit, & ſic diligunt paupertatem, vt nullam inopiam patiantur; Et tales ſi nõ affectant diuitias, hoc ſolum propter id faciunt,ne ſollicitudinibus,curis,& laboribus diuitiarum congregandarum,conſeruandarum, & augendarum non vexentur; volunt enim commoda vitiarum habere ſine earum incommodo: Vſus enim diuitiarum eſt ſola vtilitas earum;ſed ſollicitudo congregandi, timor perdendi, deſiderium ampliandi, ſunt diuitiarum incommoda.Et quia iſti pauperes eſſe volunt,ſic tameu quòd nihil eis deſit; volũt habere commodum diuitiarum ſine incommodis earum; quod quia difficile eſt niſi multæ diuitiæ in communi habeantur,ex quibus ſingulis prouideatur; & licet non prout vellent, tamen prout neceſſe eſt; ideo tales qui ſic pauperes eſſe volunt, in monaſterijs multum abundantibus conſtitui volunt, in quibus vix patiẽter poſſunt tolerare quòd aliqua indigentia eueniat; & pro vt in pluribus, magis ſunt impatientes,ſi eis non prouideatur, vt volunt;quàm ſi proprias diuitias haberent, Vnde & Ber. in apologetico dicit. Miror etenim vnde inter monachos tanta intemperantia in comeſtationibus, & potationibus, in veſtimentis, & lectiſtermijs;& equitaturis,& conſtruendis edificijs inoleſcere potuit; quatenus vero vbi, hæc ſtudioſius, voluptuoſius, atque effuſius fiunt, ibi ordo melius teneri dicatur, ibi maior putatur religio;Ecce enim parcitas putatur auaritia,ſobrietas auſteritas creditur,ſilentium triſtitia reputatur.E contra remiſsio diſcretio dicitur; effuſio liberalitas, loquacitas affabilitas, cachinatio iucunditas, mollities veſtimẽtorum & equorum faſtus honeſtas,lectorum ſuperfluus cultus munditia. Hæc abuſio iam ferè vbiquè per ordinem tenetur, quotiens aliqua horum prout ratio dictat reſtringere, vel imitari incipiuntur;mox quaſi omnes tota auctoritate reſiſtũt, quaſi in principio cum ordo cepit monaſticus ad tãtam crederet monachos inertiam deuenire; tamen & iſti pauperes ſi patienter licet non alacriter tolerent paupertatis incommoda; & ſi non poſsint dici beati, talis patientia eos diſponit ad vitam æternam conſequendam, ſi tolerent paupertatis incommoda propter Deum,ſecundum votum quod emiſerũt;& diſponit etiam eos ad hoc, quòd aliquando paupertatis incommoda iucundè accipiant. Alij vero ſunt pauperes & affectu, & rebus, qui nec habent diuitias,nec habere volunt; & omnia incommoda paupertatis cum gaudio, & oblectamento ſuſcipiunt,immo & amplectuntur.Sed hi in duplici differentia ſunt;primò aliqui amplectuntur paupertatem vt liberius vacent humanæ ſapientiæ, & abundent in ſenſu ſuo, vt ab hominibus gloriofi eſtimentur; quales fuerunt Philoſophi Socrates,& Diogenes, qui diuitias magnas habentes propter amorem ſapiẽtiæ mundanæ eas a ſe penitus abiecerunt; & hi quia non propter Deum, nec a Deo moti diuitias contempſerũt, ſed propter humanam gloriam hoc fecerunt, non fuerunt pauperes ſpiritu, ideſt facti pauperes a Spiritu Sancto;uel non fuerunt pauperes ſpiritu, quia altum ſpiritum, ideſt ſuperbam uoluntatem habuerunt, pro-

Idem

Idem

Idem.

Idem.

pter

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

pter quod, nec beati, immo miseri fuerunt, quia & bona huius seculi perdiderunt, & cælorum regnum non consecuti sunt. De quibus Ber. 1. sermone de omnibus sanctis dicit. Non omnis paupertas voluntaria laudem habet apud Deum; nam & Philosophi sua omnia reliquisse leguntur, vt expediti mundialibus curis studio vanitatis possent vacare liberius, & nolebant abundare censu terreno, vt abūdarent magis in suo sensu; hos discernit quod dictum est spiritu ideſt spirituali voluntate. Secūdo alij sunt pauperes & rebus, & affectu in paupertate gaudentes, deferentes quæ habebant, & non affectantes aliquid habere propter Deum; vt liberius à mundi curis expediti, Deo vacare possint; isti vero hîc beati dicuntur; de quibus Ber. in prædicto ser. dicit. Beati pauperes spiritu, scilicet spirituali intentione, desiderio spirituali, propter solum beneplacitum Dei, & animarum salutem: & de quibus dicitur in Psal. Pauperes eius saturabo panibus; & Isa. 29. Pauperes homines in sancto Israel exultabunt; & Iacobi 2. Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni quod repromisit Deus diligentibus se. Alij verò nec sunt pauperes rebus, nec affectu, vt diuites auari, qui licet multa possideant, tamen semper plura affectant; & hi non solum non sunt beati, immo vere miseri. Vnde & Dominus cum beatificasset pauperes Luc. 6. miseros dicit diuites, qui hîc habebant consolationem suam; de quibus etiam dicitur Iaco. 5. Agite nunc diuites, plorate vlulātes in miserijs vestris, quæ aduenient vobis; Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt: & uestimenta vestra à tineis comesta sunt. Ex quibus omnibus patet, quòd illi verè propriè beati pauperes spiritu dicuntur, qui voluntariè sunt pauperes & rebus, & affectu, nihil habentes, & de hoc quòd nihil habent gaudentes, propter Deum & suarum animarum salutē paupertatem amantes.

Idem. Idem. Psal. 131. Isa. 29. Iaco. 2. Luc. 6. Iaco. 5.

SVMMARIVM.

Quòd voluntariæ paupertati rerum, & affectionis propter Deum regnum cælorum debetur, & etiam tales qui regnum cælorum consecuturi sunt, discernent, & iudicabūt; & aliquos etiam ad dictum regnum suis meritis, & præcibus introducent, qui aliter non intrarent in illud, propter quod dicitur. Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum cælorū.

QVibus benè regnum cælorum promittitur; dignum est enim, vt qui propter Deum nihil habere voluerunt, & esse abiecti inter homines, in cælo sint reges: & qui præsentem consolationem respuerunt propter Deum, in regno cælorū consolentur, & inebrientur ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis eius potentur; dicente Ambr. super Luc. lib. 5. cap. 6. Qui contempsit secularia, ipse merebitur sempiterna; nec potest quisquam meritum regni cælestis adipisci, qui mundi cupiditate pressus emergendi non habet facultatem. Benè autē dicitur, quòd pauperum spiritu est regnum cælorum, & propria ipsorum est hereditas. Iaco. 2. Elegit Deus pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni quod repromisit Deus diligentibus se. Ipsorum etiam est regnum cælorum, quia eis data est iudicaria potestas iudicandi, qui sint digni regno cælorum, & qui non. Vnde & Dominus infra 19. respondit Petro, qui dixerat. Ecce nos reliquimus omnia & sequuti sumus te, quid ergo erit nobis? Amen, inquit, dico vobis, quòd vos qui secuti estis me, in regeneratione cū sederit filius hominis in sede maiestatis suæ sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Quod exponens Ber. in homelia dixit Simon Petrus ad Iesum, inquit. Quis secularis honor excogitari potest, qui non prorsus in tantæ sublimitatis comparatione vilescat? Non vnius siquidem ciuitatis, aut populi, seu regionis vnius, sed vniuersitatis iudices habent præsidere cū Christo: nec non solum homines, sed & ipsos Angelos iudicabunt, qui apparentē ad modicum vaporem præsentis gloriæ; dedignantes, & exsufflantes, improperiū Christi vniuersis præferunt titulis dignitatum. Hæc est enim perfectorum gloria singularis inter ipsos & eminere fidelibus, & cæteris quoquæ saluandis præminere auctoritate iudiciariæ potestatis. Vnde & Iob. 36. dicitur. Iudiciū pauperibus tribuit. Quod exponens Gregorius 26. lib. moral. cap. 20. dicit. Iudicium pauperibus tribuit; quia quantò in hoc mundo magna humilitate despecti sunt, tantò tunc acceptis sedibus maiore culmine potestatis excrescunt, quibus voce dominica dicitur. Vos qui reliquistis omnia & sequuti estis me &c. Eorum etiam regnum cælorum dicitur, quia non solum in illo erunt, sed & alios suis meritis in ipsum introducent, qui proprijs meritis saluari digni non essent; iuxta illud Luc. 16. Facite uobis amicos de mammona ini-

Iaco. 2. Ambr. Matth. 19. Ber. Iob. 36. Greg. 20 Luc. 16.

quita-

quitatis, vt cum defeceritis recipiãt vos in æterna tabernacula. Quod exponens
Aug. 21. Auguſt. 21. de ciuitate Dei, cap. 28. dicit. Illi, autem qui recipiuntur à talibus in æterna tabernacula perfectis, fatendum eſt, quòd non ſiut his moribus præditi, vt eis libetandis ſiue ſuffragio ſanctorũ ſua poſsit vita ſufficere. Et infra. Eſt itaque quidam vitę modus nec tam malę, vt his, qui eam viuunt nihil proſit ad capeſcendum regnum cœlorum largitas eiemoſinarum; quibus etiam iuſtorum ſuſtentatur inopia; & fiunt amici, qui in tabernacula æterna ſuſcipiant, nec tàm bonæ, vt ad tantam beatitudinem adipiſcendam eis ipſa eorum vita ſufficiat, niſi eorum meritis, quos amicos fecerint miſericordiam conſequantur. Quia ergo regnum cœlorum hæreditas pauperum eſt; & ipſi diſcernent, qui in illud habebunt introire, & quoſdã amicos ſuos in illud poſſunt introducere, ideo rectè dicitur eorum eſſe regnum cœlorum. Vnde & Bern. 4. ſer.
Ber. de aduen. dicit. Magna quædam penna eſt
Idem. paupertas, qua tum cito velatur in regnũ cœlorum; quod paupertati non tam promittitur quàm datur. Et primo ſer. de omnibus ſanctis dicit idem. Pauperibus, & martyribus pariter regnum cœlorum promittitur, quia paupertate emitur; ſed in paſsione pro Chriſto abſque omni dilatione percipitur. Sic ergo primò modo exponitur hæc beatitudo de voluntaria paupertate propter Deum, & ſuæ animæ ſalutẽ gaudenter acceptata; ſiue propria, quæ quis habebat dimiſit, ſiue nihil habẽs affectum habendi propter Chriſtum pariter dimittit.

SVMMARIVM.

Quòd accipiendo pauperes ſpiritu pro humilibus, qui parum de uento ſuperbiæ habent, hæc beatitudo exponitur. [Beati pauperes ſpiritu] ideſt beati humiles humilia de ſe ſentientes.

IX SEcundò poteſt exponi paupertas ſpiritus pro ipſa humilitate, quam non neceſsitas in homine facit, ſed voluntas. Eſt enim, qui nequiter ſe humiliat, & interiora eius plena ſunt dolo. Eſt qui ſe ex corde propter Deum ſe humiliat, de ſe
Pſal. 130. humilia ſentiens, iuxta illud Pſal. Domine non eſt exaltatum cor meum neque elati ſunt oculi mei, neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus ſuper me; ſed de me humilia ſentiebã. Circa quod attendendum, quòd cum paupertas non ſit niſi quidam defectus exterioris ſubſtantiæ; quia pauper dicitur parum habens, ex hoc paupertas translata eſt ad parum habentem de faſtu, vel ſuperbia; vnde humilis, pauper ſpiritu dicitur; Spiritus enim in ſcriptura quandoquè pro vento accipitur; vnde & in Pſal. dicitur. Pſal. 148.
Spiritus procellarum. Et quia ſuperbi, inflati, & ventoſi dicuntur, quia multum habent de vento ſuperbię, quo inflantur; ideo ècontra, qui nullam ſuperbiam habent, humiles ſpiritu dicuntur. Vnde Au
Auguſt. guſt. 1. de ſerm. do. in mon. cap. 2. dicit. Vulgo etiam magnos ſpiritus ſuperbi habere dicuntur, & rectè; quandoquidem ſpiritus etiam ventus vocatur; vnde ſcriptum eſt. Ignis grando, nix, glacies, ſpiritus tempeſtatis. Quis ergo neſciat ſuper
Pſal. 148. bos inflatos dici tamquam vento diſtentos? Quapropter rectè hîc intelliguntur pauperes ſpiritu humiles, & timentes Deum, ideſt non habentes inflatum ſpiritum.

SVMMARIVM.

Diſtinguitur de humilitate pœnalia, quæ quandoque eſt boni occaſio, quandoque non, & De culpabili, & de doloſa, & iſtæ ſunt malæ humilitates ex ſe, licet occaſionaliter prima poſſit eſſe materia boni.

X CIrca quod attendẽdum eſt, quòd humilitas multiplex inuenitur, ẽ enim quædam pœnalis, quãdo ſcilicet quis violenter ab alio humiliatur; & talis humilitas ſi acceptetur à voluntate, principiũ eſt correctionis a peccato, propter quod corrigendum inflicta fuerat. Si vero impatienter toleretur, & eam voluntas humiliati deteſtetur, maxima pœna eſt: Voluntati enim de ſe alta præſumenti, pœna eſt maxima, quando inuita cogitur pati humilia, & abiecta. Vnde & in Pſal. dici
Pſal. 17. tur de iniquis; quòd Deus oculos ſuperborum humiliabit; & Deo dicitur. Hu-
Pſal. 88. miliaſti ſicut vulneratũ ſuperbum, & Iſa.
Iſa. 57. 57. dicitur de iniqua Babylonia. Humilia
Pſal. 89. ta es vſque ad inferos. Sed de humiliatione pœnali, quam voluntas acceptat, habetur in Pſal. Lętati ſumus pro diebus, quibus nos humiliaſti, annis quibus vidimus mala. Alia vero humilitas eſt culpabilis, quæ ex hoc contingit, quòd homo ſuam dignitatem non attendens, ſe ad conſentiẽdum iniquitatibus ſubijcit; nec ad aliquod magnum opus bonum eius mens erigit; ſed vilia, & abiecta peccata ex mẽtis deiectione nõ a ſe abijcit, vel repellit;
Eccl. 13. de qua humilitate dicitur Eccl. 13. Attende, ne ſeductus ĩ ſtultitia humilieris; No-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

li esse humilis in sapientia tua, ne humiliatus in stultitiam seducaris. Quod exponens Glo. dicit. Non virtutem humilitatis abhorret, sed auctoritatem firmam cõtra expugnatores veritatis docet tenere quibus fortiter resistẽdum est. Et Hiero. in epistola ad Eustochium dicit. Si sibi applaudere solent mulierculæ de iudicibus viris, & in aliqua positis dignitate; cur tu facis iniuriam viro tuo? ad hominis coniugem Dei sponsa quid properas? Discе in hac parte superbiam sanctam; scito te illis esse meliorem. Et ad Hierusalem, quę se omnibus peccatis subiecerat, dicitur Isa. 51. Qui te humiliauerunt dixerunt animæ tuæ: incuruare, vt transeamus: & posuisti vt terram corpus tuum, & quasi viam transeuntibus. Quod exponens Hieron. lib. 14. super Isa. dicit. Hoc animæ dicitur humiliatæ in vitijs, & ebrię perturbationibus; Et notandũ quòd non eam incuruauerunt, nec vim fecerũt; vt prius erecta inclinaretur in terram; sed proprio arbitrio dereliquerunt: illa autem voluntate sua posuit ceruices, vel dorsum, seu totum corpus suum in terram ijs, qui eam conculcauerunt; qui conculcatores aduersarias significant potestates. Vnde & in Euãgelio legimus quòd mulierem, quam incuruauerat Sathanas 18. annis. Dominus ad statum pristinum erexit, vt posset dicere. Leuaui oculos meos in montes; & ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis. Alia verò humilitas est subdola, quæ tunc fit, quando, vt alium quis decipiat, vel seducat, humilitatem fingit, quam in corde non habet; quia enim humiliatis misericordia exhibetur, ideo aliqui subdoli quando timẽt quòd à suis dominis pro peccatis cõdemnentur, humiles, & pœnitẽtes se fingunt, vt sic vindictæ seueritatẽ effugiant. Quandoque esse contingit, quòd quãdo vidẽt, quòd ille, quem pluries, vel multum offenderunt, venit ad statum, in quo eis retribuere potest, humiliantur coram eo, vt sic parcatur eis. Quandoque etiam contingit, quòd necessitatem habẽtes, vt aliquid recipere possint, valde se ei, à quo petunt humiliant; & omnes hi subdolè dicuntur se humiliare. Vnde & Eccl. 12. de inimico dicitur. Non credas inimico tuo in æternum, & si humiliatus vadat curuus adijce animum tuum, & custodi te ab illo. Et eodem lib. cap. 29. dicitur de illo, qui vult recipere ab alio mutuum, & tamen reddere non intendit. Donec accipiãt osculantur manus dantis, & in promissionibus suis humiliant vocẽ, & in tẽpore redditionis postulabit tempus, & loquetur verba tædij, & murmurationum, & tempus caussabitur. Et Bernar. in quadam epistola ad Eugenium loquens de quodã Episcopo dicit. Homo fallax venit ad vos, credo vt fallat, non uos moneat, hominis facies miseranda, vilis habitus, vultus supplex, demissa supercilia, verborum humilitas, sed nec ipsæ quidem lacrymulæ currentes (vt aiunt) ad nutum eius; hęc omnia in facie sunt. In his, atque similibus forma pietatis exiſtit; sed non semper est virtus; vestimenta ouium sunt hæc frequenter vsurpata à lupis in stragem maximam ouiũ, dum se non abscondunt ab eis. Sed aduertatis veraciter à sapiente dictum esse. Est qui nequiter se humiliat, & interiora eius plena sunt dolo. Vos ergo non attendatis ad verba eius, nec ad corporis gestus; opera interrogate, à fructibus eius cognoscetis eum.

Gloſ. — Hiero. — Isa. 51. — Hiero. — Psal. 120. — Eccl. 13. — Idem 29. — Bernar. — Eccl. 19.

SVMMARIVM.

Distinguitur triplex bona humilitas, scilicet pœnitentis pauca, vel parua bona facientis; & magna opera facientis in re externa; tamen parua apud facientem, & nihil sibi de bono, quod agit tribuente, sed totum Deo, à quo habet, quòd bonum velit, & faciat.

ALiæ verò humilitates sunt bonæ, quarum prima est de culpa commissa, propter quam dimittendam animus peccatoris se deijcit attẽdens Dei offensam, suum defectũ, & peccati vilitatẽ. De qua humilitate habetur 3. Reg. 21. Nonnè vidisti Acab humiliatum coram me? Quia ergo humiliatus est caussa mei, non inducam malum in diebus eius. Et in Psal. dicitur: Sacrificium Deo Spiritus contribulatus; cor cõtritum & humiliatum, Deus non despicies. Et Hiero. in epistola ad Sussannam de pœni. dicit. Pœnitẽtia agenda est non verbo sed facto; hęc autem sic agitur, si tibi ante oculos proponas Deum, quantam perdideris gloriam, & de quo libro vitæ nomen tuum deletum sit, & te iam positam credas prope ipsas tenebras exteriores, vbi erit fletus oculorum, & stridor dentium sine fine; nec aliud esse remedium cõstitutum agnoscas post vnicum baptisma, quàm pœnitentiæ solatiũ, quo facto, quantam uis afflictionem, quãtum vis laborem, & indecorem irę subire contẽde, dummodo ab æternalibus pœnis libereris; in primis omnis cura vitæ eius intermittenda est tibi, & quasi mortuam te existima, sicut es, quomodo possis reuiuiscere, cogita. Deinde lugubris tibi accipienda est vestis, & mens & membra

3. Reg. 21. — Psal. 50. — Hiero.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

singula digna castigatione punienda. Amputantur crines, qui per vanam pulchritudinem occasionē luxuriæ pręstiterunt; defluant oculis lacrymæ, qui masculum non simpliciter aspexerunt; Palescat facies, quæ quondam irrubuît impudice; totum denique corpus in cura, & ieiunijs maceretur, cinere sparso, & operto cilicio perhorrescat, quia malè sibi de pulchritudine placuit; cor verò sit liquens tamquam cera, ieiunijs sollicitans se ipsum, quare sit ab inimico submersum, sensus etiam crucietur, quia in membra corporis cum haberet dominationē, malum gessit imperium. Talis vita, talis actio, si fuerit perseuerans debet sperare, si non gloriam, certè pœnæ vacationem. Alia est humilitas, quæ contingit ex consideratione propriæ infirmitatis, & inclinationis ad malum, quam quis percipit in se ipso; & ex hoc quia videt, quòd sua opera bona sunt pauca, parua, & incontinuata; de qua humiliatione dicitur Iob 22. Qui humiliatus fuerit erit in gloria, & qui inclinauerit oculos suos ipse saluabitur; Et in Psal. Humiliatus sum vsquequaque Domine. & Eccl. 19. dicitur. Est mundus, qui se nimiū submittit à multa humilitate. Et Michęe 6. dicitur. Humiliatio tua in medio tui. Alia est humilitas, quę contingit ex hoc, dum quis magna agēs opera virtutum, & peccata respuens, non sibi hoc attribuit, sed Deo, sciens nihil à se boni habere, sed totum à Deo; & tales propriè dicuntur se humiliare, cum nihil habentes in se vnde hnmilientur, immo occasiones plurimas habētes, vnde superbire possint, humilia de se semper sentiunt; magna, quæ faciunt, parua æstimantes; & illamet non sibi, vel suis viribus, sed Deo tribuentes, dicentes illud Psal. Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriā. Qualiter se humiliauit Dauid, qui de se dixit, 2. Reg. 6. Ludam, & vilior fiam plus, quàm factus sum, & ero humilis in oculis meis. Et de Christo Domino loquēs Apost. ad Philip. 2. dicit. Qui in forma Dei existens non per rapinam æqualis Deo semetipsum exinaniuit formam serui accipiēs, humiliauit semet ipsum factus obediens vsque ad mortem. Ad quam humiliationem inuitans Apostolos Dominus dicit infra 11. Discite à me quia mitis sum, & humilis corde. Et 18. Qui se humiliauerit sicut paruulus iste, hic maior est in regno cœlorum.

Iob 22. Psal. 118. Eccl. 19. Miche. 6. Psal. 113. 2. Reg. 6. Philip. 2. Matt. 11. Matt. 18.

SVMMARIVM.

Quòd illi pauperes spiritu propriè hic beatificantur, qui magna bona opera agentes de se humilia sentiunt; & totum, quod boni agunt, diuinæ gratiæ attribuant, continuè adiutorium dictæ diuinæ gratiæ à Deo postulantes.

A

CVm ergo tot sine humilitatis species; scilicet pęnalis, culpabilis, subdola, pœnitentis remissè agentis, & magna opera facientis, de se tamen humilia sentientis: quando Dominus hîc humiles beatificat, non est dubium, quòd non loquitur de humiliatis pęnaliter, culpabiliter, vel subdolè, quia illis humiliationibus non beatitudo, sed pœna debetur, vel sunt pęnę. Non dicitur etiam loqui de humilibus pęnitentibus, vel remissè agentibus, quia illi in se sufficientes causas habent vnde humilientur; & ita voluntas non est totalis causa humiliationis eorum; sed vel peccata commissa, vel opera remissa, vel parua: scd videtur loqui de illis qui se humiliant gratis, cum ipsi humilia, & parua non faciunt; sed magna opera, & excelsa. Quia tales in se causam humiliationis, nisi voluntatem suam Dei gratia adiutam, non habent; de quibus dicitur. Eccl. 3. Quantò magnus es, humilia te in omnibus; & corā Deo inuenies gratiam, quoniā magna potentia Dei solius, & ab hominibus honoratur. Vnde & Dominus non dicit simpliciter. Beati humiles, sed beati pauperes spiritu, idest humiles de se parua, cum sint magna, sentientes. Vnde Chrysost. ad hanc intentionem hanc beatitudinem exponens dicit. Beati pauperes spiritu, idest humiles, & contriti mente. Spiritum enim hîc animum, & electionē dicit. Quoniam enim sunt multi humiles nolentes à rerum necessitate coacti, relinquens illos; neque enim est hæc laus; eos, qui ex electione se ipsos humiliant, & comprimunt voluntatem, primos beatos appellat. Et infra. Multi sunt humilitatis modi, & hic quidem est humilis mediocriter, alter vero cumulatè. Hāc igitur humilitatē Prophęta ēt collaudat hāc quoque Christus beatam vocauit. Et in expositione dicit idē. Pauper spiritu est humilis corde, idest pauperem spiritum habens, qui non magna sapit de se: & infra. Si dixisset, beati humiles spiritu, nihil amplius significasset quàm humiles; nunc autē & humiles, & secūdum fidem humiles; & intelligētes vnde sit adiutorium hominis. Sunt enim multi naturaliter humiles spiritu, & non ex fide; hi tales non pulsant adiutorium Dei; qui autem secundum fidem humiles sunt, & intelligentes, dum nimis timent de se, adiutoriū Dei pulsare non cessant;

B C D E

XII

Eccl. 3. Chrysost. hom. 15. Idem ho. 5.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Psal.40. de quibus humilibus sub nomine pauperum dicitur in Psal. Beatus qui intelligit super egenũ, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus, Dominus cõseruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius. Est autem attẽdendum quòd in græco non dicitur Beati pauperes, sed beati mendici, vt Chrys. dicit. Pauper enim dicitur, etsi aliquid habet, tamen non sufficienter vnde sustentetur; Sed mendicus est pauper nihil habens, sed continuè petens ab alio necessaria vitæ suæ. Mendicus enim quasi manu dicens, vel petẽs sibi eleemosinam dari dicitur. Vnde ille pauper spiritu dicitur, qui de se nunquã præsumẽs semper Dei adiutorium quærit, ne in aliquo deficere possit. Vnde Chrysos. hîc dicit. Quare nõ manifestè dixit Beati humiles spiritu? & respondens subdit. Vt non solum humiles ostendat, sed etiam indigentes humiles, qui sic sunt humiles, vt semper adiutorium Dei sint mendicantes. Vnde in græco non dicit: Beati pauperes, sed beati mendici. Nam pauper est qui angustiã quidem habet; non autem tantam, vt mẽdicare cogatur; ergo ideo dicit, beati mendici spiritu, vt multum humiles ostendat.

Chrysost. hom. 9.

Idem ho. 9.

SVMMARIVM.

Quare talium pauperum spiritu, idest humilium propter Deum, dicitur esse regnum cælorum; & propter quid Dominus ab humilitate spiritus suæ legis initium fecit.

XIII COnuenienter autem talibus humilibus regnum cælorum promittitur, cum præmium humiliationis sit exaltatio, sicut & exaltationis humiliatio. Vnde & de Christo, qui in se caussam humiliationis non habebat, sed ob patris honorem, & nostram salutem se plurimum humiliauit, loquens Apos. ad Phil. 2. dicit. Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua cõfiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris. Vt Christus resurrectione clarificaretur, prius humiliatus est passione, humilitas claritatis est meritum, claritas humilitatis est præmium. Quid ergo, & quantum mereatur humilitas hic ostẽditur, vt magis hanc appetamus calcata

Philip. 2.

F iactantia. Si enim iusto iudicio superbiẽtes Angeli de cælo, in quo erant, dejecti sunt, iustum est, vt illi qui in terra se humiliant, se infra se dejcientes, quòd in cælum ascendant. Vnde & Ber. Primò sermo. de omnibus Sanctis dicit. Si tu dæmõ iurè humiliatus es pro eo quòd aduersum me exaltare te voluisti, nonne qui se humiliãt propter me meritò sunt exaltãdi? Et verè, fratres, si misserimus ille de cælo eiectus est, quoniam affectauit celsitudinem, altitudinem concupiuit, sublimitatem præsumpsit; nonnè consequens est beatos esse, qui sponte in paupertatis humilitatem se deponunt, vt iuxta Domini promissionem ipsorum sit regnum cælorum, quod perdidit ipse? Quod tale est, ac si apertius dicat. Vis obtinere cælum, quod perdidit superbiens Angelus confisus in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum? amplectere paupertatis, & humilitatis vilitatem, & tuũ erit.

G Et conuenienter Dominus beatitudines ab humilitate incæpit; quia omnium miseriarum naturæ rationalis, vel intellectualis principium, caussa, & origo, ac cõsumatio superbia fuit, est, & erit. Sicut enim qui vult morbum expellere ab ægroto, contraria morbo apponit infirmo; Sic qui miseriam expellere veniebat, contraria caussis miseriæ proponere a principio debebat. Vnde & Ber. in prædicto Ser. dicit. Attende quàm sapienter ordinauerit sapientia contra primum peccatum, quod fuit superbia, remedium primi peccati, quod est humilitas, opponens.

Bernar.

Idem.

H Vnde & de talibus pauperibus spiritu dicitur in Psal. Iuxta est Dominus ijs, qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit. Et Isa. 57. dicitur, quòd Dominus habitat cum contrito, & humili spiritu, vt viuificet spiritum humilium, & viuificet etiam cor contritorum. Et vt dicitur eodem li. 66. Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & cõtritum spiritu, & trementem sermones meos?

Psal. 33.

Isa. 57.

Idem.

I

SVMMARIVM.

K *Quod etiam humilitati spiritus, quæ causſatur in homine attendente deffectus suos spirituales, & inclinationem ad malum, hæc beatitudo conuenit dispositiuè, quia disponit homines ad pœnitentiam, per quam appropinquant ad regnum cælorum.*

XIIII POtest etiam hæc beatitudo exponi de paupertate spiritus, & de humiliatione, quam in homine causſat propriorum peccatorũ consideratio, infirmitatis pro-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

priæ meditatio; & timoris indignationis diuinæ trepidatio. Quod vt melius videa tur, considerandum est, quòd illi, qui in multitudine, & magnitudine peccatorũ suorum demersi sunt, dum ad sua facinora aciem mentis non conuertunt, diuites spiritu sunt, quia multum superbi sunt: iuxta illud Sap. 5. Omnes insipientes, & infelices supra modũ animę superbi sunt: sed cum ad se reuertuntur, & suos defectus considerant, quasi nullum spiritum habent, iuxta illud Psal. Quia persecutus est inimicus animam meam, humiliauit in terra vitam meam; ideo peto, vt velociter exaudias me Domine, quia defecit spiritus meus; & tunc pauperes spiritu sunt. Vnde & Bernar. ad hanc intentionem loquens de humiliatione pęnitentiš dicit in lib. de conuer. ad cleri. cap. 9. Dum anima peccatoris videt memoriam plenam spurcitiarum, videt ipsas fenestras mortis patulas claudi omnino nõ posse, & quòd adhuc prędes voluntas languida dominetur, ex cuius vlceribus sanies vniuersa profluxit. Videt denique anima sese contaminatam, nec per alium, sed per proprium corpus, nec aliunde, quàm à se ipsa, & inuenit in se quòd eius ratio est minus habens, cęca quodammodo quòd hactenus ista non viderit, infirma omnino, quòd re aguita quidem prævaluit temperare, & memoria fædissima pariter & fætidissima, & voluntas languida, & horrendis vlceribus vndique scaturiens inuenitur. At ne quid ex omnibus, quæ sunt hominis relinquatur, ipsum etiã corpus rebelle sit, nõ est mirũ si eius spiritus deficit in se ipsa. Propter quod pauper spiritu talis anima dici debet, quia nihil in se inuenit nisi cæcum, infirmum, fętidum, languidum vlcerosum, ac rebellans, & ad malum inclinatum. Quis enim est pauperior spiritu eo, qui in toto suo spiritu non inuenit vbi caput suum reclinet? Vnde hanc suam paupertatem spiritus attendebant illi, qui in Psal. clamabant. Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipẽt nos misericordiæ tuæ quia pauperes facti sumus nimis. Adiuua nos Deus salutaris noster. Licet autem se humiliantes ex consideratione suorũ peccatorum nondum beati sint, tamen principium, & origo remissionis peccatorũ est huiusmodi humiliatio, qua cõsequuntur remissionem peccatorum per pœnitentiam, & custodiuntur, ne in peccatis incidant, quibus digni efficiũtur cœlorũ Regno, dictũ enim est supra. Pęnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Vnde & Bernardus in prædicto libro, & cap. 10. dicit. Non miseria peccatoris, sed misericordia Dei facit beatum; sed huius propria sedes miseria est, aut certè facit beatum ipsa miseria, vt humiliatio in humilitatem transeat, necessitas in virtutem; vtilis prorsus infirmitas, quæ medici manum requirit, & salubriter à se deficit, quam perficit Deus. Vnde & in Psal. dicitur. Custodit paruulos Dominus, humiliatus sum & liberauit me.

Sap. 5.
Psal. 142.
Bernar.
Psal. 81.
Bernar.
Psal. 114.

SVMMARIVM.

Quòd accipiendo pauperes spiritu prò intellectu de se non præsumente, sed sensum Sacræ Scripturæ sequente, talium dicitur esse regnum cœlorum, idest sensuum Sacræ Scripturæ apprehensio.

XV

TErtiò exponi potest hæc beatitudo de humili intellectu, qui de se non præsumens primò credit, & illis assentit, quæ inuenit in scripturis diuinis suum sensum dimittens, & sensum scripturę sequens merito suæ humiliationis consequitur reuelationem secretorum diuinorum; quæ superbo intellectui occultãtur; iuxta illud Domini, infra 12. Confiteor tibi Domine Pater cęli, & terrę quoniam abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Per spiritum enim frequenter intellectus in scriptura intelligitur, iuxta illud Apost. 1. ad Cor. 2. Quę sunt hominis nemo scit, nisi spiritus hominis, qui in ipso est. Per spiritum etiam regnum cœlorũ, vt superius dicebatur intellectus scripturæ sacræ intelligitur. iuxta illud infra 21. Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum eius. Qui scripturæ intellectus sicut clauditur superbis intellectibus, ita aperitur humilibus. Vnde perinde est dicere secundum hanc expositionẽ. [*Beati pauperes spiritu*] ac si diceretur. Beati sunt illi, quorum intellectus sequitur humiliter sensum scripturæ sacrę, quoniã talium est regnum cælorum, idest talibus reuelantur mysteria diuinarum scripturarum. Ad quam intentionem hoc exponens Aug. 1. lib. de ser. do. in mõte dicit. Beati pauperes spiritu, idest non inflati, non superbi, de quibus dicitur; Noli altũ sapere; sed time. Qui enim piè quærit, honorat sanctam scripturam, & non repræhendit, quod nondũ intelligit, & propterea non resistit. Et Cyril. super Luc. dicit. Intelligimus esse pauperem spiritu habẽtem intellectum modestum, & quodam modo remissum.

Matt. 12.
1. Cor. 2.
Matt. 21.
Auguſt.
Cyril.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

SVMMARIVM.

Quòd si accipiatur paupertas spiritus pro peccatorum vacuitate, siue carentia, quia vel in eo deleta sunt, vel custoditus est ne peccaret, & de hoc non superbit, nec sibi attribuit, sed totum diuinæ gratiæ, exponitur hæc beatitudo.

XVI Quartò exponi potest hæc beatitudo de homine, in quo peccata grauia non sunt, vel remissa sunt, qui sibi hoc nõ attribuens, sed Deo, valde se humiliat Deo attendens suum defectum, si sibi dimitteretur, & Dei adiutorium, quo a peccatis ereptus est, vel custoditus est gratiosè, ideſt sine meritis suis. Iste enim pauper spiritu est; quia caret peccatis, quæ ex superbia oriuntur; initium enim omnis peccati superbia est, & de hoc quòd caret vitijs, non se extollit: nec sibi; Sed totum Deo tribuit; & quia liberatus est a peccatis, in quæ incidit, & quia custoditus est ne in alia incideret, sicut hanc beatitudinem exponit Ambr. li. 5. Super Luc. cap. 6. dicens. Beatus pauper, pauper à crimine, pauper a vitijs; pauper, in quo mundi princeps nihil inuenit; pauper illius æmulus pauperis, qui cum diues esset, propter nos pauper factus est; & tamen quia pauper est spiritu, non inflatur, non extollitur mente carnis suæ; qualis pauper fuit Martinus, de quo dicitur. Hic Martinus pauper, & modicus cælum diues ingreditur; qui non est confusus, cum locutus est inimicis suis in porta dicens. Quid hîc astas cruenta bestia? nihil in me funestum reperies, sed me Abrahæ sinus lætus suscipiet. Sic ergo beatitudo hęc intelligitur de paupertate rerum extrinsecarum voluntaria, de humilitate cordis propter Deum in homine facta, de humiliatione pœnitentis considerantis sua facinora, de modestia intellectus se in seruitutem redigẽtis in obsequium Christi, & de paupertate, quæ est carentia peccatorum.

Ambr.

SVMMARIVM.

Ponitur prima continuatio secundæ beatitudinis ad primam, & ostenditur quare post paupertatem sequatur mititia, siue mansuetudo; & ostenditur etiam quæ mititia sit bona, & quæ beata.

XVII *Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram.* Vbi ponitur secunda beatitudo, & potest continuari ad beatitudinem præcedentem. Primò secundum primam expositionem paupertatis; contingit enim quandoque, quòd illi, qui propter Deum propria dimiserunt, vel largiti sunt; postea quãdo eis necessaria vitæ desunt, vel ad votum nõ suppetunt, versi in impatiẽtiam pœnitent de bono, quod fecerunt, vel murmurant, vel vltra debitum contristantur; propter quæ frequenter amittũt meritum boni operis, quod prius fecerant. Vnde, ne hoc contingat post paupertatem spiritus, ponit mititiam, ne si defectus necessariorum ad vitam contingat pauperibus, non contristentur, irascãtur, murmurent, vel a bono incæpto resiliant: quoniam beati mites; & hoc modo continuat hanc beatitudinem Ber. 1. ser. de omnibus Sanctis dicens. Quoniam relinquentibus omnia prima solet esse tentatio de molestijs corporis, & afflictione carnis insolita, ideo cõmendata paupertate, oportebat etiã mãsuetudinẽ prędicare. Quid enim paupertas proderit, si (qꝑ absit) pauper in murmur deciderit factus exasperans, & impatiens disciplinę? Quo supposito, est intelligendum, quòd mititia vel mansuetudo est virtus, qua homo se bene habet in passione iræ, non declinans ad maius, vel minus; sed tenet medium in huiusmodi passione, vt irascatur quando oportet, vbi, & cui; & tantum quantum recta ratio dictat. Non enim est inirascibilitas mititia, sed ordinatio iræ debita est mansuetudo, vel mititia. Vnde & de Domino, qui mitis erat, & humilis corde, dicitur. Math. 3. Circumspiciens eos cum ira, contristatus est super cæcitatem cordis eorum. Idem etiam Dominus facto flagello de funiculis ementes, & vendentes eiecit de templo, quia zelus domus Dei comedit eum. Io. 20. Et de Moyse, de quo dicitur Num. 12. quòd erat mitissimus super omnes homines, qui habitabant super terram, dicitur eodem lib. 16. Iratus Moyses valde ait ad Dominũ. Ne despicias sacrificia eorum. Et Exo. 32. dicitur de eo, quòd, cũ vidit vitulũ, & choros, iratus est valde, & proiecit de manu tabulas, & confregit eas ad radices montis. Sic ergo mititia, vel mansuetudo non est non irasci, sed etiam secundum rectam rationem irasci. Vnde & Ambr. lib. 5. super Luc. Cap. 6. dicit. Mitiga affectum tuum, vt nõ irascaris, aut certè iratus ne peccaueris, iuxta quod scriptum est. Irascimini & nolite peccare. Præclarum enim est motum iræ temperare consilio, nec minoris virtutis dicitur cohibere iracundiam, indignationemque compescere, quàm omnino non irasci, cũ plerumque illud lentius hæc fortius astiPer.

Aust. Eth. lib. 4. cap. 5. & Psal. 44.

Matth. 3.

Io. 20.

Num. 12. Idem 16.

Exo. 32.

Psal. 4.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

metur. Sic ergo manſuetudo eſt virtus, qua paſsio iræ ſecundum rectam rationẽ cohibetur, vt homo non iraſcatur de iis, de quibus iraſci non debet: vel ſi iraſcatur cum iraſci debet, quòd temperatè iraſcatur ſecundum rectum iudicium rationis. Et quia pauperes contemni ſolent à diuitibus iuxta illud Iob. 12. Deridetur iuſti ſimplicitas, lampas contempta apud cogitationes diuitum, & Iaco. 2. Vos ex honoraſtis pauperẽ. Pauperes etiam frequenter propter neceſſariorum indigentiam iraſcuntur; vel contra ſe, quia quæ habebant dimiſerunt; vel contra proximum, quia non ſubuenit, cum poſsit, neceſsitati eorum; vel contra Deum, quia non ſupplet eorum defectum. Ideo benè admonentur, vt mites ſint; quia magnas occaſiones iracundiæ habent videntes ſe contemni ab impiis; videntes etiam impios ditari, & ſe continuè magna penuria, & egeſtate comprimi; & videntes Deum quaſi non curare de ipſis. Vnde tales non iraſci, vel temperatè iraſci propter contemptum ſuum, vel neceſſariorũ defectum maximæ virtutis indicium eſt. Sed cum non ſolum non iraſcuntur, ſed & gaudent de ſuo contemptu, & de tolerantia paſsionum accidentium pauperti, iam beati ſunt; veluti gaudebat Apoſtolus, cum dicebat, in labore, & erumna, in vigiliis multis, in fame, & ſiti, in ieiuniis multis, in frigore, & nuditate ſe gloriari. 2. Cor. 11. Vnde tales mites ſunt illi, de quibus dicit. Aug. 1. lib. de ſer. Do. in mon. Mites ſunt qui cedunt improbitatibus, & non reſiſtunt in malo, ſed vincunt in bono malum. De quibus etiam dicitur Iſa. 29. Addent mites in Domino lætitiam, & pauperes homines in ſancto Iſrael exultabunt.

Iob 12. Iaco. 2. 2. Cor. 11. Auguſt. Iſa. 29.

SVMMARIVM.

Quòd ex hoc, quòd pauperes rebus voluntarij à diuitibus contemnuntur, vel frequenter carent neceſsarijs ad vitam, non debent contriſtari, vel iraſci; & aſſignantur ſuper hoc aliquæ cauſſæ.

XVIII

BEnè autem tales mites videntes ſe cõtemni à malis hominibus, & ſuſtinentes defectum neceſſariorum, gloriari debent; quia qui contemnitur ab impiis, iuſtum ſe eſſe æſtimare poteſt, iuxta illud Domini Io. 15. Quia de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit uos mundus. Defectus etiam neceſſariorum non triſtitiam, vel iram excitare debet, ſed gaudium, & exultationem; quia peccatorũ occaſiones eis pluri mæ auferuntur; quia expeditiores ſunt ad virtutum opera peragẽda; quia nihil, vel parum habent de retardatione, quominus toti in cælum ferantur. Quia etiã ſciunt Deum eſſe ſollicitum, ne eis vitæ neceſſaria deſint, iuxta illud Pſal. Melius eſt modicum iuſto ſuper diuitas peccatorum multas. Et iterum. Ego autem mendicus ſum, & pauper, & Dominus ſolicitus eſt mei. Et infra 6. Nolite ſolliciti eſſe dicentes. Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? ſcit enim Pater veſter, quòd his omnibus indigetis. Et Eccl. 6. dicitur. Pauper pergat illuc, vbi eſt vita. Quia ergo contemni ab iniquis diuitibus eſt ſignum, quòd homo non eſt de mundo; & paupertas remouet malorum operum occaſiones, & expeditum reddit hominem ad opera virtutum, & animum transfert in cælum, & Deus de ipſo eſt ſollicitus; ideo paupertas volũtaria non debet eſſe in homine cauſſa irę, vel triſtitiæ; ſed gaudij, & lætitiæ. Propter quòd bene poſt paupertatem ſpiritus ſequitur manſuetudo; qua cohibetur, vel refrænatur ira, vel triſtitia, quæ conſurgit ex contemptu impiorum diuitum, & ex defectu neceſſariorum.

Pſal. 36. Pſal. 39. Matt. 6. Eccl. 6.

SVMMARIVM.

Quòd licet mitis propter contemptum ſuum, vel neceſſariorum carentiam non iraſcatur irrationabiliter; tamen ſi videat, quòd Deus blaſphemetur, vel virtus contemnatur, vel aliqui cogant illum ad conſentiendum peccato, iraſcitur rationabiliter contra tales.

XIX

VEruntamen non tanta debet eſſe mititia, ſeu manſuetudo in paupere iuſto contempto, & indigente, quando iraſcitur, vt corrigat illos, qui eum contemnunt, & maximè, vt corrigat illos, qui eũ ad blaſphemandum Deum impellere volunt. Quemadmodum Sanctus Iob, qui manſuetudinem ſeruauit in amiſsione exterioris ſubſtantiæ, in perditione filiorum, in vlcere proprij corporis, indignanter tulit verba vxoris ad blaſphemiam eũ inducentis, & eam durè correxit, dicens. Quaſi vna de ſtultis mulieribꝰ locuta es. Et quomodo etiam Dominus, qui mitis, & humilis corde erat, frequenter Phariſeos, & diuites, qui aliorum erant contẽptores, durè arguebat, vt patet Luc. 11. Sic ergo taliter mititia, & mãſuetudo debet ſeruari in cõfde pauperis voluntarij, vt tamen dura correctio malignantium, vt a talibus corrigantur quando expedit

Iob 2. Luc. 11.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Auguſt. in ore non deſit, dicente Aug. in lib. de corret. & gratia. Omnibus ne pereant, vel ne alios perdant adhibenda eſt à nobis medicinaliter ſeuera correctio. Et vt Ber. dicit Ber. in Epiſtola ad Adam monachũ. Malè imperantibus, vel ſuadentibus, non obedientia, vel manſuetudo eſt exhibenda, ſed eis viriliter eſt reſiſtendum, dicẽs. Grauibus malis dare aſſenſum, exhibere obſequium, impendere adiutorium. Tu mihi obedientiam nominas, modeſtiam nuncupas, appellas manſuetudinem: talem nunquam mihi libeat modeſtiam, vel potius moleſtiam imitari. Huiuſcemodi manſuetudo ſemper longè fiat à me; nũquam æmuler obedientiam; talis ſiquidem obedientia omni eſt contẽptu deterior; talis quoq; modeſtia vltra omnẽ modũ extenditur; talis mãſuetudo ipſo ſolo auditu omnium aures exaſperat. Sic ergo mitis contemptum ſuum, vel iniurias vel alias neceſsitates corporales patienter, & leuiter debet portare in corde, nõ iraſcendo, vel nõ inordinatè iraſcendo de ipſis, vel cõtra ipſos, qui talia ſibi inferũt; ſed tamẽ non debet omittere pro tẽpore, & loco, & aliis circũſtantiis debitis attẽtis, duram correctionem hominum malignantium, vt a malo deſiſtant, & ſaluentur; nec mitis eſſe debet illis, qui eum impellere volunt ad malum culpæ; ſed rigidè debet in bono cæpto perſiſtere, & impulſores ad malum, ſecundum quòd eorũ ſaluti viderit expedire, durè, vel leniter corrigere: vt ſic & ſaluetur cordis mititia, & in bono perſeuerantia, & ſalus proximi procuretur. Vnde & in Pſal. Veritas & iuſtitia manſuetudini coniunguntur; iuſtitia, vt proximus corrigatur, veritas, vt virtus non deſeratur, cum dicitur. Propter veritatem, & manſuetudinem, & iuſtitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua; Et Apoſt. Inſtruens Timot. 1. ad Timot. 6. dicit. Sectare iuſtitiam, pietatem, fidem, caritatem, pacientiam, manſuetudinem, certa bonum certamen. Tales ergo mites qui gaudent ſe contemni à mundo, & quibus paupertatis neceſsitates ſunt delectabiles ſuſtinere, hîc beatificantur; & è contrariò de quibuſdam, qui mites dicuntur, & nõ ſunt, dicit Ber. 4. ſer. de aduentu. Sunt quidam mites, ſed quamdiu nihil dicitur, vel agitur, niſi pro eorum arbitrio; patebit autem quã longè ſint à vera manſuetudine, ſi leuis oriatur occaſio.

Pſal. Pſal.44. 1 Thim. 6. Bernar. 4.

F G H I K

SVMMARIVM.

Quomodò mites dicuntur poſſidere terram, ſi terra accipiatur pro hereditate terrena; vbi etiam oſtenditur, quòd homines violenti, & iniurioſi alijs, & ſi ad tempus bona terrena aliorum occupent; tamen non dicuntur terrã poſſidere; quia cito perdunt eam, nec pacificè, & ſint timore eam habent, dum occupatam tenent.

XX

SEd quomodò tales mites qui nihil in mundo habent, nec habere volunt cõtempti, & irriſi a mundo, quibus etiam vitæ neceſſaria frequuntur deſunt, terram dicantur poſsidere, eum nec eam poſsidere vellent? Ad quod eſt dicendum, quòd terra multipliciter accipitur in ſcriptura. Aliquandò enim accipitur pro elemẽto terræ, ſicut habetur Gen. 1. In principio creauit Deus cælum, & terram, Et ibi dicitur. Producat terra herbam virentẽ, & afferentem ſemen iuxta genus ſuum, lignumque pomiferum iuxta ſpeciem ſuã. Aliquandò accipitur pro corpore humano, iuxta illud Gen. 3. Terra es, & in terrã ibis, & Ecc. 10. Quid ſuperbis terra, & cinis? Tertiò accipitur terra pro affectione terrena, de qua terra dicitur Prouer. 30. Terra nunquàm ſatiatur aqua, Et Iob. 4. dicitur. Qui habitant domos luteas, & terrenum habent fundamentum, conſumentur velut à tinea. Quartò terra accipitur pro infernalibus pœnis; de qua dicitur. Iob. 10. Vadam, & nõ reuertar ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine, terram miſeriæ, & tenebrarũ. Quintò accipitur pro gaudiis Paradiſi, iuxta illud Pſal. Credo videre bona domini in terra viuentium, Et alibi. Iuſti hæreditabunt terram, & inhabitabunt in ſeculum ſeculi ſuper eam. Quo ſuppoſito, ſi terra accipiatur primo modo, ſcilicet pro terra, vel pro hæreditate terrena non videtur prima facie, quòd mites talem terrã poſsideant, immo etiam habitam frequẽter amittunt, iuxta illud Prouer. 11. Robuſti habebunt diuitias, Et Miche. 2. Concupierunt agros, & violenter tulerunt, & domus rapuerunt: Vnde & Nabot, vt eius vinea haberetur fuit interfectus; Et ita videtur, quòd mites non poſsident terram, ideſt poſſeſsiones terrenas; ſed robuſti, & violenti, & tamen promiſsio tenet de nac hæreditate terrena, Dicente Chryſoſt. Quoniam æſtimatur qui mitis eſt omnia ſua perdere, contrarium præmittit; dicẽs, Quoniam mitis cum ſtabilitate, ea quæ ſunt poſsidet, quia non eſt pertinax, nequè proteruus: qui enim talis eſt, & paterna ammittet multotiens, & ipſam animam. Licet enim ad modicũ tempus violenti, & raptores alienarum

Gen. 1. Idem 3. Eccl. 10. Prou. 30. Iob 4. Idem 1 Pſal. 26 Prouer. Miche. 2. Chryſoſ. Hom. 15.

rerum

rerum alienas poſſeſsiones, vel diuitias occupent, tamen non diu eas poſsident, quia dum alios inuadere cupiunt, vt eorũ bona diripiant, aliquando inueniunt, qui eis ſic reſiſtunt, quòd eorum bona occupent, ac frequenter eos interimant; iuxta illud Iſa. 33. Væ qui prædaris, nonne, & ipſe prædaberis? & qui ſpernis, nonne & ipſe ſpernèris? Cũ conſummaueris deprædationem deprædaueris, cum fatigatus deſieris contemnere, contemnèris. Et 5. Polit. dicitur quòd inter omnes politias paucioris tẽporis ſunt oligarchia, in qua diuitiæ quæruntur, vel diuites propter diuitias principantur, & tyrannis; quia vt dicitur eodem libro. Trãſmutatio principatuum fit propter iniuſtitiam, & propter timorem, & propter contemptum, Propter quæ multi ſubditorum inſurgũt aduerſus Monarchas, iniuſtitiæ autẽ maximę ſunt propter iniuriam, aliquãdo autem propter propriorum ſpoliationem. Vnde qui alios ſpoliat rebus ſuis frequẽter inuenit, qui eum ſpoliet; & inde eſt quòd violentorum poſſeſsio diù durare non poteſt, & tamen poſſeſsio manſuetorum diù durat; quia cum nullum concutiant, tardè inueniunt, qui eos cõcutiat; & inde eſt, ꝙ eorũ hæreditas lõgo tẽpore eis manet, cũ hæreditas malignantiũ non diù maneat, ſed cito finiatur: Vnde & in Pſal. dicitur. Qui malignantur exterminabuntur, ſuſtinentes autem Dominum ipſi hæreditabunt terram; adhuc puſillũ & non erit peccator, quæres locum eius, & non inuenies; manſueti autem hæreditabunt terram, & delectabũtur in multitudine pacis. Si etiam violenti, & raptores aliorum bona occupant, non tamen in pace ipſa poſsident; & patet quòd non in pace conſciẽtiæ, quia ſciunt ſe hoc iniuſtè poſsidere; ſed nec in pace exteriori, quia qui multis iniuriam intulerunt, neceſſe eſt, vt timeãt multorum inſidias, multorum inſultus, propter quæ fit vt nũ quàm in pace eſſe poſsint. Vnde 3. de conſol. Phil. dicit Boet. Quæ eſt igitur terrena poteſtas quæ ſollicitudinũ morſus expellere, quæ formidinis aculeos vitare nequit? Et qui vellent ipſi vixiſſe ſecuri, ſed nequeunt. Potentem cenſes, qui ſatellitè latus ambit? quos terret ipſe plus metuit, qui vt potens eſſe videatur, in ſeruientiũ manu ſitum eſt? quaſi dicat non. Quia igitur violenti, & aliarum rerum deprædatores non in pace, ſed in timore ea, quæ habent poſsident, non propriè poſsidere illa dici debẽt; quia non in pace poſsidẽt, ſed manſueti, qui non habent conſcientiam, quòd malè acquiſierint; & ſciunt ſe nulli iniuriam intuliſſe, propter quam alij contra eos inſurgant, in pace interiori, & exteriori ea, quæ habent poſsident. Quia etiam violenti, & alienarum rerum deprędatores multos inimicos ſibi acquirunt, qui & ſi timore eorum dum viuunt reſiſtere eis non audent; tamen quando mortui ſunt, contra eorum filios inſurgunt, vt eis auferant illa, quæ eorum patres alijs abſtulerũt; ideo non dicũtur tales violẽti pro hęreditariis ſucceſsoribus terram poſsidere, cum frequenter eorum filij hæreditate, & vita priuentur. Vnde & in Pſal. dicitur. Iniuſti diſperibunt, ſimul reliquię impiorum interibunt. Sed mites, qui nulli nocuerunt, ſed omnibus quantum in eis erat, profuerunt, amicos multos ſuis filiis acquirunt, qui eorum filios poſt mortem patrum manutenent, & defendunt, & ideo eorũ hæreditas manet filiis; Vnde & in Pſal. dicitur. Nouit Dominus dies immaculatorum, & hæreditas eorum in æternũ erit. Vnde & de iuſtis, & miſericordibus viris dicitur Eccl. 44. Illi filij miſericordiæ ſunt, quorum pietates non defecerunt, & cum ſemine eorum perſeuerat bona hæreditas, & nepotum illorum ſemen in teſtamento ſtetit, & filij ipſorum propter illos. Quia etiam violenti aliorum deprædatores ſubitò per iniurias, & diuerſos dolos diuitias congregant, non eſt poſsibile quòd tales diuitiæ longo tempore perſeuerent cum eis, vel eorum filiis; iuxta illud Prouer. 11. Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt, alij rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt. Et vt dicitur 4. Ethi. Qui ſine virtute diuitias habẽt, deſpectores, & iniuriatores, & talia habentes mali efficiuntur; Sine virtute enim non facilè ferre moderatè bonas fortunas, non potentes autem bonas fortunas, & æſtimantes ſe alios expellere, illos contemnunt, ex quo contemptu naſcũtur irę, & rixe, diſſenſiones, prælia. Ex quibus contingit, quòd totum quicquid lucrati longo tẽpore fuerant, vna hora ſimul perdunt, & quandoque ipſi cum omnibus ſuis pereunt. Quia etiam eorum filij non laborauerunt in congregandis diuitijs, poſtquã eorum patres defuncti ſunt, immoderatè vtendo diuitijs, ſubitò eas conſumunt, & deinde in magna egeſtate viuunt: Vnde & Eccl. 5. dicitur. Diuitię conſeruatę in malum domini ſui pereunt; in afflictione peſsima generauit filium, qui in egeſtate ſumma erit. Vt enim dicitur 4. Eth. Liberaliores videntur eſſe non qui acquiſierunt, ſed qui ſuſceperunt ſubſtantiam, quia inexperti indigentię. Sed quia man-

Iſa. 33.
Ariſt. c. 2.
Pſal. 36.
Boet. proſ. 5.
Pſal. 36.
Pſal. eod.
Eccl. 44.
Prouer. 11
Ariſt. c. 3.
Eccl. 5.
Ariſt. c. 1

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

ſueti, & iuſti paulatim diuitias congregant de iuſtis laboribus ſuis, ſuos etiam filios docent laborare; ideo eorum diuitiæ longo tempore perſeuerant; iuxta illud Prouer. 13. Subſtantia feſtinata minuetur, quæ autem paulatim colligitur, manu multiplicabitur, & 28. Qui coacer uat diuitias vſuris, & fœnore liberali, in pauperes congregat eas. Quia ergo violenti, & alienarum rerum raptores, vel aliter ablatores frequenter inueniũt, qui eis in faciem reſiſtant, & pacificè non poſ ſident ea, quæ iniuſtè abſtulerunt, & mul tos inimicos acquirunt hæredibus ſuis; & quia neſciunt benè vti diuitijs, multa ſcandala contra ſe ſuſcitant, & ſubitò acquirunt; propter quæ ipſi, vel eorum filij citò amittunt eas, quorum contraria eueniunt manſuetis: ideo malignantes non hæreditant terram, ſed potius manſueti, & mites. Ad quod etiã facit, quòd tales raptores, vel malignè diuitias acquirentes, ex auaritia mouentur ad diuitias acquirendas. Auaro autem (vt dicit Hieron. in epiſtola ad Paulinum) tàm deeſt quod habet, quàm quod non habet; quia cum diuitiæ ad hoc ſint ordinatę, vt vitæ neceſſaria habeantur; auarus autem diuitijs vti nolit, quia pecuniam propter ſe appetit; ideo quò ad vitæ neceſſaria habenda tàm deſunt ei diuitię, quas habet, quàm illæ quas non habet; quia ita parũ vtitur habitis, ſicut & non habitis, & frequenter apud diuitias fame moritur, nõ audens vti eis. Vnde & Eccl. 14. dicitur. Viro cupido, & tenaci ſine ratione eſt ſubſtantia; & homini liuido ad quid aurum? Qui coaceruat ex animo ſuo iniuſtè aliis, congregat, & in bonis illius alius luxuriabitur. Qui ſibi nequam eſt, cui alij bonus erit? & non iocundabitur in bonis ſuis. Quod exponens Glo. dicit. Auaritię peſtem deſcribit, quæ excruciat auarum, ne cõſequatur laboris ſui fructũ. Quia ergo auarus diuitiis vti nõ audet, ideo nõ dicit diuitias poſsidere, ſed diuitias cuſtodire. Quia verò illi, qui ſunt pauperes ſpiritu diuitias, vel bona terrena propter ſe nõ appetũt, ſed ſolũ eis propter neceſsitatẽ vti volunt; ideo finẽ diuitiarũ conſequũtur, qui eſt vſus ordinatus earũ; propter quod, & poſſeſſores dici debent diuitiarũ; Vnde, & Apoſt. qui pauper ſpiritu erat 2. Cor. 6. de ſe, & de ſuis ſimilibus dicebat. Tamquàm nihil habentes, & omnia poſsidentes. Quod exponens Glo. dicit. Omnia poſsidebant, non ſolum ſpiritualia, ſed etiam temporalia, quia timẽtibus Deum nihil deeſt. Hæc fuit gloria Apoſtolorum, nihil habere, & omnia poſ

Prouer. 13.
Idem 28.
Hiero.
Eccl. 14.
Gloſ.
2. Cor. 6.
Gloſ.

F

G

H

I

K

ſidere, ſine ſollicitudine eſſe, & non tàm res, quàm dominos rerũ poſsidere, quia omnia ad pedes Apoſtolorum mittebantur. Et Hiero. in epiſtola ſupradicta dicit. Credenti totus mundus diuitiarum eſt, infidelis autem etiã obolo indiget; Sic viuamus quaſi nihil habentes, & omnia poſſidentes; victus atque veſtitus diuitiæ chriſtianorum. Ex quibus manifeſtum eſt, qualiter intelligantur mites terram hæreditare, vel poſsidere; ſi terra pro terrenis diuitijs accipiatur ſecundum primæ terræ ſignificationem. Quomodo habeat promiſsionem exponit Chryſoſt. in Homelia dicens. Qualem terram dicit ſenſibilem, ſenſibile brauium ponit, neque enim à futuris bonis promouet ſolũ, ſed à præſentibus propter tardiores auditores, & quærentes preſentia ante futura, vt ex perceptione munerum certa ſit expectatio futurorum. Non tamen propter hoc ſpirituale premium mitibus non dabitur, cum virtus, vt ſupradictum fuit, præſens premium, & futurum habeat. Fecit autem hoc Chriſtus ponens premium temporale, vt conformiter ſe habeat ad premium poſitum virtuti manſuetudinis in veteri teſtamento, vbi dicitur. Manſueti autem hereditabunt terram, & inhabitabunt in ſeculum ſeculi ſuper eam.

Hiero.
Pſal. 36.

SVMMARIVM.

Quòd ſi terra accipiatur pro ſenſualitate, vel corpore humano, mites in præſenti vita, quia habent domitam ſenſualitatem, dicuntur aliquo modo terram, ideſt ſenſualitatem ſuam poſſidere, ſed tunc plenè eam poſſidebunt, cum poſt generalem reſurrectionem, corpus noſtrũ factum fuerit ſpirituale, ideſt ſpiritui ſubditũ.

XXI

SI autem terra accipiatur pro corpore humano, adhuc mitibus ratione promittitur, quòd terram poſsidebunt; ideſt eorum anima, quò ad ſuperiorem partem eius dominabitur ſenſualitati ſuæ: quæ ſenſualitas per corpus intelligitur, & hoc in præſenti, in futuro verò dominabitur corpori; cum corpus noſtrum factum fuerit ſpirituale, ideſt ſubditũ ſpiritui, quod modo eſt animale. Cuius contrarium contingit in iracundis, vnde & Gen. 4. dicitur ad Caim. Quare iratus es, & cur concidit facies tua? Nonne ſi benè egeris benè recipies? Si autem malè, ſtatim in finibus peccatum aderit? Sed ſub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Circa quod attendendum eſt, quòd cum manſuetudo, quæ hîc ponitur ſit pauperũ ſpiritu, quia (vt dicit Glo.) Non eſt mitis, qui prius pauper non fuerit; impoſ-

Gen. 4.
Gloſ.

ſibile

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

sibile est enim secundum gradum ascendere, nisi primum apprehenderis; quia inter diuitias, curas, odia, animus non est mitis; Pauper autem spiritu, quantò minus potest, salua naturæ suæ consistentia, tantò minus vtitur rebus temporalibus; ideo semper habet corpus castigatum, & in seruitutem redactum, vt spiritui semper sit obediens, eius inferior appetitus: cuius contrarium accidit in superfluè nutrientibus corpus suum; iuxta illud Deutero. 32. Incrassatus, dilectus, recalcitrauit, incrassatus, impinguatus, & dilatatus. Dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo. Cum enim appetitus sensitiuus diuidatur in concupiscibilem, & irascibilem; & paupertas voluntaria habeat domare cõcupiscibilem, & mansuetudo irascibilem; hinc est, quòd pauper spiritu, & mitis, dominiũ, & possessionem habet terræ suæ, ideſt sensualitatis suę. Vnde & hîc dicit Glo. Quòd mites sunt, qui malis moribus dominantur; quod nõ fit, nisi vt sensualitas subdita sit rationi. Vnde & Bernar. 1. ser. de omnibus sanctis ad hanc intentionem hoc exponens dicit. Beati mites &c. Hanc ego terram corpus nostrum intelligo, quod si possidere vult anima, si regnare desiderat super membra sua, necesse est, vt sit ipsa mitis, & superiori suo subiecta, quoniam tale inueniet inferius suum, qualem se exhibuerit suo superiori. Et nouerit anima, quæ rebellem sibi inuenit carnem; se quoque minus, quàm oporteat, superioribus potestatibus esse subiectam. Et benè mitibus terræ possessio promittitur; quia nulla passio facit sensualitatem eleuare contra spiritum; sicut iracũdia, quæ facit vt quasi amens fiat homo; dicente Gregor. 5. moral. super illud. Virum stultum interficit iracundia; quòd quotiens turbulentos motus animi sub mansuetudinis virtute restringimus, redire ad similitudinem conditoris conamur. Nam cum tranquillitatem mentis ira diuerberat, dilaniatam quodammodo, sciſſamq; perturbat, vt sibimetipsi non cõgruat, ac vim intimæ similitudinis amittat. Quanta ergo sit iracundiæ culpa pensemus, per quam dum mãsuetudo amittitur, supernę imaginis similitudo vitiatur. Per iram enim sapientia perditur; vt quid, quoue ordine agendum sit, omnino nesciatur; & iustitia relinquitur. Quia dum perturbata mens iudicium suę rationis exasperat; omne, quod furor suggerit, rectũ putat: & gratia vitę socialis amittitur, quia qui se ex humana ratione non temperat, necesse est, vt bestialiter solus viuat, & lux veritatis amittitur, quia cum menti iracundi confusionis tenebras incutit, huic Deus radium suæ cognitionis abscondit; & Spiritus Sãcti splendor excutitur; quia cum quietem mentis subtrahit, suam sancto spiritui habitationem claudit; cuius recessione animus vacuus ad apertã mox insaniã ducitur, & vsque ad superficiem ab intimo cogitationum fundamẽto dissipatur: Nam iræ suæ stimulis accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies igneſcit, exasperantur oculi, & nequaquam recognoscuntur noti. Ore quidem clamorẽ format, sed sensus quid loquatur ignorat. In quo itaque iste abreptitijs longè est, qui actionis suæ conscius non est? Vnde fit plerũque vt vsque ad manus ira prosiliat, & quò ratio longius recedit, audacior exurgat; seque ipsum retinere animus non valet, quia factus est potestatis alienę; & eò furor membra foris ibi ictibus exercet, quò intellectus ipsam membrorum dominam mentem captiuam tenet. Cum ergo iracũdia sic faciat sensualitatẽ dominari rationi, quòd quasi ratio omnino inesse homini non videatur, nõ est mirum, si mãsuetudo sic faciat rationẽ dominari sensualitati, quòd quasi sensualitas videatur esse sopita. Propter quod rectè mitibus terræ, ideſt sẽsualitatis suę possessio promittitur, quia in suo posse sensualitatem domitam mitis habet. Nec est mirum, si mites terram possidebunt, ideſt corpus proprium cum factum fuerit spirituale, cum iam corpus quod corrumpitur, & aggrauat animam, videantur possidere; quia & si caro in eis concupiscit aduersus spiritũ, non tàm fortiter concupiscit, quando faciliter compesci possit; & si fortiter insurgat concupiscentia cum virtute spiritus, vel inuita conquiescit, sed tunc quando concupiscentia carnis omnino sublata erit. Sic animus corpori dominabitur, quòd vbicunque voluerit spiritus, statim aderit corpus, & nihil corpori poterit aduenire contra spiritus voluntatem. Vnde Chrysost. in expositione dicit. Corpus nostrum terra est, & quamdiù quidem subiacet morti, terra est mortuorum; cum autem fuerit transformatum, & conforme factum gloriæ corporis Christi, erit terra viuorum, & hæreditabunt eam æternam æterni, & spiritualem, & sanctam, spirituales, & sancti. Cum enim corpus nostrum mortale existens quãdoque sit moriturũ, & dum mortale est, semper caro aduersus spiritum concupiscat; quia & si carnalis concupiscẽtia domari, & diminui possit, dum sumus in præsenti vita, tamen

Psal. 32.
Glos.
Bernar.
Greg.
Chryſos. hom. 9.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

non poteſt omnino extingui: Ideo propriè dum ſumus in preſenti vita, homo dici non poteſt ſuum proprium corpus poſſidere; tum quia ſcit ipſum propediem amiſſurum per mortem; tum etiam quia illud inuenit frequenter contra ſe rebelle. Non dicitur autem quis propriè poſſidere hæreditatem quando ſcit ſtatim amiſſuram; & quam non poteſt pacificè, & vt vult, poſsidere. Sed quando corpus noſtrum fuerit factum immortale, non timebitur de eius amiſsione, & quando erit ſpirituale, non timebitur de eius rebellione; propter quod tunc ſpiritus corpus ſuũ propriè dicetur poſsidere; De cuius terræ poſſeſsione poſſet accipi, quod dicitur Deut. 4. Poſsidebitis terram egregiã, Et Iſa. 65. Ducam de Iacob ſemẽ, & de Iuda poſsidentes montes meos, & hæreditabunt eum, electi mei habitabunt ibi.

Deut. 4.
Iſa. 65.

SVMMARIVM.

Quòd ſi terra accipiatur pro affectione terrenorum, vel pro inferno dãnatorũ, tunc mites, & pauperes ſpiritu terras tales non poſsidebũt, quia nec terrena appetunt, & in regno cœlorum collocantur, quod remotum eſt multum ab inferno damnatorum.

XXII Si verò accipiatur terra pro affectione terrenorum, vel etiam pro terra inferni; tunc mites, & pauperes ſpiritu tales terras non poſsidebunt. Ex hoc enim, quòd hi mites ſunt, pauperes ſpiritu terrena non appetunt, ſed contemnunt. Et quia ipſorum eſt regnum cœlorum; ideo longè ſunt à terra damnatorum. Inter enim regnum cœlorum, & locum tormentorum, chaos magnum eſt firmatum, vt ij qui volunt hinc tranſire ad eos non poſſint, nec inde huc tranſmeare, Luc. 16.

Luc. 16.

SVMMARIVM.

Quòd ſi terra accipiatur pro cæleſti regno, in quo ſancti cum Domino regnabunt, tunc mites dicuntur hanc terram poſsidere.

XXIII Sed ſi accipiatur terra pro gaudio cœlorum, tunc mites hanc terram poſsidebũt; Vnde & Eccl. 10. dicitur. Sedes ducum ſuperborum deſtruxit Deus, & ſedere fecit mites pro eis. Superbi enim dæmones amiſerunt ſedes cœleſtes, & pauperes homines, & mites ſederũt pro eis. Ibi enim ſederunt ſedes in iudicio, ſedes ſuper domum Dauid. Vnde & Chryſoſt. hîc dicit. Cœlum, in quo habitaturi ſunt ſancti dicitur tera viuorum; quia quantũ ad noſtram regionem inferiorem cœlum eſt; quantum verò ad illud ſuperius cœlum videlicet trinitatis, terra dicitur. Et vt dicit Aug. 1. lib. de Ser. Do. in mon. Ideo mites terram viuorum hæreditate dicuntur poſsidere, de qua pelli non poſſunt. Significat enim hæc terra quandam ſoliditatem, & ſtabilitatem hæreditatis perpetuæ, vbi anima per bonum effectum, tamquã loco requieſcit, ſicut corpus in terra, & inde cibo ſuo alitur, ſicut corpus ex terra, ipſa eſt requies, & vita ſanctorum.

Eccl. 10.
Pſal. 121.
Chryſoſt. Hom. 9.
Auguſt.

SVMMARIVM.

Ponitur ſecunda continuatio ſi accipiatur paupertas ſpiritus pro vera humilitate, & oſtenditur, quòd vera humilitas cordis eſt cauſſa, quòd homo non iraſcatur contra alios, qui in eum peccant.

SEcundò poteſt continuari ad præcedentem beatitudinem, ſi paupertas accipiatur pro cordis humiliatione. Quia enim contingit quòd humiles contemnantur, quemadmodum Michol contempſit Dauid, videns eum ante Archam Domini ſaltantem 2. Reg. 6. Quandoque etiam iniuriam in cauſſa ſua patiuntur, iuxta illud Iſa. 10. Opprimunt in iudicio pauperes, & vim faciunt cauſſæ humiliũ populi mei; propter quæ quandoque humiles iraſcuntur. Contingit etiam quandoque quòd ipſi humiles videntes proſperari malignantes, eis inuideant. Quandoque etiam ex humilitate ſuperbia naſci ſolet; ideo ne humiles contra alios indignentur, vel inuideant, vel ſuper eos ſe extollant, poſt paupertatem ſpiritus ponit manſuetudinem. Mitis enim (vt dicit Glo.) eſt quem non rancor, vel ira afficit, ſed omnia æquanimiter ſuſtinet. Et vt dicit interli. Mites ſunt ſine aſperitate mẽtis, & ſine liuore. Et Ambro. lib. 5. ſuper Luc. cap. 9. dicit. Cum depoſuero omne peccatum, & exuero omnem malitiam, & ſimplicitate contentus fuero inops malorum, ſupereſt vt mores meos temperẽ. Quid enim mihi prodeſt carere ſecularibus, niſi fuero mitis, atque manſuetus, vt ſic per cordis humilitatem totaliter homo ſubditus fiat Deo, & per manſuetudinem non quærat vltionem, non irritetur, non inuideat proximo, nec ſe efferat ſuper ipſum, nec à bono cæpto aliquo modo reſiliat propter quodcumque, quod in proximo videat; ſed conetur manſuetudine, & lenitate, ducere proximum ad ſtatum virtutis? Hanc autem manſuetudi-

XXIII
2. Reg.
Iſa. 10.
Gloſ.
Glo.
Ambro.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

nem humilitas vera efficit, quia dum verus humilis suos defectus cõsiderat, quic quid sibi fiat, patiẽter, & dulciter suffert. Benedict. Vnde Beatus Benedictus in Regula ponit quòd humilis non solum pronũciat se esse omnibus viliorem, sed etiam hoc intimo credit cordis affectu; Ex quo contingit quòd omni vilitate, vel extremitate contentus est; propter quod non curat si contemnatur vel irrideatur, immo amplectitur, quia videtur sibi, talem se estimari exterius, qualem se ipse esse credit interius, propter quod omnino efficitur mansuetus. Greg. Vnde & Greg. 5. mor. ca. 31. volens ostendere quomodo homo mã suetus efficiatur, dicit. Seruandæ mansuetudinis modus, est, vt cum alienos excessus aspicimus, nostra quoque in alijs excessibus delicta cogitemus. Considerat quippe infirmitas propria mala, non accusat aliena, patienter quippe illatam iniuriam tolerat, qui piè meminit, quòd fortasse adhuc habeat, in quo debeat ipse tolerari, & quasi aqua ignis extinguitur, cũ surgente furore animi, sua cuique ad mẽtem culpa reuocatur; quia erubescit peccata non parcere, qui vel Deo, vel proximo sæpe se recolit peccasse. Hanc autem cognitionem propriorum defectuum Ber. sola humilitas facit; quia vt dicit Ber. in lib. de 12. gradibus humilitatis. Humilitas est virtus, qua homo verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit. Idem. Et in eodem libro. Attendas, quòd es, quia uerè miser es, & sic discres misereri, quia hoc aliter scire non potes; ne fortè si proximi malũ consideres, & tuum non attendas, mouearis non ad miserationem, sed ad indignationem; non ad iuuandum, sed ad iudicandum; denique non ad instruendum in spiritu lenitatis, sed ad destruendum in spiritu furoris. Ille enim in spiritu lenitatis fratrem corrigit, qui mãsueto, idest eo spiritu fratri ægrotanti subuenit, quo sibi vult subueniri cum ægrotat. Et infra. Apost. apertè ostendit prius veritatem in quirendam esse in nobis, quàm in proximis. Gal. 6. Considerans, inquiens, te ipsum, hoc est quàm facilis ad tentandum, quàm pronus ad peccandum; quantum ex tui consideratione miteſcas, sicque ad succurrendum alijs in spiritu lenitatis accedas: Quomodo suos defectus considerans Dauid Semei se maledicentem, & lapides cõtra se mittẽtem, patientissimè, & mitissimè tolerauit 2. Reg. 16. 2. Reg. 16. Quia ergo humilitas spiritus causatur ex vera sui ipsius consideratione; & consideratio propriorum defectuum est causa quòd quis patienter toleret iniurias illatas sibi à proximo: ideo benè post humilitatem spiritus sequitur mansuetudo, quia humilitas est vera causa mãsuetudinis. Vnde & Eccl. 28. dicitur Memorare timorem Dei, & non iraſcaris proximo. & Eccl. 7. dicitur. Scit conscietia tua quòd & tu crebrò maledixisti alijs. Vbi dicit Glo. Docet sapientem maledicorũ linguas non attendere, ne cum idem ipse faciat, sibi velit ignosci, & alios reprehendi. Huiuscemodi autem mitibus possessio terræ rectè promittitur, exponendo terram illis modis, quibus supra exposita fuit. Quia enim nocentibus non resistunt, contingit, quòd non facilicer nisi animis malis exhæredantur, cum nec feræ bestiæ lædant homines nisi resistentes, vel impugnantes; Vnde qui mansuetos, & mites lædunt, vel persequũtur, magis feræ sunt crudelibus bestijs. Possident etiam sensualitatẽ suam, cum patientia sit causa possessionis animæ, & possidebunt æternam vitam, iuxta illud Psal. Cum exurget in iudicium Deus, salnos faciet omnes mansuetos terræ. Et eodẽ modo potest exponi de humiliatione, quæ efficitur per propriorũ peccatorum consideratione; quæ mansuetudinem maximam efficit. Eccl. 28. Eccl. 7. Glo. Psal. 75.

SVMMARIVM.

Ponitur tertia continuatio ad beatitudinem præcedentẽ, accipiendo paupertatem pro humili intellectu; qui scripturæ sensum sequitur, & ostenditur, quòd homo debet esse mitis intellectus in scripturæ expositione, sequendo sensum scripturæ, & non imponendo, & vbi secreta scripturæ sunt posita, illa uenerari, & non discerpere, vel falsa fingere; quibus intellectus scripturæ aperitur per Deum, qui tertia vocatur terræ possessio.

XXV

SI verò paupertas spiritus intelligatur de paupertate intellectus, qui dictis à Deo vult consentire, suum sensum proprium dimittens, tunc continuari potest hæc beatitudo ad primam. Intellectus enim piè adhærens scripturis diuinis, si quid inuenit quod intelligere omnino nõ possit, vel sine absurditate, non lacerat scripturam diuinam, dicendo ipsam esse falsam, nec fingit adinuentiones suas, volendo ad hoc scripturam occultam trahere, sed veneratur mysterium, suam infirmitatem considerans; sciens Agnum non esse comedendum crudum, nec coctum aqua, sed assatum igni. Ad quam intentionem mansuetudinem exponens August. in 1. lib. de ser. Do. in mon. incipit beatitudinem ab humilitate. Beati pauperes spi- August.

ritu

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

ritu, ideſt non inflati, dum ſe diuinæ auctoritati ſubdit anima, & inde venit ad diuinarum ſcripturarũ cognitionem; vbi oportet eam ſe mitem præbere pietate, ne id, quod imperitis videtur abſurdum, vituperare audeat; & peruicacibus concertationibus efficiatur indocilis; Hoc enim eſt multum neceſſarium in expoſitione ſcripturæ, quòd homo habeat humilem intellectum de ſuis viribus intelligentiæ non confidentem; quia cum illa, quę reuelata ſunt per ſcripturam diuinam, nõ poſsint humana ratione comprehendi; immo vix etiam attingi: ſi in eis intelligendis homo ſuum intellectum ſequeretur, non ad veritatis cognitionem pertingeret, ſed in profundum deduceretur erroris. Vnde & Eze. 13. dicitur Væ prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident. Et vt dicit Hilar. 2. de Trini. cap. 1. Ex hoc omnes hęreſes ortæ ſunt, quia homines ad ſenſum ſuum, ſcripturã traxerunt, & noluerunt intellectum ſuum trahi ad ſcripturæ ſenſum; vnde dicit. Extiterunt plures, qui cę leſtium verborum ſimplicitatem pro uoluntatis ſuæ ſenſu, non veritatis ipſius abſolutione ſuſciperent; aliter interpretantes quàm dictorum virtus poſtularet, de intelligentia enim, eſt hæreſis, non de ſcriptura, & ſenſus, non ſermo, fit crimen. Quia ergo periculũ eſt, quòd incidatur in crimen hæreſis, quando homo vult ad ſenſum ſuum ſcriptura trahere; ideo nullus ſic ſuperbum intellectum debet habere; quòd velit ipſam ſcripturam ſuum ſequi intellectum, ſed debet habere humilem intellectum, qui ſcripturam ſequatur. Et vt dicit, idẽ Hilar. 1. li. de Tri. ca. 9. Optimus lector eſt, qui dictorũ intelligẽtiã expectat ex dictis potius, quàm iponat, & rettulerit magis, quàm attulerit; videlicet cogat id videri in dictis contineri, quod ante lectionem præſumpſerit intelligendum. Sed quia contingit quòd homo ſequens diuinam ſcripturam, inuenit aliqua, quę quaſi videntur abſurda, ne cõtra ſcripturam inſiliat, vel erroneam opinionem fingat, manſuetus eſſe debet; ne velut iratus ſcripturam de falſo arguat; vel ne vt temerarius falſam, & erroneã opinionẽ fingat, & ei pertinaciter adhæreat. Vnde Et Aug. 7. ſuper Gen. ad litteram ca. 1. dicit. Nihil audacter refellendo, nihil temerè affirmando, dum adhuc dubiũ eſt, verum, falſumue ſit, ſiue fidei, ſiue ſcientiæ Chriſtianæ. Et eod. cap. 26. dicit. Vbi ſcriptura intelligi non poteſt, homo ſcripturæ Dei det honorem, ſibi autem timorem; & dum homo eſt mitis, & pauper ſpiritu in ſcripturæ expoſitione, meretur peruenire ad verum ſenſum ſcripturę, Spiritu Sancto reuelante, iuxta illud Pſal. 24. Docebit mites vias ſuas. Ad huius tamen ſenſum, ſuperbę mentes, & immites non perueniunt; iuxta illud infra 11. Confiteor tibi Domine pater cę li, & terrę, quia abſcondiſti hęc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Quod exponens Aug. in lib. de ver. Do. Ser. 8. dicit. Nomine ſapientium, & prudentium ſuperbus intelligi poteſt; ſed nomine paruulorum intelliguntur humiles. Abſcondũtur ergo myſteria ſcripturæ ſuperbis de ſuo ſenſu præſumentibus, & reuelantur humilibus ſenſum ſcripturæ ſequentibus, & ſcripturam venerantibus. Vnde & Aug. 1. li. cõ. Fauſtũ in prologo dicit. Omnes qui hæc legent intelligant, quàm nihil ſit acutum ingeniũ, & lingua expolita, niſi à Domino greſſus hominis dirigantur, quod multis etiam tardioribus, & inualidioribus occulta ęquitate, diuinæ miſericordiæ præſtitum eſt; cum multi accerrimi, & facũdiſsimi, deſerti adiutorio Dei ad hoc velociter, & pertinaciter currerent; vt à veritatis via longius aberrarent. Et hæc eſt terræ poſſeſsio, quæ mitibus promittitur, ſcilicet vera ſcripturæ expoſitio, quæ eis reuelatur; De qua terra habetur Iob 15. Sapientes confitentur, & non abſcondunt patres ſuos, quibus ſolis data eſt terra, & non tranſit alienus per eos.

Exech. 13.
Hilar.
Idem.
Auguſt.
Idem.
Pſal. 24.
Matth. 11.
Auguſt.
Idem.
Iob 15.
Ambro.
Eccl. 32.

SVMMARIVM.

Quare Matth. ponit iſtam ſecundam beatitudinem, ſcilicet. Beati mites, & Lucas non ponit eam, & aſſignantur cauſæ, quare hoc fecerunt.

XXVI

HAnc autem beatitudinem Lucas prętermiſit; quia in prima beatitudine eſt incluſa; Ex hoc enim, ꝙ quis pauper eſt, mitis efficitur, vt ſupra deductũ fuit; & ideo in prima beatitudine incluſit ſecundam Lucas. Vnde & Ambro. ſuper Lucam dicit; quòd in quatuor beatitudinibus poſitis à Luca, includuntur octo iſtæ poſitæ à Matth. Vel etiamideo non ponitur à Luca, & ponitur à Matth. quia iſtæ beatitudines, quę hîc ponuntur, fuerunt propoſitæ Apoſtolis, & viris perfectis; qui aliorum Doctores, & rectores eſſe debebant. Nihil autẽ magis neceſſariũ eſt rectoribus, quàm cordis humilitas, ne ſe ſuper alios efferant, & in laqueum, & in tentationem diaboli incidant. Vnde & Eccl. 32. Pro prima virtute rectorum ponitur

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

humilitas, vbi dicitur. Rectorem te posuerũt, noli extolli, esto in illis quasi vnus ex ipsis. Et Apost. præcipit 1. ad Timot. 3. Quòd Episcopus non ordinetur neophitus, ne in superbiam elatus incidat in iudicium diaboli. Quod exponens Hier. in epistola ad Oceanum de vnius vxoris viro dicit. Heri cathecuminus, hodie pontifex, heri in amphiteatro, hodie in Ecclesia, vespere in circo, mane in altari; dudũ fautor histrionum, nunc virginum consecrator. Quis non exemplo verum probet, quòd neophitus Episcopus in superbiam elatus incidat in iudicium diaboli? Ignorat momentaneus Sacerdos humilitatẽ, & mansuetudinem rusticorũ; ignorat blanditias christianas, nescit se ipsum contemnere; de dignitate transfertur ad dignitatem; Non ieiunauit, non fleuit, nõ mores suos sæpe reprehendit, & assidua meditatione correxit; nõ substantiã pauperibus erogauit; De cathedra quodammodo educitur ad cathedram, idest de superbia ad superbiam; iudicium autem, & ruina diaboli nulli dubium, quin arrogãtia sit; Incidunt in eam, qui in puncto horæ necdum discipuli iã magistri sunt. Sic ergo rectoribus maximè conuenit humilitas spiritus. Doctoribus etiam conuenit illud idem, ne extollantur super se, & perdant se ipsos. Vnde Et Apos. 2. ad Cor. 12. de se ipso loquens dicit. Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus sathanæ qui me colaphizet. Quod exponens Glo. dicit. Ne magnitudo reuelationum extollat me in superbiam; cætera enim vitia tantum in malefactis valent; superbia verò sola in rectè factis cauenda est; cum enim quisque benè profecerit, superbia tentatur, vt perdat totum profectum. Quia ergo rectoribus, & Doctoribus paupertas spiritus; idest cordis humilitas est perneccssaria, quæ habent in se manifestam causam, vel occasionẽ superbiendi dum vident se aliis suppositos & super aliis se instructos: ideo in principio eruditionis eorum ponitur [*Beati pauperes spiritu.*] Vnde Chrysost. ostendere volens quare primò Dominus humilitatem Apostolis præcepit, qui nullam occasionem elationis habebant, vtpotè piscatores, & inopes existentes, & ignobiles, & idiotæ, dicit. Quòd & si pro tunc non indigebant, vt humilitas præciperetur eis, tamen postea debebant indigere hac vtilitate post signa, & miracula per eos facta, & orbis terrarum honorem, & liberam ad Deum præsentiam; Neque enim diuitiæ, neque potentia, neque ipsum regnũ ita extollere erat sufficiens, vt vniuersa, quæ illis extiterunt. Quia ergo Apostoli, & cæteri Doctores, & rectores aliorũ multas causas, & occasiones superbiendi habent, ideo à principio, & quasi pro fundamento omnium virtutum, & bonorum præcipitur eis, vt sint humiles corde. Et quia officium Doctorum est, & rectorum quòd subiectos peccantes corrigãt uel opere, vel verbo; ideo ne nimis asperè corrigant peccantes, præcipitur eis quòd sint mites, iuxta illud Apost. ad Gal. 6. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris. Quod exponens Glo. dicit. Loquitur ad prælatos, docens quomodo tractent subditos, scilicet leniter, quia fratres sunt, & si prælati sint superiores, & ideo hos alloquitur, qui firmiores erant ne inflatione bonæ vitæ eum, qui peccato circunuẽtus est, spernendum putent, & abiiciendum. Et Bern. dicit Ser. 1. de festiui. Petri & Pauli. Tales decebat humano generi pastores, & Doctores constitui, qui & dulces essent, & potentes, & nihilominus sapientes. Dulces, vt me blãdè, & misericorditer susciperent; potentes vt fortiter protegerent; sapientes vt ad viam, & per viam ducerent, quæ ducit ad vitam; Propterea dedit mihi Deus Petrum, & Paulum in pastores, qui & homines erant, & peccatores, & maximi peccatores; qui in se ipsis, & de se ipsis discerent, quàm latè aliis misereri deberent; Magnorũ enim criminũ Rei, magnis criminibus facilè donabunt veniam, & in qua mensura mensum est eis, remetientur nobis. Quia ergo maximè conuenit rectoribus, & Doctoribus, quòd cum lenitate, & manſuetudine subiectos regant, & errantes corrigant, iuxta illud Hester 13. Cum plurimis gentibus imperarem, & vniuersum orbem meæ dictioni subiugassem, nolui nequaquam abuti potentiæ magnitudine, sed clementia, & lenitate gubernari subiectos: Ideo in sermone Domini, quem ponit Matth. qui ad eos, & propter eos factus est, post paupertatem statim infertur [*Beati mites*] quæ beatitudo non ponitur in Luca; quia ille sermo fuit factus popularibus; ad quos non pertinet ex officio delinquentes corrigere.

1. Timot. 3. — Hiero. — Hiero. — 2. Cor. 12. — Glo. — Chrisost. hom. 15. — Gal. 6. — Glo. — Ber. — Hest. 13.

SVMMARIVM.

Quare Matth ponens primam beatitudinẽ dixit [Beati pauperes spiritu] *& Lucas po-*

nens

nens eandem beatitudinem dixit ſimpliciter. [Beati pauperes non addendo ſpiritu?]

XXVII

QVia verò communes homines, & populares non habent tot occaſiones ſuperbiẽdi, ſed tamẽ propter neceſsitatẽ domeſticam, vel ciuilem, ſunt attenti ad congregationem diuitiarũ, propter quæ in multa incidunt peccata, quia radix omnium malorum eſt cupiditas, quam quidẽ appetentes errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis 1. ad Timoth. 6. Ideo vt omnium bonorum radix, quò ad populares prẽcipitur eis quòd ſint pauperes, vt ſcilicet cor ſuum diuitijs nõ ſupponant, immo nec apponant, iuxta illud Pſal. Nolite ſperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiſcere, diuitiæ ſi affluant nolite cor apponere. Quia verò Matth. ponit ſermonem factum pro Doctoribus, & rectoribus, ideo in principio ponit, [*Beati pauperes Spiritu*] quia nihil ſic timendum eſt rectoribus, & Doctoribus, ſicut ſuperbia. Hac enim vix carent, cum tamen vt plurimum careant affectione, vel cupiditate diuitiarum, vt ſatis declarat Hiero. in tertia reſponſione contra Iouinianum, per multa exempla philoſophorum, qui diuitias contempſerunt, vt philoſophiæ ſtudio inſiſtere poſſent. Quia verò ſermo Domini, quem Lucas ponit, propoſitus fuit popularibus, qui vt plurimum cupiditate diuitiarum tenentur; ideo paupertas eis laudatur, dicente Domino [*Beati pauperes*] non addendo Spiritu, vt ſic auferatur peccatum, ad quod magis inclinantur rectores, & Doctores, cum dicitur [*Beati pauperes à Luca.*]

1. Timo. 6.

Pſal. 61.

Hiero.

Tractatus ſequens protenditur vſque ibi. (Beati miſericordes,) *& continet 26. Capitula.*

SVMMARIVM.

Oſtenditur quòd ex multis cauſſis pœnitentes, & iuſti lugent, & ex multis cauſſis peccatores etiam lugent in præſenti vita, vt oſtendatur qui lugentes, & propter quod lugentes hic à Domino beatificentur.

I

[*Beati qui lugent, quoniã ipſi conſolabuntur.*] Vbi ponitur tertia beatitudo. Circa quod attẽdendum eſt, quòd fletus, & ploratus conueniunt iuſtis, & peccatoribus. Plorant autem iuſti, vel pro peccatis commiſsis, vel compatiendo miſeris, vel deſiderando prẽmia promiſſa ſanctis: Pro peccatis quidem commiſsis quomodo plorabat, & lugebat Dauid dicẽs. Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo; & hoc, quia per peccatum Deum ad iracundiam prouocauerunt; quia ei non obedierunt, nec fidem eius ſeruauerunt, quia pœnis grauibus ſe ſuppoſuerunt. Vnde Thren. 1. dicitur. Facta eſt vidua domina gentium; plorans plorauit in nocte, & lachrymæ eius in maxillis eius; non eſt qui conſoletur eã ex omnibus caris eius. Omnes amici eius ſpreuerunt eam, & facti ſunt ei inimici. Et cap. eodem. Ego plorans, & oculus meus deducens aquã, quia longè factus eſt à me conſolator meus conuertens animam. Facti ſunt filij mei perditi, quia inualuit inimicus. Plorant etiam iuſti compatiendo miſeris, & hoc vel compatiendo hominibus in peccatum lapſis, vel pœnis addictis, Quomodo lugebat Paulus quoſdã 2. Cor. 12. Ne cũ venero humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex ijs, qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam geſſerunt. Et quemadmodũ etiã Samuel lugebat Saulem, de quo dicitur 1. Reg. 16. Veruntamen lugebat Samuel Saulem, quoniam Dominum pœnitebat, quòd conſtituiſſet Saul Regem ſuper Iſrael. Hoc etiam modo Dauid Abſalonem patricidam in peccato mortuum lugebat 2. Reg. 18. & 19. Et Dominus videns ciuitatẽ Hieruſalem in peccatis perſeuerantem, ſuo iuſto iudicio condemnandam, fleuit ſuper illam dicens. Quia ſi cognouiſſes & tu, Luc. 19. Vel dolendo de conculcatione religionis, & inhonoratione diuinorũ. Quomodo Iudas Macabæus, & fratres eius videntes templum deſertũ, & à gentibus conculcatum, fleuerunt plãctu magno. 1. Maca. 4. Vbi dicit, quòd vt viderunt ſanctificationem deſertam, & altare profanatum, & portas exuſtas, & in atrijs virgulta nata, ſicut in ſaltu in montibus, & paſtophoria diruta, ſciderunt veſtimenta ſua, & planxerunt planctu magno. Et eodem lib. cap. 2. dicitur quòd Mathathias dixit. Væ mihi, vt quid natus ſum videre contritionem populi mei, & contritionem ciuitatis ſanctæ, & ſedere illic, cum datur in manibus inimicorum. Sancta in manibus extraneorum facta ſunt, templum eius ſicut homo ignobilis, vaſa glorię eius captiua abducta ſunt. Et infra. Scidit Matathias, & filij eius veſtimenta ſua, & operuerunt ſe cilicijs, planxeruntque valde. Hoc etiam fletu compaſsionis, plorant ſancti, cum vident ſanctitatem, &

Pſal. 6.

Thren. 1

Ibidem.

2. Cor. 12

1. Reg. 1

2. Reg. 18 & 19.

Luc. 19.

1. Maca. 4.

Eodem, cap. 2.

Ibidem.

deuo-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

deuotionem in omnibus tepescentes. Vn
Iohel.1. de & Iohel. 1. præcipitur Sacerdotibus. Accingite vos,& plangite sacerdotes, vlulate ministri altaris,ingredimini, cubate in sacco ministri Dei mei,quoniã interijt de domo Dei mei sacrificium, & libatio. Sic ergo affectu compassionis plorãt pro peccatis impœnitentium, pro punitione eorum, pro inhonoratione sacrorum, & pro diminutione, vel prostratione religionis ad Deum.Florant etiam,& lugent ex desiderio cœlestium præmiorũ; & primò quia timent nè ipsa amittant propter inexcogitabiles modos, quibus homines in præsenti faciliter in peccata labuntur;
Psal.119. Vnde & Dauid dicebat. Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus cedar, multum incolafuit anima mea.Et Oseæ.4.dicitur. Non
Ose.4. est veritas, non est misericordia, non est scientia Dei in terra; Maledictum & mendacium,homicidium, furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinẽ tetigit.Propter hoc lugebit terra,& infirmabitur omnis qui habitat in ea. Hoc etiam modo plorant sancti pro desiderio cœlestiũ, attendentes miserias in quibus
Iob.14. sunt.Vnde Iob 14.dicitur.Caro eius dum viuit dolebit,& anima illius super semet ipso lugebit. Plorant etiam hoc modo sancti,quia eorum differtur gaudiũ (spes enim quæ differtur affligit animam) quo gaudio adepto,dicetur eis illud Isa. vlt.
Isa.vlt. Gaudete cum ea gaudio vniuersi, qui lugetis super eam.Et eodem li. 61. dicitur.
Eodem 61 Vt consolarer omnes lugentes, & ponerẽ fortitudinem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleũ gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris.Sic ergo sancti lugent luctu pœnitentiæ pro peccatis, quia Deum irritarunt, mandata eius contempserunt,pœnis se dignos fecerunt:Lugent etiam luctu miserationis pro peccatis, & pœnis aliorum, pro inhonoratione sacrorum,& pro prostratione deuotionis, ac religionis ad Deum.Lugent etiam pro desiderio æternorum gaudiorum,timentes ne ipsa amittant,dolentes quia morantur, & quia malis huius vitæ tamdiù se implicant, & iste luctus est bonus,& meritorius. Sed peccatores lugent propter tristitias huius vitæ,quæ eis contingunt,ficut pro amissione carorum. Vnde de Babylone subuersa dicuntur flere, & plangere se super illam reges terræ; qui cum illa fornicati sunt,
Apoc.18. & in delitiis vixerũt.Apoc.18. Flent etiã peccatores cum sua peruersa desideria perficere non possunt, qualiter vociferãs omnis turba filiorum Israel fleuit, & murmurati sunt cõtra Moysen,& Aaron cuncti filii Israel dicentes.Vtinam mortui essemus in Aegypto. Num. 14.Flent etiam
Num. 14. aliqui vt suo fletu hominem subuertant. Eccl. 12.In oculis suis lachrymatur inimicus,& si inuenerit tempus non satiabitur
Eccl.12. sanguine.Aliquando etiam flent, vt decipiant; Quemadmodũ vxor Sanson lachrymis extorsit ab eo sermonem problematis,Iudicum 14.Aliquando etiam plorãt,
Iudic.14. vt æstimentur deuoti, & sancti esse, cum tamen nõ sint,iuxta illud Malach.2. Operiebatis lachrymis altare Domini fletu,
Malach.2. & mugitu, ita vt vltra non respiciam ad sacrificium: & isti modi fletus non sunt boni,nec præmio, sed pœna digni sunt.
Vnde Aug. prima parte super Io.ser.6.di- Augusti. cit.Qui nouit in pressura se esse mortalitatis huius,& peregrinari se à Domino, nondum teneri illam perpetuam, quæ nobis promissa est,beatitudinem;sed habere illam in spe,quam habiturus est in re, cũ Dominus venerit in manifestatione præclarus,qui prius in humilitate venit occultus. Qui hæc nouit,gemit;& quamdiù propter hæc gemit, benè gemit; Spiritus enim illum docuit gemere,à columba didicit gemere. Multi enim gemunt in infelicitate terrena,vel quasi damnis,vel ægritudine corporis prægrauati;vel aliquibus inimicorum insidiis circumspecti; sed nõ columbæ gemitu gemunt,non amore Dei gemunt,non Spiritu gemunt; ideo tales cũ ab ipsis pressuris fuerint liberati,exultant in grandibus vocibus; vbi apparet, quia corui sunt, non columbæ. Cum ergo lugeant iusti, & pœnitentes lugeant, & peccatores non beatificantur hîc,nisi iusti & pœnitentes lugentes pro peccatis, pro peccatorum pœnis,pro gaudiis æternis:
Remig. Vnde & Remig. hîc dicit. Qui sunt isti lugentes,quos Dominus beatos appellat? Multi quippè sunt,qui lugent mortem parentum, aut carorum, aut proximorum, & damna temporalium rerum, nunquam istos appellat beatos; sed illos, qui vel sua, vel aliorũ peccata deflent. Et Chry-
Chrysost. hom.9. sost.hîc dicit. Non simpliciter posuit eos qui lugent, sed eos qui pro peccatis hoc faciunt quia aliud valde est prohibitum, idest pro aliquo vitæ huius lugere.

SVMMARIVM.

Ponitur prima cõtinuatio huius beatitudinis ad præcedentes, & ostenditur quare pauperes, & mites flere debent pro peccatis suis, & quòd beatitudo luctus custodit,& seruat paupertatem spiritus, & mansuetudinem.

QVo supposito, hæc beatitudo potest II continuari ad præcedentes; Primò

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

sic. Dictum est, quòd [*Beati sunt pauperes spiritu*] ideſt illi, quos voluntas, non neceſsitas pauperes facit; vel pauperes ſpiritu, qui ſcilicet in ſe non habentes vndè humilia, & abiecta de ſe ſentiant, tamen bona, quæ in eis ſunt, non reputantes in ſe à ſe eſſe, ſeipſos deſpiciunt, & totaliter ſe Deo ſubdunt, qui etiam pro nulla aduerſitate, vel defectu eis cõtingente exaſperantur; ſed in manſuetudine ſpiritus perſeuerant; Sed tamen quia dum homines in præſenti vita degũt, quantumcunque perfecti ſint, hanc vitam ſine peccato non ducunt: iuxta illud 1. Io. 1. Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Et Eccl. 7. dicit. Non eſt homo iuſtus in terra qui faciat bonum, & non peccet: in multis enim offendimus omnes, vt dicitur Iaco. 3. Et vt dicit Aug. in lib. de natura & gratia cap. 36. Excepta ſancta Virgine Maria, de qua propter honorẽ Domini nullam prorſus, cũ de peccatis agitur, habere volo quęſtionem. Vnde enim ſcimus, quòd ei plus gratiæ collatũ fuit ad vincendũ ex omni parte peccatũ, quæ cõcipere, ac parere meruit eũ, quẽ cõſtat nullũ habuiſſe peccatũ. Hac ergo virgine excepta, ſi omnes Sãctos, & Sãctas cũ hîc uiuerẽt congregare poſſemus, & interrogare, vtrũ eſſent ſine peccato. Quid fuiſſe reſpõſum putamus, niſi q̃ Io. Apoſt. ait: Si dixerimus, q̃ peccatũ non habemus nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt? Et 2. lib. de baptiſ. paruu. c. 15. dicit idẽ. Niſi vnũ mediatorẽ Dei, & hominũ, hominẽ Ieſum Chriſtum, nullũ vel fuiſſe, vel futurum eſſe, qui omnino nunquã nullum habuit peccatum, habiturue ſit, certiſsimum eſt. Cum ergo ſancti in præſenti vita, quantumcũque perfecti, ſine peccato non ſint, reſtat vt pauperes, & mites ſuos defectus, & peccata attendentes, lugeant; Propter quod benè poſt magna opera virtutum, quæ ſunt paupertas, & manſuetudo, luctus de peccatis ponitur; vt hoc, quaſi cuſtode, dictæ virtutes non amittantur, ſed conſeruentur, & cuſtodiantur: Nihil enim ſic reddit humilem, ſicut conſideratio propriorum peccatorum; nec mitem in aduerſis, ſicut reputatio, quòd dignè mala penæ homini adueniant propter peccata, quæ commiſit. Vnde &, Dauid exprobratus à Semei, & maledictus, attẽdens iuſtè ſe pati pro peccatis ſuis, dicebat. Dimittite eum vt maledicat iuxta præceptum Domini, ſi fortè reſpiciat Deus afflictione meã. 2. Reg. 16. Et tamen præmittitur cap. 15. Quòd Dauid aſcendebat cliuum oliuarum ſcandens, & flens operto capite, & nudis pedibus incedens. Rectè autem iuſtus conſiderans peccata ſua lugere debet, vt obtineat peccatorum remiſsionem, & virtutum humilitatis, & manſuetudinis cõſeruationem. Qui enim luget, nullum bonũ, quod in ſe habet, magnum reputat, dum attendit malum ſuum propter quod plorat; Non etiam irritatur aliqua aduerſitate, quæ ei contingat, dũ attendit, quòd minus patitur, quã meretur; & ideo nec de ſe alta sẽtit, nec iraſcitur, ſed patiẽter tolerat quicquid ei contingat; Propter quod, luctus cuſtodia eſt paupertatis, & manſuetudinis; & ideo benè poſt illas duas beatitudines ponitur hæc tertia. Vnde & Glo. hîc dicit. Inter diuitias, curas, odia, animus non eſt mitis, ſed huiuſmodi incẽdij materia vix ad purũ delebitur; & ideo hæc lenitas ſæpè corrũpitur; propter q̃ ſubditur. Beati qui lugent pro ſuis, vel aliorũ peccatis; Poſt prædictam enim ruinã reſtat luctu purgare peccata.

1. Io. 1.
Eccl. 7.
Iaco. 3.
Auguſt.
Idem.
2 Reg. 16.
Ibidem 15
Gloſ.

SVMMARIVM.

Quare iſti pœnitentes pro peccatis proprijs lugent, vel intensè triſtantur, qui luctus non eſt, niſi triſtitia intenſa pro bono, quod perdidit lugens, vel malo, quod incurrit; & quantò maiora bona perdidit, & maiora mala incurrit, tantò intenſius luget; magna autem bona virtutum perdit peccator, quando peccat, & magna mala miſeriæ incurrit, propter quod intensè contriſtatus luget.

EST autem attendendũ ſecundũ Chryſoſt. quòd Dominus non dixit. [*Beati qui triſtantur, ſed beati qui lugent,*] Licet enim omnis lugens triſtis ſit, tamen non omnis triſtis luget; Lugens enim intensè triſtatur, cuius animi triſtitia quaſi non potens ſe cõtinere infra ſe oculos defluere in lacrhymas facit; & pro tunc animus triſtis nõ niſi doloroſa ante ſe ponit: obli tus omnium aliorum; propter quod luctus intenſæ triſtitiæ euidens ſignum eſt. Vnde & Aug. 4. confeſsio. cap. 7. loquens de triſtitia, quam habuit de morte amici ſui, dicit. Eſtuabã, ſuſpirabam, flebam, turbabar, nec requies erat, nec conſilium; Portabam enim conſciſſam, & cruentam animam meam, impatientem portari à me; & vbi eam ponerem nõ inueniebam; Non in amœnis nemoribus, non in ludis, atque cantibus, nec in ſuauè olentibus locis, nec in conuiuiis apparatis, neque in voluptate cubilis, & lecti; non denique in libris, atque carminibus; acquieſcebat. Horrebãt omnia, & ipſa lux, & quicquid non erat, quod illic erat, improbũ, & odioſum erat, præter gemitum, & lachrymas; nam

III Chryſoſt. hom. 15.
Auguſt.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

in eis ſolum aliquantula requies. Cum ergo luctus ſit ſignum intenſæ triſtitiæ, non permittens pro tunc de alio, niſi de re triſtabili cogitare, & triſtitia contingat propter amiſsionem boni amati; vel perpeſſionem mali odibilis tolerati; ideo ſecundum quod bonum maius amittitur, & maius malum ſuſtinetur, intendi triſtitia debet. Et quia per peccatum, maximum bonum, quod Deus eſt, amittitur, gratia, & virtus perditur, & natura deformatur, quæ ſunt maxima bona; peccati etiã macula acquiritur, & peccati pæna, quæ eſt Dei indignatio, & ad pœnã ſenſus æternam, vel temporalem obligatio, quæ ſunt maxima mala: ideo mirum non eſt, ſi pœnitentes attendentes, quæ amiſerint bona propter peccatum, & quibus malis ſe implicauerint; ſi triſtentur intensè, & lugeant præ triſtitia de nullo cogitãtes, niſi qualiter poſsint Deo ſatisfacere de peccato cõmiſſo. Ad quod attẽdens Chryſo. dicit. Iſtos hîc igitur beatos vocat, qui vtilem voluerũt habere triſtitiã. Et non ſimpliciter poſuit triſtes, ſed omnino cũ cumulo, non vt quippè merentes, ſed lugentes. Et quidem præceptũ iſtud totius philoſophiæ magiſterium eſt. Si enim qui pueros, & mulierẽ, & aliũ quendã neceſſariorũ defunctũ lugent, non pecunias, non corpora cõcupiſcũt, ſed illo doloris tempore non gloriam deſiderant, non conſumũtur inuidia, non conuitiis exacuũtur, non ab æmulatione poſsidentur, non ab alia aliqua paſsione capiuntur, luctui ſubiecti ſolũ; multo magis qui peccata ſua lugent (vt lugere dignũ eſt) maiorẽ demoſtrabũt philoſophiã. Et Ber. in lib. de cõuer. ad Clericos cap. 19. dicit. Lugeat peccator abundanter, quia lugendi tempus aduenit; conſideret nullam ſibi inuenìrí requiem in ſe ipſo, ſed omnia plena miſeriæ, & deſolationis: Conſideret non eſſe bonum in carne ſua, ſed & in ſeculo nequam nihil, niſi vanitatem, & afflictionẽ ſpiritus contineri. Conſideret, inquã, nec intus, nec ſubtus, nec circa ſe ſibi occurrere conſolationẽ, vt vel tandẽ aliquãdo diſcat quærẽdã ſurſum, & deſurſũ eſſe ſperandã; Lugeat interim plangẽs dolorem ſuũ, exitus aquarũ deducat oculus eius, & palpebra nõ requieſcat: animirũ purgatur lachrymis oculus antè caligãs, & acuitur viſus, vt intendere poſsit in ſereniſſimi luminis claritatẽ. Quia ergo pauperes, & mites ſua peccata cõſiderãt, & pro ipſis intensè triſtãtur; ideo benè in tertia beatitudine ponitur [*Beati qui lugent*] Vnde & in Pſal. dicitur de inopè, & manſueto Domino Chriſto. Quaſi lugens, & contriſtatus ſic humiliabar; Qui licet peccata ꝓpria nõ habuerit, tamẽ noſtra fleuit. Et de Heſter. 14. dicitur, Quòd depoſuit ueſtes regias, & fletibus, & luctui apta in dumenta ſuſcepit, & pro vnguẽtis variis cinere, & ſtercore impleuit caput; & corpus ſuũ humiliauit ieiuniis. Et peccatrix mulier, ſed pœnitens, & cõuerſa vt cognouit, quòd Ieſus accubuiſſet in domo Phariſęi, attulit alabaſtrũ vnguenti, & ſtans retro ſecus pedes eius lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabat pedes eius, & vnguẽto vngebat, Luc. 7. Quod exponẽs Gre. i ho. dicit. Quia hæc mulier turpitudinis ſuæ maculas aſpexit, lauanda ad fontẽ miſericordię cucurrit, cõuiuantes nõ erubit; nã quia ſemetipſam grauiter erubeſcebat intus, nil eſſe creditur quod verecũdaretur foris: Cõſiderauit nãque quid fecit, & noluit moderari quid faceret; ſuper cõuiuãtes ingreſſa eſt, nõ iuſſa venit, inter epulas lachrymas obtulit. Diſcite quo dolore ardet, quæ flere inter epulas non erubeſcit.

Heſter. 14

Luc. 7. Greg.

Chryſoſt. hom. 15.

Ber.

Pſal. 34.

SVMMARIVM.

Quã conſolationẽ recipient à Deo lugentes peccata propria, & in vita præſenti, & in vita futura; propter ꝙ tales lugentes Beati dicũtur.

SI ergo beatitudo hæc exponetur de luctu pœnitentiũ, quibus conſolatio promittitur; quę quidẽ cõſolatio duo includit, ſcilicet & conſecutionẽ remiſsionis peccatorũ, propter q̃ obtinendã pœnitentes lugent; & cõſolationẽ ęternã, quãdo non ſolũ peccata erunt deleta, ſed etiã impeccabilis erit reddita rationalis creatura beata; quando abſterget Deus omnẽ lachrymam ab oculis ſanctorũ, & iã non erit amplius mors, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor, quæ prima abierũt, Apo. 21. De qua conſolatione habetur Iſa. vlt. Gaudete cũ Hieruſalẽ gaudio vniuerſi, q̃ lugetis ſuper eã; vt ſugatis, & repleamini ab vberibus cõſolationis eius. Vt enim dicit Chry. Deus largus in beneficiis nõ eſt cõtẽtus, ꝙ peccata deflentibus ipſa eis indulgeat, niſi vltra hoc & conſolationẽ eis æternam tribuat; Vnde dicit. Cum Deus conſoletur & ſi decem mille teſtium ſuperuenerint, omnibus ſuperior eris; etenim Deus multò maiores ſemper laboribus dat retributiones. Qui enim lugent delicta ſufficit eis venia frui, & excuſatione potiri. Sed quoniam ipſe vehementer eſt amicus hominum, neque in ſuppliciorum deſtructione, neque in peccatorum liberatione retributionem ſiſtit, ſed & bonos facit, & multarum facit participes conſolationum. Hæc enim conſo-

IIII

Apoc. 21. Iſa. vlt.

Chryſoſt. hom. 15.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

latio, quæ ſua peccata deflentibus promittitur, ſecundum Bern. 1. ſer. de omnibus Sanctis, nil aliud eſt, quàm conſolatio procedens de ſpe veniæ gratia deuotionis, & ſuauiſsima delectatio boni, & guſtus ſapientiæ (licet exiguus) quibus interim benignus Dominus afflictam refrigerat animam.

Ber.

SVMMARIVM.

Ponitur ſecunda continuatio, & expoſitio de lugentibus peccata, & miſerias aliorum, ſuper ſe, qui plangere nolunt; & oſtenditur quare viri perfecti, videntes peccatores obſtinatos in peccato, & pœnis ſuppoſitos, lugent eos.

V

SEcundò poteſt continuari ſi accipiatur fletus, & luctus pro dolore quem habent ſancti de eo, quòd homines iniqui perſeuerant in peccatis, vel dum vident eos pro peccatis pati; qualiter Paulus lugebat eos qui peccauerant, & tamẽ pœnitere non curabant. Cum enim perfecti viri deſiderium ſit, quòd omnes alij ſint perfecti; iuxta illud Pauli Actu. 26. Opto apud Deum, & in modico, & in magno non tantum te, ſed & omnes hos, qui audiũt hodie tales fieri, qualis ego ſum: Et 1. ad Cor. 7. Volo omnes homines eſſe ſicut me ipſum. Perfectus autem eſt, qui pauper eſt ſpiritu, & mitis corde, quia non habet terrenorum affectum, & per cõſequens cupiditatem oculorum, quæ eſt vna de radicibus omnium malorum, de ſuo corde eradicauit. Et quia eſt humilis ſpiritu, ſuperbiam omnis peccati initium ſuperauit; & quia mitis corde eſt, nulla aduerſitate ſuperatur, vt & ſic paupertate ſpiritus cuſtodiatur, ne proſperis eleuetur, ne aduerſis deiiciatur; vt ſic ſit perfectè armatus his duabus virtutibus, armis iuſtitiæ à dextris, & à ſiniſtris 2. Cor. 6. Ideo cũ vir perfectus vellet omnes homines eſſe tales, qualis & ipſe eſt, videns aliorum obſtinationẽ in peccato, vel etiam inuolutos, & afflictos in pœnis peccatorum, & tamen non curantes, nec eſtimãtes eſſe mala, quibus inuoluti ſunt flet ſuper eos; Quemadmodum pater, vel intimus amicus, videns lætantẽ, & ridentẽ tatuum filium, vel amicũ, ſicut in phreneſi exiſtentem, luget ſuper eum. Vnde ſuper illud Luc. 19. Fleuit ſuper illã, dicẽs: quia ſi cognouiſſes & tu, dicit Greg. Hoc quotidie redemptor noſter per electos ſuos agere nullatenus ceſſat; cum quoſdam ex bona vita ad mores reprobos perueniſſe conſiderat; plangit enim eos, qui neſciunt cur plangantur; qui lætantur cũ malefecerint, & exultant in rebus peſsimis, qui ſi damnationem ſuam, quæ eis imminet, agnouiſſent, ſemetipſos cum lachrymis electorum plangerent. Nec mirũ ſi perfecti ſancti plangunt homines peccatores, qui ſe ipſos plangere nolũt; quia ſancti vidẽt quę mala imminẽt ſuper eos, qui in ſua peruerſitate perſeuerare volunt, quia ipſi non vident, qui peruerſè viuere volunt, malitia excæcante eorum oculos. Quia etiam ſancti Deum diligũt, quem exaſperant peccatores, Dei iniuriam ſine lachrymis videre non poſſunt. Quia etiam vident, quòd mali nituntur corrumpere bonos, nõ poſſunt æquo animo tantum damnum videre, tàm de eorum perditione, quàm aliorũ, quos aſsiduè corrumpunt; & ſic perfecti lugent aliorũ peccata; & quia attẽdunt quã mali immineat peccatoribus obſtinatis, & quia Dei iniuriam ſuſtinere non poſſunt, & quia vident quòd alios corrumpere continuè ſatagunt. Propter quòd continuè cum fletibus Deum exorãt, vt reprobos à ſua malitia cõuertat. Vnde iſti ſunt illi viri, qui mandati ſunt ſignari ſigno Thau in fronte, de quibus dicitur Ezech. 9. Tranſi per mediam Ciuitatem Hieruſalem, & ſigna Thau ſuper frontes virorum gementium, & dolentium ſuper cunctis abhominationibus, quæ fiunt in medio eius; hic enim fletus non niſi perfectorũ eſt. Dicit enim Chryſoſt. Hi, qui peccata ſua lugent, beati ſunt; ſed mediocres beati; beatiores autem ſunt, qui aliena lugent peccata; quoniam qui aliena lugent peccata, certum eſt quòd non habent ſua, quæ lugeant. Tales conuenit eſſe omnes Doctores, & qui ſunt ſuper monte; Nam cum ſint omnes Doctores Chriſtian, populi patres; quomodo poſſunt eſſe ſine luctu cum videant quotidie Chriſtianorũ animas vſque ad infernum cadentes? Nã de Angelis, qui exituri ſunt in fine ſeculi, vt ſignent ſeruos Dei, qui de alienis lugent peccatis, ſic ſcriptum eſt per Ezech. Ite per Hieruſalem. Hieruſalem enim vera eſt Eccleſia Chriſti, cuius fundamenta ſunt in omnibus Sanctis.

Actu. 26.

1. Cor. 7.

2. Cor. 6.

Luc. 19. Grego.

Ezech. 9

Chryſo. hom. 9.

SVMMARIVM.

Quomodo illi, qui lugent pro peccatis aliorum cõſolantur, & in vita præſenti, quando vident peccatorum conuerſionem; & quando etiam in peccatis obſtinati de hoc mundo decedunt, quia ex tunc non plorant eos credentes firmiſſimè, quòd præſciti ad damnationem erant, & in vita futura, quando in generali iudicio aperietur eis quare iſte fuerit à peccato in vita

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

præsenti liberatus, & alter in peccato suo dimissus iusto Dei iudicio.

VI

HI autem perfecti, qui aliorum lugẽt peccata, dupliciter consolantur: vel in præsenti, cum impij ad Dominum conuertuntur; cũ enim hoc summopere desiderarent, quando hoc conseçuti sunt, consolantur; Vnde & Apost. qui contristatus multum fuerat de Corintho fornicante, quando audiuit eum pœnitentem, dicebat 2. Cor. 2. Quis est qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me? Et eadem Epistola 7. Consolatus est nos Deus in aduentu Titi, referentis nobis desiderium vestrũ, vestrũ fletũ, vestrã æmulationem pro me, ita vt magis gauderem, quia çõtristaui uos, non quia çontristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. Vnde & Glo. super illud 2. ad Cor. 2. Vt non cum venero tristitiam super tristitiam habeam, dicit. Sicut Apostolus auditis Corinthiorũ peccatis contristatus fuit; ita audita eorum pœnitẽtia lętus fuit: gaudium enim Apostoli est purificatio populi. Cũ enim peccator conuertitur, pœnas peccato debitas euadit, Deum placat, & alios ad pœnitendum suo exemplo inuitat; & ideo iam non est in eo aliquid propter quod à sanctis fleri debeat, immo tantò maius gaudium de eius conuersione haberi debet, quantò de maiori periculo est liberatus, vnde & Luc. 15. dicitur ita. Gaudiũ erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonagintanouem iustis, qui non indigent pœnitentia. Quod exponẽs Grego. in Homelia dicit. Plerunque ij, qui nullis se oppressos peccatorum molibus sciunt, stant quidem in via iustitiæ, sed tamen ad cœlestem patriam auxiè non anhelant; pigri remanent ad exercenda bona præcipua; quia valde sibi securi sunt, quòd nulla commiserunt mala grauiora; At ij, qui se illicita egisse meminerunt, ex ipso suo dolore compũcti, in amorem Dei inardescunt; & quia se errasse à Deo cõsiderant, damna præcedẽtia lucris sequentibus rependunt. Maius ergo gaudium fit in cęlo; quia & Dux in prælio plus eum militem diligit, qui post fugam reuersus, hostem fortiter premit; quàm eum qui nunquam terga præbuit, & nunquam aliquid fortiter gesit. Et Aug. 8. li. confes. cap. 3. dicit. Deus bone, quid agitur in homine, vt plus gaudeat de salute animæ desperatæ, & de maiori periculo liberatæ, quã si spes ei semper affuisset, aut periculum minus fuisset? Et infra. Aeger est carus, & vena eius malum renunciat; omnes qui eum saluum cupiunt, ægrotãt simul animo, fit ei rectè, & nondum ambulat pristinis viribus; & fit iam tunc tale gaudium, quale non fuit cũ antea saluus, & fortis ambularet. Sic ergo cum in peccatore cõuerso nihil sit propter quod fleri debeat, & sit in eo materia gaudendi, quia iã ante desperatè lapsus, & mortuus reuixit; & (vt in pluribus) ardentiores sunt in bono opere peragẽdo, quam fortè fuissent, nisi cecidissent: ideo sancti, qui ante eos fleuerant, postea de eis plurimum gaudent. Vnde & pater recuperato filio, qui sua cõsumpserat viuẽdo luxuriosè, dixisse legitur. Fili gaudere, & epulari oportet, quia frater tuus mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuẽtus est. Luc. 15. Quod & fuit significatum in suscitatione adolescentis, qui graui somno depressus, cadẽs deorsum de tertio cænaculo, subleuatus est mortuus, de quo dicitur Act. 20. Quòd cum adduxissent puerum viuentem consolati sunt non minimè. Secundò consolãtur sancti postquam iniqui in sua peruersitate manentes, nec correctionem recipere volentes, decesserint, quia cum Sancti suam voluntatem diuinæ voluntati conforment, videntes, quòd Dei voluntas est, quòd isti impœnitẽtes decedant, tolerãt, immo & complacet eis quòd Dei iustitia de illis fiat; Vnde & licet tristentur ex cõpassione humanitatis: tamen ratione iustitiæ lætantur; Vnde & Dauid, qui aliquo tẽpore fleuit Amnon filium suum incęstuosum, post aliquod tempus legitur cõsolatus super Amnon interitu. 2. Reg. 13. Et Rabanus hoc ibi exponens, dicit. Consolatus fuisse super Amnõ interitu dicitur, eo quòd nouerat eum flagitiosum, & dignum morte, meritoque periisse. Sed quia dũ in præsenti vita sumus, ignoramus cur Deus hunc conuertat, hunc in peccato mori permittat, semper dum sumus hîc dolemus de perditione iniquorum, causam perditionis eorum ignorantes, sed quando liber vitæ aperietur, & libri conscientiarũ singulorum aperti fuerint, quibus apertis manifestè quilibet intuebitur, cur hic est saluatus, & alter dãnatus; cur hic est vocatus, & alter dimissus; vnus dilectus, & alter odio habitus; tunc non erit occasio, quòd sancti lugeãt damnatos, cum viderint, iusto Dei iudicio, eos damnatos fuisse: immo & de eorũ damnatione gaudebunt, videntes Dei iustitiam adimpleri, iuxta illud Psal. Lætabitur iustus cum viderit vindictam. Vnde Chrysost. hîc dicit. Qui aliena lugent peccata quomodo çonsolabuntur? Nũquam desinent lugere de peccatoribus. Etiam, quoniã quamdiu sunt in mundo nescien-

2. Cor. 2.
Et cap. 7.
Glo.
Luc. 15.
Grego.
Auguſt.
Luc. 15.
Act. 20.
2 Reg. 13.
Rabanus.
Pſal. 57.
Chryſoſt. hom. 9.

tes

tes prouidentiam Dei, nec intelligentes ad plenum, qui diabolo compellente deliquunt, & qui ex proposito malo diligunt mala, omnes peccantes lugent. Cum verò in seculo illo futuro prouidentiam Dei cognouerint, & intellexerint manifestè, quoniam qui Dei fuerunt perire non potuerunt, qui autem perierunt, non fuerunt Dei; quia de manu Dei nemo rapere potest, depositio de eis luctu consolabuntur; & sine mixtura alicuius doloris in sua sola beatitudine lætabuntur; Nam quamdiù charitas est sanctorum ad peccatores, & luctus est, ibi autem nec charitas est sanctorum ad peccatores, nec luctus, etiam si propinqui fuerint; sicut nec Abraham misertus est filio suo diuiti Epuloni in flamma inferni ardenti.

F

G

SVMMARIVM.

Ponitur tertia continuatio, & ostenditur quomodo consolentur lugentes, Dei contemptum, & religionis destructionem videntes.

VII Tertiò potest exponi & cõtinuari hęc beatitudo si fletus & luctus accipiantur pro fletu, quem sancti habent de contemptu Dei, religionis defectione, & deuotionis; Quemadmodũ Mathathias, & eius filij videntes religionis destructionẽ plorarunt; Vt habetur 1. Maca. 2. Illi enim qui omnia quæ habent, pro nihilo ducũt, si videant Dei contemptum, & religionis destructionem, malentes omnia amisisse, & vita corporali caruisse, quàm talia prospicere; vt verè pauperes existentes, quia ordinant suas diuitias ad Dei honorem, & religionis conseruationem, quando vident per iniquos Deum contemni, & sacra destrui, vel conculcari, lachrymas continere non possunt; quia non in diuitijs, sed in Deo suam confidentiam ponunt; sicut ècontra, illi qui totaliter in diuitijs confidunt, quando vident quòd Deus inhonoratur, & religio destruitur, non curant nisi quòd eorum diuitiæ eis maneãt, vel etiam augeantur; Vnde etiam & si cũ aliquali displicentia cordis, tamen statim consentiunt malis hominibus in Dei contemptu, & religionis destructione, vel cõculcatione, plus timentes diuitias amittere, quàm Deum inhonorare; & plus affectantes diuitias congregare, quàm in Dei religione cũ paupertate viuere, vel seculi inhonoratione. Vnde & Mathathiæ, vt consentiret desertioni legis Dei fuit promissum per nuncios Antiochi, quòd si sacrificaret idolis, ipse & filij eius essent inter amicos regis amplificati argento, & auro, & muneribus multis, quæ tamẽ omnia contempsit, magis pro Deo eligens affligi, depauperari, dehonestari, ac etiam mori, quàm tanto facinori cõsentire: Imitatus Moysem, de quo dicitur ad Heb. 11. Quòd magis elegit affligi cũ populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æstimans thesauro Aegyptiorũ improperium Christi, Quod exponens Glo. dicit. Quòd maius æstimauit esse ferre improperium Christi quàm affluere diuitijs Aegyptiorũ; quod nullo modo faceret, nisi pauper Spiritu esset. Hi autem, qui sic dolent, & ob Dei cõtemptum, & religionis destructionem, tunc consolantur, quando Tyranni irreligiosi, vel conuertũtur, vel de medio subtrahuntur, & religio per eos exterminata ad proprium statum reuertitur. Vnde de subuerso, & ad infernum deducto Pharaone principe Aegypti dicitur; Quòd cõsolata sunt omnia ligna egregia, atque præclara in libano, vniuersa quæ irrigabantur aquis. Ezech. 31. & Hierem. 31. dicitur. Conuertam luctum eorum in gaudium, & consolabor eos, & lætificabo à dolore suo, & inebriabo animam sacerdotum pinguedine.

H

Heb. 11.

Glo.

Ezech. 31. Hiere. 31.

1. Maca. 2.

SVMMARIVM.

Ponitur quarta continuatio, & expositio de illis qui lugent, de prolongatione præsentis miseriæ; & retardatione cœlestis gloriæ, & ostẽditur quomodo tales consolentur in vita præsenti, & in futura.

I

VIII Quartò potest hęc beatitudo exponi, & continuari, si fletus & luctus accipiantur pro fletu sanctorum, quem habẽt pro desiderio cęlestis patriæ, & prolongatione præsentis incolatus, & miseriæ. Sancti enim dum considerant, quòd vita præsens non est nisi tentatio super terram; in qua tentatione frequenter vincuntur ab hostibus, & deiiciuntur à statu virtutis, & subiiciuntur peccatis, & vitijs, dolent, quòd tamdiù in hoc certamine permittãtur stare, timentes nè præmia bonorum operum perdant, & fuos labores amittãt: Vnde & Dauid hoc attendens, dicebat. Heu me quia incolatus meus prolongatus est. Quod exponens Cassiodorus dixit. Damnans seculi vitia, vitam se penitet habere longinquã. Heu me, sermo dolentis est, quòd huius mundi prolixitate fatigetur. Et Apostolus cupiebat dissolui ad Phil. 1. Dum etiam attendunt bona cęlestis vitæ, à quibus eorum anima tardatur, lachrymas continere non possunt; Vn

K

VIII

Psal. 119.

Cassiod.

Philip. 1.

de,

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Psal.41. de, & Dauid dicebat. Sicut ceruus desiderat ad fõtes aquarũ, ita desiderat aĩa mea ad te Deus: fuerũt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte; dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus? Dum enim sancti considerant multiplicia mala, & pericula, quibus in vita præsenti premuntur; & attendũt præmia sanctis promissa, quæ sunt omnis mali, & periculi amortio, & omnis boni indefectiui acquisitio; nõ est mirum si plorant & pro prorogatione presentis miseriæ, & pro dilatione cœlestis patriæ; Vnde hæc sunt duo irrigua, quæ Axà meruit à Caleph obtinere, de qua dicitur Iudic. 1. Da mihi benedictionem pater, quia terram arrentem dedisti mihi, da & irriguam aquis. Dedit ergo ei Caleph irriguum superius, & irriguum inferius. Vnde & hîc dicitur in Glo. Per luctum duo genera compunctionis intelliguntur; Scilicet pro miserijs huius mundi, & pro desiderio cœlestium; Vnde filia Calèph petiuit irriguum superius, & inferius. Huiusmodi autem luctum non habet, nisi pauper, & mitis, qui cum mundum non diligat, quòd miser est, recognoscit. Isti autem qui sic lugent, consolantur, quando de hac vita misera egrediuntur; sed maximè quando cœleste regnum adipiscuntur; Vnde & Apostolis ad Hebr. 10. fideles inducit, quòd sint consolati, & tantò magis, quantò viderint appropinquãtẽ diẽ. Quod exponens Glo. dicit. Consolemur quantò magis viderimus diem retributionis per passionem appropinquantem; ideſt quò propiores sumus fini, & præmio retributionis, tantò magis simus cõsolati; Vnde quemadmodum mali plus desolantur quantò magis morti appropinquant, quia sciunt se pertrahi ad tormenta; ita sancti tantò magis consolãtur, quantò magis morti appropinquant, sciẽtes se celeriter ducendos ad cœlestem vitam; Vnde Greg. exponens illud Luc. 12. Vt cum venerit, & pulsauerit confestim aperiant ei, dicit. Venit quippè Dominus cum ad iudicium properat; pulsat uerò cum iam per ægritudinis molestiam esse mortem vicinam designat, cui confestim aperimus, si hũc cum amore suscipimus. Aperire enim iudici pulsanti non vult, qui exire de corpore trepidat, & eũ, quẽ contẽpsisse meminit, videre iudicem formidat; Qui autem de sua spe, & operatione securus est, pulsanti confestim aperit, quia cũ tempus propinquæ mortis agnouerit, de gloria retributionis hilarescit. Hi enim tales gaudent vehementer cum inueniunt sepulchrum. Iob 3. Qualiter gaudebat Andreas cum crucem parari sibi videret; Et Laurentius cum in craticula superpositus vreretur, dicebat. Gaudeo planè, quia hostia Christi effici merui. Sed tunc plenè consolantur, quando deuicta omnis corruptionis molestia, de æternis gaudijs in illa cęlesti sede gloriãtur. De qua consolatione habetur Isa. 66. Ego consolabor vos in Hierusalẽ, consolabimini, & videbitis, & gaudebit cor vestrum, & ossa vestra quasi herba germinabunt; Nec erit mirum si erunt consolati, quia (vt dicitur 2. ad Thes. 2.) Ipse Dominus noster Iesus Christus, & Deus Pater, qui dilexit nos, dabit eis consolationem ęternam.

Isa. 66.

2. Thes. 2.

Iudic. 1.

Gloſ.

Hebr. 10.

Gloſ.

Grego.

Luc. 12.

Iob 3.

A B C D E

SVMMARIVM.

Quomodo pœnitentes in principio suæ conuersionis, quando iam eis peccata, quæ cõmiserant sunt dimissa, æstimant se posse abstinere à peccatis, & opera iustitiæ facere; postea tamen in prædictis difficultatem maximã experiuntur, propter quæ plorant; sed tunc cõsolantur, quando per virtutis exercitium longum ad hoc deducuntur, vt delectationes, quas habuerant in peccatis, detestentur; & opera secundum virtutem delectabiliter exerceant.

QVintò potest exponi hęc beatitudo secundum Augustin. in 1. li. de ser. Dò. in monte. Circa quam expositionem attendendum est, quòd homines, qui primò fuerunt assueti habitu vitioso, quando de nouo ad Dominum conuertuntur, volentes iustitiam comparare, magnum luctamen, & contradictionem in se ipsis patiuntur, consuetudine mala trahente eos ad vitiosa opera peragenda; Vnde contingit, quòd illis, quibus videbatur, dum absoluti fuerant à peccatis facilè se posse perficere opera virtutum; postea dum ipsa volunt perficere, tantam difficultatem in se ipsis ad bonum reperiunt, quòd quasi ad desperationem perducuntur, & coguntur clamare cum Apostolo ad Roman. 7. Condelector legi Dei secundum interiorem hominem; Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis; Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et Bernar. in sermo. ad Clericos cap. 6. dicit. Inter initia conuersionis oleo misericordię Deus linit vlcera peccatorum, vt nec morbi quãtitas, nec difficultas curationis, vltra quam expedit, innotescat; Magis autem arridere videtur facilitas quædam, quæ postmodum euanescit. Et infra cap. 7. Rationi im-

IX Augusſt.

Rom. 7.

Bernar.

Idem.

peranti,

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

peranti quòd abſtineatur à peccatis, voluntas corrupta interrupit ſubitò vocẽ iubentis, dicens. Vnde hæc noua religio? Facilè iubes vt libet; ſed inuenietur, qui nouis decretis obuiet, qui nouis legibus contradicat; Et quis eſt ille inquit? Nimirum ipſa eſt voluntas; quæ paralitica iacet in domo, & malè torquetur: cuius cõtradictione, & reuiſu, ipſa ratio eius vexatione percipit intellectũ, & iam inoteſcit aliquatenus huiuſcemodi negocii difficultas; iam præſumpta facilitas euaneſcit: Vnde talis oppreſſus mole malæ cõſuetudinis, dum ſe vult errigere ad opera virtutis, nec ſine difficultate magna poteſt, luget, ſuam infirmitatẽ attendendo: Sed dum bona opera cõtinuat, ex quibus habitus virtutum contrarius vitioſo generatur, quotidie delectabilius perficit opera virtutum; & ad tantum peruenit quandoque, quòd non ſolum ſine difficultate abſtinet à malo opere; ſed etiam deteſtatur, & odit prima opera vitioſa, & miratur, quomodo in eis quandoque delectatus fuerit. Vnde & Apoſt. Paulus qui primò antequàm in Chriſtum crederet, ſupra multos coętaneos ſuos in genere ſuo abundantius æmulator extiterat paternarũ traditionũ, vt dicit ad Gal. 1. Poſtea proficiens in fide Chriſti, dicebat. Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimẽta; Et infra. Omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, ad Philip. 3. Qui tales cum ad hunc ſtatum veniunt, conſolati ſunt ab illo fletu, quo primò plorabant ſe cum difficultate abſtinere à malo opere, & ad bonum opus perficiendum non ſe poſſe erigere. Sic ergo beati pœnitentes, qui dolẽt ſe cũ difficultate abſtinere poſſe à malo, & bonum vix poſſe perficere; quoniam adiuuante Spiritu Sancto eorum infirmitatem ſi continuent bona opera agere, finaliter conſolabuntur, quando ſine omni difficultate perficient bona; Vnde & Beatus Benedictus in Regula poſtquã poſuit duodecim gradus humilitatis, dicit. His gradibus humilitatis aſcenſis, Monachus mox ad illam Dei charitatem perueniet, quæ foras mittit timorem; qua fiet, vt illa quæ prius non ſine timore, poſtea cũ magna delectatione, & Spiritus Sancti conſolatione perficiet; Via enim Domini anguſto introitu inchoatur, ſed bonorum operum conſuetudine ampliatur, vt in ea poſsit currere vir ſanctus, dicens illud Dauid. Viam mandatorum tuorum cucurri cum dilataſti cor meum. Vnde Aug. in dicto libro hanc beatitudinem exponens, dicit. Beati lugentes, quoniam ipſi

Gal. 1.
Philip. 3.
Benedict.
Pſal. 118.
Aug.

F G H I K

conſolabũtur; Luctus eſt triſtitia de amiſſione carorum; conuerſi autem ad Deũ, ea, quæ in hoc mundo cara amplectabantur, amittunt; non enim gaudent iis rebus, quibus antea gaudebant; & donec fiat in illis amor æternorũ, nonnulla mæſtitia ſauciantur; conſolabuntur ergo Spiritu Sancto, qui maximè propterea paraclitus nominatur, ideſt conſolator, vt tẽporalem amittentes lubricum, æterna lætitia perfruantur.

SVMMARIVM.

Ponitur continuatio quinta de illis, qui de peccatis ſuis ad Deum conuertũtur ad duas beatitudines præcedentes, quia tales oportet, quòd videant ſe pauperes bonorum operum: deinde volentes ſe ipſos emendare, voluntas eis contradicit, oppreſſa mole conſuetudinis; cuius motus effrenatos mitigari per rationem habent: ſed quia hoc faciliter fieri non poteſt, lugere incipiunt.

REctè autem beatitudo hæc iuxta hũc modum exponendi poſt beatitudinem paupertatis, & manſuetudinis ponitur; quia principium recedendi à peccato eſt attendere paupertatẽ exiſtentẽ in ſe bonorum operum; & multitudinem peccatorum, quæ verè paupertas animæ eſt. Vnde Thren. 3. dicitur. Ego vir videſ paupertatẽ meam. Et Ber. in ſer. 4. de conuer. ad Clericos cap. 1. dicit. Redite præuaricatores ad cor, hoc nempè loquendi initiũ Domino, quo agitur, vt anima nouerit ſe ipſam, aperitur ſiquidem conſciẽtiæ liber, reuoluitur miſera vitæ ſeries, triſtis quædam hiſtoria replicatur, illumi natur ratio, & euoluta memoria, velut quibuſdam eius oculis exhibetur; contra ſua ſtatuta faciam, & violentis quibuſdã apparitoribus, immiſſarum vtique cogitationum coacta proprio interim iudicã da aſsiſtere tribunali. Ad me ipsũ anima mea turbata eſt ait Propheta Domini. Et infra cap. 10. dicit idem. Quis eſt pauperior ſpiritu, eo, qui in toto ſpiritu ſuo nõ inuenit, vbi caput ſuũ reclinet? Qui propriam domum, ideſt conſcientiam odit; quia domum ſuam inuenit plenam ſpurcitiæ, & infelicitatis; ſed cum iam pauperatem ſuam talis conſiderauerit, quòd ipſe ſibi talis paupertatis cauſſa fuerit; quia non refrænauit ſenſualitatem ſuam, & ſenſus corporeos, per quos mors, & peccatũ in eius animam ſunt ingreſſa, incipit velle cohibere indomitos motus ſenſualitatis ſuæ, ſuam carnem macerando, & cohibẽdo ſenſus exteriores nè vanitatem ani-

X

Thren. 3.
Ber.
Pſal. 6.
Ber.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

mæ ſuæ oſtendant; dicendo illud Pſal. Auerte oculos meos nè videant vanitatẽ, & illud Iob. 31. Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine. Quæ cohibitio, & refrænatio dicitur miteſcere, quemadmodum feræ per humanam induſtriam manſueſcunt. Vnde Ber. in prædicto lib. cap. 11. dicit. Beati mites. Ac ſi euidentius dicat. Mitiga efferos motus voluntatis, & crudelem beſtiam manſuefacere cura: ſed quando talis credit ſe faciliter poſſe domare carnem ſuam, & cohibere ſenſus ſuos, ne ſibi oſtendant vanitatem, ſubitò voluntas oppreſſa mole conſuetudinis, & carnalitas, quæ prona eſt ad malum ab adoleſcentia ſua, inſilit contra rationem, ſic, quòd quaſi ſubruit eam, & duriori tentatione, & acriori, incipit homo tentari, quàm ante tentare tur dum in peccatis manebat, dicẽte Ber. in prædicto lib. cap. 18. Inuenitur rebellis, & obſtinata voluntas, nec impatiens ſolum, ſed & monitis peior, & minis durior, & adhibitis blandimentis acerbior. Inuenietur forſitan, quæ nihil moue bitur ſuggeſtionibus rationis, immo & graui furore commota, aduocans mẽbra ſingula ſolito amplius ſolitis iubet obedi re concupiſcentiis, nequitiis deſeruire. Hinc nimirũ eſt illud, quod quotidianis diſcimus experimentis, eos, qui conuer ti deliberant acrius tentari à concupiſcẽ tia carnis, & urgeri grauius in operibus luti, & lateris; qui Aegyptũ egredi, Pha raonem effugere moliuntur; propter q̃ coguntur ſuam miſeriam attendentes lugere, dum conſiderant nullam ſibi inueni ri requiẽ in ſe ipſis; ſed omnia ſua eſſe ple na miſeriæ, & deſolationis; dum non eſt bonum in carne eorum, ſed in ſeculo nequam, nihil niſi vanitatẽ, & afflictionem ſpiritus contineri; & ita ordine congruo poſt Beati pauperes, & Beati mites, ſequi tur [*Beati qui lugent.*]

Pſal. 118. Iob. 35. Ber. Idem Ber. Hiero.

SVMMARIVM.

Quòd illi conuerſi, qui lugent pro eo quia repugnantiam magnam in ſe inueniunt, dum abſtinent à peccatis conſuetis, tamdiù flere debẽt, quouſque Deus ſua gratia eos confortet, & cõſolationem ſpiritualem immittat.

XI Eſt autẽ attendendũ, quòd huiuſmodi lugentes lugere non ceſſant, quouſque obtinuerint victoriam de ſua ſenſualitate, & tentatione, per gratiã Dei ſuperata; Quamdiù enim inſiſtit pugna non debent deponi arma; Vnde Hier. loquens de ſe in epiſtola ad Euſtochium dicit. O' quotiens in heremo conſtitutus, & in illa vaſta ſolitudine, quæ exuſta ſolis ardoribus horrendum Monachis præſtat habitaculum; putabam me romanis intereſſe delitiis, ſedebam ſolus, quia amaritudine repletus erã; Et infrà. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipſe damnaueram; ſcorpionum tamẽ ſocius, & ferarum, ſæpè choris intereram puellarum: Pallebant ora ieiuniis, & mẽs deſideriis æſtuabat, in frigido corpore, & ante hominem ſuum iam carne præmortua, ſola libedinum incendia bulliebant; Itaque omni deſtitutus auxilio, ad Ieſu iacebam pedes, rigabam lachrymis, crine tergebam, & repugnanti carnem hebdomadarum inædia ſubiugabam: Memini me clamantem diem crebro iunxiſſe cum nocte; nec prius à pectoris ceſſaſſe verberibus, quàm Domino imperante rediret tranquillitas, & (vt ipſe mihi teſtis eſt Dominus) poſt multas lachrymas, poſt cælo oculos inhærentes, nonnunquam mihi videbar intereſſe agminibus Angelorũ. Vnde contra quoſdam, qui tentationibus grauati plorare incipiunt, ſed ante finem tentationis deſiſtunt prægrauati, loquens Bernar. 4. ſerm. de aduen. dicit. Alios lugentes uideo; & ſi de corde procederent illæ lachrymæ non tam facilè illicò ſoluerentur in riſum; Nũc autem cũ abundãtius ocioſa, & ſcurrilia verba profluant, quàm prius lachrymæ; lachrymas huiuſmodi nõ arbitror de iis eſſe, quibus conſolatio diuina promittitur, quando poſt illas tam facilè conſolatio, vilis admittitur. Eſt etiam attendendum ſecundo Ambro. quod rectè hæc beatitudo tertio loco ponitur, quia, vt dicit idem. Trinitas eſt quæ peccata condonat.

Ber. Ambro.

SVMMARIVM.

Diſtinguitur de quadruplici iuſtitia, ſcilicet particulari contra auaritiam, & de iuſtitia, quæ eſt omnis virtus moralis, de iuſtitia fidei Chriſtianæ, de quarta autem infra.

XII Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, quoniã ipſi ſaturabuntur] vbi ponitur quarta beatitudo. Circa quod attendendum eſt, quòd iuſtitia in ſcriptura quadruplici ter accipi ſolet. Primò pro iuſtitia particulari, quæ eſt contraria auaritiæ; de qua poteſt accipi quod habetur Prouer. 16. Melius eſt parum cum iuſtitia, quàm multi fructus cum iniquitate; Et de iuſto, ac virtute particulari iuſtitiæ habetur Prouer. 29. Rex iuſtus eriget terram, vir auarus deſtruet eam. Secundò accipitur iuſtitia pro virtute vniuerſali, vel quaſi quæ

Prou. 16. Eodem 29

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

est omnis virtus moralis, infra eodē. [*Nisi abundauerit iustitia vestra plusquàm scribarum & phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum*] & sic accipitur iustus Luc. 1. Erant iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela. Tertiò accipitur iustitia pro fide informata charitate, de qua dicitur Gen. 15. Credidit Abrahā Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Et ad Gal. 3. dicit Apost. Lex pædagogus noster fuit ī Christo, vt ex fide iustificemur. & cap. eodem. Ex fide iustificat gentes Deus. Et ad Ro. 5. dicitur. Iustificati ex fide pacem habeamus ad Deum.

Luc. 1.
Gen. 15.
Gal. 3.
Ibidem.
Rom. 5.

SVMMARIVM.

Quòd si iustitia particularis oppositæ auaritiæ intelligatur in ista beatitudine [Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam] *ponitur continuatio & expositio istius beatitudinis quartæ ad tres præcedentes beatitudines.*

XIII

QVo suppositō intelligendū est, quòd hæc beatitudo continuatur, & exponitur multipliciter secundum diuersas acceptiones iustitiæ. Nam si accipiatur iustitia pro virtute particulari oppositā auaritiæ, tunc continuatur sic ad præcedentes beatitudines. Contingit enim quandoque quòd illi, qui in initio cōuersionis suæ propria propter Deum dimiserunt, quando postea defectum in necessarijs vitæ patiuntur, impatienter se habēt, ex quo efficiuntur querulī, & impatientes, mititiam, & mansuetudinem amittentes, & lugentes de eo, quòd propria dimiserunt; Et quia ad ea, quæ dimiserant habenda redire non possint; cupidi, & auari fiunt, vt rapiant aliena, inexquisitos modos cogitantes qualiter diuites esse possint. Vnde Hier. in Epistola ad Nepotia. de vita clericorum, & monachorū, de quibusdam Clericis & monachis dicit Audio præterea quorundam turpe seruitium in senes, & anus absque liberis; Ipsi apponunt mapulam, obsident lectum, & prurulentias stomachi, & flegmata pulmonis manu propria suscipiunt; Pauent ad introitum medici, trementibusque labijs an commodius habeant, sciscitantur; Et si paululum senex uegetior fuerit, periclitantur, simulataque lętitia mens intrinsecus auara torquetur. Timent enim ne perdant ministerium, & viuaces senes Mathusalem annis comparant. Et infra. Sūt qui pauperibus parum tribuūt vt amplius accipiant, & sub prætextu eleemosynę quærunt diuitias, quę magis uenatio appellanda est quàm eleemosyna. Sic bestiæ, sic aues capiuntur, & pisces, modica in hamo esca ponitur, vt matronarum in eo sacculi proijciantur. Et in epistola ad Rusticum monachum dicit idem. Vidi ego quosdam, qui postquam renunciauere sæculo vestimentis duntaxat, & vocis professione, non rebus, nihil de pristina conuersatione mutasse, res familiaris magis aucta, quàm imminuta; Eadē ministeria seruulorum, ijdem apparatus conuiuij, in vitro, & patella fictili aurum comeditur, & inter turbas, & examina ministrorum nomen sibi vendicant solitarij; plerique artibus, & negociationibus pristinis carere non possunt: mutatisque nominibus institorum eadem exercent commertia; non uictum, & uestitum, quòd Apostolus præcipit, sed maiora, quàm seculi homines emolumenta sectantes, quodque pudet dicere; sed necesse est ut saltē sic ad nostrum erubescamus dedecus, publicè extendentes manus, pannis aurum tegimus, & contra omnium opinionem plenis sacculis morimur diuites, qui pauperes vixeramus. Et in epistola ad Eustoch. dicit idem. Quidam omne suum studium, vitamque in hoc posuere, vt matronarum nomina, domos, moresque cognoscant; è quibus vnum, qui huius artis est princeps, breuiter strictēque describam; quo facilius magistro cognito, discipulos recognoscas; Cum sole festinus exurgit, salutandi ei ordo disponitur, viarum cōpendia requiruntur; & penè vsque ad cubicula dormientium senex importunus ingreditur, si puluillum viderit, si mantile elegans, si aliquid domesticæ supellectilis, laudat, miratur, attrectat, & se his indigere conquærens, non tàm impetrat, quàm extorquet. Quia ergo contingit quandoque quòd sua voluntariè relinquentes, postea dolūt se propria reliquisse, & per multas, & inexcogitabiles vias ducti cupiditate, & auaritia; aliena sibi appropriant, qui propria ante dimiserāt; Dominus vt ostendat, qui pauperes spiritu sint beati, ponit tres beatitudines declarantes conditiones perfectorum pauperum; quarum prima est, quòd non commoueant, vel irritent si necessaria desint, quia [*Beati mites*] Secundò vt propter defectum necessariorum, qui contingit ex dimissione suorū, non doleāt se propria dimisisse; quia [*Beati, qui lugent*] non propter defectum mundanorum, & terrenorum, sed propter desiderium supernorū. Et tertiò, nè ad fugiendam inopiam aliorum bona auarè quærant; quia [*Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam.*] Tales enim sua

Hiero.

Idem.

Idem.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

cuique manere volũt, vt sic pauperes perfecti sint, quia propria, voluntariè dimittunt, nec tristantur si necessaria postea desint; nec dolent se propria dimisisse, nec affectant aliena acquirere.

SVMMARIVM.

Ostenditur quid sit iustitia particularis, & cui iustitiæ particulari opponatur auaritia.

XIIII VOlens ergo ostendere Dominus, qui pauperes spiritu sint beati, post tres primas beatitudines ponit hãc quartam; quia [*Beati, qui esuriunt & sitiunt iustitiam*] Iustitia enim, vt dicitur primo Ethi. est habitus, quo iustus est operatiuus secundum electionem iusti, & distributiuus, & ipsi ad alium, & alteri ad alterum; non sicut cligibilis quidem plus ipsi, minus autem proximo, nociui autem è conuerso, sed æqualis eius quod secundũ proportionalitatem. Similiter autem alij ad alium; quod nihil aliud est dicere, nisi quòd iustitia est virtus, qua sibi, & alij iustus reddit quod suum est; considerata cõditione personarum, & rerũ personis distribuendarum in iustitia distributiua, & considerata qualitate rerum commutandarum inter personas in iustitia commutatiua. Sic quòd si ipse debet sibi, & alij distribuere; vel commutationem inter se, & alios facere; vel solum inter alios ista facere, sibi, & aliis æqualiter bona vtilia, & nociua distribuit, vel commutat, non affectione, vel passione ductus, sed sola volũtate regulata ratione, sic q̃ si vtilia vel honorabilia habet distribuere sibi, & aliis, non plus sibi, vel alicui alteri, quàm dignus est distribuat; sed vnicuiq; det secũdum eius dignitatem, vt secundum laborem, & vtilitatem, quæ consecuta est ex facto cuiusque, vel verisimiliter ẽstimatur in posterum euenire; vel si commutationem facit inter se, & alios, vel inter alios solum. Solum attendit precia rerum secũdum valorem, considerata qualitate temporis & loci, & rerum commutandarum, & tantum dat, vel recipit, vel dare, & recipere facit, quantum res commutandæ iusto precio valent, non recipiens rem plus valentem pro minori precio, sed semper respicit ad æqualitatẽ rerum commutandarũ: Qualis fuit iustus ille, de quo dicit Auguſt. 13. de Trinit. cap. 3. Scio ipse hominem cum venalis codex ei oblatus fuisset, preciique eius ignarũ, & ideo quidam exiguum poscentem cerneret venditorem; iustum precium quod multo amplius erat nec opinanti dedisse; Si etiam res, quæ commutandæ sunt, sint nociuæ sibi, & aliis commutat, considerata qualitate, & quantitate iniuriarum illatarum, vel damnorum illatorum pœnas inferens, vel damna resarciens, secundum quod vnusquisque meruit, non se ab hac iustitia retrahit fauore, timore, vel odio. Sic ergo talis iustitia est habitus, quo quis electione vnicuique scilicet sibi, & aliis reddit æqualiter, quod suum est; Licet autem auaritia, quæ est contraria huic virtuti, largo modo possit opponi iustitiæ distributiuę, quod fit; quando plus sibi, vel suis vult, & procurat honores conferri, quàm digni sint; tamen propriè auaritia opponitur iustitiæ commutatiuæ, & non in sua vniuersalitate, sed solum in illa specie commutatiua, quæ circa pecunias, vel earum rerum, quæ pecunia æstimantur, consistit; & de iustitia quæ huic auaritiæ est contraria secundum istum modum exponendi, Dominus dicit. [*Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam*] Vnde & Chrysost. dicit; Quam vero iustitiam? Vtique rationalem istam, quæ ex aduerso auaritiæ collocatur.

Aristot. — Chrysost. hom. 15.

SVMMARIVM.

Quare auarus dicitur esurire, & sitire pecunias, & iustus perfectus dicitur esurire, & sitire iustitiam.

XV RECtè autem de iustitia loquens ponit esuriem, & sitim, vt iustitia & auaritia in istis modis conueniant. Auarus enim tantum cupit res alienas habere, & eius desiderium habendi, fames, & sitis dicitur; Quia quemadmodum esuriens, & sitiens propter cibi auiditatem, omnem modum habendi cibum acceptat, non curans quid in posterum debeat contingere; Quemadmodum fecit Esau, qui propter unam escam vendidit primogenita, paruipendens quòd primogenita vendidisset, Gen. 25. & ad Heb. 12. Et sicut multum esuriens & sitiens vix credit, quòd fames & sitis eius repleri possint; ex quo etiam contingit, quòd frequenter tantum de cibo & potu accipiant, quòd eorum corpora notabiliter lædantur; & tamen adhuc saturati non sunt; Sicut contingit ebriosis, qui quantò plus potant, tantò plus sitiunt; Auari ideo bona aliorũ ita desiderãt, vt nõ curent de modo ipsa habendi,

Gen. 25. Heb. 12.

Augusti.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

sed tantum vt ipsa habeãt: propter quod efficiuntur & adulatores, & detractores, vsurarij, & falsi mercatores, latrones, & fures; nec est aliquod peccati genus, in q̃ non se immergant, dummodo pecuniam habere possint; propter quod & Apost. 1. ad Tim. 6. dicit. Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationẽ, & laqueum diaboli, & desideria multa, & inutilia, & nociua, quæ mergunt hominem in interitũ, & perditionem: radix enim omnium malorum est cupiditas. Vnde dicit Glo. Nõ est genus mali, quod ex cupiditate aliquando non proueniat; quæ cupiditas (vt ibi dicit Glo.) est auaritia, quæ propriè est amor pecuniæ; Quia etiam auarus propter se pecuniam quærit, in ea suum finẽ ponendo, nunquàm pecunia saciatur, sed quantò plus habet, tantò plus affectat habere. Vnde & 1. Polit. dicitur de pecuniatiua quòd in infinitum diuitias quærit; Concupiscentia enim illa infinita existẽte in auaris, quærunt illa, quæ sunt factiua habendi diuitias in infinitum. Et vt dicit idem 2. Polit. Malitia hominum irreplebilis est, & primum quidem sufficientes duo obuli solum; cum autem iam hoc fuerint partum, semper indigent pluribus, quòusque in infinitum veniant. Infinita enim natura cõcupiscentiæ, ad cuius repletionem multi viuũt; Vnde & de auaro dictum est Eccles. 5 Auarus non implebitur pecunia. Auaro etiam quandoque contingit, quòd dum nimis pecuniã quærit acquirere, vitam perdit; multi enim propter diuitias obierunt. Qui ergo sicut multum sitiens, & esuriens, sine modo quærit quid bibat, & comedat; & quando que plus recipit quàm eius natura requirit; & contingit quandoque quòd talis satiari non possit, & auari patiuntur consimilia, quò ad habendum pecunias; ideo rectè auari desiderium fames, & sitis vocatur. Vnde Prouer. 28. dicitur de principe auaro. Leo rugiens, & vrsus esuriens princeps impius super populũ pauperem: Et contra optimates Samariæ dicitur Amos 4. Audite vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ, quæ calumniam facitis ẽgenis, & confringitis pauperes, quæ dicitis Dominis vestris: Afferte, & bibemus. Vnde inter insaturabilia ponitur terra, quæ non saciatur aqua. Prouer. 30. Quia ergo sitis, & esuries propriè auaritiæ competunt; ideo Dominus, vt ostendat qualem iustitiam acceptet ipsi auaritiæ contrariam, actum auaritiæ apponit iustitiæ, dicens. [*Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam*] Vt enim auarus omnẽ modum acceptat acquirendi pecuniam,

1. Tim. 6.

Glos.

Arist. cap. 6.

Idem

Eccl. 5.

Prouer. 28

Amos 4.

Prou. 30.

F sic iustus quærit, & perscrutatur omnes vias iustas, per quas possit iustitiam exercere. Vnde Prouer. 2. dicitur. Seruans semitas iustitiæ, & vias sanctorum custodiens, intelliget iustitiam, & iudicium, & æquitatem, & omnem semitam bonam. Et quemadmodum auarus semper plus sitit pecuniam quantò plus habet; sic iustus quãtò plus iusta operatur, tãtò plus iusta vult operari; Vnde Proue. 4. dicitur. Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectam diẽ: G Et Apo. ad Philip. 3. de se dicit. Nõ quòd iam acceperim, aut perfectus sim; sequor autem si comprehendam in quo comprehensus sum; Fratres ego me non arbitror comprehendisse; vnum autem, quæ quidẽ retro sunt obliuiscẽs, ad ea quę sunt priora extendens me ipsum, ad destinatũ persequor brauium supernæ vocationis: Vbi dicit Glo. Nemo fidelium, & si multum profecerit, dicat. Sufficit mihi: Qui enim hoc dixit, hæsit in via. Et infra. Non remaneamus in illis, in quæ iam venimus, curramus, tendamus, H in via enim sumus, non retro respiciamus, sed in anteriora extendamus intentione, & desiderio: Quia, vt dicit Leo in ser. de Quadragesima. Natura nostra, adhuc manẽte mortalitate, mutabilis, etiam si ad summa quæque virtutum studio prouehatur, semper tamen sic potest haberi quomodo crescat. Et hæc est perfectorũ vera iustitia, vt nũquã præsumãt esse perfecti, ne ab itineris nondũ finiti intentione cessantes, ibi incidãt deficiendi periculũ, vbi proficiendo deposuerint appetitũ. I Quia ergo nemo nostrũ tàm sãctus, & perfectus est, vt perfectior, sanctiorque esse non possit, omnes ab iis, in quæ peruenimus, in ea, quæ nondum apprehendimus, pia auiditate curramus. Quia ergo iustus quantò iustior fuerit, tantò magis iustior esse desiderat, continuè in iustitia proficere cupiens: ideo rectè eius desiderium sitis, & fames vocatur. Qui edunt enim iustitiam, adhuc esuriunt, & qui bibunt, adhuc sitiunt, dum sunt in præsenti vita; Vnde & Apoc. vlt. K dicitur. Iustus iustitiam faciat adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc. Et quia contingit quandoque quòd iustitiam exercere ad omnes uolentes incurrunt maleuolentiam auarorum, qui omnia pro se habere voluut; ex quo contingit, quòd ab eis persecutionem patiantur; ideo tertia conditio esurientium, quæ est, quòd cibo habito, & potu grauantur, iustis conuenit: Vnde & infra eodem dicitur. [*Beati, qui persecutionẽ patiuntur propter iustitiã*] Iustus enim vt iustitiam possit exercere

Idem 4.

Idem 4.

Philip.

Glos.

Leo.

Apoc. vlt.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

non curat malis hominibus displicere. Vt ergo ostendatur quæ sit iustitia beatificãs, ponitur esuries, & sitis iustitiæ, vt ostendatur quòd ille iustus est beatus, qui feruenter, & cum magno desiderio quærit omnes vias, & modos, quibus possit iustitiam exercere; & semper se reputat esse imperfectum, in iustitia continuè proficere desiderans, & propter nullum malum corporale, vel temporale, quod sibi immineat, vult deserere. Vnde & Chry
Chrysost. hom. 15. sost. hanc beatitudinem ad hanc intentionem exponens, dicit. Non dixit Beati qui iustitiam habent; sed beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam; vt non simpliciter, sed cum omni desiderio ipsam adipiscamur. Quoniam enim maximè proprium auaritiæ est, & non ita cupimus cibum, & potum, sicut ampliora possidere, & acquirere, desiderium hoc, quod circa auaritiam est, trans ponere iussit ad iustitiam; quasi dicat. Quantum auari cupiunt habere, & acquirere pecuniam, tantum nos debemus desiderare, & habere iustitiã; Quo-
Rom. 6. modo locutus est Apost. ad Rom. 6. Sicut exhibuistis membra vestra seruire immũditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita & nunc exhibete mẽbra vestra seruire iustiRemig. tiæ in sanctificationem. Et Remig. hîc dicit. Nõ qualicũque modo appetẽda est iustitia, sed ardẽti studio, & magno desiderio amplectẽda, & tenẽda est; & sicut qui esurit, & sitit, nil magis quàm cibũ, & potum desiderat; Sic qui esurit, & sitit iustitiam, nil magis desiderat, quàm ipsam iustitiam implere. Admonet ergo nos Dominus esurire, & sitire iustitiam, vt scilicet nunquam nos satis iustos esse putemus; sed semper maius bonum facere velimus, quantum nostra facultas sufficit; Vn
Isa. 33. de & Isa. de huiusmodi iustitia loquẽs, dicit. Qui ambulat in iustitijs, & loquitur veritatem; qui proijcit auaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere, iste in excelsis habitabit. Munimenta saxorum sublimitas eius, panis ei datus est, aquæ eius fideles sunt, regem in decore suo videbũt oculi eius. Quod exHiero. ponẽs Hiero. lib. 10. super Isa. dicit. Omnis qui huiusmodi est, qualem propheticus sermo describit, qui ambulat in plurimis iustitijs, non semel, sed semper iustitias diligit; nec vna vice, sed iugiter loquitur veritates; qui proijcit auaritiã, quæ est mater calumniæ: Nihil enim nisi alterius dãno & malo, pecunia vnius alteri coaceruatur, & excutit manus suas ab omni munere; Munera q̃ppe excecãt oculos etiam sapiẽtũ; qui talis est, ipse habitabit in excelsis; hoc est in regno cælorum.

A

SVMMARIVM.

Quòd præmium iſtius iuſtitiæ eſt ſaturitas tàm in præſenti vita, quia iuſtus ijs quilibet contentus eſt; quàm in vita futura, quia ibi nullus iniuſtus erit, ſed omnes iuſti erunt, & etiã quia viſione ipſius Dei, qui iuſtitia eſt, ipſi iuſti ſaturabuntur.

XVI

HVius autem beatitudinis præmium ponitur saturitas, quoniam, inquit, [*Ipsi saturabuntur.*] Quæ saturatio potest intelligi & in præsenti, & in futuro: In præsenti quidem, quia iustus contentus est ijs, quę habet, cum non intendat habere terrenorum substantiam, nisi tantam, quanta est necessaria ad necessitates vitæ sui, & suorum sustentandas; quæ sustentatio non requirit immoderatas substantias, sed decentes; Vnde & Apost. 1. Ad Ti 1. Tim. 6.
moth. 6. dicebat. Habentes aliměta, & quibus tegamur, his contenti simus. Et Pro- Prou. 30.
uer. 30. dicitur Mendicitatem, & diuitias
nè dederis mihi, tribue victui meo tantũ necessaria. Vnde cũ pecuniatiua duplex sit, scilicet œconomica, & campsoria, œconomica finem habet, quia tantas quærit pecunias, quãtas videt necessarias curæ domesticæ agendę; sed campsoria finẽ non habet, quia pecuniam propter se quę- Arist.
rit, vt declaratur primo Polit. Quia ergo talis iustus non quærit nisi diuitias necessarias pro sustentatione sui, & suorum, faciliter, & cito diuitijs est repletus. Sed auarus, qui in infinitum pecunias quærit habere, nec habitis saciatur, impossibile est, quòd saturetur; quia & si totum mundum, qui finitus est, talis haberet, ipse, qui infinitas diuitias appetit, satur non esset; Desiderium enim infinitum finito satiari non potest; & ille, qui quantò plus habet, & acquirit, tantò plura habere, & acquirere cupit, saturari non potest; propter quod iustus diuitijs saturatur, auarus autem impossibile est quòd saturetur. Vnde Prouer. 13. dicitur. Iustus come- Prou. 13.
dit, & implet animam suam, venter autem impiorum insatiabilis. Vnde Chry- Chrysost. hom. 15.
sost. ad hanc intentionem beatitudinem hanc exponens, dicit. Huius beatitudinis sensibile brauium determinãs, dicit [*Quoniam ipsi saturabuntur.*] Quia enim æstimatur auaritia abundare facere multos, dicit, quoniam contrarium quidem est, iustitia enim hoc operatur; non ergo iusta agens time inopiam, aut treme famem: qui enim rapiunt hi maximè sunt, qui ab omnibus cadunt, sicut qui iustitiam cœpit, omnia ipse habet cum stabilitate.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Psal.36. Vt enim dicitur in Psal. Melius est modicum iusto super diuitias peccatorũ multas; quia, vt ibidem subditur. Non cõfundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur, quia peccatores peribunt. Potest etiam intelligi huiusmodi saturatio in futuro seculo; Quamdiù enim iustus est in præsenti vita iustitia saturari non potest. Cum enim virtuosus diligat virtutem, & eam in se, & aliis velit esse, iuxta illud Moysi Num. 11. Quis tribuat vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum suum? Et Apost. 1. ad 1. Cor. 7. Cor. 7. Volo omnes homines esse sicut me ipsum. Dum vident multas iniustitias fieri, & pauperes per auaros opprimi, contristantur, & dolent; iuxta illud Eccl. 4. Eccl. 4. Vidi calumnias, quæ sub sole geruntur, & lachrymas innocentium, & consolatorẽ neminẽ, nec posse resistere eorum violentiæ, cunctorũ consilio destitutos, & laudauit eum, qui ne dum natus est, nec vidit mala, quæ sub sole fiunt; Et Iob. 30. Flebã quondam super eo, qui afflictus erat, & Iob. 30. compatiebatur anima mea pauperi; & iccirco iustitia nõ saturantur, dum vident iniquos multa iniusta facere, & pereos opprimi pauperes: Sed quando erunt in futura vita, in qua nullus iniquus esse poterit, iustitia saturabuntur, quia non nisi iustitiam & in se, & in aliis contemplabũtur; Vnde & in Psal. dicitur de iustis. Nõ confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur, quia peccatores peribunt. Vel etiam saturabuntur in futuro, & non in præsenti, quia in vita præsenti non toto conatu ferri possumus in iustitiã propter multas vitę necessitates, quibus inuoluimur; propter etiam corruptionem fomitis, quo ad cupiditatem habendi inclinamur, propter etiam multos casus, qui in humanis contingunt, in quibus oportet quòd iustitia vel omittatur, vel differatur; Sed tunc iusti iustitia saturabuntur quando habebunt vnde saturentur, & nullum prohibens erit, quo eorum saturitas non impleatur. Vnde & Iohel. 2. Sanctis dicitur. Comedetis vescẽtes, & saturabimini, & laudabitis nomen Dei vestri; qui fecit vobiscum mirabilia; & non confundetur populus meus in sempiternum, & scietis quia in medio Israel ego sum. Et Isa. 65. dicitur de eisdem. Ecce serui mei comedent, & vos esurietis. Vt enim dicitur in Psal. Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirunt eum, viuent corda eorum in seculum seculi; Et vt dicitur alibi in Psal. Ego autem in iustitia apparebo cõspectui tuo, saciabor cum apparuerit gloria tua. Et vt dicit Aug. in lib. de spiritu & litera cap. 33. Quando iusti ibunt in vitam æternam, quæ vita æterna est cognoscere te vnum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum, illa cognitione, illa visione, illa contemplatione satiabitur in bonis animæ desiderium. Hoc enim solum animæ desiderium sat. est; vltra hoc non habet quod appetat, quò inhiet, quod requirat. Et vt idẽ dicit in libro de perfectione iustitiæ cap. 8. Ad saturitatem iustitiæ cum hinc exierit quisque peruenit, qui ad eam, cum hîc est, esuriendo & sitiendo cucurrerit; Et eodem lib. capit. 9. dicit idem. Cum adhuc est in nobis aliquid concupiscentiæ carnalis, quod vel continendo frenetur, non omni modo ex tota anima diligit Deus. Non enim caro sine anima concupiscit; quamuis caro concupiscere dicatur; quia carnaliter anima concupiscit, sed tunc erit iustus sine ullo omnino peccato, quia nulla lex erit in membris eius repugnans legi mentis eius, sed prorsus toto corde, tota anima, tota mente diliget Deũ; Vnde & hanc saturitatem exponens Remigius hîc dicit. Et quæ est ista saturitas? Et respondens subdit. Refectio æternę felicitatis, quæ tunc plena erit, quãdo Deus erit omnia in omnibus 1. ad Corint. 15. Quod exponens Aug. 22. de ciui. Dei, c. 30. dicit. Ego ero quæcunque ab omnibus honestè desiderãtur, & vita, & salus, & victus, & copia, & gloria, & honor, & pax, & omnia bona, & finis omnium desideriorum; Et tunc (vt dicit Glo.) illud, quo saturabũtur, Deus erit. Fecisti enim domine nos ad te, & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te. Quia, vt dicit Aug. 1. de Tri. cap. 10. Boni operis transituri merces est requies permansura. In illa ergo cõtemplatione Deus erit omnia ĩ omnibus, quia nihil ab illo aliud requiretur, sed solo illo illustrari, perfruique sufficiet.

Aug. Idem Idem Remig. 1. Cor. 15. Aug. Glo. Aug.

SVMMARIVM.

Ponitur secunda continuatio, & expositio, si iustitia accipiatur pro iustitia vniuersali morali.

XVII

SI verò iustitia accipiatur pro iustitia legali, quæ est omnis virtus moralis, quia talis iustitia præcipit omnem actũ virtutis, & ordinat omnem actum virtutis particularis ad bonum cõmune (vt patet 5. Ethi.) tunc potest continuari, & exponi hæc beatitudo sic. Cũ enim sint duæ partes iustitiæ legalis, iuxta illud Psal. Arist. Psal. 36.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Declina à malo, & fac bonum, & primò
sit malum declinandum, & deinde bonũ
Hiere.4. faciendum, iuxta illud Hiere. 4. Nouate
vobis nouale, & nolite serere super spi-
nas; ideo Dominus primò posuit beatitu
dines, quibus homines remouẽtur à ma-
lo, & nũc vult ponere beatitudinẽ, qua fit
bonũ. Vt enim dictũ fuit supra; Principiũ
recedendi a peccato est fragilitatẽ suã, &
peccati perpetrati vilitatem attendere,
quod facit pauper spiritu; qua visa sta-
tim imperatur per rationem quòd pecca
torum radices, & occasiones amputẽtur, B
vel mitigentur, ne iterum in miseram ani
mam per foramina sensuum peccata in-
grediantur; quæ nihil aliud est, quàm mi
tem facere sensualitatem; quia [*Beati mi-
tes.*] Sed quia contingit quòd voluntas
corrupta mala consuetudine resistit impe
rio rationis, & aduersus spiritum concu-
piscit, cogitur homo flere propter rebel
lionẽ ad bonum, quam in se factam ex se
videt, quo fletu peccata indulgentur, vt
fuit factum in Magdalena, & iam concu-
piscitur iustitiæ cibus. Quãdiù enim ani C
ma peccati infirmitate egrotat, iustitiæ
cibum non affectat; sicut nec corpus, dũ
febricitat, cibum corporalẽ accipere non
Ambro: appetit. Vnde & Ambr. 5. lib. super Luc.
hoc modo continuãs, dicit. Deposui pec
catum, tẽperaui mores, delicta fleui, esu-
rire incipio, & sitire iustitiã; Aeger enim
cum in graui morbo est, non esurit, quia
egritudinis dolor excludit famem; Hoc
etiam modo satis diffusè, & pulchrè hanc
Bernar. beatitudinem inducit Ber. 6. ser. de omni
bus Sanctis, & in lib. de conuer. ad Cleri D
cos. Vnde in dicto ser. dicit. Animaduer-
tit anima dum in multa anxietate circum
spicit vniuersa, nihil in se, nihil sub se, ni
hil circa se consolationis esse, quia pecca
torum amaritudine est repleta; propter
quod percipit desursum esse radiũ, quo
illustrãte, tam inueteratas tenebras agno
scit, deinde applicat oculum aliquate-
nus clariorem, & defecerunt lachrymis;
Vnde minus reuerberatur ad illius lumi-
nis claritatem, & dũ inspicit per foramẽ,
quo radius introiuit; ecce Paradisus vo- E
luptatis plantatus à Domino, hortus flo-
ridus, & amæniſsimus locus. Est autem
Paradisus Terrestris virtutum plantatio.
Idem Et Idem dicit primo Sermone de omni-
bus Sanctis, hanc beatitudinem exponẽs.
Infirmiori Palato cordis, & animæ lan-
guenti adhuc dura, & insipida res vide-
tur esse iustitia: sed qui gustauerunt, ecce
ipsi sciunt, quàm beati sint, qui esuriunt
illam. Sic ergo postquàm anima declina-
uit à malo. ascendendo per tres primas

A beatitudines, iam incipit facere bonum,
ad hanc quartam beatitudinem peruenie
do; & quia principalior pars iustitiæ lega
lis, est facere bonum, quàm declinari à
malo: ideo hîc primò nomen iustitiæ po-
nitur, cum dicitur [*Beati, qui esuriunt, & sci
tiunt iustitiam.*]

SVMMARIVM.

*Propter quid contingit, quòd homines in vitiis
in primis ætatibus nutriti, & assuefacti, non
nisi tardè in posteriore ætate ab illis vitiis ces
sare volunt? Quia solum delectationes victio-
rum experti sunt, & delectationes virtutum
minimè gustauerunt.*

CIrca quod attendendum, est quòd cũ XVIII
anima nostra, quantum est in se, sit
indifferens ad acquirendos habitus vir-
tuosos, vel vitiosos, licèt ipsa secundum
quod est rationalis, magis sit naturaliter
inclinata ad virtutem, quàm ad vitiũ, sem
per enim ratio ad optima depræcatur,
etiam ad peccatum, vel vitium magis in
clinata secundum corruptionẽ fomitis,
iuxta illud Gen. 8. Sensus enim & cogita Gen.8.
tio humani cordis in malum prona sunt
ab adolescentia sua: Iccirco contingit,
quòd secundum nutritionem generãtur
in anima vitia, vel virtutes, & à princi-
pio actus tàm virtuosi, quàm vitiosi, non
sunt delectabiles; & minus sunt delectabi
les actus vitiosi, quàm virtuosi; quia post
perpetrationẽ peccati statim sequitur pæ
na, & tristitia; quia anima cognoscit se vi
tiatam fuisse, quod non cõtingit in actu
virtutum: immo contrarium, quia & in
se delectabilis; quia secundum naturã, est
& delectatio eã cõsequitur per naturã;
Vnde & actus peccatorum quòd sint dele
ctabiles, & sine pœnitentia, non contingit
nisi iam generato habitu vitioso, ex fre-
quentia actuum; propter quod solũ quòd
sit diligendum in principio nutritionis,
facilius, & citius efficiuntur homines vir
tuosi, quàm vitiosi, Sed quia communiter
malè nutriũtur homines, quia etiam pri-
mæ duæ ætates magis aguntur sensualita
te, quæ corrupta est, & ad malum inclina
t, quàm ratione, quæ ad optima depre
catur: Ideo euenit, vt in pluribus, quòd
in pueritia, & adolescentia homines effi-
ciũtur vitiosi, carnales delectationes pro
sequendo; & cum iam facti sunt vitiosi in
primis duabus ætatibus, dum adhuc est
ratio in suo vigore, quando veniunt ad
iuuentutem vel ad alias, ætates posterio
res, illecti delectatione carnali, quàm fre
quenter experti sunt, oppressi etiam mo

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

le malę consuetudinis, ac ratione eorum occupata circa exteriora, & Diabolo eos iugiter instigante ad facinora frequenter, in suis vitiis perpetuò manent; nullã delectationem, nisi carnalem æstimantes, & omne opus iustitiæ, pœnale. Vnde, & Iob 21. dicitur de Diabolo. Dulcis fuit Glareis Concyti. Quod exponens Gregorius lib. 15. mor. cap. 28. dicit, Quot vitia carnalium cordibus inserit, quasi tot potus suæ dulcedinis eis porrigit; quã tamẽ dulcedinẽ nõ percipiũt, nisi q̃ præsẽtibus voluptatibus dediti ad perpetuũ luctum trahuntur. Qui potus amarus est electis, & suauis est reprobis. Illos enim solummodo suis delectationibus pascit, quos quotidianis lapsibus ad gemitum trahit. Sic ergo carnalis delectatio, quæ dulcis est reprobis, & amara electis, facit, quòd reprobi in peccatis perseuerent propter talem delectationem, quam magnam existimant. Vnde, & de hypocrita dictum est Iob 20. Ossa eius implebuntur vitijs adolescentiæ eius. Quod exponens Gregorius eodem libro cap. 5. dicit. Dum enim malè quisque agere cæperit, vsus iam deterius in hoc, quod inchoauerat, excrescit, & quasi in ossa conuertuntur; Hoc enim quod malè cępit peius quotidie per consuetudinem roborat, & eò vsque in illo iniquę consuetudines perdurant; quousque hunc ad mortis puluerem pertrahant: quia vsque ad mortem ab iniquitate minimè cessant. Sic ergo perseueratio in peccatis euenit in hominibus, ex hoc quod malè assuefacti in primis ætatibus, sequendo carnales delectationes, eas postea nolunt deserere, ipsas magnas æstimantes, & delectationes spirituales omnino non sentientes, quia nihil de eis gustauerunt.

Gregor. Iob 20. Gregor.

F G H I

non solum in opere exteriori, sed & in cogitatione: propter quod & Threnorũ. 3. dicitur. Bonum est viro, cum portauerit iugum ab adolescentia sua. Et Prouer. 22. Prouerbium est; Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Vnde quemadmodum vitiosi semper in peiora prolabuntur, concupiscentia, & delectatione carnali ducti, iuxta illud Apostoli 2. ad Timotheum 3. Mali homines, & seductores proficiẽt in peius, errantes, & in errorem mittentes: ita & boni quotidie ad meliora, & perfectiora iustitiæ opera exercenda proficiunt, virtutum delectatione ad virtuosa opera excitati. Sed quia contingit quandoque, q̃ illi, qui fuerunt peruersi, ad cor reuertentes volunt fieri virtuosi, vt patet de filio prodigo Luc. 15. & peruenire possunt ad virtutis statum, licèt cum difficultate, propter primam peruersam consuetudinem, qua opprimuntur, quousque delectatio virtutum esse in eis cæperit: Ideo isti tales, quando ad esuriem, & sitim iustitiæ perueniunt, iam incipiũt iusti esse, & si continuent bona opera, cum semper delectatio operis virtutũ in eis crescat, tandem ad hoc perueniunt, quòd delectationes carnales, quas antè pro magnis æstimabãt, pro nullis habent, immò iam mirari incipiunt, quomodo vnquam in eis delectari potuerint. Ex quibus patet, quòd delectatio consequens operationẽ bonam, vel malam, continuationem facit in opere bono, vel malo; Quæ delectatio facit quandam sitim, & famem sui, vt opera continuentur, in quibus quis delectatur: Propter quod benè dicebat Psalmista; Memor fui Dei, & delectatus sum, & exercitatus sum, & defecit spiritus meus. Quod exponens Cassiodorus dicit. Sanctus uir, qui negat illis rebus consolari animam suam, quæ humanis desideriis appetuntur, ei vna fuit consolatio, intentionem suam ponere semper in Domino. Nã cum Dei memores, finus totius suauitatis munere explemur; nec potest aliquis sibi æquari, quando cæperit gratia diuina satiari, & tunc incipit bonorum operum exercitium, quando iam anima incipit in Domino delectari: Et quia delectatio facit continuationem in opere tàm virtutum, quàm vitiorum, sitim, & famem sui mouendo, qua siti, & fame anima excitata, bona opera vel mala cupit exercere, vt delectari possit secundum quod appetit: Ideo tunc solum possunt continuari opera virtutum, vel vitiorum sine labore, & tristitia, cum anima multum delectatur in operibus illis; Vnde, & signum habi-

Thren. 3. Prou. 22. 2. Tim. 3. Luc. 15. Psal. 76. Cassiod.

SVMMARIVM.

Quòd delectatio sequens actum procedentem ab habitu perfecto virtutis, vel vitij, efficit in agente talem actum sui ipsius desiderium, & facit continuationem in actibus illius habitus; quod desiderium continuandi huiusmodi actus, vocantur fames, & sitis; Vnde quia opus perfectum iustitię non est, (nisi delectabiliter, & assiduè, ac perseueranter fiat;) Ideo Dominus esurientes, & sitientes iustitiam, beatificat.

XIX

SEd illi, qui à principio benè nutriti sunt in operibus virtutum; & qui nõ gustauerunt carnales delectationes, processu temporis, non solum non appetunt illas, imo etiam totaliter contemnunt,

K

tus

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

tus generati est in operibus illius habitus, qua delectatione existente in opere, anima continuè illa opera cupit exercere; quæ cupiditas, vel desiderium rectè fames, & sitis dici potest; Vnde & de appetentibus scientiam, & doctrinam, dicitur Eccl. 5. Appropinquate ad me indocti, cõgregate vos in domum disciplinæ; Animæ vestræ sitiunt vehementer, aperui os meum, & locutus sum. Et de Muliere incontinente dicitur eodem libro. 26. Sicut viator sitiens ad fontem os aperiet, & ab omni aqua proxima bibet, & contra omnem palum sedebit, & contra omnem sagittam aperiet pharetram donec deficiat. Quia ergo delectatio opus consequens virtutum est signum habitus secũdum virtutem generati, & facit continuationem in opere virtutum, & remouet difficultatem, & tristitiam, & laborẽ, quæ contingunt in opere virtutum. Ideo Dominus, opus nostrum perfectum esse vult, quod perfectum non est, nisi procedat ex habitu: qui etiam vult, quòd bona opera vsque ad finem continuẽtur, quia solum perseuerantibus præmia promittit, qui etiam vult vt delectabiliter, sine tristitia, aut violentia, vel coactione bona opera fiant, iuxta illud 2. ad Corinthios 9. Non ex tristitia, aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus ideo volens ostẽdere, quis iustus sit beatus dicit [*quòd ille, qui esurit, & sitit iustitiam.*] Ille enim qui iustitiam sitit, iam delectatur in opere iustitiæ, quia non sitiret eam, nisi ipsa habita delectaretur in ea. Qui etiam assiduè sitit iustitiam, assiduè etiam vult exercere opera iusta: qui etiam sitit iustitiam, dum iusta operatur, delectabiliter, & non ex tristitia, aut ex necessitate operatur; & ideo omnia, quæ spectant ad perfectum iustitiæ opus, habet talis iustus; propter quod rectè hîc beatificatur; Tali enim sitienti dabitur potus aquæ vitæ gratis, iuxta illud Apoc. vltimo. Qui sitit veniat, qui vult accipiat aquam vitæ gratis. Vnde & 2. Ethicorum ostenditur in quo habitus generatus sit, & cognoscatur ex delectatione, quæ superuenit operibus. Vnde ibidem dicitur. Signum oportet facere habituum super venientem voluptatem, vel tristitiam operibus. Qui enim recedit à voluptatibus corporalibus, & hoc ipso gaudet temperatus: qui autem tristatur intemperatus. Circa voluptates enim; & tristitias est moralis virtus, propter quod oportet duci qualiter confestim ex iuuenibus (vt Plato ait) & gaudere, & tristari, in quibus oportet. Rectè enim disciplina iuuenum hęc est, Et

Eccl. 5.

Idem 26.

2. Cor. 9.

Apoc. vlt.

Aristot.

A Chrysostomus hîc dicit in expositione: Esurire, & sitire iustitiam, est desiderare iustitiam Dei, vt siue faciant homines iustitiam Dei, siue audiant, non quasi inuiti audiant, vel faciant iustitiam eius, sed ex desiderio cordis; quoniam omne bonum, quod non ex amore ipsius boni faciunt homines, ingratum est apud Deum. Sic ergo ille iustus beatificatur, qui ex habitu operat iusta assiduè, & ea desiderat, ac delectatur in operibus iustis, semper maiora desiderans operari; quæ significantur per esuriem, & sitim iustitiæ; quæ iustitia est omnis virtus, quia præcipit omnem actum virtutis, & quicquid facit, & præcipit, propter bonum cõmune facit.

Chrysost. hom. 9.

B

SVMMARIVM.

Quòd Iustitia, quæ est virtus vniuersalis, quæ bonum commune respicit, non vera est in infidelibus; & quòd in fidelibus non est simpliciter in vita præsenti perfecta iustitia, quæ excludat omne peccatum, & includat omne opus

C *bonum, sed dicitur esse perfecta, secundum quod inueniri potest in bono homine, quando castigat corpus suum, & in seruitutem redigit, & ad proximum misericorditer, & iustè se habet, & ad Deum tota intentione mentis, quantum potest, attendit.*

SEd tunc iustus beatus est, quando attẽdit ad bonum commune per Dei legem ordinatum. Communitas enim hominum nõ subiectorum diuinæ legi, nec secundum Dei legem viuentium, iusta nõ

D est quia fidem non habet, nec aliquod bonum habere potest, quod sit Deo placitũ. (Sine fide enim impossibile est placere Deo, ad Heb. 11.) Propter quod, & Augustinus loquens de Republica infidelium 19. de ciuitate Dei cap. 21. dicit. Vbi iustitia vera non est, nec ius potest esse. Nõ enim iura dicenda sunt, vel putanda, iniqua hominum constituta, cum illud etiã ipsi ius esse dicant, quod de iustitiæ fonte manauerit: Quo circa vbi vera non est iustitia, iuris consensus, sociatus cætus hominũ non potest esse; iustitia porrò ea virtus est, quæ suum cuique distribuit: Quæ igitur iustitia est hominis, quæ hominẽ ipsum Deo vero tollit, & immundis Dæmonibus subdit? Hoccine est sua unicuique distribuere. An qui fundum aufert eius, à quo emptus est, & tradit ei, qui nihil habet in eo iuris, iniustus est; & qui se ipsum aufert dominanti Deo, à quo factus est, & malignis spiritibus seruit iustus est? Quasi dicat non. Quia ergo cõmunitas infidelis, quæ Deo non credit,

Heb. 11.

Augustin.

XX

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

& se Deo subtrahit, iusta esse non potest, nec iustitia in ea est, iuxta illud Isa. 1.
Isa. 1. Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij? Iustitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ: Ideo ille, qui operatur opera, quæ videntur esse iustitiæ propter bonum, talis infidelis communitatis vt sic maneat, non est iustus. Sed ille solum iustus est, hac legali iustitia, qui operatur opera virtutum propter bonũ commune fidelium in communitate existentium, ut eos ducat & dirigat ad finem, qui Deus est; & iusta facit, vt obediat legi diuinæ: quæ præcipit omnem actũ uirtutis, & prohibet omne peccatũ, & tunc talis iustus hanc legem obseruãs perfectè iustus est, quia declinat à malo, & facit bonum; quæ sunt partes iustitiæ legalis; Quales iusti erant parentes Ioannis Baptistæ, de quibus dictum est supra
Luc. 1. Luc. primo. Erant iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela. Non sic quòd aliquis homo in præsenti vita habens vsum liberi arbitrij (excepto Christo, & Virgine Maria) sit, vel fuerit, qui omnino nullum peccatum habuerit, & quòd omne opus iustitiæ perfecerit, quia hoc de communi more non est, dicẽte Aug. 2. de Baptismo paruulorũ cap.
Aug. 14. Omnes, quicunque in hac vita diuinarum scripturarũ testimoniis in bona voluntate, atque actibus iustitiæ prædicati sunt, & quicunque tales post eos fuerint, quamuis eisdem testimoniis prædicati, atque laudati; vel nunc usque etiam sunt, vel postea quoque futuri sunt, omnes magni, omnes iusti, omnes veraciter laudabiles sunt; sed sine aliquo peccato non sunt; Et in libro de perfectione iustitiæ c. vigesimotertio dicit idẽ. Quisquis fuisse, vel esse in hac vita aliquem hominem,
Idem vel aliquos homines putat (excepto vno mediatore Dei, & hominum) quibus necessaria non fuerit remissio peccatorum,
Rom. 5. contrarius est diuinæ scripturæ, Vbi Apostolus dicit: Quòd per vnum hominẽ peccatum intrauit in mundum &c. Quisquis etiam dicit post acceptam remissionem peccatorum, ita quenquam hominem iustè uixisse in hac carne, vel viuere, vt nullum habeat omnino peccatum, contradicit
1. Ioan. Apostolo Ioanni, qui ait. Si dixerimus quod peccatũ non habemus &c. Non ait habuimus, sed habemus; Sic ergo in præsenti vita nullus est perfectè iustus, nullũ omnino peccatum habens; Sed dicuntur esse perfectè iusti, & homines in præsenti vita esse possunt, qui semper in se inueniunt, quod legi Dei repugnet; & semper habẽt, quò proficiãt; sicut & habent quò deficiant, Vnde Aug. loquens de perfectione iustitiæ in præsenti vita, libro de perfectione iustitiæ cap. 8. dicit. Hæc est nostra in ipsa peregrinatione iustitia, vt ad illam perfectionem, plenitudinemque iustitiæ, vbi in specie decoris eius iã plena & perfecta charitas erit, nunc ipsius cursus rectitudine & perfectione tendamus, castigando corpus nostrũ, & seruituti subiiciẽdo & eleemosynas in dandis beneficiis, & dimittendis quæ in nos sunt commissa peccatis, hilariter, & ex corde faciendo, & orationibus indesinenter insistendo, & hoc faciendo in doctrina sana, qua ædificat fides recta, spes firma, charitas pura, Hæc nunc est nostra iustitia, qua curramus esurientes, & sitientes ad perfectionem, plenitudinemque iustitiæ, vt ea postea saturemur. Et quoniam in castigatione corporis frenatur concupiscentia, quæ non frenari, sed omnino esse non potest; nec erit in illa perfectione iustitiæ, vbi omnino nullum erit peccatũ, & quæ sæpè in vsus rerum etiam concessarum, ac etiam licitarum ostendit immoderationem suam, & in ipsa beneficentia, qua iustus consulit proximo, quædam facit, quę obsunt cũ prodesse putãtur: & aliquãdo per infirmitatem, vel cum minus sufficit necessitatibus aliorum; vel parum in eis proficit, quod benignitatis, ac laboris impẽditur, subrepit tẽdiũ, quo offuscetur hilaritas, in qua datorem diligit Deus: Subrepit autem tantò magis, quantò minus quisque, & tantò minus, quantò maius profecerit. Ideo cõsideratis his, & huiusmodi, meritò dicimus in oratione Dominica. Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: Quod veraciter omnes iusti non dicerent, nisi se esse peccatores scirent. Ex quibus patet quæ sit perfectio iusti in præsenti, quam habet qui esurit, & sitit iustitiam, secundum tamen magis, & minus.

Aug.

SVMMARIVM.

Quòd licet tàm opera virtutum, quàm vitiorum dum fiunt delectabiliter fatient, & postea sui desiderium augeant, tamẽ desiderium sequens opera vitiosa non satiat, nec delectationẽ, sed fastidiũ generat, cuius contrariũ contingit in opere virtuoso; quia & delectat dum fit, & postquam factũ est, etiam sui desideriũ efficit.

ISTorum autem iustorum esurientium, & sitientium iustitiam præmium ponitur, cũ dicitur, [*Quoniam ipsi saturabuntur*] XXI

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Quæ ſaturatio & in præſenti in parte, & in futuro ex toto complebitur. In præſenti quidem quia in hoc differunt delectationes virtutum à vitioſis, quia delectationes, & etiam habitus virtutum an tequàm habeantur, paruipendũtur: quia eorum præcium, & nobilitas ignoratur. Sed cum habentur multum æſtimantur, & anima in eis plurimum delectatur, deſiderando aſsiduè in eis perſeuerare. Vnde quantò plus proficit quis in virtutæ, tantò plus proficere cupit, & gaudet in
Prouer.15 virtutæ iam acquiſita. Vnde Prouer. 15. dicitur de gaudio iuſti. Secura mens, quaſi iuge conuiuium, & ſapientia de ſe dicit
Eccl.14. Eccl.24. Qui edũt me, adhuc eſurient, & qui bibunt me, adhuc ſitient. Sic ergo virtus habita multum æſtimatur, & anima in ea delectatur, & ex delectatione, quã habet ex virtute iam habita, ſemper deſiderat magis, & magis proficere in ea; & ſic ſatiat ex illa parte, qua habetur, & eſuriem ſui facit ex illa parte, qua perfectè non habetur, vnde & virtutis ſatietas, dum eſt in opere, deſiderium auget; Sed opus vitioſum, & vitium antequàm habeantur, dum tamẽ concupiſcuntur, plurimum æſtimantur; Sed dum iam ſunt habita pro nihilo reputantur, immo anima ſtatim dolet ſe illa obtinuiſſe: & poſtquã tranſacta ſunt, faſtidioſa ſatietate animã replent, quousque iterum concupiſcentia inſurgat, quæ validior ſemper ſurgit, quantò magis ei fuerit ſatisfactũ; & ideo opera vitioſa animam non ſatiant, quam uis, dum ſunt, plus de cruciatu habent quàm de delectatione, vel ſaltem aſsiduè triſtitia ſequitur voluptatem; ſed ſi ſatiẽt non eſt ſatietas tollens faſtidium, ſed ex faſtidio procedẽs, quo tranſacto, validiorẽ famem ſui tranſacta voluptas efficit.
Prouer.24 Vnde & os vuluæ inter inſatiabilia ponitur, Prouer. 30. Et vt Tullius in libro de ſenectute, auctoritate Sophoclis, de voluptate dicit. Vnde Sophlocles cum ab eo quidam iam defecto corpore quæreret, an uteretur rebus venereis. Dij (inquit) meliora tribuãt, ego libenter iſtinc ſicut à Domino agreſti, & furioſo profugi. Cupidis enim talium rerum odioſũ fortaſsè, ac moleſtum eſt carere, ſatiatis uerò, & expletis, iucundius eſt carere,
Auguſt. quàm frui; quamquàm non careat is, qui deſiderat: ergo hoc non deſiderare dico iucundius. Et Auguſtinus prima parte ſuper Ioann. ſermone 4. exponens illud Ioãnis 4. Qui biberit ex hac aqua, ſitiet iterum, dicit. Aqua in puteo voluptas ſeculi eſt in profunditate tenebroſa. Hinc eã hauriunt homines hydria cupiditatum, cupiditate quippè proni ſubmittuntur, vt ad voluptatem hauſtam de profundo perueniant, & fruãtur voluptate præcedente, & præmiſſa cupiditate, nã qui non præmiſerit cupiditatem, peruenire non poteſt ad voluptatem. Pone ergo hydriam cupiditatem, cum peruenerit quisque ad voluptatẽ ſeculi huius, cibus eſt, potus eſt, lauacrum eſt, ſpectaculum eſt, concubitus eſt. Numquid non iterum ſitiet? quaſi dicat, immo ſitiet; Sed qui acceperit aquã à Chriſto, nõ ſitiet in æternũ, quia ſatiabitur in bonis domus eius, in qua eſt fons vitæ. Nam quomodo ſitient, qui inebriabuntur ab vbertate domus eius? Promittebat ergo ſaginam quandã, & ſatietatem ſpiritus Sancti. Aqua enim, quam Chriſtus dat, etiam in præſenti ſatiat, quia fons eſt, & facit ſalire in vitam æternam perdeſiderium, & affectum, vt ſic, & ſatiet, & deſiderium ſui in anima faciat; Vnde Ioannis 4. dicit. Qui biberit Ioan.4.
ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum, ſed fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternã. Sic ergo vitioſa opera non propriè ſatiant, dum ſunt, ſed virtuoſa opera ſatiãt dum ſunt, & ſatietas ſequens opera vitioſa abominabilis eſt, & faſtidioſa; quæ ſatietas non dicitur, ſed faſtidium nauſeam prouocans: Quæ ſatietas figurata fuit per ſaturitatẽ datam Populo in heremo murmuranti, de qua dicitur Nu. 11. Dabit Dominus vobis carnes, Num. 11.
& comedetis nõ vno die, nec duobus, vel quinque, aut decẽ, nec viginti, ſed vſque ad menſẽ dierũ, donec exeant per nares veſtras, & vertantur in nauſeã. Et in Pſal. Pſal.77.
de hac ſatietate dicitur. Mãducauerũt, & ſaturati sũt nimis, & deſideriũ eorũ attulit eis, non ſunt fraudati à deſiderio ſuo: Adhuc eſcę eorũ erãt in ore ipſorũ, & ira Dei aſcendit ſuper eos. Sed iuſtitia ſaciat dũ eſt, animã iucũditate ſpirituali replẽs, & generat ſui deſideriũ: replẽda omnino, cũ manifeſtabitur gloria Dei: Vnde, & de
Idem 80. iuſtis dicitur in Pſal. Cibauit illos ex adipe fumenti, & de petra melle ſaturauit eos: Et Prouer. 12. dicitur, Qui operatur Prouer.12
terram ſuam, ſaturabitur panibus.

SVMMARIVM.

Quòd tunc ad plenum iuſtorum deſiderium ſatu rabitur, cum Dei viſionem, & fruitionem, ac corporum impaſſibilitatem, & immortalitatẽ adepti fuerint poſt generalem reſurrectionẽ.

SEd in futuro hæc ſaturitas plena, & perfecta erit, quando totum deſiderium humanum ſatiatum erit, cum Deũ infinitum, qui omne bonum eſt, videbũt, & amabunt, & tenebunt, & in in ſe ipſis

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

eum habitare non per fidem, sed per aper tam visionem, clarè, & apertè cognoscēt; dicente Augustino 22. de Ciuitate Dei, Augusti. cap. 30. Ipse Deus erit finis desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fa stidio amabitur, sine fatigatione laudabi Idem. tur. Et primo de Trinitate c. 8. dicit Idē. Hoc enim tunc erit plenum gaudium no strum, quo amplius non est frui scilicet trinitate, Deo, ad cuius imaginem facti Idem. sumus. Et vt dicit idem c. 10. In illa contēplatione, Deus erit omnia in omnibus, quia nihil aliud ab illo requiretur, sed B solo ipso illustrari, perfruique sufficiet; Tunc enim erit perfecta nostra iustitia, quando sic anima nostra iustitia erit repleta, quòd nec peccare poterimus, nec in iustitia proficere, desiderio cuiusque, secundum quod meruit, satiato; dicente Idem Augustino de Spiritu, & littera cap. 33. Illa cognitione, illa visione, illa contempla tione satiabitur in bonis, animæ desiderium: Hoc enim solum ei sat est, vltra non habet, quod appetat, quò inhiet, quod requirat. Et de natura, & gratia cap. 23. di- C Idem. cit idem. Ipsa est verissima, plenissima, perfectissimaque iustitia, quando charitas Dei in Sanctis sic erit perfecta, quòd non habebit aliquis, cui addendum aliquid sit: quod tunc erit, cum sana ad plenum hominis voluntate, possibilitas ipsa simul cum affectu in Sanctis proueniet, dum charitas Dei, quantum plenissimè natura nostra sanata, atque purgata capere potest, diffundetur in cordibus nostris per Spiritum Sanctū, qui dabitur nobis, Et hæc est illa ī omnibus bonis saturitas, D de qua loquens Augustinus in libro de Idem. Cathechizandis rudibus cap. 25. dicit. Exardesce frater amore, atque desiderio sempiternæ vitæ Sanctorum, vbi nec operosa erit actio, nec requies desidiosa: laus erit Dei sine fastidio, sine defectu, nullum in animo tedium, nullus labor in corpore, nulla indigentia, nec tui, cui subueniri desideres, nec proximi, cui succurrere festines: Oēs delitiæ Deus erit, & satietas Sanctæ ciuitatis in illo, & de illo sapiēter, beatēque viuentis; Efficiemur enim, si E cut ab illo promissum speramus, & expectamus, æquales Angelis Dei, & cum eis pariter illa Trinitate, iam per speciē perfruemur, in qua nunc per fidem ambulamus, vt æqualitatem Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & ipsius Trinitatis vnitatem, quomodo sint hæc tria vnus Deus, non iam verbis fidei, & strepentibus syllabis personemus, sed cōtemplatione purissima, & ardentissima in illo silentio absorbeamur.

SVMMARIVM.

Quòd licèt diuersa sint in magnitudine præmia Sanctorum iuxta proportionem meritorum, in beatitudine tamen vnusquisque beatus satur erit de præmio, quod habebit; nec desiderabit præmium, quod habet maior Sanctus, quàm ipse: sed cōtentus erit illo præmio, quod habebit: & quòd desiderium in eo non erit ad plus habendum de præmio, sed ad perseuerandum in illo, quod accepit.

XXIII

LIcèt autē tunc charitas, & iustitia cuiusque augeri non possit, quia tanta data erit cuique, quāta in via meruit, tamen nō propter hoc, in omnibus æqualis secundum gradum dictæ formæ iustitiæ quantitas erit, quia secundum diuersam quantitatem meritorum dabitur diuersa quantitas præmiorum, nulla inuidia, vel rancore in beatis existente, de diuersa quantitate præmiorum, cum vnusquisque eorū manifestè cognoscet, quòd tantam quisque habet iustitiam, vel charitatem, quantam meruit. Et quia iusti sunt omnes, quisque vult habere quod habet, nihil vltra quærens, & vult alium habere quod habet, in nullo sibi inuidens: Quemadmodum in corpore animalis est membrorū distincta nobilitas, sine omni inuidia, & affectu, vel desiderio quòd vnum alterum fiat, vel actus eius. Ei conueniat, dum vnumquodque membrū sua dignitate, & officio contentum sit: Non enim pes desiderat esse oculus, vel manus, vel eis inuidet quia digniora sint eo, sed pes contentus est sua dignitate, & officio, sicut & oculus suo. Vnde Augustinus 22. de Ciuitate Dei cap. 30. de hoc August. loquens, dicit. Futuri sunt in illa beatitudine pro meritis præmiorum etiam gradus honorum, atque gloriarum, & tamē illa beata ciuitas magnū in se bonum uidebit, quòd nulli superiori vllus inferior inuidebit; sicut nunc non inuident Archangelis Angeli, tamquā nolit esse vnusquisque quod non accepit, quamuis sit pacatissimo concordiæ vinculo, ei quod accepit obstrictus, quam nec in corpore vult oculus esse, qui est digitus, cum mēbrorum vtrunque contineat totius carnis pacata compago. Sic itaque habebit donū alius alio maius, vel minus, vt hoc quoque nonum habeat, nè velit amplius: tunc ergo erit completa saturitas, quando nihil desiderabit amplius, & hoc bono quisque contētus erit, quod habebit, nec amplius desiderare poterit anima cuiusque bonis repleta talibus, quibus maiora, vel alia desiderare non possit; nec

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

erit desiderium in beatis, & maximè post resurrectionem ad habendum quod non habebunt, quantum ad illa, quæ spectant ad essentiam beatitudinis, sed ad permanendum in iis, quæ iam acceperunt; de quo desiderio loquens Petrus 1.Pet.1. dicit. In quē desiderant Angeli prospicere.

1.Pet.1.

SVMMARIVM.

Ponitur tertia continuatio, & expositio accipiẽdo iustitiam pro fide formata, & ostenditur, quomodo in præsenti vita iustitia fidei, & quantum ad fidem, & cognitionem diuinæ scripturæ, & quantũ ad charitatẽ semper augeri cupit, quod desideriũ fames, & sitis vocatur.

XXIIII Si verò iustitia accipiatur pro fide, quę per dilectionem operatur, qua impius iustificatur, & in iustitia proficit, & ad gloriam æternam peruenit, in qua præmium iustitiæ istius redditur, tunc hæc beatitudo potest continuari, & exponi sic. Vt enim superius dicebatur secundũ vnam expositionem Augustini. Ille pauper spiritu est, qui de suo ingenio non cõfidens cum humilitate suum intellectum subijcit sacræ Scripturæ, quæ est scientia fidei, eius sensum sequendo, non eam ad suum sensum trahendo, cui à Deo sciẽtia scripturarum, vel intellectus earum reuelatur, iuxta illud infra 11. Abscondisti hæc à sapiẽtibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Sicut enim superbus intellectus incidit in hæresim, sic humilis intellectus attingit ad scripturę veritatẽ. Sed quia in scriptura cuicumque intellectui humano in via occurrunt tam difficilia, quòd illa non valet intelligere, iuxta illud, quòd de se dicit Augustinus in 2. libro ad inquisitiones Ianuarii, cap. vlt. Nè dum in aliis innumerabilibus rebus, multa me latẽt, sed etiam in ipsis sanctis scripturis multò nesciam plura, quàm sciam. Non ideo intellectus humilis ita disipat, vel dilaniat per falsas interpretationes, & erroneas, vel blasphemat scripturam reprẽhendendo de falso, sed suã fragilitatem, vel insufficientiam recognoscens, dicit se ipsa non posse intelligere, cum tamen ipsa in se credat verissima esse, quod fit ex mititia, seu mansuetudine. Mitis enim non lædit, nec dilacerat scripturam sibi obscuram, sciens ossa Agni non esse comminuẽda, agens iuxta consilium Augustini 11. libro contra Faustum cap. 5. Autoritas scripturæ canonicæ veteris, & noui testamenti Apostolorum confirmata temporibus, per successiones Episcoporum, & propagationes Ecclesiarum, tanquàm in sede quadam sublimiter constituta est, cui seruiat omnis fidelis, & pius intellectus; vbi si aliquid, velut absurdum nouerit, non licet dicere; Auctor huius libri non tenuit veritatẽ, sed aut codex mendosus est, aut interpres errauit, aut tu non intelligis. Quia ergo contingit talia difficilia inueniri in scriptura, quæ non intelliguntur, nisi à Deo reuelentur, & tamẽ pius, & mitis intellectus, ipsa non disipat, vel discerpit, sed ipsa veneratur, & intelligere cupit, vidẽs quòd ipse ea, se, vel per se non potest intelligere, ad Deum ipsius Scripturę datorem, & declaratorem, cum fletibus redit: Qualiter Daniel lugebat trium hebdomadarum diebus, panem desiderabilem non comedens, postquam viderat visionem, quam non poterat intelligere propter: quod meruit, quòd ab Angelo ei visio interpretaretur, vt patet Danielis 10. Dan.10. & Ioannes flebat multum, quia nemo dignus inuentus est aperire librum signatum sigillis septem, nec videre eũ. Apoc. 5. Propter quod benè post beati mites, sequitur, [*Beati lugentes.*] Sed dum scriptura incipit alicui reuelari, & eius dulcedo prægustari, tunc magis assiduè eius desiderium augetur, & crescit; quod desiderium fames, & sitis vocatur. Vnde & de Sapientia dictum est Eccl. 24. Qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt me adhuc sitient. Non enim cibus, & potus sapientiæ est similis cibo, & potui corporali. Cibus enim & potus corporalis sic replent famelicum, & sitibundum corpus, quòd famem, & sitim pro tunc à corpore animalis repellunt: Sed cibus, & potus sapientiæ sic animam satiant, quòd quantò plus anima hoc cibo vtitur, tantò magis famescit, & sitit hunc cibũ: propter quod benè dicitur, quòd dum edunt, adhuc esuriunt, & dum bibunt, adhuc sitiunt: De quo cibo, & potu dicitur Eccl. 15. Cibabit illum pane vitæ, & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potabit illũ. Sed quia fides formata non solũ requirit scripturæ diuinæ cognitionem, sed etiã oportet, quòd secum habeat charitatem, qua informetur, iuxta illud 1. ad Cor. 13. Si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam; & si habuero omnem fidem, ita vt mõtes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Charitas autem, cũ sit amor Dei, semper de natura sua in homine crescere debet, quia non tantum Deus amari potest à creatura, quantum ipse amabilis est; propter quod contingit, quòd licet charitas à principio sit multum pauca, tamẽ postea dum continuatur, eius actus ex-

Matth.11. Augusti. Idem. Eccl.24. Idem 15. 1.Cor.13.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

crescit, Deo augente habitum, & semper crescente amore: quãtò magis quis procedit in Dei dilectione. Bonum. n. in quo nullus defectus est, quantò plus habetur plus diligitur. Vnde proprietates amoris diuini ponens Dionysius 7. cap. Cœlestis Hierarchiæ in expositione nominum Seraphim, declarat ipsas per illa, quę semper in motu sunt dicens; Mobile semper circa diuina, & incessabile, & calidum; & acutum, & superperuidum intentè, & forsan intimè, & inflexibilis semper motionis. Nec mirum si amor Dei semper intenditur, cum amor velit facere vnum de amante, & amato; & amans amati omnia velit scire, & habere; qui enim adhæret Deo vnus Spiritus est cum eo; Deus autem infinitus est, cui creatura nõ vnitur, nisi visione, & amore: & ideò quasi infinitæ motionis esse debet creatura, quæ se per amorẽ Deo vnire, & vnũ eum eo facere, satagit. Propter quod in præcepto dilectionis Dei, nihil ponitur significans partem, sed omnia, quæ imponuntur significant totum, vt patet Deut. 6. Diliges Dominum Deum tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua; Quasi diceret. Nulla potẽtia sit in te, quæ tota Deum non diligat; & totum conatum suum ad eum diligendum ponat; quia non tantum diligi potest, quantum diligendus est. Est autem proprietas amoris, quòd semper sui sitim, & desiderium efficiat; quia quantò plus amat, tantò plus amare vult. Vnde Ioannes Sarracenus exponens proprietates Seraphim super 7. cap. Cęlestis Hierarchiæ, dicit. Augent spirituales delitiæ desideriũ in mentem dum satiatur; quia quantò magis earum sapor percipitur, eò amplius cognoscitur, quòd auidius ametur; tantoque à comedente ardentius esuriuntur, quãtò & ab esuriente amplius comeduntur; sed quoniam appetitus ad saturitatem, saturitas autem apud nos fastidium generare consueuit, postquam dixit motum eorũ intentum, & non indigentem, ideſt esurientem, & satiatum, nè putaremus etiam fastidiẽtem, addidit & inflexibilem, ideſt à desiderijs non cessantem; Nam & desiderant sine labore, quia desiderium satietas comitatur, & satiantur sine fastidio, quia illa satietas ex desiderio semper attenditur. Est itaque in eis delectabiliter impressa sitis; simul atque satietas. Longè abest à siti satietas, longè à satietate fasti diũ, qa & sitiẽtes satiãtur, & sitiũt. Quia ergo charitas, qua fides informatur, nè mortua sit, & sciẽtia cohibetur, ne inflet de sui natura, dum sumus in præsenti au-

Dionys. Deut. 6. Sarac.

geri debet; & quãtò maior habetur, tantò magis haberi desideratur: propter quod sitim, & esuriem sui facit. Fides etiam, & scripturæ Dei cognitio semper sui desiderium, & sitim efficit, ideo iustitia tertio modo sumpta, quæ includit fidem, fidei scientiam, & Dei, & proximi charitatẽ, non est mirum, si sitim, & esuriem sui efficit in habente ipsam; Vnde & Dominus loquens de habentibus fidem formatam, quæ est iustitia, & adhuc sitientibus, dicit Ioannis 7. Si qui sitit, veniat ad me, & bibat; qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluẽt aquæ viuæ. Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Quod exponens Augustinus prima parte super Ioannem Ser. 32. dicit. Si sitimus, curramus, & non pedibus, sed affectibus, nec migrando, sed amando veniamus. Clamat ergo Deus, vt veniamus, & bibamus, si intus sitiamus, & dicit, quòd cum biberimus flumina aquæ fluent de vẽtre nostro. Venter interioris hominis cõscientia cordis est. Bibito ergo isto liquore viuiscit, purgatur conscientia, & hauriens fontẽ habebit, & fons erit; Quia ergo iustitia fidei semper sui desiderium, & in cognitione, & in amore operatur; Ideo benè dicitur de habente huiusmodi iustitiam, [*Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam*] Nõ enim perfectè iusti sunt in præsenti, qui semper iusti magis esse non appetunt. Vnde Et Eccl. 18. præcipitur. Non verearis vsque ad mortem iustificari, quoniam merces Dei manet in æternum. Et Apoca. 22. dicitur. Iustus iustitiam faciat adhuc, & Sanctus santificetur adhuc Ad quam intentionem hanc beatitudinem exponens Augustinus 1. libro de sermone Domini in monte, dicit. Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam &c. iam istos amatores dicit veri, & inconcusi boni. Et infra. In quarto autem gradu labor est, vbi vehementer incumbitur, vt se se animus euellat ab ijs, quibus pestifera dulcedine innixus est, in qua magnus labor est; Laborãt enim desiderantes habere gaudium in veris bonis, & amorem à terrenis, & à corporalibus cupientes auertere; Et Chrysostomus hîc ponens differentiam inter esurire, & sitire iustitiam, dicit; quòd ille esurit iustitiam, qui secundum iustitiam Dei desiderat conuersari; quod est recti cordis, sed sitit iustitiã, qui sciẽtiã Dei acquirere cupit; quod potest cõsequi ex studio scripturarũ; quod est docibilis uiri. Et sic ad hanc iustitiã habẽdã requiritur charitas, quæ rectũ cor facit, & scripturæ diuinæ cognitio, vt sic sit iustus iustitia Dei.

Ioan. 7. Eccl. 18. Apoc. 22. Augus. Chrysost.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

SVMMARIVM.

Quòd iusti habentes fidei formatæ iustitiam, tunc plenè saturabuntur cum Dei essentiã contemplabuntur, & ipsa visa perfruentur.

XXV

HVius autem beatitudinis præmium ponitur saturitas, quæ nihil aliud est nisi Dei aperta uisio, & eius fruitio, qua beati ab vbertate domus Dei satiantur; Præmium enim fidei est visio clara: & prẽmiũ charitatis in via est fruitio, dicente Augustino libro de perfectione iustitiæ hominum cap. 9. Quotquot perfectè currimus hoc sapiamus, quòd nondum perfecti sumus, vt illic perficiamur, quò perfectè adhuc currimus: vt cum venerit quod perfectum est, quod ex parte est destruatur, ideſt non iam ex parte sit sed ex toto: quia fidei, & spei iam res ipsa, non quæ credatur, & speretur, sed quæ videatur, teneaturque succedet. Charitas autẽ quæ in his tribus maior est nõ auferetur, sed augebitur, aut implebitur contemplata illud quod credebat, aut quod sperabat, iam adepta, in qua plenitudine charitas illud præceptũ implebit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mẽte tua. Et primo de Trinitate cap. 8. dicit idem. Contemplatio merces est fidei. Et 22. de ciuitate Dei cap. 29. dicit idem. Præmiũ fidei nobis ista visio seruatur; tunc enim erũt saturati iusti, quando perfecta iustitia erit. Erit autem tunc perfecta iustitia secũdũ Augustinum de spiritu, & littera cap. 36. quando erit tanta, quòd nihil eorum, quæ pertinent ad iustitiam, nos latebit; & ipsa sic animam delectabunt, quòd nec voluptas, nec dolor impedient delectationem illam; Quod tunc erit, cum eò peruentum fuerit, vt cognoscamus, sicut & cogniti sumus: & tunc tanta erit Dei dilectio contemplatoribus, quòd nullo modo comparanda sit tamquàm de proximo, illa, quæ nunc in fidelibus est: quia quantò maior notitia, tanta est & maior dilectio, propter quod nunc tãtum deest dilectioni, quantum perficiendæ notitiæ deesse credẽdum est. Sed cum ab hac peregrinatione, in qua per fidem nunc, peruentum erit ad speciem, quam nondum visam speramus, & per patientiam expectamus; procul dubio & ipsa dilectio non solum supra quam hic habemus, sed longè supra quam petimus, aut intelligimus erit. Nec ideo tamen plus esse poterit, quàm ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente. Tunc ergo erit anima satiata, quãdo & intellectus videbit omne bonum, & affectus toto suo impetu diliget summum bonum.

Augusti. Idem. Idem.

SVMMARIVM.

Ponitur quarta continuatio, & expositio, accipiendo iustitiam pro ipso Christo, cuius præsentiam debemus desiderare: quod desiderium tunc satiabitur; quando Christus in gloria apparebit.

XXVI

QVartò hæc beatitudo exponi potest secundum Remigium sic. Christus secundum Apostolum 1. ad Cor. 1. Factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sãctificatio, & redemptio, qui toto cordis affectu debet desiderari, iuxta illud Psal. Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deũ fontem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? quod desiderium tunc satiabitur, dum Dominus Iesus apparebit nobis in gloria, iuxta illud Ioann. 10. Ego sum Ostium, per me si quis introierit saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet. Vnde Remigius. Possumus intelligere Dominum nostrum Iesum Christum iustitiam, quia secundũ Apostolũ factus est iustitia. Ergo admonet Dominus nos esurire, & sitire iustitiam, hoc est, se ipsum, vt ardenter eius vestigia sequamur. Ex omnibus autem præcedentibus euidenter apparet quòd in præsenti perfecta iustitia non est. Quapropter semper in præsenti homo proficere potest: & quantumcunque proficiat, adhuc non attingit ad perfectionem iustitiæ, quæ in patria est, quia præmium patriæ licèt proportionatum sit, multò tamen, & quasi improportionabiliter meritum excedit.

Remig. 1. Cor. 1. Psal. 41. Ioan. 10. Remig.

TRactatus sequens protenditur usque ibi (Beati mundo corde &c.) *Et continet in se viginti quinque capitula. In primo autem, quòd duæ sint partes misericordiæ; & quis homo propriè misericors dici possit.*

1

BEati misericordes, *quoniam ipsi misericordiam consequentur,*] Vbi ponitur quinta beatitudo: Circa quod attendendum est, quòd secundum Augustinum in libro

de

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

August. de perfectione iustitiæ, cap. 8. Misericordia in duobus attenditur, vel in dandis beneficiis, vel in dimittendis, quæ in nos sunt commissa peccatis; hæc faciendo hilariter, & ex corde. Qui enim vel dat beneficium, vel dimittit peccatum in se commissum ex tristitia, vel coactione, misericors censendus non est, quia alterius miseriæ non subuenit ex compassione, quã habeat in corde de pena, vel peccato alterius; Misericors enim est, qui alterius miseriã vel corporalem, vel spiritualem suã compatiendo reputat, & sic succurrit alterius miseriæ; veluti suæ vellet succurri: Et quia quilibet multum ardenter, & velociter vult à se miseriam expellere, nullas moras, vel difficultates reputat dũ modo se à miseria liberare possit. Sic misericors alterius miseriam nititur quibuscunque modis, & quàm citius potest expellere. Vnde, & Remigius exponens hîc quis sit misericors, dicit. Misericors dicitur, quasi miserũ habẽs cor. Ille ergo vere citer est misericors, qui alterius miseriã, quasi suã tractat; qui de alterius infelicitate & dãno veluti de proprio dolet, & qui aliorũ miseriis subuenit ex compassione. Et Gregorius exponens illud Iob. 30. Flebam quondam super eo, qui afflictus erat; & compatiebatur anima mea pauperi 20. libro Moralium cap. 26. dicit. Quamuis vera compassio sit passioni proximi ex largitate occurrere, nonnunquã tamen cum exteriora, quæ abundè ad largiendum suppetunt, celerius dantis manus dationem inuenit, quàm animus doloré. Vnde scire necesse est, quòd ille perfectè tribuit, qui cum eo, quod afflicto porrigit, afflicti quoque animum in se sumit; vt prius in se personam dolentis trãsferat, & tunc contra dolorem illius per ministerium occurrat. Nam sæpæ, vt prædiximus, largitorem muneris rerum facit abundantia, & non virtus compassionis. Quia etiam afflicto perfectè compatitur, plerunque & hoc indigenti tribuit, in quo ipse si dederit angustatur, & tunc plena est cordis nostri compassio, cum malum inopiæ, pro proximo suscipere non metuimus, vt illum à passione liberemus; & infra. Plus ergo dicimus compati ex corde, quàm dare, quia quisquis indigenti perfectè compatitur, minus æstimat omne, quod dat. & infra. Qui autem fletum, & compassionem proximo tribuit, ei aliquid etiam de semetipso dedit Iccirco autem plus compassionem, quàm datum dicimus, quia rem quamlibet plerunque dat, etiam qui non compatitur, nunquam autem, qui verè compatitur, quod necessarium prosimo conspicit, negat, Tunc ergo super afflictum compatiẽtes plangimus, quando aliena damna nostra reputamus, & culpas delinquentiũ nostris mundare flectibus nitimur. Ille ergo verè misericors est, qui proximi miseriã compatiendo suam facit, ex qua compassione, sic mouetur ad proximi miseriam tollendã, sicut moueretur si sua esset auferenda. Benè enim potest cõtingere, quòd quis moueatur ad tollendam proximi miseriam, non sibi compatiendo; sed quia reputat sibi decens, quòd proximo subueniat, & hoc quidem opus virtutis est liberalitatis, vel magnificentiæ, sed non misericordiæ, quia ex compassione non fit. Aliquando etiam quis dat non ex compassione, sed quia est obligatus dare illi cui dat: alioquin ad hoc cõpelleretur; & si quidem dat propter hoc solum quia dare tenetur: huiusmodi datio est actus iustitiæ, quod solum de bona voluntate procedit; sed si det quia timet quòd dare cõpelleretur, vel compulsus, non est actus virtutis, sed vitij, & donatio auari. Si etiam detur propter alias indecẽtes causas, vt propter vanam gloriam, vel propter multa vana alia, & mala, nõ est actus misericordiæ, quia non ex compassione cordis huiusmodi datio procedit. Solum ergo beneficij datio, vel cõmissi in se remissio est actus misericordiæ quandò miseria alterius corporalis, vel spiritualis facta est miserentis ex compassione cordis, qua compassione sic mouetur misericors ad tollendam miseriam proximi, qualiter moueretur ad tollendã eandem miseriam, si in se haberet.

Remig. Iob 30. Grego. Idem Idem

SVMMARIVM.

Quòd licet Deus propriè non possit dici misericors, tamen misericors dicitur ex effectu non ex affectu: & quòd Christus, vt est homo, propriè misericors dici potest affectu, & effectu.

VNde licet Deus sic nostras miserias auferat, quasi si suæ essent, propter quod & misericors Deus est; misericors enim, & miserator Dominus, patiens, & multum misericors, vt dicit in psalmo; tamẽ quia sine compassione miseretur, propriè misericors non dicit. Vnde & hîc dicit Remigius. Sonus nominis huius, scilicet misericors, nõ propriè sed trãslatiuè dicitur in Deo. Et quia in Deo propriè misericordia cadere non poterat, vt sibi hæc misericordia propriè nõ deesset, Dei filius factus est homo, vt infirmitatibus nostris compati posset, & propriè de Deo

Psal. 144. Remig.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

(vt est homo) misericordia dici posset. Quod attendens Apostolus ad Hebr. 2. dicit. Debuit per omnia fratribus similari, vt misericors fieret. Quod exponens Gloss. dicit: De Deo incarnato hoc dicit. Qui in carne, quam suscepit multa sæua passus est; nouitque per experimentum, quæ sit ista tribulatio, & tentatio patientium. Non sicut Deus solus nouit passiones nostras, sed etiam sicut homo nouit per experimentum, per hoc scilicet, quòd tentatus est, & passus multa, nouit compati, licet impossibile sit secundum quòd Deus. Et Bernardus de duodecim gradibus humilitatis, circa principium dicit. Nescit sanus quid sentiat æger; aut plenus, quid patiatur ieiunus; & æger ægro, & ieiunus ieiuno, quantò propinquius, tantò familiarius compatiuntur. Sicut enim pura veritas non nisi puro corde videtur, sic miseria fratris verius misero corde sentitur, sed vt ob alienam miseriam cor miserum habeas, oportet tuam prius agnoscas, vt proximi mentem in tua inuenias, & ex te noueris qualiter illi subuenias: exemplo scilicet Saluatoris nostri, qui pati voluit, vt compati sciret, & miser fieri, vt misereri disceret. Nõ quòd antè misereri nesciret, cuius misericordia ab æterno; sed quod natura sciebat ab æterno, temporali didicit experimento; Et infra. Debuit per omnia fratribus similari vt misericors fieret, idest oportuit, ac necesse fuit eum pati, & tentari, & omnibus absque peccato humanis communicare miserijs; quod est per omnia assimilari, vt similiter passis, ac tentatis, misereri, aut compati ipso disceret experimento; Quo experimento non sapiẽtior efficeretur, sed propinquior videretur; Quatenus infirmi filij Adam suas illi infirmitates committere non dubitarẽt, qui sanare illas, & posset vt Deus, & vellet vt proximus, & cognosceret vt eadem passus; ex quibus patet, quid significet misericors, & q misericordia consistit in dãdis beneficijs, & in remittendis peccatis, & offensis contra nos commissis.

Heb. 2. Glos. Bernar. Idem.

A nem immediatam; Quia enim iusti beatificati sunt, ne iustitia in seueritatẽ transeat, misericordes beatificantur; vt simul hæ duæ virtutes in homine sint, & vna ex alia temperetur, quia iustitia sine misericordia crudelitas est; & misericordia sine iustitia condescensio, vel remissio ad peccata est, dicente Gregorio super illud Tollat crucem suam. Compassionem animi plerumque latentur obsidet pietas falsa, vt hunc nonnunquam vsque ad condescendendum vitijs pertrahat, dum ad culpam quisquẽ non debeat compassionem B exercere, sed zelum. Compassio quippè homini, & rectitudo vitijs debetur, vt in vno, eodemque homine, & diligamus bonum, quod factũ est; & persequamur mala, quę fecit; nẽ dum culpas incautè remittimus, non iam per charitatem compati, sed per negligentiam condescendisse videamus. Tunc enim perfectè iustitia cum misericordia in corrigendis vitijs retinetur, cum iustitia exercetur puniendo, vt peccatum deseratur; & dum cognoscitur quòd deseritur, larga misericordia C prætendetur; sic tamen sæuiat puniendo peccata iustitia, quòd subiectum peccans non destruatur, si spes probabiliter habeatur quòd peccator corrigatur. Alioquin exterminãdus est pestilens homo, nẽ diutius mala prosequatur; ne alios corrũpat, & vt exemplo pœnæ alii terreantur, ne ad consimilia prolabantur, & tunc maior misericordia exercetur, quia salus animæ multorũ procuratur per occisionẽ vnius peruersi, & peruerso consulitur, nẽ D peccare vltra possit, de quo verisimiliter præsumitur, quòd si semper viueret, deterior fieret; & hoc præcipuè puniens obseruare debet, vt non odio, vel rancore ad puniendum peccatũ delinquẽtis moueatur. Quia vt dicitur Prouer. 27. Ira non habet misericordiã, nec erumpens furor, sed zelo iustitiæ conseruata spiritus sui mansuetudine ad vindictam procedat; & qualiter procedi contra se vellet si incõsimili peccato esset: dicente Bernardo de duodecim gradibus humilitatis, circa E principium. Attendas, quod es, quia uere miser es, & sic discas misereri, quia hoc aliter scire non potes, nè forte si proximi malum consideres & tuum non attendas, mouearis non ad miserationem, sed ad indignationem, non ad adiuuandum, sed ad iudicandum, denique non ad instruendum in spiritu lenitatis, sed ad destruendum in spiritu furoris. Apostoli consilio etiam præceptum est, vt mansueto, idest eo spiritu fratri ægrotanti subuenias, quo tibi uis subueniri, cum e-

Gregor. Prou. 27. Bernar.

SVMMARIVM.

Ponitur prima continuatio, & expositio, & ostenditur, quæ sit correctio misericordis, & quales conditiones corripiens misericorditer habere debeat.

III

QVo supposito, hæc pars ad beatitudines supra positas potest continuari primò secundum Glossam ad beatitudi-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

grotas. Et vt scias qualiter erga delinquẽ
Gal.6. tem mansuescere possis: Considerans, inquit, te ipsum, nè & tu tenteris. Ille ergo verè misericors est in corripiendo delinquentẽ fratrem, qui veraciter fratrem diligit, & vitium eius odit: & sic procedit ad vitij correctionem, quòd fratrem non destruit: si spes probabilis de correctione maneat, & ea benignitate spiritus corrigit delinquentem, qua se vellet corrigi si in consimili delicto detentus esset. Vnde Augustinus de correptione, & gratia ca.
Augst. 15. dicit. Corripiãtur à prepositis subditi fratres correptionibus de charitate venientibus, pro culparũ diuersitate, diuersis, vel minoribus, vel amplioribus; quia & ipsa quę damnatio nominatur, quam facit episcopale iudicium, qua pœna in Ecclesia nulla maior est, potest (si Deus voluerit) in correptionem saluberrimam cedere, atque proficere. Et infra 24. Omni-
Idem. bus nè pereãt, & nè alios perdãt, adhibenda est à nobis medicinaliter seuera correptio. Illa ergo misericordia iustitia est temperanda, & è conuerso, quæ sic punit delinquentem, vt peccatum deseratur, & de peccato satisfiat; & sic modestè, & temperatè à corripiente procedat, qualiter vellet contra se procedi, si in consimili delicto esset.

F

G

H

E

SVMMARIVM.

Qualiter iustitia, & misericordia se inuicem iuuare debent, quia vna sine altera, nec est iustitia, nec misericordia, & quòd in corrigẽdis peccatis, iustitia, & misericordia sunt cõmiscendæ.

I

IIII Sed illa iustitia sine misericordia est, quando sic punitur peccator, quòd nõ ad correptionem sui, vel aliorum intendi tur, sed omnimode ad eius destructionẽ proceditur; nec de pœnitente, & humiliato misericordia habetur, sed omnino spiritus humiliatus, & contritus contemnitur. Vnde tales correptores sunt, de quibus
Ezech. 24 dicitur Ezechielis 24. Quod confractum est nõ alligastis; & quod abiectũ est non reduxistis, quod perierat non quæsistis, sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia. Sed tunc misericordia sine iustitia exercetur, quando sic compatitur homo homini; quòd magis vult eum in peccato manere, nè contristetur, quàm si corrigeretur vt sanaretur; vel etiã quando impœnitenti remittit vindictam, qua remissa, licentius peccat non timens correctionem. Vnde super illud Lucæ 17. Si

K

septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit ad te, dicens pœnitet me; dimitte ei, dicit Glossa. Non iubemus passim peccanti, sed pœnitentiam agenti dimittere, primum ergo est peccãtem increpare, vt postea pœnitenti possimus dimittere; ita enim peccat qui peccantem videns tacet, sicut qui pœnitenti non indulget. Et Augustinus 5. de ciuitate Dei cap. 24. dicit de bonis rectoribus. Tardius uindicant, facilè ignoscunt, si eandem vindictam pro necessitate regendæ, tuendæque Reipub. non pro saturandis inimicitiarum odiis exercent; & veniam non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgent; si quod asperè plerumque coguntur, decernere misericordiæ lenitate, & beneficiorum largitate compẽsant. Sicut enim nulli pœnitenti uenia est deneganda; ita nulli impœnitenti vindicta est relaxanda. Vnde Bernardus in libro de consideratione circa principium dicit. Nemo duri cordis salutẽ vnquam adeptus est, nisi quem fortè miserans Deus abstulit ab eo cor lapideum, & dedit ei cor carneum. Quid ergo est cor durum? ipsum est, quod nec cõpũctione scinditur, nec pietatè mollitur, nec mouetur precibus, minis nõ cẽditur, flagellis induratur. Quę misericordia misericordia non est, sed fatuitas, & non diligit eũ, cui parcit, sed perdit: Quemadmodum medicus si parcat morbo, vt consentiat ægroto, ægrotũ interficit, dũ morbum crescere permittit, non est amicus ægroti censendus, sed inimicus; & ille medicus est cẽsendus amicus, qui nõ vult cõsentire ægroto ut nõ parcat morbo, quia ita ægrotum sanat: Sic ille corrector amicus censendus est, qui sæuit vt peccatum corrigat, & hominem emendet; & ille est inimicus censendus, qui iccirco peccatũ non vult corrigere, nè eum offendat, qui peccauit, & in peccato perseuerare intendit, dicente Augustino in libro de Verbis Domini, Sermone 15. Pueri indisciplinati
Augst. nolunt uapulare, qui sic præscribunt nobis, quando uolumus dare disciplinam; Peccaui, ignosce mihi; ecce ignoui, & iterum peccat; & dicit ignosce, & ignoui, peccat tertiò, ignosce ait, tertio ignoui, iam quartò vapulat, & ille: Nunquid septuagies septies te fatigaui? si hac præscriptione seueritas disciplinæ dormiat, repressa disciplina sęuit impunita nequitia: Quid ergo faciendum est? corripiamus uerbis, & si opus est & uerberibus, sed delictum dimittamus, culpam de corde abiiciamus, ut si per charitatem imponitur disciplina; de corde lenitas non re-

Glos.

Augst.

Bernar.

cedat.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

cedat. Quid enim tam pium, quam medicus ferens ferramentum? Plorat secandus & secatur, plorat vrendus & uritur. Non est illa crudelitas, absit, vt sæuitia medici dicatur: sæuit ī vulnus, vt homo sanetur, quia si vulnus palpetur, homo perditur; Sic ergo nos fratres nostros, qui peccauerunt, omni modo diligamus de corde nostro, charitatem in eos non dimittamus; & disciplinam (cum opus est) demus, nè per solutionem disciplinæ crescat nequitia. Sic ergo quia misericordia sine iustitia occasio peccatorum est, propter quòd nec misericordia est; & iustitia sine misericordia crudelitas est, propter quod iustitia non est, sed dum misericordia temperatur iustitia, & iustitia misericordia, iustitia est iustitia, & misericordia misericordia: Ideo Dominus volens ostendere, quæ sit uera misericordia, & uera iustitia, postquam posuit Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiã, ponit [*Beati misericordes*] Vt enim hîc dicit Glossa. Iustitię lumē est misericordia; & misericordiæ virtus est iustitia. Iustitia enim & misericordia ita coniũctæ sunt, vt altera ab altera debeat tẽperari. Iustitia enim sine misericordia crudelitas est, misericordia sine iustitia, dissolutio; Vnde post iustitiam Dominus misericordiam subdit, dicens [*Beati misericordes.*]

Gloſ.

SVMMARIVM.

Ponitur secunda continuatio, & ostenditur, quòd quia in hac vita nullus est iustus, qui non peccet, vt ei peccata, quæ committit, dimittantur, oportet quòd sit alijs misericors; vt peccata, quæ in illum alij committunt, faciliter dimittat ad hoc, vt ipse à Deo misericordiam consequatur.

V

SEcundò potest continuari ad beatitudinē immediatã sic. Dictum est, quòd illi sunt beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, sed quia (vt superius dicebatur) nullus est iustus super terram, qui nõ peccet, opera etiam iustitię nostrę, si districtè iudicentur, inuenientur multos defectus habere; iuxta illud Isaiæ 64. Quasi pannus menstruatæ iustitiæ nostrę: Et Iob 9. Si iustificare me uoluero, os meum condemnabit me, si innocentem ostendero, prauũ me cõprobabit. Iccirco ne peccata, quæ contingunt iustis, pro imperfectione operum iustitiæ, eis obesse possint, ostenditur quid iusti facere habeant, ut ueniã, & misericordiam consequantur: cum dicitur, [*Beati misericordes.*] Cum enim misericordia (vt supra dicebatur) duas partes habeat, scilicet largitionem beneficiorum, & dimissionem offensæ in nos factæ, quarum vtraque veniam obtinet peccatorum, iuxta illud infra 6. Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet uobis, & pater uester cœlestis peccata uestra: Et Luc. 11. Date eleemosynã, & ecce omnia munda sunt vobis: Et Thobiæ 3. Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patitur ire animam in tenebras: Et Eccl. 3. Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis: Iccirco si iusti peccent, datur eis consilium, quid agant, vt peccatorum ueniam obtineant, cùm dicitur, [*Beati misericordes,*] quia si misericordes sunt hominibus ignoscendo eis delicta, quæ in eos commiserunt, & dando beneficia, quæ nomine eleemosynæ importantur, peccati remissionem consequuntur; vt sic perfectè iusti esse possint, declinando à malo, & faciendo bonum; viuentes secundum primam beatitudinem, & consequendo veniam de peccatis, quæ committunt, faciendo misericordiam cum proximo, vt & ipsi misericordiam consequantur; Et hoc modo continuat hanc beatitudinem Bernardus primo sermone de omnibus sanctis dicens. Quid potest esse omnis iustitia nostra coram Domino? nonnè iuxta prophetam, velut pannus menstruatæ reputabitur? Et si districtè iudicetur, iniusta inuenietur omnis iustitia nostra; & minus habens. Quid ergo de peccatis erit, quando ne ipsa quidem pro se poterit respondere iustitia? Propterea obnixè cum Prophetа clamantes; Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine: tota humilitate ad misericordiam recurramus, quæ sola potest saluare animas nostras, & solicitè pensemus, quòd sequitur, [*Beati misericordes,*] Vt enim idem ultimo sermone de omnibus sanctis dicit. Quomodo à memoria nostra excident vitia nostra, cum memoria sit membrana, uilis, & tennis, quæ attramentum fortè prorsus ebibit; quam si radere uolo, ante scindetur pellis quàm littera deleatur; Quomodo ergo inquinata memoria sordibus peccatorum obliuisci poterit, vt non meminerim eorum, quæ commisi? cui quæstioni respondens subdit. Operatur Diuina miseratio, vt peccata, quæ prius erant in memoria, & inficiebant, postea quidem sint in eam, sed eam nullatenus decolorent, quatenus videlicet sic memoretur anima peccata sua, sicut & aliena in memoria

Isa. 64. Iob 9.

Matth. 6. Luc. 11. Tob. 3. Eccl. 3. Bernar. Psal. 142. Bernar.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

habeo: sed mea inquinant, aliena verò nõ nocent; Hoc autem modo peccata de memoria delebũtur vt non noceãt, si audio vocem dicentis. [*Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiã consequentur.*] Ac si dicat. Ecce iam reconciliatus es, qui tibi ipsi grauis factus eras; nunc in domo tua pace composita. Oportet etiam, vt erga proximos habeas pacem, non solum nihil retinens de alieno, quod est iustitiæ, sed etiam propria cõmunicans, quod est misericordiæ. Fac eleemosynã, si non potes de terrena substantia, saltem de voluntate bona, & omnia munda erunt. Condona aliis, quæ deliquerunt in te, & dimittetur tibi quod peccasti. Esto misericors erga alios, & misericordiam cõsequèris. Hoc modo etiam hanc beatitudinem continuat Augustin. in 1. lib. de sermone Domini dicens. Quintò gradu perseueranti in labore iustitiæ datur euadendi consilium; quia nisi adiuuetur à superiore nullo modo sibi est idoneus, vt se se à tantis miseriarum implicamentis expediat. Est autem iustum consilium, vt qui se à potentiori adiuuaui vult, adiuuet & infirmiorem, in quo ipse est potentior, quia [*Beati misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus.*]

Augustin.

F

tum affectat, quãdo liberatus est ab illis, vt videt, quòd alij in consimilibus defectibus sunt, miseretur eis; & quantum potest laborat, vt à dictis miseriis liberentur. Vnde & Glos. super illud ad Hebræos 4. Tentatum per omnia, dicit. Impossibile est scire afflictorum afflictiones hominũ, qui afflictionis experimentum non habuit, & per consequens talis inexpertus afflictionum afflictis non compatitur, vel non multum: sed qui multũ afflictus fuit, videns alios in consimili afflictione teneri, eis compatitur, cognoscens ex se ipso afflictionis, & miseriæ proximi, acerbitatem; Vnde qui non peccauerunt grauiter, & per consequens non pœnituerunt feruenter, videntes peccatores magnos, & multum pœnitentes, non multum eis compatiuntur: quia ignorant pœnitentis doloris magnitudinem; Vnde & super illud Iob 16. Vtinã esset anima vestra pro anima mea, consolarer, & ego vos sermonibus, dicit Gregorius lib. 13. Moralium cap. 3. Optat, vt amicorum anima, vel vitia consimilis eis esset, vt amici, qui doloris illius per charitatem compati nesciebant, ab experimento discerent qualiter afflicto misereri debuissent: atque edomiti doloribus à sua passione traherẽt aliis consolationem qualem inferrent. Et Bernar. in sermone 1. de festo Apostolorũ Petri, & Pauli, dicit. Propterea dedit mihi Deus rectores, Petrum, & Paulum; qui, & homines essent, & peccatores, & maximi peccatores, qui in se ipsis, & de se ipsis discerent, quam latè aliis misereri deberent. Magnorum enim criminum rei magis criminibus facilem donabunt veniam, & in qua mẽsura mensum est eis, remetiẽtur & alijs. Vnde secundo Rethoricæ loquens Aristoteles de miseratiuis dicit. Quòd ille est miseratiuus, qui passus est aliquod malum, vel corruptiuum, vel contristatiuum, aut spectat se passurum, propè, aut ipse, aut suorum aliquis; Sed qui semper felices sunt, vel se esse putant, nõ miserentur, sed contumeliam faciunt, quoniam, & omnia putãt esse bona alijs, sicut & sibi. Quia ergo illi veraciter miserentur aliis, qui se miseros esse, vel fuisse recognoscunt, & maximè miseria peccati propter quod se humiliant, mitescunt, ac lugent; & iustitiam esuriunt: Ideo benè post dictas beatitudines sequitur [*Beati misericordes,*] quia illi, qui præmissos gradus ascenderunt, sciunt, & volunt aliis misereri.

Gloss. Heb. 4.

Iob 16.

Gregor.

Bernar.

Aristot.

G

H

I

K

SVMMARIVM.

Ponitur tertia continuatio, & expositio ad omnes præcedentes beatitudines, & ostenditur, quòd illi sunt misericordes aliorum, qui in peccatis, & pœnis propter peccata inciderunt, qui peccatores, & afflicti pro peccatis suis fuerunt magis, quàm alij, qui talia non sunt perpessi.

VI

Gloss.

TErtiò potest continuari hæc beatitudo ad omnes præcedentes beatitudines, secundum Glossam; hîc dicentem. Misericordia de præcedentibus nascitur, quia si præcesserit vera humilitas, & animus mansuescat, & suos, & aliorum casus fleat, & iustitiam esuriat, postea nascetur vera misericordia. Tunc enim alienas miserias faciet suas, & pro viribus iuuabit, & si iuuandi facultas deest, facultas non deerit. Quod nihil aliud est dicere, nisi quòd ille veraciter misericors est, qui defectus suos, & infirmitates spirituales assiduè attendens, humiliatur, nihil se esse reputans; qua humiliatione mansuescit solum contra se irascens; ex quo mouetur, vt sua peccata defleat, & iustitiam ferenti animo concupiscat. Qui enim suos defectus considerat, de quibus exire mul

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

SVMMARIVM.

Quòd misericors, vt liberet se, vel alium à miseria culpæ, infligit, vel stare permittit in eo miseriam pœnę, quousque à culpa sit correctus, & in hoc plus miseretur peccatori, quàm si miseriam pœnæ perseueranti in culpa ab eo removeret.

VII QVo suppositò veniendũ est ad huius beatitudinis expositionem. Circa quod est attendendum, quòd sicut duplex est malum, scilicet quod facimus, & quod patimur, vel malum culpæ, & pœnæ secundum Augustinum in 1. lib. de libero arbitrio ca. 1. sic duplex est miseria, scilicet miseria pœnæ, & culpæ: & vtrique miseriæ per misericordiam subueniendum est; sed quia miseria culpæ est multò maior miseria, quàm miseria pœnæ, quia illa est purum malum, nullum in se habens bonum, nisi ratione subiecti, in quo est: miseria verò pœnæ habet bonum, scilicet iustitiam inferentis ipsam: Ideo maior est misericordia auferens culpam, quàm misericordia auferens pœnam. Et si ita sit, quòd misericordia de miseria culpæ non possit auferre ipsam miseriam culpæ sine hoc, quòd infligat, vel stare permittat, si iam inexistit miseriam pœnæ, infligit, vel stare permittit miseriam pœnæ ad hoc, vt possit tollere miseriam culpæ. Propter quod contingit, quòd Sancti homines multum misericordes impræcati sunt, & intulerunt, & stare permiserunt miserias pœnæ peccatoribus, vt eos à peccatis corrigerent, & retraherent: Vnde & Dauid impręcatur peccatoribus dicẽs. Imple facies eorum ignominia, & quærẽt nomen tuum Domine. Et Helias idolatras, & sacrilegos interfecit. Et Acab grauissimum peccatorem multipliciter flagellauit. Et Heliseus prophetię beneficiũ denegabat idolatræ Regi Israel, nisi vultum pii Regis Iosaphat erubuisset 4. Regum 3. Et Sãctus Moyses flagellauit Pharaonem, & demũ impœnitentem submersit, ac expoliauit Aegyptios; qui tamen mitissimus fuit super omnes homines, qui habitabãt in terra. Et Paulus Corinthium fornicantem cum vxore patris sui Satanæ tradidit in interitum carnis, vt spiritus saluaretur: & excæcauit ad tempus Barieù, qui prohibebat Sergium Paulum credere in Christũ, Actuum 13. Qui tamen pro salute fratrum suorum Iudæorum cupiebat esse anathema à Christo. Et Dominus Christus, qui mitis erat, & humilis cordis, flagello eiecit vendentes, & ementes de tẽplo. Ex quibus patet, quòd misericordia ad liberationem miseriæ pœnæ, si obsit, retardet, vel impediat, miseri cordia de miseria culpæ omittẽda est, vel semper, vel ad tẽpus; vt miseria culpæ tollatur; vel si tolli nõ potest propter malitiã corrigendi, infligatur, vel stare permittatur: Vnde, & Augustinus in Epistola ad Vincentium Donatistã dicit. Non omnis qui parcit, amicus est; nec omnis qui uerberat, inimicus: melius est cum seueritate diligere, quàm cum lenitate decipere. Vtilius esurienti panis tollitur, si de cibo securus, iustitiã negligat, quàm esurienti panis frangitur, vt iniustitię seductus acquiescat. Et qui phreneticum ligat, & qui letargicum excitat, ambobus molestus, ambos amat. Quis nos potest amplius amare, quàm Deus? & tamen nos nõ solum docere suauiter, uerum etiam salubriter terrere non cessat; fomentis leuibus, quibus consolatur, sæpe mordacissimum medicamentum tribulationis adiũgens. Famæ etiam exercet Patriarchas, pios, & religiosos; populum contumacẽ pœnis grauioribus agitat; Non aufert à Paulo stimulum carnis, tertiò rogatus, ut uirtutem in infirmitate perficiat; Et noueris aliquando furem auertendis pecoribus pabulum spargere; & aliquando pastorem flagello ad gregem pecora errãtia reuocare. Ex quibus patet, quòd quotiescunque homo non vult corrigi à suo peccato, nisi pœna corporalis, vel spiritualis infligatur ei, vel inflicta iam permanere in eo sinatur; nõ debet remoueri huiusmodi pœna, quousque sit correcta culpa; vt per hanc ad peccati correctionẽ perueniatur: Nam tunc non fieret ei misericordia, quia liberaretur à minori miseria, quæ maiorem expellere habet; & permitteretur stare in maiore miseria, quæ etiam maioris miseriæ pœnæ causa existit. Vnde semper hoc attendendum est in subleuatione miseriæ, quòd si in vno multæ miseriæ sunt maiori occurrendum est; & si maior tolli non potest sine hoc, quòd minores stent, permittendæ sunt stare, vt maiori miseriæ subeniatur; & sicut hoc fieri debet in amotione miseriæ proximi, eodem modo agendum est in subleuatione miseriæ sui.

August. — August. — Psal. 82. — 4. Reg. 3. — Actu. 13.

SVMMARIVM.

Quòd in peccatis puniendis, nisi sint multũ atrocia, incipiendum est à leuioribus pœnis, & si peccator non se corrigat, paulatim ad grauiores pœnas est procedendum, vt sic à peccato quis corrigatur dulcius quantum fieri potest,

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

& si se homo non correxerit, misericordius pœna stare permittitur, quàm si relaxaretur.

VIII SIc tamen semper pœnę pro correctione culpæ infligi debent, quòd mitiores debent imponi à principio (si non sit à principio superexcessus malitiæ) & si videatur quòd per leues pœnas peccator corrigi non velit; grauiores in eum pœnæ procedant, quousque pertingatur ad correctionẽ eius. Sic quòd à principio homines verbis corripiendi sunt, & primò secretè (si peccatum secretum sit,) & tale, quòd difamet committentem: quòd si nec sic correctus fuerit, obiurgandus est coram multis, vt saltem propter inhonorationẽ corrigatur; Vnde & Prouer. 17. dicitur. Plus proficit correctio apud prudẽtem, quàm centum plagæ apud stultum. Quòd si nec obiurgatione, corã multis facta corrigi voluerit, acrius corrigendus est, quia in eũ debet procedere vindicta, vel verbum, vel amissio substantiæ, iuxta illud Prouerb. 29. Seruus verbis non potest erudiri. Et Eccl. 23. Seruo maliuolo tortura, & compedes, mitte illum in operationem, ne vaecet. Quòd si nec sic per correctionem domesticam corrigi à peccato voluerit; excõmunicãdus per Ecclesiam, vel in foro seculari exteriori plectẽdus est, vel mutilandus, quousque videatur eius incorrigibilitas; & tunc si corrigi non vult, est exterminandus, vt eius pœna multis proficiat ad exemplum: & quando sic cum tali proceditur, misericorditer agitur; quia studium apponitur diligens, vt à peccato corrigatur: & quãtò mitius fieri potest, pœnæ pro peccato corrigendo leuiores apponantur. Hoc enim modo, & medicus corporalis leuiores medicinas ad sanãdum morbũ à principio ministrare debet, nisi tamen ægritudo inualuerit ita quòd periculum sit de sanatione ęgroti, nisi fortis medicina ministretur. A leuioribus autem medicinis procedens, si viderit, quòd cum eis curare morbum possit, non debet apponere fortiores; sed si viderit leues non posse sufficere; apponendæ sunt paulatim, & gradatim fortiores, vt corpus ægrotum sanetur cũ minori incõmodo suo. Quòd si sine mutilatione membrorum corpus sanari non possit, membrum, vel membra abscindenda sunt, ne totum corpus putrescat, vel etiam corrumpatur: & eodẽ modo agendum est in sanatione peccati per pœnas. Pœnæ enim quædam medicinæ sunt peccatorum, vt dicitur 2. Ethicorũ, & hunc modum teneri voluit Dominus in correctione fraterna infra 19. Quia à correctione secreta voluit paulatim, & gradatim procedi vsque ad excommunicationem; qua pœna nulla maior est in Ecclesia. Et Beatus Benedictus in Regula voluit, quòd sic procederetur in correctione illorum, qui sępius correcti non se emendãt. Et Augustinus in Regula dicit. Si oculi petulantiam in aliquo vestrum aduerteritis, statim admonete, ne malè cæpta progrediãtur, sed de proximo corrigantur: Et si post admonitionem, iterũ, vel alio quoque die idipsum eum facere videritis, iam velut vulneratum sanandum prodat, quicũque hoc potuerit inuenire. Prius tamen est alteri, vel tertio demonstrandum, vt duorum, vel trium possit ore conuinci, & competenti seueritate coerceri. Nec vos iudicetis esse mali uolos, quãdo hoc indicatis: Magis quippè innocentes non estis, si fratres vestros quos indicando corrigere potestis, tacẽdo perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus habet in corpore, quod velit occultari, dum timet secari; nonnè crudeliter à te fileretur, & misericorditer indicaretur? Quantò ergo potius debes manifestare, ne deterius putrescat in corde? Quòdque si incorrigibilis manet, faciendum est illud, quod dicit Hiero. in Epist. ad Matrem, & filiam. Putridæ carnes ferro curantur, & cauterio, venena serpentino pelluntur antidoto: Quod satis dolet, maiori dolore expellitur. Et Beatus Benedictus in Regula dicit, quòd dum Abbas viderit fomenta exhortationum, medicamina sacrarum scripturarum, adustionem, & plagas virgarum, & ad vltimũ suam, & fratrum orationem non prævalere, vt corrigatur frater sæpius delinquẽs, tũc vtatur ferro abscisionis ne ouis morbida totum gregem contaminet. Ex quibus paterè potest, quòd misericordia corrigens culpam, infligit, vel stare permittit miseriam pœnæ; ad hoc vt culpa corrigatur: & tamen sic misericorditer pœnas infligit, quòd à mitioribus incipiens, gradatim, & pedetentim procedit ad grauiores, semper parata auferre pœnas, si culpam correctam videat, & doleus, imponens, vel stare permittens pœnas, quousque correctionem videat. Vnde & Sapientiæ 11. de Deo dicitur. Non erat impossibile omnipotens manus tua, in Cananæis imittere multitudinem Vrsorum, aut audaces Leones, aut noui generis ira plenas, & ignotas bestias, sed & sine his vno spiritu occidi poterant; sed non fecisti, quia misereris omnium, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam, Et cap. 12. Tamquã hominibus pepercisti eis

Prou. 17.
Idem 29.
Eccl. 23.
Hieron.
Bened.
Aristot.
Matt. 19.
Bened.
Auguſt.
Sap. 11.
Idem 12.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

& misisti antecessores exercitus tui vespas, vt illos paulatim exterminaret; non tamen impotens eras in bello subiicere impios iustis, aut bestiis sæuis, aut bello duro simul exterminare; sed partibus iudicans dabas locum pœnitentiæ. Vnde si Deus, qui scit ab æterno, qui per pœnas corrigetur, & quis non; & illum, quem scit incorrigibilem esse, puniens à leuioribus pœnis eius correctiones inchoat, & sic paulatim ad grauiores pœnas procedit, quousque incorrigibilem interimat, quemadmodum fecit in Pharaone, & in Cananæis: Quanto magis nos, qui ignoramus, quis ex correctione proficiat, & quis non proficiat; cum sæpe, qui hodie bonus est, cras malus futurus sit, & qui malus est hodie, cras bonus futurus sit, debemus modestè pœnas paulatim, & gradatim imponere, ne subitò homo occidatur, & postea pœnitere non possit; maximè cum simus peccatores? Et si iustè iudicaremur, omnes morte digni essemus: & ex nobis ipsis debemus perpẽdere, qualiter erga alios nos ipsos debemus habere: quia taliter debemus pœnas imponere aliis peccãtibus, qualiter volumus nobis ab aliis imponi, quando peccamus.

Augustinus. Vnde Augustinus in 2. Epist. ad Macedonium dicit. Morum corrigendorum nullus alius, quàm in hac vita locus: nã post hanc, quisque id habebit, quod in hac sibimet conquisierit. Ideo compellimur humani generis charitate interuenire pro reis, ne istam vitam sic finiant per supplicium, vt ea finita, non possint finire supplicium: Cum & Deus, (apud quẽ nulla est iniquitas, cuius summa potestas est, qui non tantum qualis quisque sit, videt, verum etiam futurus sit præuidet, qui solus potest in iudicando non labi, quia in cognoscendo non potest falli,) sustinet vasa iræ in multa patientia: qua indulgentia, & lenitate diuina, multi ad suam perniciem abutuntur. Et infra. Si Deus iniquis, & sceleſtis parcendo eis, vitam salutemque largiendo, etiam plerisq; eorum, quos nouit, non acturos pœnitentiam exhibet patientiam, quantò magis nos, in eos, qui correctionem promittunt, & vtrum faciant, quod promittunt, incerti sumus, misericordes esse debemus, vt rigorem iustitiæ misericordia flectamus? Et infra. Cum super peccatores tanta sit patientia, tanta misericordia Dei, vt in hac tẽporali vita, moribus emendatis non damnentur in æternum, qui nullius misericordiam, quæ sibi præbeatur expectat: quoniam nemo est illo beatior, nemo potentior, nemo iustior;

A Quales nos esse oportet, homines erga homines, qui vitam nostrã, quantacunque laude commẽdemus, eam sine peccato esse non dicimus, & misericordiam nobis esse necessariam non dubitamus? Vnde diuina censura, iudices terrendo, ostẽdit, quales erga alios esse debent, vt cogitarent sibi propter sua peccata Dei misericordiam necessariam, quã consequẽtur, si misericordes fuerint circa alios. Iudicium enim sine miser icordia fiet illi, qui non fecerit misericordiam Iacobi 2. Ex

B quibus patère potest, quòd præcipuè exhibenda est misericordia illa, qua auferetur peccati miseria. Iaco. 2.

SVMMARIVM.

Quomodo ad illos, qui in nos peccant, secretè misericordes debemus esse in remittendo rancorem ex corde, & tamen nihilominus debemus eos corripere, vel castigare, vt à peccato commisso resiliant, & non iterent, & de peccato suo per pœnam satisfaciant.

C SEd quia peccatum, quandoque committunt homines in nos, quandoque in se ipsos, quandoque in alios proximos & quandoque in Deum, secundum diuersitatem illorum, in quos peccatur, diuersimodè peccantibus est ignoscendum. Nã quando in nos peccatur sic, quòd scandalum non oritur proximorum, petẽtibus veniam, parcendum est semper, quantum ad animi rancorem; licet aliquando propter correctionem eius, ne consimilia attenter, vindicta sit aliqualis expetenda, IX

D iuxta illud infra 19. Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum solum. Et Lucæ 17. Septies in die si peccauerit frater tuus in te, & septies in die cõuersus fuerit ad te, dicens, pœnitet me; dimitte ei, Et Augustinus de verbis Domini, sermone 16. dicit. Aliquando corripiendus est frater peccans in te, inter te, & ipsum solum; aliquando corripiendus est coram hominibus, vt cæteri timorem habeant: Quia cum secretum sit, quoniã

E in te peccauit, secretum quære, cum corrigis, quòd in te peccauit. Nã si solus nosti, quia peccauit in te, & eũ vis corã omnibus arguere, non es corrector, sed proditor. Et infra. Si tu solus nosti, tunc verè in te solum peccauit: nam si multis audiẽtibus tibi fecit iniuriam; & in illos peccauit, quos testes suæ iniquitatis effecit; Quando me audiente fratri meo quisque facit iniuriam, absit, vt à me illam iniuriã alienam putem. Sic ergo illi, qui secretè in nos peccat, & pœnitet ex corde, dimit- Matt. 19. Luc. 17. Augustin. Idem. Idem.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

tendum est; sed si nimis frequẽter iniuriã nobis in secreto faceret, aliqualis vindicta expeti debet: sicut est seuera correctio, secreta tamen, vel non tanta familiaritatis ostensio, vel beneficiorum non largitio, vt his pœnis correctus non assuescat iniuriosus nobis esse. Nimia impunitas non solum non corrigit peccatũ perpetratum, sed etiam ausum præstat peccandi iterum, & dum nõ punimus peccatum in nos commissum, quem poteramus facere ex correctione bonũ, per impunitatem indiscretam facimus pessimũ; quod non est opus misericordiæ sic relaxando miseriam culpæ. Vnde & Augustinus in prædicto sermone dicit. Si corripere fratrem tuum in te peccantem, inter te, & ipsum solum neglexeris; peior eo es; ille iniuriam fecit, & iniuriam faciendo, graui se ipsum vulnere percussit; tu vulnus fratris tui contẽnis, tu eum vides perire, vel periisse, & negligis, peior es tacendo, quàm ille conuiciando. Quando ergo in nos aliquis peccat, habeamus magnam curam, non pro nobis, (nã gloriosum est iniurias obliuisci;) sed obliuiscere iniuriam tuam, non vulnus fratris tui: ergo corripe eum inter te, & ipsum solum. Sic ergo, quãdo aliquis in nos peccat secretè, & postea pœnitens dicit, dimitte, vel parce mihi, quod in te peccaui; ex corde ei offensa est dimittenda, licet corrigendus sit secretè, vt sanetur, & ut malitiam non iteret. Vnde super illud infra 18. Sic & pater meus cęlestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris, dicit Augustinus de Verbis Domini, sermone 15. Nè dicas in lingua ignosco, & corde differas. Supplicium enim ostendit tibi Deus minando uindictam. Nouit Deus, vbi dicas. In corde, vel ore vocem tuam homo audit, conscientiam Deus inspicit: si dicis dimitto, ex corde dimitte: Melius est cũ clamas ore, & dimittis in corde, quàm blãdus ore, crudelis in corde; corripiamus ergo verbis, & si opus est, & verberibus; sed delictum dimittamus, culpam de corde abijciamus: ideo enim Dominus subdidit de cordibus vestris. Vt si per charitatem imponitur disciplina, de corde lenitas non recedat.

Idem.

Matth. 18.

Augustin.

F

G

H

I

K

SVMMARIVM.

Quòd peccantes in nos secretè corripere debemus secretè ex dilectione fraterna, non ex odio, vel rancore: & quæ sit differentia inter correctionem, & remissionem peccati in nos commissi prouenientem ex dilectione, vel prouenientem ex odio, vel rancore.

HAEc autem vindicta secreta per nos imponenda fratri in nos secretè delinquẽti, non debet imponi odio, uel ira, vel amore vindictæ; sed solum ad hoc vt peccatum præteritum castigetur, & procautela, ne in posterum consimilia peccata attententur. Vt enim dicitur. Eccle. 28. Qui uindicari vult, à Deo inueniet uindictam; & peccata illius seruans, seruabit; Homo homini seruat iram, & à Deo quærit medelam? In hominem similem sui non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur altissimum: Huiusmodi enim correctio, quæ ex dilectione procedit, melior est quàm impunitas, quæ quãdoque ex odii fomite originem sumit, iuxta illud Prouerb. 27. Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis; Amicus enim dum verberat, corrigit, odiens autem, dum osculatur, in peccatum impellit. Vnde, & in Psalmo dictũ est. Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me: Oleum autem peccatoris nõ impinguet caput meum. Sunt enim quidam malitiosi, qui quando offenduntur, beneficia offendẽtibus præstant, ad hoc, ut beneficiis illecti offendentis, multis fiant iniuriosi, æstimantes se ab omnibus iniuriatis beneficia reportare, & tandem alicui faciunt iniuriam, qui uindicat omnium aliorum iniurias, quod ex magna malitia procedit: Qualis uindicator iniuriarum suarum fuit quidam ciuis Romanus, de quo narrat Horat. in primo libro Epist. Quòd quando aliquis ei fuerat iniuriatus; uestem prætiosissimam ei dabat, dicens, quòd amore eius continuè uteretur ipsa; qui videns se tali ueste indutum dedignabatur operari, & uolebat magnificè uiuere, & sic ad paupertatem, & miseriam deducebatur, efficiebatur etiam frequenter aliis iniuriosus, existimans, quòd consimilia dona ab eis reportaret, & tamen contrarium contingebat ei frequenter. Aliquando etiam contingit, quòd ex amore inordinato, quem habet quis ad alium, non vult eum corripere, cum delinquit, nè eum contristet, & sic habituatur ad malum faciendũ, qui bonus fuisset, si correctus fuisset. Vnde, & Eccl. 30. de correctione filiorum dicitur. Equus indomitus euadet durus; & filius remissus, euadet præceps. Lacta filiũ tuũ, & pauentem te faciet, lude cum eo, & cõtristabit te. Non corrideas illi, nè doleas, & in nouissimo obstupescant dentes tui. Curua ceruicem eius in iuuentute eius,

Eccl. 28.

Prou. 27.

Psal. 140.

Horat.

Eccl. 30.

XX

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

tunde & latera eius dum infans est, ne forte induret, & non credat tibi; Qui dili
git filium suum, assiduat illi flagella, vt
lætetur in nouissimo, & non palpet proximorũ ostia. Quia ergo contingit, quòd odium personæ quãdoque excedit in crudelitate, pœnas vltra debitum infligens, quia non quærit emendationem peccantis, sed eius destructionem: quandoque verò prætendit impunitatem, sic deteriorem facit, & ad maiorem pœnam deducit, & sic amor inordinatus, dum nõ vult contristare delinquentem, dimittit impunitum eius peccatum, & fomentum tribuit delinquenti. Amor verò, quo sic diliguntur homines vt eorum non diligantur, errores punit delinquentem, vt emẽdet, & sic diligit, vt in bono opere sustentet. Vnde si videat, quòd correctio deteriorem faciat, ad tempus suspendit vindictam, quia non quærit pœnam delinquentium, sed eorum emendationem, & vindictam exercet, vel correctionem, dum æstimat eam profuturam: & sic punit, & non punit; ad hoc vt homines, meliores, vel non deteriores fiant; dicente Augustin. de Ciuitate Dei 1. lib. cap. 9. Si propterea quisque obiurgandis, & corripiendis malè agentibus parcit, quia oportunius tempus inquirit, vel eisdem ipsis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam, & piam erudiendos impediant, alios infirmos deprimãt, atque auertant à fide, non videtur esse cupiditatis occasio, sed consilium charitatis. Sic ergo ad illos, qui in nos secretè peccãt, nos debemus habere, quòd pœnitentibus, & veniam postulantibus ex corde, rancorẽ, & offensam dimittere debemus; & tamen si opportunitas adsit eos corrigendi, omnibus circunstantiis consideratis, eorum correctionem non debemus negligere, ne iniquitas eorum impunita remaneat, & impunitas tribuat occasionẽ amplius delinquendi (secretè tamen vt eius fama conseruetur) dicente Aug. de Verbis Domini ser. 15. Si peccatũ in secreto est, in secreto corripe. Et serm. 16. Corripe inter te, & ipsum solum, attendens correctioni, & parcens pudori. Fortè enim præ verecundia incipit defendere peccatũ suũ, & quærens facere correctiorẽ, facis peiorem; Et infra. Quãdo in nos peccatur ab aliquo, vt ab altero nesciatur, in secreto debemus corripere, in secreto arguere, ne volentes publicè arguere, prodamus hominem. Corripio in secreto, pono ante oculo Dei iudicium, terreo cruentã conscientiam, persuadeo pœnitentiam.

Augustin.
Idem.
Idem.
Idem.

A B C D E

SVMMARIVM.

Quomodo misericorditer debemus remittere offensam peccantibus in nos publicè: & tamen correctionem pro peccato, quod in nos publicè commisit, non negligere: & quòd aliter petere debet Dominus veniam à subdito, & aliter subditus à Domino, & aliter subiecti inter se.

XV

SI verò in nos publicè peccatur, vel coram multis offendimur, quia ex hoc multi scandalizantur, licet petenti veniã ex corde, offensam dimittere debeamus, tamen publicè talis peccans est arguendus: Qualiter Paulus Ananiam Principẽ Sacerdotum, qui eum publicè percuti faciebat, reprehendit dicens. Percutiet te Deus paries dealbate, & tu sedens iudicas secundum legem, & contra legem iubes me percuti? Actuum 23. Et quemadmodum legitur Thomam Apostolum fecisse de illo, qui in conuiuio percussit eum in maxilla (licet sit apocriphum;) & hoc fieri debet, quando persona priuata publicè, vel coram multis offenditur. Cæterum si offendatur persona publica, vt Princeps, quia ea offensa omnes subiecti offenduntur; Crimen publicum est, & non solum debet corripi, sed etiam puniri. Vnde & 2. Regum 19. legitur dixisse Abisai. Nunquid pro his verbis, scilicet blasphemiæ, dictis in Dauid à Semei non occidetur Semei, qui maledixit Christo Domini? quẽ tamẽ Semei Dauid noluit occidere gladio propter scandalũ, quod poterat imminere dum vixit. Sed quando moriebatur præcepit Salamoni, quòd interficeret ipsum, vt patet 3. Reg. 2. Et 5. Ethic. dr. Si Principẽ quis percussit, nõ percuti solum oportet, sed & puniri. Sic ergo quando in nos peccatur, offensa veniam postulantibus semper est dimittenda, & tamen correctio nõ est negligenda: Sed si Dominus, vel Princeps offendit eũ, qui est subiectus sibi, à subiecto, vel seruo non potest petere veniam: ne ex hoc subiectus, vel seruus superbiat, & dignitas vilescat; sed sufficit quòd benefacta læso præstet, & affabilem se ei ostẽdat; Vnde Augustin. in Regula dicit. Quando necessitas disciplinæ in moribus coercendis, dicere vos dura verba compellit: si etiam vos ipsi modum excessisse sentitis, non à vobis exigitur, vt à subditis veniã postuletis: ne apud eos, quos oportet esse subiectos, dum nimium seruatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. Et in quodam Sermone de quadragesima, & concordia fraterna dicit idem.

Actu. 23.
2. Reg. 19.
3. Reg. 2. Aristot.
Augustin.
Idem.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Petamus veniam à fratribus, quos fortè peccãdo in eos aliquid lesimus. Sunt personę humiles per ordinem huius, à quibus si petimus ueniam, extolluntur in superbiam; Puta si Dominus homo peccat in seruum suum iniustè litigando, iniustè cædendo, durum uidetur quòd ei iubeam petere ueniam à seruo; dicendo ei. Ignosce mihi, Da mihi ueniam: non quia non debet facere, sed ne ille incipiat superbire. Quid ergo? Ante oculos Dei pœniteat eum, & si non potest dicere suo seruo, (quia non oportet,) da mihi veniam, blandè illum alloquatur; blanda enim appellatio, ueniæ est postulatio. Et 5. Ethicorum dicitur. Si patiatur, qui iniuriam intulit, quæ fecit uindictam, rectè fit, multis tamen in locis dissonat, Puta si principatum habens, percussit, non oportet repercuti.

Aristot.

SVMMARIVM.

Quomodo ad iniuriatores, qui nobis iniurias inferunt, in Dei contemptum, nos debeamus habere, & parcendo, & puniendo. Et fit epilogatio, quomodo nos debeamus habere ad eos, qui in nos, uel secretè, uel publicè peccant.

XII

SI verò peccetur in nos sic, quòd nobis fiat iniuria propter Deum contemnẽdo Deum in nobis; sic quòd iniuriemur, non propter nos, sed propter Deum, talis iniuria, licet sit dimittenda ex corde, pro ut nos, iniuriam, vel damnum passi sumus, tamen, vt Dei est iniuria, petẽda est uindicta de ea. Sic enim Moyses, qui propriarum iniuriarum indultor erat, vt patet. Num. 13. Quando pro populo eum lapidare uolente Dominum exorabat, cũ deuentum est per Dathan, & Abyron, & filiis Choræ ad iniuriandum eum, in quãtum locum Dei tenebat, terram fecit aperire à Deo vt uiui absorberentur, & descenderent in Infernum uiuentes, 16. Et Helias duos quinquagenarios, qui Deum in ipso spernebant, igne descendente de Cęlo consumi fecit 4. Regum. 1. Et Petrus Ananiam. Saphiram mendacium dicentes sibi, vt Dei locum tenebat, morti adiudicauit. Actuum 5. Sic ergo iniuriis in nos factis, secretè dimittendis ex corde, quo ad offensam nos taliter habere debemus, quòd tamen propter hoc non debeamus omittere correctionem iniuriantis, quæ correctio in secreto fieri debet. Sed quando in nos peccatur publicè, offensam ex corde debemus dimittere; sed tamen publicè offensor est corrigendus, vt qui fuerant scandalizati de culpa, ædificentur de pœna; & hoc habet locum in personis priuatis, & æqualibus. Cæterum si Dominus in seruum peccet, non oportet quòd ueniam ab eo postulet, sed sufficit, quòd blãdè eum postea alloquatur, vt dictum est. Veruntamen si non sit periculum, quòd dignitas uilescat, & quòd subiectus superbiat, perfectionis est, ut ueniam ab eo postulet, quod tunc fieri potest sine periculo prædictorum, quando allocutio est Prælati ad subiectos omnes simul ab ipsis ueniam postulando. Quomodo Apostolus, quia cõtristauerat Corinthios quia non adiecerãt fornicatorẽ satisfaciẽdo, dicit 2. ad Corinthios 7. Si contristaui uos in Epistola, non me pœnitet, & si pœniteret, uidens, quòd Epistola illa ad horam contristauit uos, nunc gaudeo, nõ quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiã. Et Augustinus in quodam sermone de Ordinatione sua alloquens populum suum dicit. Diuersarum curarũ æstibus, ac difficultatibus cõturbatus, si quem fortè, non vt poscebat, audiui, si quem tristius, quàm opus erat aspexi, si in quem verbum durius quàm oportebat emisi; si quem corde contribulatum, & opis indigentem responsione incongrua conturbaui; si quem pauperẽ mihi in aliud intento importunius insistentem, vel prætermisi, vel distuli, vel etiam nutu aspero contristaui; si cui de me falsò aliquid tanquam homini de homine suspicante, acerbius iusto indignatus sum, si quis in sua conscientia non agnouit, quòd de illo humanitus suspicatus sum: Vos, quibus pro iis, & huiusmodi me scio esse debitorem, dimittite amanti vos debita difficultatis, cum amator sæpè offendat amatum; & tamen non propter hoc desinat esse amator. Nam Gallina pullos, quos fouet, sepes in angustiis, licet non toto pedis pondere calcat, nihilominus non desinit esse mater, Sed si publicè Dominus offendatur, & maximè princeps, licet ex corde dimittere offensam debeat: tamen uindicta de illo est faciẽda: sed quando offendimur, ut Deus in nobis offendatur, iniuriam nostram dimittere debeamus, sed Dei iniuriam debeamus uelle puniri, uel à nobis, uel ab alio; Vnde & Apocalipsis 6. dicitur. Quòd animæ interfectorum propter uerbum Dei, & propter testimonium, quod habebant, clamabant uoce magna dicentes; Vsquequo Domine, sanctus, & uerus, non uindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra? Ex quibus patet qualiter nos debeamus habere ad illos, qui in nos peccant, & petunt ueniam, & indulgendo, & puniendo.

2. Cor. 7.

August.

Apoc. 6.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

SVMMARIVM.

Qualiter si iniuria, vel damnum sint illata proximo debemus inducere lædentem, vel damnificantem; vt proximo satisfaciat, si habet unde; & quomodo inducere debeamus proximũ læsum, vt à lædente satisfactionem, quam ei facere potest, recipiat.

XIII SI verò peccatum committatur in proximum alium à nobis, debemus pro viribus laborare, vt ad pacem, & concordiam reducatur: sic, quòd ille, qui infligit iniuriam, vel damnum passo, iniuriã, vel damnum satisfaciat, si habet vnde: si tale damnum intulit, de quo satisfacere æquialenter possit: alioquin debet satisfacere proximo læso, non iuxta qualitatem damni dati, sed iuxta possibile sibi: quòd si non potest, sufficere debet proximo læso bona volũtas satisfaciendi eius, qui læsit eum. Alioquin si ille, qui iniuriã vel damnum intulit proximo, cum possit satisfacere, non vult satisfacere, non facit pœnitentiam, sed simulat: nec parcendũ est ei, cum non pœniteat, & nulli impœnitenti venia est concedenda: sed si facit quod in se est, & satisfacere vult: sed non potest, vel quia non habet vnde, vel quia tale quid commisit in proximo, de quo non potest facere condignam emendam, petenti veniam ex corde est parcendum: & iniuriam vel damnum est dimittendũ in totum, vel in partem, accipiẽdo ab eo satisfactionem, quam facere potest, ut nostra debita dimittãtur nobis. Quòd autẽ si proximus habeat vnde satisfaciat illi, quem læsit, si facere non vult, non sit ei parcendum, nisi quo ad animi rancorẽ, vt patet per Aug. in Epist. ad Macedonium, dicentem. Pessimum hominũ genus commemoras, qui cupiunt sibi relaxari sceleris pœnam, & id propter quod scelus admissum est possidere, cui pœnitendi medicina omnino nõ prodest. Si enim res aliena, propter quam peccatum est commissum, cum reddi possit, non redditur; non agitur pœnitentia, sed fingitur, si autem veraciter agitur, non remittetur peccatum, nisi restituatur ablatũ sed (vt dixi) cum restitui potest; Plerumque enim qui aufert, amittit, siue alios patiendo malos, siue ipse malè viuendo, nec aliud habet, vnde restituat. Huic certè non possumus dicere. Redde quod abstulisti, nisi cũ habere credimus, & negare. Vbi quidem, si aliquos sustinet repentè cruciatus, dum existimatur habere quod reddat, nulla est iniquitas: quia & si nõ est vnde reddat

A ablatam pecuniam, meritò tamen, dum eam per molestias corporales reddere compellitur, peccati, quo malè ablata est, pœnas luit: & tamen in tali dubio, an habeat ille, qui abstulit, vel non vnde restituat exhortari decet nos eũ, qui passus est iniuriam, vt non velit homini pro incerta pecunia, certa inferre supplicia. Melius enim etiam si habet, amittit, quàm si non habet, aut excruciat, aut occidit. Et infra. Illud fidentissimè dixerim, eum qui pro homine, ad hoc B interuenit, ne malè ablata restituat; & qui ad se confugientem quantum honestè potest ad restituendum non compellit, socium esse fraudis, & criminis. Nam misericordius opem nostram talibus subtrahimus, quàm impendimus. Non enim opem fert, qui ad peccandum adiuuat; ac non potius subuertit, atque opprimit. Et infra. Neque apud cor meum, cui testis est Deus; ausus sum dicere, sentire, decernere, interueniendum esse pro aliquo, vt quod sceleste abstulit, C sceleris impunitate possideat; sed vt remissa iniuria, quod iniuriosè abstulit, reddat; si tamen habet quod abstulit, vel aliud, vnde id restituat. Et infra, Qui contra ius societatis humanæ, furtis, rapinis, calumniis, oppressionibus, inuasionibus aliquid abstulerit, reddenda ei potius, quàm donanda censemus. Sic ergo pro illis, qui res alienas auferunt non sunt rogandi à nobis illi à quibus res ablatæ sunt, vt eis donent illa, quæ malè abstulere; dum tamen habeant vnde restituant, D sed ad hoc sunt inducendi, vt res suas repetant; non propter rerum cupiditatem, sed ne inuasores rerum alienarum in peccato suo remaneant: si tamen dubium sit an habeant vnde restituant, vel non, hortandi sunt illi, quibus res sunt ablatæ, quòd magis velint res perditas amittere, quàm in tali dubio cruciari facere illos, qui abstulerunt, & satisfacere non volunt; quia, vt dicunt, non possunt. Semper tamen illi, qui res amiserunt, hortandi sunt quòd iniuriam, E & offensam ex corde dimittant: sed si certum sit, quòd illi, qui abstulerunt, non habeant vnde restituant debitum, remittere debent & debitum, & offensam; sicut & Dominus fecit seruo debenti decem talentorum, non habẽti vnde redderet, infra 18. & sic quidem hortandi sunt, & inducendi illi, qui damna passi sunt.

Idem. Idem. Idem. Matt. 18.

SVMMARIVM.

Qualiter debemus interuenire pro reis alijs iniu-

Augustin.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

riam, vel damnum inferentibus apud iudices siue habeant quod malè abstulerunt, siue nō.

XIIII Sed si in iudicio res perditæ repetantur, non sunt iudices inducēdi; quòd malefactores, de quibus dubium est, an habeant, vnde restituant, vel non; & tamē se negant habere, liberos à pœnis, & cruciatibus dimittant: cum hoc in detrimentum iustitiæ publicę, quam obseruare debent, redundare posset: dicente Augustino in dicta Epist. ad Macedonium: Pro illis, de quibus dubiū, an habeāt quod abstulerunt, magis apud eos, qui repetunt, quàm apud eos, qui iudicant intercedere conuenit, ne ipsa videatur auferre, qui cum habet potestatem non cogit reddere: sed tamen iudices, quando & ipsi dubitant, an reus habeat vnde reddat, modestè, & temperatè pœnas infligere debēt ne hominem excrucient, dicente eodem ibidem. In tales cogendo, ita debet adhiberi iudicij integritas, ne amittatur humanitas. Nec Deus enim, nec homo vltra posse aliquid ab homine requirit, & exigit. Sed si certum sit quòd reus habeat vnde læso satisfacere possit, & tamen nō vult, cogendus est à iudice, vt reddat, ne faciat iniuriam parti læsæ, & ne permittat reum in sua iniquitate permanere, & ne in ciuitate insolescant propter impunitatem alienarum rerum, inuasores. Qui iudices, licet ab inuitis auferāt, tamē non iniuriam, sed iustitiam faciūt; dicente Aug. in dicta Epist. Nō sanè quid quid ab inuito sumitur iniuriosè auferetur: nam pleriq́ue nec medico volūt reddere honorem suum, nec operariam mercedem. Nec tamen ij, qui ab inuitis accipiunt per iniuriā accipiunt, quæ potius per iniuriam nō darentur. Sed si omnino sit iudici certum quòd non habeat reus vnde restituat, inducere debet actorem, vt ei debitum dimittat; quod si facere nō vult, reum à debito absoluere debet: Innanis enim est actio, quam excusat inopia debitoris. Et propter hoc secūdum leges introducta est bonorum cessio, qua facta excusatur reus à debito, quousque veniat ad pinguiorem fortunam, & hoc quidem verum est de illo debitore, qui à creditore voluntariè res accepit, vel per modum emptionis, aut mutui, vel locati. Cæterum si iniuriosa fuit acceptio, & nolente domino fuit facta, vt per furtum, rapinam, calumniā, vel aliam oppressionem, non solum puniendus est, qui hoc fecit, quia non vult reddere: sed màgis quia iniustè rem abstulit alienam; & tunc iudex debet eum castigare, vel punire secundū

Augustin.

Idem

Idem.

F leges, vel consuetudines patriæ, quia non est in potestate iudicis inferioris, leges superioris sui infringere. Nō enim debet iudicare de legibus, sed secundum eas debet hominem iudicare, consideratis, & attentis partibus, ac circūstantiis, quæ non potuerunt attendi quando lex promulgata fuit: quibus attentis, quantò mitiores pœnas imponere potest, lege seruata, imponere debet, vt sic misericordiam superexaltet iudicio Iacob. 2. Sic ergo si offensa facta est proximo debemus inducere eum, quòd si ille, qui damnum intulit, certum sit, quòd habeat vnde restituat, vel satisfaciat, procuretur bono modo fieri restitutio, vel satisfactio. Si verò dubium sit, an habeat vnde restituat, vel satisfaciat, consulēdum est ei, quòd melius facit, si remittat, quàm si eum excruciari faciat, dum tamen videat, quòd pœnitet eum sibi iniuriam intulisse: sed si ille, qui abstulit, vel damnum dedit, non habet, vnde restituat, & hoc certum sit, præcipiendum est ei, quòd dimittat debitum, si vult quòd Deus ei sua peccata dimittat: semper tamen offensus rancorem cordis debet dimittere, licet quandoq́ue possit, & debeat res suas repetere. Sed si reus sit ad iudicem deductus, rogandus est iudex, quòd si reus habet vnde restituat, & hoc sit certum, quòd faciat tantū quòd res, quas abstulit, etiam inuitus, & coactus, si aliter nō vult, reddat. Quòd si dubium sit, an habeat vnde reddat rogandus est, vt reum cruciet, sed modestè, vt excruciatus cogatur reddere si habet vnde: & ex modestia cruciatus, non tantū deducatur, quòd vltra possibile se facere promittat. Quòd si omnino certū sit non habere quod reddat, si non potest totum, saltim partem restituat: quòd si omnino nihil potest, liber recedat, & inuito actore, & hoc in voluntariis acceptionibus; sed in voluntariis acceptionibus oportet quòd iudices faciant secūdum leges. Sed Domini, & principes rogādi sunt ab Ecclesia, quòd relaxent pœnas talibus secundum legem debitas, quia hoc ipsi facere possunt: cum & leges instituerint, & tollere possint, & hoc fieri debet, quādo vnus proximus vult concordare duos alios, quorum vnus in alterum peccauit.

Iacob. 4.

G

H

I

K

SVMMARIVM.

Quomodo ille, qui fecit iniuriam, vel damnum intulit alteri, debet fratri offenso satisfacere, & veniam ab eo postulare; & quomodo ille, qui offensus est, debet petenti veniā offensam dimittere; quòd si rogatus facere noluerit, quid

debet

debet facere offendens vt veniam de suo peccato consequatur.

XV

SEd ille, qui in alterum peccauit, debet quærere, quãtum potest, quòd suo fratri reconcilietur, cum aliter sibi Deum placare non possit, nec eius sacrificium sit acceptabile. Vnde & infra eodem dicitur. Si offers munus tuũ ante altare, & ibi recordatus fueris quòd frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & uade reconciliari fratri tuo, & tunc ueniens offeres munus tuum. Vnde Augustinus in quodam sermone de quadragesima, & superna cõcordia, dicit. Multi sciunt se peccasse in fratribus suis, & nolunt dicere, Dimitte mihi; nõ erubuerũt peccare, & erubescunt rogare; non erubuerũt de iniquitate, & erubescunt de humilitate. Ergo quicunque discordiam cum fratribus vestris habetis, & reuocatis vos ad uos, & considerati uos, & iustum iudicium fertis in uobis intus in cordibus vestris, & inuenitis uos non debuisse facere quod fecistis; nec debuisse dicere qđ dixistis; petite ueniam fratres à fratribus vestris, facite, nolite erubescere ueniam petere: Et Chrysostomus super illud infra. Si offers munus tuũ, dicit. Si ex leuibus caussis offenso fratre, & non placato, impossibile est munus Deo offerri, & suscipi: Quomodo ante conspectũ Dei ingredientur, qui fratres suos conculcant, & alia multa in viduis, & orphanis nefanda committunt? Scire enim debemus, quòd quãdiù fideles homines aliquam dissensionem habuerint inter se, Deus illis non potest esse amicus, munus eorum non suscipitur, oratio eorum non exauditur; uel si quod aliud bonum fecerint, non accepta tur. Et infra, Vide misericordiam Dei, qui magis aspicit hominum utilitates, quàm suos honores: Et infra. Talis debet sequi reconciliatio, qualis præcesserit offensio, ut si cogitatu, uerbo, facto, fratrẽ offendisti, cogitatione, uerbo, facto eũ reconcilies. Omne enim peccatum, quo modo committitur, eo modo & pœnitetur, si rem aliquam abstulisti, redde ei quod abstulisti, & pœnituisti: Quoniam ablatæ rei peccatum rerum præsentatione disoluitur; si autem rem non tulisti, sed fortè castigasti hominem iniustè, dona aliquid pro iniuria dignum: iniuriæ enim peccatum beneficio est disoluẽdum; Alioquin nisi quem læsisti, & quomodo læsisti placaueris, sine caussa oras ad Deum, sine caussa eleemosynam facis. Sic ergo ille, qui alium offendit iniustè satisfacere læso debet iuxta modum offensæ, si potest; & vltra hoc de iniuria, vel offensa debet ab eo ueniam postulare; & facere quãtum in se est, quod recõcilietur fratri offenso, quòd si faciens quòd in se est, vt ei reconcilietur, ille sibi reconciliari, uel parcere noluerit, Deus qui cor pœnitentis non despicit, & est Dominus utriusque, peccatum offendentis dimittit, & offensi peccata retinet; quia qui pœnitenti, & satisfacienti, & ueniam postulanti ab eo, quem offendit, parcere non vult, nec etiã Deus parcet peccata, quę commisit in ipsum. Si enim non dimiseritis peccãtibus in uos, nec pater uester Cœlestis remittet uobis peccata uestra, infra 6. Et Augustinus in dicto sermone de quadragesima dicit. Fortè tu uis reconciliari fratri tuo, & ille non vult, fortè peccasti in illum, uis cum illo concordare, uis dicere ei frater ignosce mihi, quia peccaui in te? ille non vult ignoscere, non vult dimittere debitum, dic Deo securus; dimitte mihi debita mea. Et infra. Si dixisti fratri tuo ex toto corde tuo, si uera humilitate, nõ ficta charitate, quomodo Deus uidit in corde, dimitte mihi, quod in te peccaui, si ille noluit tibi dimittere, noli esse solicitus, seruus estis ambo; unum habetis Dominum, conseruo tuo debes, noluit tibi dimittere? interpella Dominũ amborum; Quod tibi dimiserit Dominus, non potest à te exigere tuus conseruus; sed ille, qui noluit peccatum dimittere fratri suo, quomodo potest dicere in oratione, dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris? nam si dicat, nihil est accepturus, sed falsum dicturus.

August. — Matt. 6. August. — Idem. — Chrysost. hom. 12. — Idem. — Idem.

SVMMARIVM.

Quòd offensus non tenetur petere veniam ab offendente, sed procurare per amicos communes ob beneficia collata (si quæ sint) offendẽti; quòd offendens, veniam petat ab eo, & Deum rogare, vt inspiret offendenti quòd veniam ab offenso petat, & sic offensus peccanti in se dimittat.

XVI

ILle verò, qui offensus est à fratre suo non debet, nec tenetur ab offendente fratre ueniam petere, quia non peccauit in ipsum, sedècõtra alter in eum: in quo autem peccato non præcesserit, in illo ueniæ postulatio sequi non debet; sed talis offensus, antequam etiam ab eo offendẽs ueniam postulet, in suo corde ueraciter ei indulgere debet, vt securus dicere possit, dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et si

videt,

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

uidet quòd ille offendens in sua malitia perseueret, si alii se non intromittant de eorum pacificatione, procurare debet, quòd communes amici de hoc se intromittant, ostendendo offendenti peccatũ suum. Quòd si nec sic fuerit reductus, nec se voluerit humiliare, & ueniam ab eo postulare; per beneficia exhibita ei ab offenso, si quæ sint, trahi ad amicitiã offensi debet; Quomodo frequẽter cõtingit, quòd ille, qui prius erat iniuriosus alteri tractus ad amicitiam per beneficia collata ab illo, qui offensus est, adeo solet eum diligere, quòd etiam eorum posterior dilectio superat illorum dilectionẽ, qui semper se mutuò dilexerũt: Quemadmodum Apostolus consulit faciendum ad Romanos 12. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitit, potum da illi, hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius. Noli uinci à malo, sed uince in bono malum; vbi dicit Glossa. Inimico tuo in vitæ necessariis subueni, hoc enim faciens, congeres carbones ignis, ideſt feruorem charitatis, vel spiritus sancti, vel urentem pœnitentiæ ardorem super caput eius, ideſt mentem eius. Vix enim inuenitur ita malignans, vt si videat, quòd ille quem iniustè læsit ante reconciliationem ei benefaciat; quãdo de malefacio, quod in eum perpetrauit, non pœniteat; & quãdo postea illum cui malefaciebat, diligat, beneficiis, & amicitia superatus, ex habitis sibi, dum inimicitias exercebat; licèt aliquando inueniatur tam iniquus, qui nec beneficiis, nec præcibus illorum, qui offensi sunt à maleficiis recedat. Vnde & in Psalmo contra quosdam, Retribuebant mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ. Sed & si hoc contingat, non debemus reddere mala pro malis, sed in bono uincere malũ: Vnde quòd offensus non debeat petere ueniam ab offendente, sed per amicos, & beneficia debet inducere eum, quòd desistat esse inimicus, & fieri amicus, dicit Augustinus in prædicto sermone de Quadragesima. Si dicas mihi, ille me læsit, ille in me peccauit, & non vult ueniam postulare; quid dicturus es? Nunquid dices mihi. Vade ad illum tu, & pete ab eo ueniam? Absit. Nolo mẽtiaris, nolo dicas ei. Da mihi ueniam, quia te nosti non peccasse in fratrem tuũ; Quid enim tibi prodest, cũ tu fueris tuus accusator, cum petis tibi ignosci ab illo, quem non læsisti? Nolo facias, nosti enim, benè discussisti, scisti quia in te peccauit, non tu in illum; noli uenire ad fratrẽ tuũ qui in te peccauit; & vult ab illo petere ueniam: debent inter nos esse amici pacifici, qui illum obiurgent ut à te prius ueniã petat, tu paratus esto ignoscere prior paratus esto ex toto corde tuo dimittere; si paratus es dimittere, iam dimisisti; & ora pro illo, vt ueniam petat, dicens Deo. Domine tu uis illũ peccasse in me, & obesse illi, quòd in me peccauit, si ueniam à me non petat, ego bono animo peto, ut ignoscas ei. Et Chrysostom. super illud infra. Vade prius reconciliari fratri tuo, dicit. Si ille te læsit, & prius de amicitia rogaueris, duplicem gloriam cõsequeris; unam, quia passus es iniustè; alterã, quia prior rogasti. Festina ergo inimicum tuum præuenire ad amicitias, ne forte te tardante ille præueniat ad rogandum, & rapiat de manibus tuis pietatis mercedem. Ex quibus patere potest, qualiter homines se debent habere misericorditer iustè in dimittẽdis peccatis proximorum, qui in alios proximos peccant.

Rom. 12.

Psal. 34.

Augusti.

Chrysost. hom. 12.

SVMMARIVM.

Quomodo ille, qui punit peccatum, quod in se ipsum commisit, debeat de se iustitiam cum misericordia in puniendo suum peccatum exercere; & quòd ille, qui pro tali peccato pœnitentiam tali imponit, debet eodem modo facere.

SEd si peccent homines in se ipsis punire se debent, ne à Domino puniãtur. Vnde, & Augustinus in quodam sermone de eo, quod est. Facite uobis amicos de Mãmona iniquitatis, exponẽs illud. Irascimini, & nolite peccare dicit. Volo uos irasci, sed ut non peccetis: ut autem non peccetis, quibus habetis irasci nisi uobis? Quis est enim homo pœnitens, nisi iratus homo sibimet? ut accipiat ueniam de se ipso accipit pœnam. Vt enim dicit Apostolus primę ad Corinthios 11. Si nosmetipsos diiudicaremus, non utique iudicaremur. Vbi dicit Glossa. Peccata siue magna, siue parua sint, impunita esse non possunt; quia uel homine pœnitente, aut Deo iudicante, plectuntur. Cessat autem uindicta diuina si confessio pręcurrat humana: nam si mentis nostræ tribunal accedẽtes, accusante cogitatione, teste cõscięntia, nosmetipsos iudicaremus, pœnitentiæ timore, quasi carnifice nos torquente, & lachrymæ profluerent quasi quidã sanguis animæ pœnitentis, non iudicaremur, ideſt puniremur à Deo: Nam quicũque se iudicauerit, non condemnabitur. Versetur ergo imago futuri iudicii ante oculos mentis, & ascendat homo aduer-

XVII.

Augusti.

1. Cor. 11.

Glos.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

sum se tribunal mentis suæ; & constituat se ante faciem suam, atque constituto in corde iudicio adsit accusatrix cogitatio & testis conscientia, & carnifex timor; In de quidam sanguis animi confitentis per lachrymas profluat, ut lachrymæ, quasi sãguis exeãt pro dolore peccati. Posterius ab ipsomet talis sententia proferatur, vt se indignum homo iudicet participatione corporis Domini; vt qui separari à regno timet per vltimam sententiam, ad tempus per Ecclesiasticam disciplinam à cælesti pane separetur. Ergo prius se homo iudicet, & seueritate pœnitentiæ se exerceat, ut à se ipso iudicatus, non iudicetur à Domino; & sic iustitiã de se ipso peccante homo facit. Quæ iustitia misericordia temperari debet, ne dum vltra posse homo se affligere nititur, ante corrumpatur, quàm pœnitentiam compleat; uel tantum se affligat, quòd postea inutilis reddatur ad bona opera facienda. Vnde
Bernar. & Bernardus in tractatu de Guerra inter Hierusalem, & Babylonem dicit, Iustitia susceptam animam, de Inferno reuertentem in penetralibus domus suæ pauidã collocat; quæ domus secundum loci situ, saxosa est, & inaccessibilis, nec armis, nec machinis inimicorum timet insultum; Sed quia arida est paucos habet indigenas, quos arido hordeacei panis cibo utcunque sustentat, & nisi succurrat charitas, timendum est tali animæ, ne in illo tam arenti loco, fame, & siti pereat; Nostrum enim obsequium, & hostia pro peccatis, rationabile esse debet. Sic enim est caro per pœnitentiam affligenda, ut uiuat castigata, & non est per immoderãtiam abstinentiæ sic crucianda, quòd ante deficiat, quàm satisfactio pro peccatis fiat; uel nec sic uexetur, quod postea inutilis ad bona opera fiat. Vnde Hieronymus
Hieron. in Epistola ad Lætam, de eruditione filiæ dicit. Displicent mihi longa, & immoderata ieiunia, quibus iunguntur hebdomades, & oleę in cibo, ac poma uetantur. Experimẽdo didici Asellum in uia, cũ lassus fuerit, diuerticula quærere: Hoc in perpetuo ieiunio præceptum sit; ne longo itinere uires perpetes superentur, ne in prima mansione currentes, corruamus in mediis. Et in Epist. ad Demetriadem
Idem, dicit idem, Non immoderata tibi imperamus ieiunia, & enormem ciborum abstinentiam; quibus statim corpora delicata franguntur, & ante ægrotari incipiunt, quàm sanctæ conuersationis iecerint fundamenta. Philosophorum sententia est; Moderatas esse uirtutes, excedentia modum, atque mensuram, inter uitia reputa

A ri. Vnde & vnus de septem Sapientibus, Ne quid (ait) nimis. Sic ergo debes ieiunare ut non palpites, & respirare uix possis, & comitum tuarum uel porteris, uel traheris manibus. Sed ut fracto corporis appetitu, nec in lectione, nec in psalmis, nec in uigiliis, quid minus solitò facias. Sic ergo ille, qui se ipsum de peccato, quod in se ipsum commisit iudicat, debet de se uindictam sumere, ut corpus castigetur, & tamen non interimatur, nec intantum debilitetur, quòd ad bona opera,
B quæ meliora sunt, quàm carnis afflictio, inutile reddatur, & sic misericordiam de se cum iudicio exerceat. Sed ad peccati quod in se commisit remissionem, multũ operatur misericordia, quæ habetur ad homines alios peccatores: Qui enim misericorditer parcit delinquentibus in se, promeretur, ut misericordiam de suis peccatis consequatur. In quo enim iudicio iudicabimus, in eodem iudicabimur. Vnde, & Apostolus ad Galatas 6. præci- Gal. 6.
Ç pit dicens. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, uos qui spirituales estis instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris. Et sicut quando homo, qui peccauit in se ipsum punit se, cõmiscendo iustitiam, cũ misericordia: Sic etiam ille, qui imponit pœnitentiam illi, qui in se ipsum peccauit, debet eam taliter moderare, quòd misericordia iustitiã superet, ne si nimis grauẽ pœnitentiã imponat, pœnitens pœnitentiam deserat: vel fortè in desperationem incidat, vel ne in posterum ad pœnitẽtiam venire nõ audeat. Vnde & Chrys.
D super illud infra 23. Alligant onera grauia, & importabilia, dicit. Tales sunt Sacerdotes, qui graue pondus venientibus ad pœnitentiam imponunt, qui faciunt, quòd dum pœna pœnitentiæ ab eis imposita fugitur, contemnitur pœna peccati futuri. Si enim fascẽ super humeros adolescentis, quam non potest baiulare, posueris, necesse habet, aut vt fascẽ reiiciat, aut sub pondere confringatur; sic, & homini cui grauæ pœnitentiæ pondus ponis, necesse est, aut vt pœnitentiam reijciat, aut suscipiens, dum sufferre non potest, scandalizatus amplius peccet. Deinde & si erramus, modicam pœnitentiam
E imponentes, nonnè melius est propter misericordiã dare rationẽ, quã propter crudelitatẽ? Vbi pater familias largus est dispẽsator nõ debet esse tenax: si Deus benignus; vt quid Sacerdos eius austerus? Ex qbus patere potest, qũo misericordia & iustitia debẽt cõuenire in correctione peccati, quod quis commisit in se ipsum. Chrysost. hom. 43.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

SVMMARIVM.

Qualiter puniri habeant illi, qui in Deum ex intentione peccant, & quomodo in eorum punitione iustitia & misericordia debeant misceri.

XVIII SEd quando quis peccat in Deum, faciendo Deo, quantum in ipso est, iniuriã, exhonorando ipsum verbo, vel opere, blasphemando, vel aliter iniuriando, vel sacramenta contaminando, vel etiam contemnendo, vel homines à Dei cultura retrahendo, quæ sunt peccata multum grauia, & maximè si ille, qui ipsa perpetrauit, intentione iniuriandi Deum ipsa agat, à nobis non sunt æquanimiter toleranda; immo patientiã in talibus habere, impietas est: & misericordiam impẽdere quousque manifestè pœnitentes videantur, magna crudelitas est. Vnde & Phinees qui idolatram, & fornicatorẽ interfecit, laudatus est. Et Mattathias, qui idolatrã super altare iugulauit, irã à populo Dei auertit. Et Hely, qui impios in Deum, & iniurioſos in homines filios suos, nouerat, eos seuerè non corripiens, de sellà retrorsum corruens mortuus est. Et in lege præcipitur Deut. 13. Si voluerit persuadere frater tuus, filius matris tuæ, aut filius, vel filia tua, vel vxor, quæ est in sinu tuo, vel amicus quem diligis, vt animam tuam, clàm dicens, Eamus, & seruiamus Diis alienis, non acquiescas ei, neque audias eum, neque parcat ei oculus tuus, vt miserearis, & occultes eum; sed statim interficies. Sit primò manus tua super eum, & post te omnis populus mittat manum. Et Chrysost. super illud, quod dictum est supra 4. Vade retro Satanas, dicit. Iniurias nostras magnanimiter sustinere debemus, Dei autem iniurias, nec vsque ad auditum sufferre: quoniam in propriis iniuriis esse quempiam patientem, laudabile est, in iniuriis autem Dei, nimis impiũ est. Et Ambrosius super Lucã ca. 17. dicit. Pulchrè posuit Dominus Si peccauerit in te. Non enim æqua conditio in Deum, hominemque peccare: Denique Apostolus, qui diuini verè est interpres oraculi, Hereticum, inquit, hominem post vnam, & aliã correptionem deuita: quia non est perfidia, vt talis culpa æuitabilis. Vnde & durè reprehẽditur Episcopus Thiatire, quia permittebat in sua Ecclesia mulierem Iezabel populum seducere Apoc. 2. Et quicunque Aue hæretico dicitur communicat eius operibus malignis, Epist. 2. Ioannis: Et Paulus in faciẽ restitit Petro: quia cogebat fideles, qui ex gentibus crediderant in Christum iudaizare ad Galat. 2. Ex quibus patet, quòd impatientem, & immisericordem esse in illos, qui Deũ peccãt, magna misericordia, & pietas est. Sed tamen tales, si pœniteant, recipiendi sunt semper ad misericordiam, quantum ad peccati remissionem, licet non semper, quãtum ad pœnæ relaxationem, Propter quod, & Ecclesia, quæ nunquã sinum claudit misericordiæ pœnitentibus, quo ad dimissionem culpæ, tamen talibus peccatoribus aliquando sinum claudit misericordiæ, quo ad relaxationem pœnæ. Sicut patet in crimine Hæresis, in quo relapsi traduntur per Ecclesiam seculari potestati, vt secundum leges igni tradantur, licet etiam pœnitentes. Vnde, & reconciliantur vt extendatur misericordia quantum ad peccati remissionem, vt ostendatur quòd misericordia quo ad pœnæ remissionem ad eos non extenditur. Verum tamen licet semper tales peccatores in Deum recipiendi sint ad peccati indulgentiam, si pœniteant; tamẽ grauior pœnitentia, considerata peccati qualitate & quantitate, eis est imponenda, quàm si in se, vel in proximum consimiliter peccassent; quia quantò offensus est maior, tantò eius offensa grauius, & durius puniẽda; Et hoc modo exponit Rabanus illud, quod ponitur 1. Regum 2. Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus, Si autem in Deum peccauerit uir, quis orabit pro eo? dicens. Non eo modo in uirum, quo in Deum peccatur; quia in uirum peccare peccatum qualecunque est factum contra proximum, leuior est remissio eius, in Deum vero peccare, idest ab eius cultu recedere, impietatis peccatum est, difficiliorq; remissio. Tamen nõ ita intelligendum est. Si in Deum peccauerit uir, quis orabit pro eo; quòd nulla uenia speranda sit, qui in diuino officio aliquid reliquerunt, si dignam pœnitentiam gerãt; sed quòd difficilior sit uenia, & maior agenda pœnitentia iis, qui in rebus Deo sacratis offendunt; quàm si quis proximum suum in uerbo, uel facto aliquid læserit, quia quantò maior gloria, tantò grauior fit offensa. Sic ergo patet ex predictis qualiter pars misericordiæ, quæ est dimittere offensam, vel peccatũ, debet cum iustitia exerceri. Vnde & Ambrosius 8. libro super Lucam capite 17. dicit. Neque difficilis sit uenia, nec remissa sit indulgentia, ne quem uel austera propellat inuectio, uel conniuentia inuitet ad culpam.

1.Mac.2. Ibidem. 1.Reg.4. Deut.13. Chrysost. hom.6. Ambro. Tit.3. Apoc.2. 2.Epist. Ioan. F G H I K Gal.2. 1.Reg.2. Ambro.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

SVMMARIVM.

Quas iustitias secum debent habere opera misericordiæ, quæ fiunt pro subleuatione proximi per eleemosynas corporales.

XIX ILla etiam species misericordię, quæ cõsistit in largitione beneficiorum, iustitiam secum habere debet, ut misericordia ueraciter dici possit. Cum enim illa species misericordiæ contineat eleemosynas corporales, quæ sunt pascere esurientem, potare sitientem, vestire nudum, suscipere hospitem, visitare infirmum, redimere captiuum, sepelire mortuum, contineat etiam eleemosynas spirituales, quibus animæ defectibus, uel pęnalitatibus subuenitur, quæ sunt docere ignorantẽ, consulere dubitantem, consolari tristem, corrigere peccantem, remittere offendentem, portare onerosum, & orare pro defectu tollendo omnium proximorũ; quarum duæ partes propriè respiciunt miseriam culpæ, sicut corrigere delinquentẽ, & remittere offendenti; & aliæ partes cũ eleemosynis corporalibus respiciant miseriam pœnæ: omnes huiusmodi eleemosynę, quæ sunt opera misericordiæ, secum iustitiam habere debẽt, alioquin nec opera misericordię essent. Et eleemosynæ quidem corporales tres secum iustitias habere debent; unam quidem, ut de proprio, & iustè acquisito fiant; & aliam, quòd magis indigentibus, uel illis, quibus magis aliqua necessitudine coniuncti sumus, fiant, & quòd de illo, quod nobis superfluum est, uel ultra necessitatẽ supereſt, fiant. Et quòd eleemosynę huiusmodi nõ debeant fieri de alieno, uel malè acquisito, ostendit Augustinus in quodam sermone de eleemosynis faciendis dicens. Remedia peccatorum, & medicina, eleemosynæ sunt; sed talis debet esse illa misericordia, quæ suscipiatur, non quæ repellatur; quæ peccata purget, non quæ animam grauet, de bono, de iusto labore, de propria facultate, & non de pauperis egestate. Fratres, non vult Deus hominem à misericordia cessare, nec libenter aspicit quemquam de fraudibus dantem; sicut Salomon dicit. Honora Dominum Deum tuum de iustis laboribus tuis, de iustis laboribus iussit dari, de iniustis uero rapinis prohibuit dari; Sed cum iudicare cæperit Deus, dicturi sunt ii, qui de fraudibus uiuunt, & de spoliis miserorum eleemosynam faciunt. Domine præcepta tua seruauimus, & in nomine tuo misericordiam fecimus, pauperes pauimus, nudos operuimus, & peregrinos hospicio recepimus; Quibus dicturus est Deus. Quod dedistis dicitis, quod rapuistis non memoramini, quos pauitis prætenditis, non recordamini quos necastis, quos operuistis gaudent, quos spoliastis dolent, quos hospitio recepistis retinetis, quantos de suis habitaculis exclusistis obliti estis, Ego misericordiã fieri iussi; fraudes, & rapinas exerceri non mandaui. Et in quodã alio sermone de uersu psalmi: Sedens aduersus fratrem tuum, dicit idem. Tu raptor, quia Deum non statim pateris ultorem, uis tenere participem, & tanquam corruptum iudicem prædæ socium uis habere? De multis diuitiis, quas rapuisti paucas eleemosynas faciens, & adhuc peccata non deserens; quasi corruptum iudicem putas te posse redimere, cum si etiam totum dares, & peccatum non desereres, te ipsum deciperes, pecuniam perdendo, & peccatum non redimẽdo. Et de uerbis Domini sermone 35. dicit idem. Facite uobis amicos de diuitijs iniquitatis. Quidam malè intelligendo rapiunt res alienas, & aliquid inde pauperibus largiuntur, & putant se facere quòd præceptum est: intellectus iste corrigendus est, immo etiã abolendus: Volo sic intelligas. De iustis laboribus facite eleemosynam, ex eo quod rectè habetis, date. Non enim corrupturi estis iudicem Christum, ut nõ uos audiat cum pauperibus, quibus tollitis. Si enim deprædareris aliquem inualidum, tu ualidior, & potentior, & ueniret tecum ad iudicem hominem quemlibet in hac terra, habentem iudicandi aliquã potestatẽ, & uellet tecũ causſam dicere, si tu de præda illa, & de spoliatione inopis dares aliquid iudici, ut pro te iudicaret, si faceret hoc iudex ille, nunquid & tibi placeret? Nempè pro te iudicauit, & tamen tanta uis est iustitiæ, ut & tibi displiceat. Noli tibi pingere talem Deum, qualis est iudex, qui propter munera corrumpit iudicium: Non enim talis Deus tuus, qualis non debes esse nec tu. Nolite ergo uelle eleemosynas facere de fœnore, & usuris. Sic ergo corporales eleemosynæ debent fieri de iustis laboribus, uel de diuitiis iustè habitis. Melius est enim nihil pauperibus dare, quam malè acquirere illud, quod pauperibus datur: dum enim homo nõ habet, quod det, sufficit bona voluntas dandi eleemosynam, si haberet vnde ipsam faceret, dicẽte Augustino in quodam sermone de radice omnium bonorum, & malorum. Si ille, qui vult vestire nudum, habet vnde vestiat eum, profert, & dat: si non habet, sufficit ei coram Deo bona voluntas. Bona

Pſal. 49. Auguſt.

Idem.

Auguſt.

Idem.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

enim voluntas ipsa est, quæ potest sufficere si cætera non sint, si autem sola deest, nihil prodest quicquid habitum fuerit. Requirunt etiam ejusmodi eleemosynæ aliâ iustitiâ, vt scilicet magis indigẽtibus, vel maiori necessitudine nobis cõiũctis, si omnibus indigentibus subueniri nõ potest, quòd illis fiant, vel magis fiant. Sicut enim natura prius subuenit necessitati indiuidui, quàm speciei, & in indiuiduo illis membris, quæ vel plus indigent propter aliquod accidens, vel magis necessariis ad vitæ conseruationem: sic, & ordinata volũtas prius subuenit magis indigentibus, vel maiori necessitudine nobis coniunctis. Vnde si nostri propinqui non habent tantum quòd commodè viuere possint, & extranei multum indigeãt, tunc propinquis dimissis, subueniendum est extraneis. Sed si æquè propinqui indigeant, vel aliquantulum minus, ita quòd commodè viuere non possint, & non possit subuenire vtrisque, dimittendi sunt extranei, & subueniendũ est propinquis. Charitas enim ordinata est, vt post Deum, & nos, parẽtes sint honorandi; quorum honor non tantum in salutationibus, & officiis deferendis, sed etiã magis in eleemosynis, & munerũ oblatione seruatur. Vnde & in lege honorari præcipitur pater, & mater; & ex honore eis exhibendo intelligitur omnis honor, qui aliis personis debetur, quodã ordine procedere. Vnde & Hieron. secunda homelia super cantica dicit. Ordinata charitas est in perfectis, vt post Deum, etiam inter nos ordo ponatur. Primum mandatum est, vt diligamus parentes, secundũ vt filios, tertium vt domesticos nostros; & sicut magis parentes filiis, & filij quã domestici, & domestici, quàm extranei: ita magis si indigeant, subueniendum est parentibus, quàm filiis; & filiis, quam domesticis, & domesticis, quàm extraneis. Si enim omnibus subueniri posset, melius esset; sed si nõ potest hoc fieri, magis indigentibus, vel nobis maiori necessitudine coniunctis, magis subuenire debemus: & quòd omnibus si possibilitas esset subueniendum sit. patet per hoc, quia nõ debemus simul omnes diuitias effundere, vel vni dare, nisi fortè quis velit seculum deserere, & religionem intrare: Sed opes debemus inter multos egentes diuidere & etiam ipsas vt habeamus procurare, vt ad multos (vel si possibile esset) ad omnes misericordiæ opera extenderemus. Vnde & in laudẽ viri iusti, & misericordis, dicitur in Psal. Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi: Et Dominus infra 19. dicit Adolescenti. Vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus: Quantò enim pluribus subuenitur, tantò melius, sed si homo pluribus subuenire non possit, saltem suis, qui indigent, & qui aliud adiutorium nõ habent, eleemosynam manualem det, & omnibus cordialem paratus omnibus dare, si haberet. Ex quibus patere potest, quòd eleemosynæ corporales duplicem secum iustitiam habere debent, scilicet & quòd fiant de proprio, & iusto acquisito, & quòd distribuantur inter multos egẽtes, magis subueniendo, vel prius illis, qui plus egent, vel maiori necessitudine nobis astricti sunt. Si quis enim suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior 1. Timotheum 4. Debent etiam habere tertiam iustitiam, quòd de superfluo nostro, & non de necessario nobis fiant, iuxta illud Apost. 2. ad Cor. 8. Non enim volo, vt aliis sit remissio, vobis autem tribulatio: sed ex qualitate in præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiã suppleat: Vbi dicit Glo. Dare moneo ex eo, quod habetis, & nõ vltra vires. Nõ enim volo vt aliis sit remissio, vel refrigeriũ, id est vt alij de vestris ociosè viuãt, vobis autẽ sit tribulatio ideſt paupertas: Et Dominus dicit Lucæ 11. Quod superest date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis Vbi dicit Beda. Quod superest, supple, necessario tui, & vestimento. Neque enim ita facienda iubetur eleemosyna, vt te ipsum consumas inopia, sed vt tui cura corporis expleta, inopem quãtum vales, sustẽtes: Sic ergo hac triplici iustitia munita debet esse misericordia exterior corporalis, vt scilicet fiat de non necessario nobis pro tunc, quando datur; vt non fiat de iniustè acquisito, vt magis egentibus, vel nobis magis cõiunctis, prius, vel magis fiat.

Matt. 19.

1. Tim. 4.

2. Cor. 8.

Glos.

Luc. 11.

Beda.

Hieron.

Psal. 111.

SVMMARIVM.

Quam iustitiam debeat habere secum Eleemosina doctrinæ, & consilij.

ELeemosynæ etiam spirituales, quibus subuenitur pœnalitatibus animę, ut sunt docere ignorantem, consulere dubitantem, supportare onerosum, consolari tristẽ, & orare pro tollendis defectibus, uel pœnalitatibus proximorum, iustitiã secum habere debent; ut si omnibus hominibus exhiberi non possint, exhibeantur quantò pluribus poterunt; & maximè illis, qui aliqua necessitudine nobis

XX

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

coniuncti sunt; vt patet in eleemosyna doctrinæ. Cum enim doctrina fiat & uerbo, & scripto, licet melius esset, quòd omnibus hominibus prædicaretur verbo; tamen cum hoc fieri non possit, suis prædicandum est. Vnde & Apostolus ex hoc, quòd quasi omnibus gentibus prædicauit Euangelium, super omnes alios Apostolos laudatur, eo dicente ad Romanos
Rom. 15. 15. Quòd ab Hierusalem per circuitum, vsque ad Illyricũ repleuerim Euangeliũ
1. Cor. 15. Christi, & 1. Corinthios 15. Abundantius illis omnibus laboraui. Alii enim
B Apostoli, quasi vnam regionem in sortem prædicationis acceperunt, Paulus pluribus regionibus prædicauit. Sed quia postea aliqui reperti sunt, qui super alios Episcopos se præferre uolentes, in aliorũ Episcoporum diocæsibus, vt proprii Episcopi contemnerentur, prædicare volebant; fuit ordinatum, quòd quilibet Episcopus contentus esset in sua diocæsi prædicare, nisi de licentia illius ad cuius dio
Cõc. Sard. cesim veniebat. Vnde in concilio Sardicẽ.
cap. 14. C cap. 14. Hoc statuere debetis, vt Episcopus ex alia ciuitate cum venerit ad aliam ciuitatem, vel ex prouincia sua ad aliam prouinciam, & ambitioni magis seruiat, quàm deuotioni, volens in alia ciuitate multo tempore residere; & si contingat Episcopum ciuitatis ipsius, quòd nõ tàm instructus sit, nec tàm doctus, frequenter iste aduenies incipiendo contemnere eũ facere sermonem ut dehonestet, & deformet illius personam; qua occasione fit ut non dubitet relinquere sibi assignatam Ecclesiam, & transire ad alienam; ne fiat
D hoc, prouidendum est. Sed doctrina, quæ fit scriptura ad omnes homines solum, quòd sit sana pertingere potest, & debet.
Hieron. Vnde Hieronymus in Epistola ad Nicetum dicit. Vicissitudo litterarũ sola res est, homines absentes præsentes facit; vnde & rudes italiæ homines, quos cassos Ennius appellat, qui sibi (vt in rethoricis Cicero ait) victu, ferro, requirebant cartæ, & membranarum usum, aut in dolatis è ligno codicillis, aut in corticibus Arborum, mutua Epistolarum eloquia musitabant. Vnde portitores earum Tabellarios uocauere. Ad hoc enim litteræ
E inuentæ sunt, ut doctrina sapientum ad absentes, vel secundum locum, vel secundum tempus perueniat; & ut humanæ memoriæ, quæ frequenter obliuiscitur quæ iam didicerat, succurratur. Vnde &
Augustin. Augustinus primo de Trinitate cap. tertio dicit. Ideo utile est plures libros à pluribus si diuerso stylo non diuersa fide, etiam de quæstionibus eisdem scribi,
A ut ad plurimos res ipsa perueniat; & infra. Meditationes meas ne obliuione fugiant, stylo alligo. Sic ergo quia scripta doctrina plures potest pertingere, quàm doctrina uerbalis, & per eam succurritur habilitati memoriæ; Ideo, qui docent scripto plures possunt docere; & per longius tempus, ac securius, quàm illi, qui solum docent uerbo; nisi eorum dicta per alios scribantur; propter quod maioris misericordiæ est docere scripto, quàm uerbo; licet facere vtrumque perfectius
B sit, & maximè quando docere verbo homini ex officio incumbit. Veruntamen quia doctrina scripta ad plurimos tàm beniuolos, quàm maliuolos, tàm scientibus, quàm inscientibus pertingere potest, ideo non faciliter, uel leuiter debet homo prorumpere ad scribendum, nisi multum diligenter prius attenderet, ne eius doctrina calumniæ pateat, & digna reprehensione existat.
Hieron. Vnde & Hieronymus in Epistola ad Rusticum de Monastica vita dicit. Ad
C scribendum non citò prosilias, & læui ducaris insania: Multo tempore disce quod doceas, ne credas laudatoribus tuis; immo irrisoribus aurem pe libenter accomodes, qui cum te adulationibus fouerint, & quodammodo impotem mentis effecerint, si subitò respexeris, aut Ciconiarũ deprehẽdes post te colla curuari, aut manu aures Asini agitari, aut æstuantem canis linguam protendi. Veruntamen si homo certus
D sit de doctrinæ suæ ueritate, sperans eam multis posse prodesse, & maximè si immineat periculum de fide, uel sanè doctrinæ corruptione, tacere non debet uerbo ad præsentes, nec manu cessare debet à scribendo propter timorem reprehensionis inuidorum, maliuolorum, uel etiam infidelium: dicente Augustino primo de Trinitate cap. 3. Nullus hominum ita locutus est, ut in omnibus, ab omnibus intelligeretur. Non tamen propterea putet, me tacere debuisse, quia non tam expeditè, ac dilucidè, sicut multi alii, eloqui potui. Et infra.
E Idem. Arbitror nonnullos tardiores in quibusdam locis librorum meorum opinaturos me sensisse, quod non sensi; aut non sensisse, quod sensi; Quorum errorem mihi tribui non debere quis nesciat? Et Hylarius Hylar. 2. de Trinitate cap. primo dicit. Compellimur hæreticorum, & blasphemantium vitiis illicita agere, ardua scandere, ineffabilia eloqui, inconcessa præsumere, & cum sola fide expleri, quæ præcepta sunt oporteret personis, ac rebus adorare, videli-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

cet Patrem, & venerari cum eo Filium, Spiritu Sancto abundare, cogimur sermonis nostri humilitatem ad ea, quæ inenarrabilia sunt, extendere, & in vitium, vitio coarctamur alieno, vt quæ contineri religione mentium oportuisset, nunc in periculum humani eloquii proferantur. Sic ergo dum necessitas, vel vtilitas scribēdi Doctori adest, scribere debet, vt pluribus, & perfectius prodesse possit, dū tamen antè aut doctrinæ veritatem, aut eloquii uenustatem assecutus sit. Iustitiam etiam aliam obseruare debet ille, qui docet, consulit, vel orat, vt scilicet illos doceat, illis consulat, pro illis oret, qui doctrinam volunt accipere, secūdum consilium agere, & taliter appetunt viuere, quòd oratio facta pro eis, debeat exaudiri. Qui enim non volentem doctrinæ attendere docet, verba sua perdit, sicut qui loquitur cum dormiente, qui audire
Eccl.22. nō potest. Vnde & Eccl.22. dicitur. Cum dormiente loquitur, qui enarrat stulto sapientiam, etiam qui doctrinam contemnentem docet, quantum in ipso est, doctrinam conculcat; Qui enim erudit derisorem, ipse sibi facit iniuriam. Prouer.9.
Prouer.9. Similiter etiam ille, qui docet doctrinam spernentem, & conculcantem, doctrinam vilescit, & se ipsum odibilem reddit.
Ibidem. Vnde Prouer.9. dicitur. Noli arguere derisorem, ne oderit te: Propter quod & Do
Matt. 7. minus infra cap.7. dicit. Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne conculcent eas pedibus suis. Vt enim ibi dicit Chrysost.
Chrysost. hom.17. Mysteria veritatis non sunt exponenda, nisi desiderantibus veritatem; & cum ratione humana viuentibus, & qui tales docet multum meretur, iuxta illud Pro-
Prou.25. uer.25. Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit sapientem, & aurem obe-
Idem 9. dientem, & Prouerbio.9. Argue sapientem, & diliget te, da sapienti occasionē, & addetur ei sapientia. Doce iustum, & festinabit accipere. Vnde, & Dominus frequenter verbum aufert de ore docentis, quia populus non est dignus salutis doctrinam suscipere, iuxta illud Ezechielis
Ezech. 36 36. Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus, nec quasi uir obiurgans, quia domus exasperans est; Si ergo licet eleemosyna doctrinæ sit quantum est in se omnibus ignorantibus exhibenda, tamen indignis, contemnentibus, audire nolentibus, non est ingerenda nisi fortè cum eis commisti sint aliqui, qui velint, & possint doctrinam intelligere, & audire: quia tunc omnibus est doctrina proponenda, ne beniuoli amittant

F propter malitiam, vel negligentiam audire nolentium, vel contemnentium. Non enim propter iniquorum malitiam priuandi sunt iusti bono eis debito. Vnde & Augustinus in libro de bono perseue- August.
rantiæ cap. 16. dicit. Dicatur ergo uerum, maximè vbi aliqua quæstio, vt dicatur, impellit, & capiant qui possunt: ne fortè cum tacetur propter eos, qui capere non possunt, non solum veritate fraudentur, verum etiam falsitate capiantur, qui verum capere, quo caueatur falsitas,
G possunt. Et infra. Causa verum tacendi Idem.
vna est, ne peiores faciamus eos, qui non intelligunt, dum volumus eos, qui intelligunt facere doctiores; qui tamen tale quid nobis dicentibus doctiores non fiunt, sed nec peiores. Cum autem res uera, ita se habeat, ut fiat peior, nobis eā dicentibus, ille qui capere non potest, nobis autem tacentibus ille, qui capere potest efficiatur peior, quid putamus esse faciendum? Nonne dicendum est potius uerum, vt qui potest capere capiat, quàm
H tacendum, vt non solum id ambo non capiant, uerum etiam, qui est intelligētior, ipse sit peior? Qui si audiret, & caperet, per illum etiam plures discerent. Quo enim est capacior, vt discat, eo magis est idoneus, ut alios doceat; Quando ergo simul sunt illi, qui doceri uolūt, & intelligere possunt cū illis; qui addiscere nō possunt, vel contemnunt, & sine damno intelligere uolētiū, & potētiū, pōt omitti doctrina, tunc dimittēda est; ne illi, qui eam intelligere non possunt, vel nolunt,
I peiores ex doctrina fiant. Sed si ex hoc, quòd tacetur vera doctrina, illi, qui addiscere possunt, & volunt, damnificētur notabiliter, tunc propter eos, qui doctrinā capere non possunt, nec volunt, non debemus omittere, quia doceantus istos, & illos simul existentes, ne damnificentur illi, qui proficere possunt propter illos, qui proficere non possunt, nec volunt. Has ergo iustitias secum debet habere eleemosyna doctrinæ, quòd ad omnes se extendat, & si non potest, ad minus se ex-
K tendat ad illos, qui aliqua necessitudine, vel obligatione docenti astricti sunt, quibus maximè Doctor est obligatus. Sic tamen, quòd si seiuncti sunt nolentes audire, contemnētes, vel irridentes doctrinā, & ex hoc certus sit Doctor, doceri nō debent, ne doctrina, & Doctor ex hoc vilificentur: Sed quando non sunt seiuncti tales, sed simul sunt coniuncti cum volentibus, & potētibus addiscere, qui si nō doceantur detrimentum euidens patiuntur propter improbitatē nolentium, vel con-

tem-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

temnentium, non sunt dimittendi doceri addiscere volentes, & scire potentes, & eodem modo est faciendum in datione consilij.

SVMMARIVM.

Quomodo eleemosyna, quæ est tristem consolari, debeat habere secum tristitiam.

XXI TRistes etiam cõsolandi sunt maximè quando est tristitia, quæ potest absorbere contristatum; & hoc siue sit tristitia seculi, quæ mortem operatur, siue tristitia secundum Deum, quæ pœnitentiam stabilem in salutẽ operatur, de quibus tristitiis, loquitur Apost. 2. ad Cor. 7. Sed hoc obseruandum est in consolatione tristitiæ seculi, quòd rationabiliter ostenditur propter talia non contristandum esse, licet tristandum sit temperatè, iuxta illud, quod Apostolus primæ ad Thessalonicenses 4. loquens de tristitia, quæ habetur de caris mortuis, dicit. Nolumus vos ignorare de dormientibus, vt non contristemini, sicut & cæteri, qui spẽ non habent. Et Eccl. 38. dicitur de luctu mortuorum. Fili in mortuum produc lachrymas; & quasi dira passus incipe plorare. Et infra. Propter delaturam amarè fer luctum illius vno die, & cõsolare propter tristitiam: A tristitia enim festinat mors, & cooperit virtutem, & tristitia cordis flectit ceruicẽ: & cap. 7. dicit. Mortuo non prohibeas gratiam; non desis plorantibus in consolatione; & cum lugentibus ambula. Vnde & ostendendum est eis quòd licet tristitiam ad tempus modicũ habere debeant, tamen non sic debent cõtristari, quòd tristitia eorum mentem absorbeat: quæ contristatio propriè dici potest: sed si irrationabiliter, vel sine cauſſa rationabili aliquis tristetur, ostendendũ est ei quòd tristari nõ debet, immo gaudere; quia fortè ablata est occasio malè agẽdi. Vnde, & amici Iob consolantes eũ de diuitiarum, filiorum, proprij corporis sanitatis amissione, quæ vir sanctus sciebat ad suum profectum adueniſſe, consolatores onerosi sunt vocati Iob 16. Quia ergo de talibus tristari nõ debemus, facilè consolationem recipere debemus: sed tristitia, quæ est secundum Deum, sic debet consolari, quòd ipsa non deseratur, cum pœnitentiam stabilem in salutẽ operetur. Sed sic debet moderari, vt non nimis, ne fortè ad desperationem pœnitẽs inducatur; Quemadmodum voluit Apostolus fornicantem per illos: qui erant de Corintho cõsolari, dicens 2. Cor. 2. Sufficit illi, qui eiusmodi est obiurgatio hæc, quæ fit à pluribus: ita vt è contrario magis donetis, & consolemini, ne fortè abũdantiori tristitia absorbeatur, qui eiusmodi est.

SVMMARIVM.

Quam iustitiam secum debeat habere eleemosyna orationis.

XXII ORatio verò pro omnibus hominibus fieri debet, vt Deus ad viam salutis, & cognitionis suæ eos perducat, dicente Apostolo 1. Timot. 2. Obsecro primum omniũ fieri obsecrationes orationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, nisi certum esset homini quòd huiusmodi orationem Deus exaudire nolet: quia tunc orandum nõ esset: Vnde & Hieremiæ 7. præcipitur. Tu ergo noli orare pro populo hoc, ne assumas pro eis laudẽ nec orationem, & non obsistas mihi, quia non exaudiam te. Vnde & Apostolus, qui optauerat anathema esse à Christo pro fratribus suis, qui erãt Israelitæ, postquã sciuit Dei iudicium de eorum obcæcatione, de eis nõ curauit. Ad Romanos 9. Vir enim Sanctus non petit, nec petere vult à Deo, quod scit Deum cõcedere nolle, dicente Dionysio cap. 8. Eccl. Hierar. Ierarcha thearchitæ iustitiæ recitator, nõ postulando, aliquando ea, quæ non sunt Deo amicabilia, & ab illo dari deiformiter promissa: propter quod, & iis qui immundè dormierunt non præcatur peccatorum dimissionem, non solum quòd in hoc perueteretur ordine, & aliquis Hierarchiorum superbè audebit, non à principe perfectionum motus, sed quoniam mundam orationem non consequetur. Et infra. Igitur diuinus Hierarcha expetit ea, quæ diuinitus sunt promissa, & amica Deo, & omnino donanda. Propter quod, & Samuel Saulem lugens reprehensus est à Deo, quia orabat eum pro Saule, quem Dominus abiecerat; dicente ei Domino primi Regum 16. Vsquequo tu luges Saul, cum ego proiecerim eum ne regnet super Israel? Sic ergo orandum est pro omnibus hominibus, vt ad vitam perueniant sempiternam: nisi homini cõstet per reuelationem diuinã, quòd præsciti sint ad damnationem æternam. Sed quia hoc de communi lege non constat, quamdiu homines sunt in vita præsenti, in qua multi obstinatissimi peccatores conuertuntur ad bonum; & multi qui iustissimè vixerunt ad malitiam peruertuntur; Ideo pro omnibus viuis tam fideli-

bus,

1. Tim. 2.
Hiere. 7.
Rom. 9.
Dionys.
Idem.
1. Reg. 16.
2. Cor. 2.
Iob 16.
Idem 7.
Eccl. 38.
1. Thes. 4.
2. Cor. 7.

bus, quàm infidelibus orat Ecclesia. Sed pro mortuis, de quibus constat, quòd in mortali peccato recesserunt, non orat, quia scit quòd vitam æternam consequi non possunt: dicente Augustino 21. de ciuitate Dei cap. 24. Qua causa fit, vt nunc Ecclesia pro malis angelis non oret, quos suos nouit esse inimicos: eadem ipsa causa est, qua fiet vt in iudicio pro hominibus æterno igne cruciãdis, quamuis perfecta sit sanctitate, non oret. Nunc enim propterea pro eis orat, quos in genere humano habet inimicos; quia tempus est pœnitentiæ fructuosæ. Denique si de aliquibus certa esset qui sint illi, etiam noscet, qui licet adhuc in hac uita sint constituti, tamen prædestinati sunt in ignem æternũ ire cum Diabolo, tàm pro eis non oraret, quàm nec pro ipso Diabolo. Sed quia de nullo certa est, orat pro omnibus dũtaxat hominibus inimicis suis in hoc corpore constitutis, nec tamen pro omnibus exauditur. Si qui autem vsque ad mortem habebunt cor impœnitens, nec ex inimicis conuertentur in filios, iam pro eis, idest pro taliũ defunctorum spiritibus nõ orat Ecclesia. Ex quibus patet quæ partes misericordiæ secum iustitiam habere debeãt, vt verè misericordię partes dici possint: Propter quod & Dominus, vt superius dicebatur, has duas beatitudines coniunxit dicendo. [*Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, & Beati misericordes.*]

August.

F

G

H

I

K

SVMMARIVM.

Sequitur quòd misericordia Dei, quam misericordibus exhibet, aufert ab eis omnem miseriam culpæ, & pœnę, quæ non potest facere misericordia, quam ipsi misericordes exhibent miseris.

XXIII Remig. Chrysost. hom. 15.

Quoniam ipsi misericordiam consequentur.] Vbi huius beatitudinis ponitur prę mium. Rectè autem secundum Remigiũ misericordibus misericordia promittitur, quia qui miserendo aliis subueniũt, merentur ipsi à miseriis liberari. Licet autem videatur præmium æquari merito, quia misericordia misericordia præmiatur, tamẽ longè præmiũ merito excedit, dicente Chryso. Hîc videtur quidem retributio æqualis esse, sed est tamen longè ipsa virtute præstãtior. Isti enim miserentur vt homines, misericordiam autem cõsequuntur ab vniuersorum Deo. Non est autem æqualis humana misericordia, & diuina, sed quantum malitiæ & bonitatis est discrimen, tantum hæc ab illa distat. Circa quod attendendũ est, quòd cũ misericordia miseriam respiciat: sicut duplex est miseria, scilicet culpæ, & pœnę, sic etiã duplex est misericordia scilicet qua subuenitur miseriæ culpæ, vel miseriæ pœnæ. Homo autẽ subuenit miseriæ culpæ proximi, vel corrigendo, vel offensam dimittendo, docendo, vel consulendo, vel etiam orando, quæ omnia attingere non possunt ad peccati proximi delectionem, nisi Deus interius agens, purget hominem à peccato: Nemo enim potest peccatum dimittere, nisi Deus. Et sic licet homo possit disponere aliũ ad hoc, vt eius peccatum dimittatur, tamen non potest peccatum dimittere, nisi solum ministerialiter. Ex hoc etiam quòd homo disponit, vel obtinet deletionem peccati proximi, tamen eum impeccabilem reddere non potest; Propter quod peccati miseriam non potest auferre vnus homo ab alio, sed solũ Deus, qui & peccata dimittit in vita præsenti, & hominem impeccabilẽ reddit in vita futura: propter quod solum & propriè Deus misericors est ex effectu, licet non ex affectu, quia & peccatum dimittit, & hominem impeccabilem reddit, & custodit etiam hominẽ ne peccet, dicente Augustino 2. Confessionum capite 7. Gratiæ tuæ deputo, & misericordiæ tuæ, quòd peccata mea tamquam glatiem soluisti. Gratiæ tuæ deputo, & quæcunque non feci mala, & omnia mihi dimissa esse fateor, & quæ mea sponte feci mala, & quæ te duce non feci. Quis enim est hominum, qui suam cogitans infirmitatem, audet suis uiribus tribuere castitatem, atque innocentiam suam, vt minus amet te, quasi minus necessaria ei fuerit misericordia tua, qua donas peccata cõuersis ad te? Vnde etiam in Psal. de Domino dicitur, Qui propiciatur omnibus iniquitatibus tuis, qui redimit te in misericordia, & miserationibus. Miseriam etiam pœnæ & in præsenti moderatur, & in futuro eam totaliter aufert. Nullus enim potest subuenire pœnalitatibus huius vitæ nisi per remedia à Deo concessa, qui omnes creaturas terrestres fecit, & inferioris ad humanam indigentiam subleuandam. Vnde & Damascenus 2. libro cap. 10. dicit. Eduxit terra, & aqua conditore iubente omnia genera animalium, piscium, & auium, reptilium, & ferarum, & iumentorum, omnia quidem ad hominis optimum vsum, sed horum hæc quidẽ ad escam puta ceruos, oues, capreas, & quæ talia: Alia verò ad ministerium puta camelos, boues, equos, & asinos, & quæ talia; Alia verò ad uoluptatẽ puta symias

August.

Psal. 102.

Damasc.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

& uolucrum cantus, & quæ talia. Sed & plantarum, herbarum, hæ quidem frutifere & comeſtibiles, hæ verò odoriferæ & floridę ad iocunditatem nobis tributæ, puta roſæ, & quæ talia: alia verò ad ęgritudinum ſanationem. Non eſt enim animal, neque planta, in qua operationem quandam hominum vtilitati conferentem conditor non impoſuerit; Quia enim omnia ante generationem eorum nouit Deus, ſciens quòd libertate arbitrii tranſgreſſor homo eſſet, & corruptioni traderetur, omnia, quæ in aere, quæ in terra, & quæ in aquis ad optimum eius uſum creauit. Et Hieronymus in tertia reſponſione contra Iouinianum dicit. Philoſophi, & Medici nullam herbam, nullum lapidem, nullũ reptile, tàm volatile, quàm natatile eſt, quod non ad ſuę artis vtilitatem referant. Cum ergo Deus creauerit medelas omnium pœnalitatum, manifeſtum eſt, quòd in præſenti pœnalitatibus noſtris miſeretur; nõ quidẽ ſic q̃ ipſas totaliter auferat, quia nobis nõ expedit, dicente Auguſtino 13. de ciuitate Dei, capite 4. Si regenerationis Sacramentum continuò ſequeretur immortalitas corporis, ipſa fides eneruaretur, quæ tunc eſt fides, quando expectatur in ſpe, quod in re nõdum habetur: fidei autem robore, atque certamine, in maioribus ætatibus etiam mortis fuerat ſuperandus timor, quod in ſanctis martyribus, maximè emicuit: cuius profectò certaminis nulla eſſet victoria, nulla gloria, quia nec ipſum omnino poſſet eſſe certamen: ſi poſt lauacrũ regenerationis, iam ſancti non poſſent mortem perpeti corporalem. Vnde per ineffabilem Dei miſericordiam, ipſæ pœnæ uitiorum tranſeunt in arma virtutum, & fit iuſtis meritum etiam ſuppliciũ peccatoris; Non ergo Deus aufert pœnalitates noſtras in preſenti, quia non expedit nobis, cum ſit tempus meriti, ad quod meritum augendum, & faciendum, huiuſmodi pœnalitates neceſsè ſunt; ſed tentat, ne ſupra id, quod poſſumus huiuſmodi pœnalitates in nos irruant. Fidelis enim Deus, qui non patitur nos tentari ſupra id, quod poſſumus, ſed facit cum tẽtatione prouentum, vt poſsimus ſuſtinere 1. ad Corinthios 10. Sic ergo noſtris miſeriis pœnæ Deus ſubuenit in præſenti, ſed in futuro ab electis omnem pœnę miſeriam, ſiue corporalem, ſiue ſpiritualem totaliter auferet, quando inimica deſtruetur mors; & iam mors non erit amplius, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, & abſterget Deus omnẽ lachrymam ab oculis ſanctorum Apoc. 21. Et vt dicitur in ſermone de omnibus Sãctis accepto ex verbis Cypriani. In vita beata aufugiet dolor, & triſtitia, & gemitus, non erit ibi paupertatis metus, neque ægritudinis imbecillitas, nemo ibi lędetur, nemo iraſcetur, nemo inuidebit, cupiditas nulla exardeſcet, nullum ibi deſideriũ, nulla honoris, aut poteſtatis pulſabit ambitio; nullus Diaboli metus, inſidiæ dæmonum nullæ, terror gehennę procul, mors neque corporis, neque animæ; ſed immortalitatis munere iucunditas: nulla erit tunc diſcordia, ſed cuncta conſona, cuncta conuenientia, quia omnium eſt ſanctorũ una cõcordia; nulla ibi nox, nullæ tenebræ, cõcurſus nubium nullus, nec frigus, nec ardor, ſiue aſperitas ulla: non erit ibi ſenectus, nec ſenectutis miſeria, dum omnes occurrent in uirum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti: Sic ergo omnis pœnalitas totaliter tolletur â ſanctis: quia non ſolum ibi non erit pœna, immò nec eſſe poterit. Ex quo patet quantò excedit miſericordia Dei, quam miſericordibus exhibet, miſericordiam hominum miſericordium, & hoc, quantum ad mali culpę, & pœnæ remotionem, quę propriè miſericordia reſpicit.

Apoc. 21. Cypria.

Hieron.

Auguſt.

SVMMARIVM.

De miſericordia Dei, quam conſequentur miſeri cordes, quantum ad beatorum largam largitionem.

XXIIII

SEd quia miſericordia non ſolũ remouet malum, ſed etiam dat beneficium, Dei miſericordia in preſenti quidem dat uirtutes, & gratiam: quia non eſt uolentis, neque currentis habere uirtutem, & gratiam, ſed miſerẽtis, Dei ad Romanos 9. Et in futuro tantam dabit gloriam, quòd nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus 1. Corinthios 2. Vnde & in dicto ſermone de omnibus Sanctis, Quòd ſuperant omnia prædicta, quæ ſignificant mali amotionem, hæc quæ ſequũtur. Scilicet conſociari angelorum cętibus, thronis, & dominationibus, principatibus, & poteſtatibus, omniumque cœleſtium ſupernarum uirtutum, contubernio perfrui, & intueri agmina ſanctorum, ſplendidius ſyderibus micantia, Patriarcharũ fide nitentia, Prophetarum ſpe, lætantia, Apoſtolorum 12. tribus Iſrael, & orbem ſublimitate, iudicantia, Martyrum purpureis uictoriæ coronis lucentia, vîrginũ quoque choros, candentia ſerta geſtantes inſpi-

Rom. 9.

1. Cor. 2.

1. Cor. 10.

cere,

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

cere: In quorum medio reſidet Chriſtus, de quo dicere vox nulla ſufficiet. Effugit enim omnẽ ſermonẽ, atque omnẽ ſenſum, humanæ locutionis, & mẽtis illud decus, illa pulchritudo, illa virtus, illa gloria, illa magnificẽtia, illa maieſtas; vltra omniũ ſanctorum eſt gloriam ipſius ineſtimabilem adipiſci, conſpectu, & ſplendore maieſtatis eius irradiari. Vnde & Pſalmiſta hanc Dei miſericordiam declarans, dicit. Qui propiciatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas: qui redimit de interitu vitã tuã, qui coronat te in miſericordia, & miſerationibus: qui replet in bonis deſideriũ tuũ. Pſal.102.

Caſſiod. Quod exponens Caſsiodorus dicit. In his tribus verſibus, exponuntur ſub quinaria diuiſione retributiones futuri ſeculi, quas ſanctis ſuis Dominus pia miſeratione largitur. Primò enim fit propitius peccatis eorũ, vniuerſis delictis remiſsis. Secundò ſanat omnes languores fidelium, cum ſecuritas, & immortalitas æterna in reſurrectione cõceditur. Tertiò redimit de interitu vitam noſtram, quando nos ab æternæ, & ſecundæ mortis calamitate ſubmouerit, ne audiamus: Ite in ignem æternum. Quartò ſatiat bonis deſideriũ beatorum, cum eis dicetur: Venite benedicti Patris mei. Quintò coronat in miſeratione, & miſericordia ſua, quando iam beatis præmia digna reſtituit. Ex quibus patet quantum miſericordia Dei ſuperet humanam miſericordiam, quam conſequuntur qui miſericordes homines ſunt; Vt enim dicitur in Pſal. Secundum altitudinem cæli à terra corroborauit miſericordiam ſuam: Quod exponens Caſsidorus dicit. Tantò maiorem dicit à meritis eorum miſericordiam Domini, quam retribuit fidelibus ſuis, quantum poteſt à terra cœli ſummitas eleuari, & ſicut cœlum terras operit, & competentia benefi cia temporibus ſuis homini tribuit, modo pluuias influendo, modo præſtando ſerena, modum ipſum aerem ventis ſaluberrimis temperandoi: ta miſericordia Domini fragilitati noſtræ noſcitur diuerſa præſtare. Suſtinet enim vt corrigat, flagellat vt erudiat, probat vt præſtet, & per diuerſa opera beneficiorum vna voluntas eſt ſubuenire peccantibus. Sic ergo, quia Dei miſericordia, quam conſequuntur miſericordes, omne malum, vel miſeriam tàm culpæ, quàm pœnæ aufert, & remouet; manifeſtum eſt quòd miſericordia eius multò excedit humanam miſericordiam, & pluſquàm cœlum à terra diſtet: & quia non ſolum remouet malũ, ſed etiam confert tantum bonum, quòd Pſal.102. Caſſiod.

F nec à nobis in præſenti poteſt cogitari: Manifeſtum eſt, quòd vtroque modo, & quantum ad remotionem mali, & quantum ad largitionẽ boni miſericordia Domini, quàm conſequuntur miſericordes, plena eſt: Miſericordia enim Domini plena eſt terra eorum, & non ſolum anima eorum.

SVMMARIVM.

Quid ſignificet, quòd miſericordes miſericordiam conſequantur.

G

ET benè verbum conſecutionis hîc ponitur; Conſequi enim ſignificat quòd ille qui aliquid ſequitur, vel ſequebatur, attingit illud quod ſequebatur, & eſt ſimul cum eo: Miſericors autem quantum poteſt, conatur miſeriam aliorum remouere, & tunc ſe reputat miſericordiã atti giſſe, quando miſeriã à proximo ſuo ſubmouit. Quia ergo attintio miſericordiæ eſt miſeriam ſubmouiſſe, tunc miſericordiam perfectè miſericors conſequetur in ſe ipſo, quando omnem miſeriam à ſe viderit expulſam, & ſuum deſiderium bonis omnibus ſaciatum. Vnde & Auguſtinus 1. libro de ſermone Domini in monte dicit: Beatos dicit, qui ſubueniunt miſeris, quoniam eis ita rependitur, vt de miſeria liberentur: Quod tunc fiet, quando ante Thronum miſericordiſsimi Dei peruenerint miſericordes poſt reſurrectionem, quoniam omnis miſeria ab eis remouebitur, ad quem Thronum fideles properare hortabatur Apoſtolus ad Heb. 4. dicens: Adeamus cum fiducia ad Thronum gratiæ eius, vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. XXV

H

I

Auguſt.

Heb. 4.

K

TRactatus ſequens protenditur vſque ad illum locum, (Beati pacifici, &c.) *Et continet in ſe* 13. *capitula. Et primò ponitur prima continuatio, in qua oſtenditur, quòd ſolum illi miſericordes conſequuntur à Deo miſericordiam, qui miſericordes ſunt, ideſt ab omnibus peccatis, & maximis criminibus ſe abſtinent.*

BEati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.] Vbi ponitur ſexta beatitudo, quæ eſt cordis mũditia, & poteſt con- I

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

tinuari primò sic quòd sit quasi declaratio præcedentis beatitudinis: vt ostendatur qualiter se debeat habere in se, qui aliis misereri debet, ad hoc vt misericordiam consequatur. Non enim omnis, qui suo proximo miseretur à Deo misericordiam consequitur, nisi sic mundè viuat, quòd dignus sit Dei misericordia. Multi enim sunt, qui multas eleemosynas, & largas pauperibus faciunt, docent ignorantes, corrigunt delinquẽtes, & alia misericordiæ spiritualis, & corporalis opera faciunt: & tamen immundè, & luxuriosè viuentes misericordiam Dei non consequuntur, dicente Augustin. in quodam sermone de eleemosynis faciẽdis. Eleemosynæ possunt tibi prodesse ad delenda peccata præterita, si mores mutaueris, si autem in eisdem malis perseueraueris, eleemosynis non corrumpes iudicium Dei: Et infra. Si homicidia, & fornicationes, & latrocinia exercens faciat eleemosynas, & pectus tundat, sed vita mutata inde non recedat dicens in corde suo sic. Faciam latrocinia, quotidianis corruptionibus, & adulteriis me contaminabo, sacrilegos quæram, idolis sacrificabo, mathematicos consulam, & à tali vita omnino non recedam, faciam tamen quotidianas eleemosynas, & sic extinguo omnia peccata. Non extinguis, & cum iis extinguèris. Et idem Aug. 21. de ciuitate Dei cap. 28. dicit. Qui vitam suam vsque ad mortem quotidianorum criminũ perpetratione confodiunt, eleemosynas pauperibus largiendo, æstimantes se eleemosynam consecuturos, sic agunt, vt quasi licentiam maleficiorum se à Christo emere credentes, securi damnabilia tanta committant. Qui si pro vno scelere omnia sua distribuerent indigentibus membris Christi, nisi desisterent à talibus factis, ali quid eis prodesse non posset: qui enim dignas pro suis peccatis eleemosynas facit, prius eas facere incipit à se ipso. Hanc enim eleemosynam, vt Deo placeat, non faciens animæ suæ, quomodo dignas pro peccatis suis eleemosynas facere dicẽdus est? Et infra. Propter hoc eleemosynę faciẽdæ sunt, vt cum de præteritis peccatis deprecamur, exaudiamur: non vt in eis perseuerantes licentiam malefaciendi nos per eleemosynas cõparare credamus. Tales enim non sunt dicẽdi facere eleemosynas, qui vitam nolunt à consuetudine scelerũ in melius cõmutare. Quia ergo non omnes, qui misericordes sunt in alios ipsi misericordiam consequũtur, sed solum illi, qui uitam mundam à peccatis ducunt, & in alios misericordes sunt: ideo Dominus, vt ostendat qui misericordes consequantur misericordiam, addit [*Beati mundo corde.*] quasi dicat. Nõ potest misericordiam consequi, quantumcunque misericors esse videatur, qui cordis munditiam, quæ nihil aliud est, quã peccatorum carentia, & maximè criminum, non habet. Et hoc modo hanc beatitudinẽ cõtinuat Ambrosius super Lucam lib. 5. cap. 6. dicens. Qui misericordiam differt, mercedẽ amittit nisi mundo corde misereatur. Emunda igitur interiora mentis tuæ, & si diligenter pectoris tui secreta mundaueris compatere iis, qui impugnantur, & intellige quanti hominum, quanti fratrum tuorum auxilium tuum quærant. Sed nisi tu prius interiora tua vacuà feceris ab omni labe peccati, ne dissensiones, contentionesque ex affectu tuo prodeant, non potes aliis ferre medicinã. Et secundum hoc hæc beatitudo declarat præcedentem; quia ostenditur qualiter se habẽtes in se ipsis, & aliis miserentes, misericordiam consequũtur. Et Chrysostomus ad eandem intentionem hanc beatitudinem præcedenti beatitudini continuans dicit. Quoniam multi miserentur quidem, & non rapiunt, neque auari sunt, adulterant autem, & impudica agunt, monstrans quòd non sufficiat illud primum, & hoc apposuit.

Ambro.

Chrysost. hom. 15.

SVMMARIVM.

Ponitur secunda continuatio, & ostenditur: quòd nisi misericors in faciendo proximo misericordiam, mundam intentionem habeat, non consequitur à Deo misericordiam pro tali opere.

II

SEcundò potest continuari ad eandem beatitudinem declarando eam quò ad intentionem miserẽdi. Misericordia enim si non recta intentione fiat, licet subueniat proximo, cui præstatur, tamen non profieit præstanti: sicut aliquod bonum opus de genere est bonum, & non est meritorium opus facienti simpliciter, nisi recta & munda intentione fiat. Vnde & Dominus infra sexto dicit. Cum facis eleemosynam noli tuba canere ante te, sicut hipocrytę faciũt in synagogis, & in vicis, vt honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Te autem faciente eleemosynam, nesciat si nistra tua quid faciat dextera tua. Hæc autem rectitudo intentionis, quæ debet esse in bono opere, per cordis munditiam insinuatur; de qua cordis munditia dicitur in Psal. Innocens manibus, & mundo corde. Et hoc modo hanc beatitudinẽ conti-

Matt. 6.

Psal. 23.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Ambroſ. nuat Ambroſius ſuper Lucam lib. 5. capite 6. vt ſupradictum eſt, & dicit. Qui miſericordiam differt mercedem amittit, niſi mundo corde miſereatur; nam ſi iactantiam quærat, nullus eſt fructus; ſic ergo, vt oſtendatur quòd non ſufficit homini adhoc quòd miſericordiam conſequatur aliis miſereri, niſi recta intentione miſereatur, poſtquàm dixit [*Beati miſericordes*] addidit [*Beati mundo corde.*]

SVMMARIVM.

Ponitur tertia continuatio, & oſtenditur quòd per quinque præcedentes beatitudines oculus cordis mundatur ab iniectu pulueris cupiditatis mundi: ſed in iſta beatitudine oſtenditur eſſe mũdandus ab interiori infirmitate.

III Gloſ. TErtio poteſt cõtinuari ſecundũ Gloſ ſam ad beatitudines pręcedẽtes, quia per primas beatitudines mũdatur oculus mentis ab impedimẽtis extrinſecis, quibus impeditur ne Deum cernat, hîc uerò præcipitur mundari ab impedimentis intrinſecis, quibus impeditur ex ſe ne Deũ uideat. Circa quod eſt attendẽdum, quòd ut dicit Bernardus in ſermone de conuerſione ad clericos cap. 25. Vt corporeus nobis uiſus, aut humore interiori, aut exterioris iniectu pulueris impeditur: interdum tamèn corporeus oculus non adhuc feſtuca manente, ſed iam ſublata, uel exſufflata aliquãdiù caligare uidetur, quouſque fuerit redditus priſtinæ ſanitati: ſic & intuitus ſpiritualis interdum propriæ carnis illecebris, interdum curioſitate ſeculari, & ambitione turbatur: per mititiam, ſiue manſuetudinem ſpiritus, & luctum, & fletum carnis illecebra domatur, quibus carnis concupiſcentia refrænatur, & corpus atteritur, & affligitur, ſed per paupertatem, iuſtitiam, & miſericordiam curioſitas ſeculi, & honorum ambitio excluditur: quia per iuſtitiam non appetuntur aliena, per miſericordiam diſtribuuntur propria, & per humilitatem ſpiritus non quæruntur ambitioſa: vt ſic per manſuetudinem, & luctum mundetur peccati fomes, quia eſt morbus interior obcæcãs, uel obtenebrans mentem. Corpus enim quod corrumpitur aggrauat animã Sap. 9. ſed per paupertatẽ, iuſtitiam, & miſericordiã puluis terrenæ ſubſtantię, & ſuperbiæ uitæ iniectus ab exteriore ab oculo mentis expellitur, uel etiã exſufflatur, ſed quia & in ſe mentis oculus infirmus eſt, & propter infirmitatem carnis, & terreni pulueris magis infirmus redditur: ideo iam ab exteriori macula ex carne, vel ex

Bernar. Sap. 9.

F ſeculo contracta mundatus propter præcedentes beatitudines, oſtenditur in ſe eſſe mundandus, & confortandus per præſentem beatitudinem, vt oſtendatur in ſe ipſo infirmitatem, & immunditiam habere: quibus impedientibus, non poteſt cernere Deum. Vnde & hîc dicit Gloſſa. Mũditia cordis ſexto loco ponitur, vt homo ſexta die conditus per hanc reſtituatur, & depulſis uitiis præceptum Domini illuminet oculos, vt Deus poſsit uideri. Ideo homo ſe à mundo exuat, æterna diligat, amplectatur Deum, quòad poſsit uidere eum, quem tantum uidet, quantum ſeculo moritur. Gloſ.

G

SVMMARIVM.

Quòd cordis munditia accipitur uel pro intellectu liberato, & mundo ab errore, vel falſitate, vel pro voluntate mũda à peccato, vel crimine, uel pro omnium uirtutum adeptione, vel pro caſtitatis timore.

H QVo viſo, uidendum eſt quid ſignificet cordis munditia. Circa quod attendendum eſt, quòd munditia cordis aliquando accipitur pro intellectu, in quo nullus error eſt; ſed omnia, vt ſunt, intelligit, & èconcontra cordis immunditia accipitur pro intellectu, qui circa falſa, & erronea verſatur. Vnde & Sap. 7. dicitur de ſpiritu ſapientiæ. Eſt in illo ſpiritus ſapiẽtię, & qui capiat omnes ſpiritus intelligibiles, mundus, ſubtilis. Et Ioannis 15. Iam uos mundi eſtis propter ſermonem, quẽ locutus ſum uobis. Et Eccl. 34. dicitur. Ab immundo quis mundabitur? & à mẽdace quãdo uerum dicetur? Et ab hac immunditia dicti ſunt immundi omnes illi, qui uana, & mendacia confingunt; & maximè qui illa, quæ confinxerunt pro Deo colunt; Vnde & Ezechiel 14. de Idolatris dictum eſt. Viri iſti poſuerunt immunditias ſuas in cordibus ſuis, & ſcandalum iniquitatis ſuæ ſtatuerunt contra faciem ſuam. Quod infra eodem exponitur de idolis. In multitudine, inquit, immunditiarum ſuarum capietur domus Iſrael in corde ſuo, quo receſſerunt à me in cunctis idolis ſuis. Ex quo etiam immundus intellectus dicitur, qui imaginibus in phãtaſia exiſtẽtibus adhæret pro rebus, quarum ſunt imagines, & etiam ille intellectus, qui non poteſt eleuari ultra imaginata; Propter quod multa falſa, & vana credit; vt contingit in ſomno, & nihil ultra ſenſibilia percipit, & cõtingit intellectui, qui nunquam ultra ſenſibilia eleuatur, & talium intellectus, qui ſic imaginibus pro

IIII Ioan. 15. Sap. 7. Eccl. 34. Ezech. 14.

I

K

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

rebus adhæret, ut ultra sensibilia eleuari non potest, immundus est propter talium sensibilium, & imaginum adhærentiam, nec aliquod spirituale cogitare possunt, occupato intellectu eorum circa ista. Vnde Hiero. in tertia respõsione contra Iouinianũ, de quibusdã dicit. Vir doctissimus Galienus Hipocratis interpres ad Lętas, quorum uita, & ars sagina est, dicit in exhortatione medicinæ, nec uiuere posse diu, nec sanos esse, animasq; eorum ita nimio sanguine, & adipe, quasi luto inuolutas, nihil tenue, nihil cœleste, sed semper de carnibus & uictu, & uentris ingluuie cogitare. Et ècontra illi dicuntur habere intellectum mundum, qui uera à uerisimilibus discernere possunt, & imagines separant à rebus, & potentes intelligere rem omnino spiritualem, & tales intellectus pertingere possunt, vel per creaturas, vel per fidem in præsenti, vel per apertam visionem in futuro ad cognitionem Dei.

Hieron.

Vnde & August. tractans qualiter Deus possit cognosci, octauo de Trinitate cap. 2. dicit. Non paruæ notitiæ pars est, cum de profundo isto in illam summitatem respiramus, si antequàm scire possumus quid sit Deus, possumus scire quid non sit. Non est enim nec terra, nec cælum, nec quasi terra, & cœlum, nec tale aliquid, quale videmus in cœlo; nec quicquid nõ videmus, & est fortasis in cœlo: sicut cogitãtur Angeli mundi spiritus, nec tamẽ eosdem spiritus sine corporibus cogites, quod quidem carnali cogitatione difficillimũ est. Ecce vide (si potes) ò anima prægrauata corpore, quod corrumpitur, & onusta terrenis cogitationibus, variis, & multis. Ecce vide (si potes) Deus veritas est cum audis veritas est, noli quærere quid sit veritas. Statim enim se opponũt caligines imaginum corporaliũm, & nubila phantasmatũ, & perturbãt serenitatem, quæ primo ictu diluxit tibi, cũ diceretur veritas. Ecce in ipso primo ictu, cum dicitur veritas, mane si potes; si non potes relaberis in ista solita, atque terrena. Quo tandem pondere quæso relaberis, nisi ad quæ relaberis pondere sordium contractarum, cupiditatis uisco, & peregrinationis erroribus? Ex quibus patet quòd cordis munditia dicitur intellectus, qui res spirituales, vt sunt, percipere potest, nõ deceptus corporalibus imaginibus; & ille, qui res intelligibiles corporales veraciter, vt sunt, intelligit, discernens eas ab ipsarum imaginibus rerum consimilium, vel propinquarum in natura, quia talium intellectus res, vt in se sunt, veraciter intelligit, discernẽs vnã rem ab alia; & imagines à rebus, quarum imagines sunt intelligibilium rerũ cuiuslibet naturam cognoscendo, & hoc siue per fidem, siue per creaturam: & si non apprehendendo propriè, quid sunt, tamẽ apprehendẽdo quid non sunt; vel aliquo modo ad quid sunt, pertingere possit; vel per apertam visionem, in qua cognoscemus sicut & cogniti sumus. Secundò cordis munditia accipitur pro carentia peccati, vel pro non habente peccati cõscientiam; quam munditiam videbatur habere vxor Thob. cum dicebat Thob. 3. Mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia. Quæ munditia ab omni peccato in adultis in vita præsenti non est; iuxta illud Prouerbiorum: Quis potest dicere: mundum est cor meum, purus sum à peccato? sed tamẽ potest inueniri adultus, qui sit sine peccato mortali; vel non habens conscientiam peccati mortalis. Vnde & Iob 27. dicitur: Non reprehendit me cor meum in omni vita mea. Et Apost. 1. ad Cor. 4. dicit. Nihil mihi conscius sum, sed nõ in hoc iustificatus sum. Et hoc modo secundum Remigium munditia cordis hîc accipitur, vnde dicit. Qui sunt mundo corde? illi uimirum, qui deposita sorde vitiorum ab omni inquinamento carnis, & spiritus, se purgare student: Et Chrysostomus hîc dicit. Mundos corde hîc ait eos, qui nullius malitiæ sibi ipsi conscij sunt. Tertiò mundi corde vocantur, qui non solum non sunt sibi cõscij peccatorum, sed & omne opus bonũ consecuti sunt, non solum operantes bona opera, sed & benè: scilicet recta intentione, & munda, multa opera bona facientes. Vnde de huiusmodi mũditia dicitur Iob 8. Si mundus, & rectus incesseris, statim euigilabit ad te. Quod exponens ibi Greg. dicit 8. lib. Moralium cap. 22. Mundus videlicet in cogitatu, quantum ad intentionem, & rectus in opere. Et in Psal. de tali dicitur, Innocens manibus, & mũdo corde. Et hoc modo cordis munditiã accipit Chrysost. in expositione dicens. Mundo sunt corde, qui non solum non faciunt malum, nec cogitant, sed adhuc etiam, qui omne bonum, & faciunt semper, & cogitant, quia est interdum facere bonum, & non cogitare, quia non propter Deum faciunt bonum, sed propter aliquam alteram causſam. Qui autem propter Deum facit bonum, sine dubio & cogitat bonum; & hoc modo cordis munditia accipitur ad similitudinem munditię corporalis, quæ non solum requirit ablũtionem à sordibus, sed & appositionem pulchritudinis, & ornatus. Vnde & de

August.

Thob. 3.

Prou. 20.

Iob 27.

1. Cor. 4.

Remig.

Chrysost. hom. 15.

Iob 8.

Gregor.

Psal. 23.

Chrysost. hom. 9.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Ezech.16. Hierusalem sub mulieris pulchræ similitudine dicitur Ezech. 16. Laui te aqua, & emundaui sanguinem tuũ ex te, & vnxi te oleo, & vestiui te discoloribus, & calciaui te iacintho, & cinxi te bisso, & indui te subtilibus, & ornaui te ornamẽto: Hanc autem munditiam, quæ est omnis iustitia, charitas facit, quæ secundum Apostolum primę ad Timotheum primo, 1.Tim.1. est finis præcepti de corde puro, & conscientia bona, & fide, non ficta. Quartò cordis munditia accipitur pro castitate, vel temperantia, tàm mentis, quàm carnis, & maximè pro munditia mentis, quæ mens casti non solum non cogitat de immundicia carnis perpetranda, sed & abominatur, & detestatur de ea aliquid cogitare, nisi necessitas adsit, uel utilitas, dicens illud Iob 31. Pepigi fœdus cũ oculis meis, vt ne cogitarẽ quidẽ de Virgine; Iob 31. Vt enim dicitur 2. Ethicorum, Maximè obseruandum est delectabile, & delectationem; Aristot. nam eam accipientes, supplè in cogitatione, non iudicamus eam, Quod igitur plebis senes patiebantur ad Helenam dicentes. Non videamus, hoc oportet nos pati ad delectationem. Et ut dicitur septimo Politicorum. Totaliter turpi loquium ex ciuitate, sicut aliquid aliud oportet legislatorẽ exterminare. Ex dicere enim de facili quodcũque turpium fit, & ipsum facere propè, maximè quidẽ ex iuuenibus, quatenus neque dicant, neque audiant nihil tale: Quoniã autem de ciuitate dicere quid exterminamus, manifestum, quia & uidere aut picturas, aut sermones inhonestos, exterminare debemus. Quia igitur cogitare inhonesta sunt luxuriæ irritamenta, & difficile est quòd aliquis diu cogitet, uel loquatur de talibus actibus, quin aliquo modo luxuria stimuletur; & si frequẽter cogitet, & loquatur, difficile est quin labatur in peccatum carnis: vel quo ad delectationem solam, vel in opere exteriori, si opportunitas adsit. Ideo castus homo non solum non operatur inhonesta, vel luxuriosa, uel de eis perpetrandis cogitat; sed nec de eis aliquo modo cogitare vult, nisi necessitas vel vtilitas adsit ad proximum instruendum, vt talia caueat; vel ad se castigandũ, si fortè aliquando, vel opere, vel cogitatione huiusmodi inhonestis, & turpibus contaminatus fuit; & talis cor mundum habere debet, Nihil enim sic mentem deiicit, & carnalem efficit, quemadmodum ipsa luxuria. Vnde, & Glos. super illud Apost. 1.Cor.6. 1. ad Corint. 6. Qui fornicatur, in corpus Glos. suum peccat, dicit. Alia peccata; & si per corpus committantur, non tamen animũ

F humanum concupiscentiæ carnali ita efficiunt constrictum, & obnoxium, sicut in solo opere fornicationis corporalis fit; cum uis libidinis animum facit misceri cum corpore, & unum cum ipso quodam modo facit; hoc enim propriè seruit anima corpori, in tantum, vt nihil alicui ipso momento, & experimento huius magni flagitii cogitare homini licet, aut intendere; quia mentem captiuam subdit sibi ipsa submersio, & absorbitio libidinis, ꝙa libidinis ardore, quo maior nullus est, G voluntas ipsius corporis motum tenet, efficitque captiuum liberum. Non est omnino in aliis quibusq; sceleribus sic; quia unumquodque eorum comparare possumus, & eodem tempore ad alias cogitationes distendere possumus, quod in fornicationis opere, ac tempore, non licet omnino. Sic enim totus homo absorbetur à carne, vt iã dici non possit ipse animus suus esse, sed simul totus homo dici possit caro. Et Tullius in lib. de Senectute auctoritate Architæ Tarentini dicit. Nullã Cicer. H capitaliorem pestem, quàm voluptatem corporis hominibus esse datam à natura, dicebat Architas. Cum enim homini siue natura, siue Deus, nihil mente præstabilius dedisset huic diuino muneri, ac donò nil tàm esse inimicum, quàm voluptatem; neque enim libidine dominante temperãtiæ locum esse, nec omnino in voluptatis regno virtutem consistere posse: Quod ut magis intelligi posset, fingere animo iubebat incitatum de voluptate corporis, quanta percipi posset maxima; nemini cẽsebat fore dubium, quin tamdiu dum ita I gauderet, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione consequi posset. Quo circa nihil esse tàm detestabile, tàm pestiferum, quàm uoluptatem; siquidem cũ maior esset, atque longior, omne animæ lumen extingueret: impedit enim cõsilium voluptas rationi inimica, & mentis perstringit oculos, nec habet vllũ cum virtute commertium. Quia ergo luxuria mẽtem carnalem facit, & lumen rationis excæcat, & confundit, manifestum est quòd K ècontrario castitas hominem spiritualem facit, & mentis oculos, quibus Deus videtur, serenat, atque mundificat. Vnde & Apost. loquens de viduis, & virginibus 1. ad Corinth. 7. dicit. Qui sine vxore est, co- 1.Cor.7. gitat quæ Dei sunt, quomodo placeat Deo, qui autem cum vxore est, solicitus est, quæ sunt mũdi, quomodo placeat vxori; & mulier innupta, & virgo cogitat quę Domini sunt, vt sit sancta corpore, & spiritu. Quod exponẽs Hiero. in prima respõ- Hieron. sione contra Iouinianũ dicit. Si nihil aliud

esset,

esset, & nulla merces amplior uirginem sequeretur, sufficeret ei hæc sola prælatio cogitare quæ domini sunt. Quia ergo castitatis munditia mētis oculos clarificat, & serenat, quæ claritas, & serenitas mentis est necessaria, vt summū intelligibile, quod Deus est, cogitetur, & cognoscatur vel etiam videatur, dubium non est, quin ipsa castitas disponat, & de propinquo, ad Dei visionem. Propter quod benè Dominus loquens de mundis corde, ideſt castis tàm mente, quàm carne, dicit quòd ipsi Deum videbunt. Vnde Chrysost. hanc munditiam cordis hîc exponens dicit. Hic ait eos, qui in sobrietate cōsistunt: Nullius enim nobis est ita necessitas ad vidēdum Deū, vt virtutis huius. Ideoque Paulus dixit. Pacē sequimini cū omnibus, & sanctimoniā, sine qua nemo videbit Deū. Ex quibus patet q̄ cordis mūditia accipitur vel pro intellectu liberato, & mundo ab errore, vel falsitate, vel pro uoluntate munda à peccato, vel crimine, vel pro omnium virtutum adeptione, vel pro castitatis nitore, vt patet ex prædictis.

Chrysost. hom. 15.

Heb. 12.

E

SVMMARIVM.

Quomodo Deus in vita præsenti corporali oculo videri possit non in sua natura, sed in natura creata assumpta, siue ad personæ diuinæ vnitatem, siue ad aliquod opus peragendum, & ponitur differētia inter has duas diuisiones.

V

QVo supposito, videndum est quibus modis videatur Deus. Circa quod intelligendū est, quòd quemadmodum in nobis est triplex oculus, & uisio, scilicet corporalis, imaginaria, & intellectualis; ita tripliciter Deus videri potest, scilicet oculo corporali, oculo imaginario, & oculo intellectuali; Oculo quidem corporali, vel in natura humana ad vnitatem diuini suppositi assumpta; quemadmodum oculo corporali uisus fuit Dominus Christus, qui verus Deus, & homo est. De cuius visione dicitur Baruch. 3. Hic Deus noster est, & non æstimabitur alius aduersus eum: hic inuenit omnem viam prudentiæ, & intelligentiæ, post hæc super terram uisus est, & cum hominibus conuersatus est. Et Ioan. 15. Nunc uiderunt, & oderunt & me, & patrem meum. Vel videtur oculo corporali in specie corporali assumpta, non ad vnitatem suppositi, sed ad aliquid agendum, vel demonstandum; quo peracto illa species resoluitur in ptæiacentem materiam, quemadmodū uisus fuit Abrahæ ad illicē Mambrè Gen. 18. Quando tres vidit, & vni locutus est,

Baruc. 3.

Ioan. 15.

Gen. 18.

A & eis coxit vitulum; & comederunt: & frequenter Patribus sic Deus uisus est, sicut Iacob, qui cum eo luctatus fuit usque ad mane Gen. 32. Et istis duobus modis oculo corporali Deus videri potest tam à mundis, quàm ab immundis, quia hac visione non videtur natura Dei, sed solum forma assumpta, siue ad vnitatem suppositi, siue ad aliquod opus solum. Et quòd ab immundis sic videri Deus possit in homine assumpto ad vnitatem personæ, patet, quia ipsum Iudæi viderūt, & irriserunt iuxta illud Psal. Ipsi verò consideraverūt, & inspexerunt me diuiserūt sibi vestimenta mea, & super vestem meā miserunt sortem. Et hoc modo etiam ab omnibus iniquis Deus in iudicio videbitur, iuxta illud Apocal. 1. Ecce veniet cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Quòd etiā in specie assumpta non ad vnitatem suppositi, sed ad aliquod opus peragendum, Deus à mundis, & immundis possit videri; manifestum est. Et de mundis iam dictum est. De immundis verò patet per Angelos duos, qui venerunt Sodomam, qui duarum personarum diuinarum vicē gerebant, qui visi fuerūt à Somoditis, vt patet, per hoc, quòd dixerūt Loth. Vbi sunt viri, qui introierūt ad te hac nocte? Gen. 19. Et quòd illi duo Angeli essent duæ personæ diuinæ; dicit Aug. 2. de Trinitate cap. 12. Cum autē iidem duo tamquā vnus compellantur, dicente Loth ad eos. Rogo Domine, quoniā inuenit puer tuus misericordiam ante te, vnius substantiæ, unum Dominum Deum intelligimus: sed in plurari numero duas personas, quas intelligimus Filij, & Spiritus Sancti, quia missos se dixerunt, quod de Filio, & Spiritu Sancto dicimus: Nam Patrem nusquā scripturarū nobis notitia occurrit missū. Et Hilar. de Synodis exponēs exemplū fidei in Sirmico Synodo 15. dicit. Si quis pluit Dominus à Domino, non de filio, & Patre intelligat, sed ipsum à se pluisse dicat, anathema sit. Pluit enim Dominus filius à Domino Patre, & idē hoc declarat Magist. 4. de Trinit. cap. 13. & 14. Sic ergo tali visione corporali à mundis, & immundis Deus videri potest, differenti tamen modo, quia in homine assumpto ab omnibus æqualiter astantibus videbatur, & sine miraculo nouo non poterat fieri, quin præsentes, siue boni essent, siue mali eum præsentē non uiderēt; sed in specie assumpta nō oportet quòd omnes præsentes videant huiusmodi species: sed quibus vult apparet, quibus vult non apparet: secūdū quod in multis locis patet in scriptura,

B

C

D

E

Gen. 32.

Psal. 21.

Apoc. 1.

Gen. 19.

Augusti.

Hilar.

Magist. sent.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

& dictum fuit supra. Vnde & Ambr. lib. Ambro. 1. super Luc. cap. 1. dicit. Apparuit Deus Abrahæ ad ilicem Mambrè. Nam qui antè non præsentitur, sed repentino videtur aspectu, apparere memoratur: nõ enim similiter visibilia videntur, & Deus, cuius in voluntate situm est videri, & cuius naturæ est non videri, nam si non vult, non Idem. videtur. Et infra. Nunc prestò est Angelus sed non videtur, neque enim in potestate nostra est eum videre, sed in potestate illius est apparere. Quia ergo hac visione corporali Deus à mundis, & immundis videri potest; quando Dominus dicit. [*Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*] manifestum est ipsum non loqui de visione corporali. In tali enim visione licet uideatur natura assumpta à diuino supposito, vel in vnitatem personæ, vel ad aliquod opus peragendũ, propter quod Deus videri dicitur, tamen ipsa diuinitas, vel Deus ipse, tali visione nõ videtur. Leo. Vnde Leo in sermo. 1. de Pentecoste. Nemo existimet in linguis igneis, quæ corporeis uisæ sunt oculis, diuinam sancti spiritus apparuisse substantiam. Natura enim inuisibilis, & cum patre filioque cõmunis, qualitatem muneris, atque operis sui, qua uoluit significatione monstrauit, proprietatem uerò essentiæ suæ in sua deitate continuit, quia sicut nec patrem, nec filium, ita nec spiritum humanus uisus potest attingere.

SVMMARIVM.

Quòd videntes Deum oculis corporalibus in vita præsenti si non ferantur ad ipsum fide formata, non est necesse quòd sint mundo corde, sed si ferantur ad ipsum fide formata; oportet quòd sint mundo corde: & quòd sancti post resurrectionem mente clarè Deum uidentes; & oculis corporalibus videntes Christi humanitatem glorificatam, ex effectibus subitò Deum per intellectum cognoscentes, oportet quòd sint mundo corde.

VI VErum est tamen, quòd si visione corporali sit cõiuncta uisio intellectualis, ut scilicet uidendo oculis corporalibus sensibilem speciem, quæ repræsentat personam diuinam, intelligatur uel per fidem, vel per Prophetiæ lumen diuina persona esse præsens: si feratur mens hominis ad impendendum illi rei uisæ corporalibus oculis debitum honorem propter id, quòd diuinitas in ea intelligitur esse præsens, & hoc fide formata; hoc fieri non potest sine cordis munditia; purus enim, & mundus existens Deus, non nisi

F mundo corde uidetur, dicente Ambrosio 1. libro super Lucam cap. 1. Is, qui uidere uoluerit, non potest Deum uidere; neque enim corporalibus oculis, nec in loco Deus uidetur, nec corporalibus oculis Deus quæritur, nec circumscribitur uisu, nec tenetur tactu, nec auditur affatu; nec sentitur incessu: & cum absens putatur, uidetur, & cum præsens est, non videtur: solum enim à mundis corde videtur, quam mũditiam fides formata in præsenti facit, dicente Petro Actuum 15. Fide Actu. 15. G purificans corda fidelium; Et August. 1. August. de Trinit. cap. 2. Mentis humanæ acies in ualida in tam excellẽti luce, scilicet quòd credat, & intelligat, quòd Pater, & Filius & Spiritus Sãctus unius, eiusdemque substãtiæ, uel essentiæ dicantur, & re ipsa experiantur se cognoscere & esse illud summum bonum, quod purgatissimis mentibus cernitur, non figitur, nisi per iustitiã fidei nutrita uegetetur; Vnde qui sic in assumpta corporali specie Deum per intellectum cernunt præsentem, & ad Deum fide formata tendũt, iam beati sunt non in H re, sed in spe: Propter quod & Dominus Luc. 10. oculos Apostolorum, qui uidentes eum esse hominem per fidem formatam eum esse Deum per intellectum credebant, beatificat dicens. [*Beati oculi, qui vident quæ vos videtis.*] Et Iacob quando Deum vidit in specie viri secum luctantis, dixit: Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Vnde Gen. 32. quòd illi, qui per fidem formatam Deum in specie assumpta cognoscere uolunt, I mundari debeant, patet per illud, quod dicitur Exodi 19. Vade ad populũ, & sanExo. 19. ctifica, vel mundifica illos hodie, & cras, lauentque uestimẽta sua, & sint parati in diem tertium, in quo die descendet Dominus coram omni plebe super montem Sinai. Sed illi, qui in specie uisa corporali Deum quidem credunt esse præsentem, sed tamen fide formata non tendunt in ipsum, nõ oportet quòd mundi sint corde: quemadmodum iniqui in iudicio Christi humanitatem uidentes, & ex euidentia K operis ipsum Deum esse recognoscentes, vel credentes; quomodo & Iacob. 2. dicitur. Dæmones credunt, & contremiscũt, Iaco. 2. non oportet quòd propter hoc sint mundi corde: Vnde & Sap. 12. dicitur de iniSap. 12. quis, quòd cum exterminarentur, uidentes illum, quem olim negabant se nosce Deum, uerum Deum agnouerunt. Sed sancti, qui Deum mente cernent post generalem resurrectionem per apertam uisionem, uidentes etiam corporalibus oculis Christi humanitatem, & reuelata men-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

te eius diuinam maiestatem facliter uidentes, oportet quòd mũdissimi sint corde: de talibus enim dicitur in Psal. Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto eius? Innocẽs manibus, & mundo corde. Sic ergo ad hoc, ut uidea tur Deus oculo corporali non in se, sed in specie corporali assumpta, si visio huius modi non habeat secum intellectualem visionem coniunctam, nõ est necesse quòd taliter videns Deum sit mundus corde, cum immundissimi eum sic videre possint: sed si corporalis visio comitem habeat intellectualem visionem: & hoc vel fide formata, vel visione aperta, tunc necesse est quòd taliter Deũ videns sit mundo corde. Sed si sic videatur intellectualiter, quòd Deus credatur fide informi, vel agnitione experimentali, ex operum euidentia, sine charitate tamen, nõ oportet quòd taliter eum uidentes sint mundi corde.

Psal. 23.

SVMMARIVM.

Quæ visio Dei imagnaria requirat in uidente Deum cordis munditiam, & quæ non.

VII

SEd si Deus videatur oculo imaginationis per hoc quòd aliqua imago fit in phantasia, vel iam existit, quæ Deũ repræsentat, nõ semper est necesse quòd taliter Deum videns, mundum cor habeat: cum quandoque inuenti sint peruersi homines, qui donum prophetiæ sunt adepti: in qua prophetia quandoque species repræsentans ipsum Deum, vel futurum contingens, quod certitudinaliter nõ potest sciri, nisi Deo agente, & reuelante, in eis facta fuit: Quemadmodum Nabucdonosor peruersus existẽs, vidit visione imaginaria Deũ. Vnde Daniel 4. de eo dicitur. Videbã in uisione capitis mei super stratum meum: & ecce vigil, & sanctus de cœlo descendit, & clamauit fortiter, & ait. Succidite arborem &c. Quem vigilem, & sanctum interpretatus est Daniel Deum esse, vt patet ibidem. Et idem etiam uidit lapidem abscissum de mõte sine manibus, qui lapis manifestè personam Domini Christi demonstrabat, vt patet Danielis 2. Sed huiusmodi uisio imaginaria aliquando cõiuncta est cum intellectuali uisione, aliquando est sine intellectuali uisione, quando uidetur imago, & perpenditur esse imago; quia alterius rei intelligitur esse repræsentatiua, & tamen nescit ille, cui repræsentatur, quid illa imago repræsentet. Quemadmodum fuit factum in Nabucdonosor in duabus uisionibus prædictis, qui interpretante indi

Dan. 4.

Idem 2.

A

guit, & in hoc genere uisionis nõ est necesse quòd sit mundo corde ille, qui eam habet. Sed quando est coniuncta uisioni imaginariæ intellectualis uisio, adhuc nõ semper necesse est quòd sit mundus corde ille, qui Deum sic uidet. Sic enim Balaam malus existens multa prædixit futura, & cognouit, vt patet Nu. 23. & 24. cap. Quia licet intellectũ illustratũ lumine prophetiæ haberet, & benediceret populo ore, & coactus eo dicente: Ad benedicendum adductus sum, benedictionem

Num. 23. & 24.

B

prohibere non valeo, tamen voluntatem renitentem Dei voluntati habebat, & maledicere populo intendebat: Vnde & pergens ad populum suum, quia verbo prophetali nocere non potuit populo Dei, maligniſsimum consilium non vt Prophe ta, sed vt homo peruersus dedit: Quia ergo malignam voluntatem habebat, & Dei voluntati renitentem, licet visionem Dei, vt dicit, intuitus esset per intellectũ, tamen mundus corde non erat. Sed sancti

C

Prophetæ, qui Deum visione imaginaria viderunt, & quid illæ imagines significarent, cognouerunt, & cum hoc suam voluntatem diuinæ voluntati conformauerunt, volendo illud, quod Deus volebat: mundi corde fuerunt: Vnde & Isaias cum Dominum vidisset super soliũ excelsum, & eleuatum, qui iam cor mundum habebat, sed tamen adhuc polluta labia habebat (quia qui in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Iacob. 3.) dicit. Isaiæ 6. Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, & Regem Dominum exercituum vidi oculis meis. A qua pollutione mundatus fuit per calculum, quem unus de Seraphin forcipe tulerat de altari, dicente ei Seraphin. Ecce tetigi hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.

Iaco. 3.
Isa. 6.

D

SVMMARIVM.

Quòd triplex est visio intellectualis Dei, scilicet in vita præsenti per creaturam, vel per fidem, aut diuinam scripturam, & in vita futura per apertam, & facialem visionem.

E

VIII

SEd cum visio, vel cognitio Dei intellectualis sit in præsenti & per creaturã, & per scripturam, dicente Auguſt. 2. de Trinitate cap. 1. Non ero segnis ad inquirendam substantiam Dei, siue per scripturam eius, siue per creaturã, quæ vtraque nobis ad hoc proponitur intuenda; vt ipse quæratur, ipse diligatur, qui & illam inspirauit, & istam creauit. Qui duo

Auguſt.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

modi Deum cognoſcendi in præſenti tãguntur ab Apoſtolo primæ ad Cor. 13.
1.Cor.13. Videmus nũc per ſpeculum in ænigmate.
Gloſ. Per ſpeculum enim intelligimus ſecundũ Glo. aliquas creaturas, in quibus aliqua ſimilitudo Dei relucet. Sed per ænigma intelliguntur imagines, vel ſimilitudines poſitæ in ſcriptura, quæ valent ad intelligendum Deum, licet obſcurè: nunc enim imagines ueritatis per fidem videntur. Sic ergo in vita præſenti cognoſcitur Deus per creaturas, dicente Apoſt. ad
Rom.1. Romanos 1. Inuiſibilia Dei à creatura G
mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta cõſpiciuntur, ſempiterna quoque eius uirtus, & diuinitas. Sed quia non ſufficiebãt creaturæ nobis ad cognoſcẽdum Deum, quia per ipſas ſolum eſſentialia cognoſcuntur, & non perſonalia, niſi multum imperfectè: Ideo, vt perfectam notitiam ſecundum ſtatum præſentem de Deo habere poſſemus, diuina ſcriptura per Chriſtum, Prophetas, & Apoſtolos, & Euangeliſtas, qui Dei ſecreta, & intima perſpexerunt, nobis eſt reuelata, dicẽte Ioanne H
Ioan. 1. 1. Deum nemo uidit vnquã: Vnigenitus
Epheſ.3. filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit Et Apoſt. ad Epheſ. 3. Quod aliis generationibus nõ eſt agnitum filijs hominum, nunc reuelatũ eſt ſanctis Apoſtolis eius, & Prophetis in ſpiritu: qui Spiritus Sanctus ſcrutatur etiam profunda Dei 1. ad
1.Cor.2. Corinth. 2. Vnde Auguſt. 2. de Ciuitate
Auguſt. Dei cap. 2. dicit. Magnum eſt & admodũ rarum vniuerſam creaturam corpoream, & incorporeã conſideratam, compertamque mutabilem, intentione mentis excedere, atque ad incommutabilem Dei ſubſtantiam peruenire, & hoc de cognitione Dei per creaturam; & ſubdit de cognitione Dei per ſcripturam, quia ipſa mens, cui ratio, & intelligentia naturaliter ineſt uitiis quibuſdam tenebroſis, & ueteribus, inualida eſt ad perfruendum meritò incommutabile lumen, & eò perfruendũ, donec de die in diem renouata, atque ſerenata, fiat tantæ felicitatis capax. Fide primum fuerat tribuenda, atque purganda, qua ambularet fidentius ad ueritatem K
proſpiciendam; quam fidem conſtituit, atque fundauit Deus Dei filius, homine aſſumpto, non Deo conſumpto. Hoc enim,
Idem. vt dicit cap. 3. Prius per Prophetas, deinde per ſe ipſum, poſtea per Apoſtolos, quãtum ſatis eſſe iudicauit, locutus, etiã ſcripturam condidit, quæ canonica nominatur, eminentiſsimæ auctoritatis, cui fidem habemus de iis rebus, quas ignorare non expedit, nec per nos ipſos noſcere idonei ſumus: Sicut enim de viſibilibus, F
quæ non uidemus, eis credimus, qui uiderunt, ita de iis, quæ animo, ac mẽte ſentiuntur, hoc eſt de inuiſibilibus, quæ à noſtro ſenſu interiore, uel mente, remota ſunt, eis oportet nos credere: quoniam hæc in illo incorporeo lumine diſpoſita didicerunt, uel manentia contuẽtur. Sed in futura uita Deum ſancti videbunt facie ad faciem; & ad eius uiſionem, & claram, & apertam, non indigebũt creatura, uel ſcriptura, ſed ipſam diuinam naturã oculis mẽtis per ſe, & ſine alio medio intuebuntur, dicente Apoſt. 1. ad Corinth. 1.Cor.13.
13. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, nunc cognoſco ex parte, tunc cognoſcam ſicut & cognitus ſum. Ex quibus patet, quòd cognitio, vel uiſio intellectualis Dei eſt triplex, ſcilicet in præſenti per creaturã, & ſcripturam, & in futuro per uiſionem apertam.

SVMMARIVM.

Quòd ad cognoſcendum Deum intellectualiter per creaturam, non eſt neceſſaria cordis mundicia, licet, ſi ipſa adſit, perfectius, & ſecurius Deus per craturam cognoſcatur.

I IX

QVo viſo, intelligendum eſt quòd cognitio Dei per creaturam poteſt inueniri in immundis corde. Philoſophi enim, qui immundi, & magni fuerũt peccatores, Deum per creaturam cognouerunt, dicente de eis Apoſtolo ad Rom. 1. Veritatem Dei in iuſtitiam detinẽt, quia Roma.
I quod notum eſt Dei manifeſtum eſt in illis; Deus enim illis reuelauit. Quod exponens Glo. inquit. Inueniſti Deum ò tu Gloſ.
Gentilis, ò tu Philoſophe, & colis idolũ, inueniſti veritatem, & ipſam detines in iniuſtitia, & quod per Dei opera cognouiſti, per hominis opera perdidiſti. Cognouerũt enim aliqui Philoſophorũ Deum, ſed ſibi tulerunt, malentes morari iniuſtè in ſua peruerſa uoluntate, quàm in bonitate. Sed per quod cognouerũt Deum? certè per Dei opus, quod eſt vniuerſa creatura. Deus enim, qui natura inuiſibilis eſt, vt ſciri poſſet ab hominibus, opus fecit, quod opificem ſua uiſibilitate manifeſtauit, vt per certũ incertus ſciri poſſet, & ille etiam omnium Deus crederetur qui hoc fecit, quod ab aliis impoſsibile eſt fieri. Hoc philoſophi nobiles quæſierunt quoquomodo interrogantes creaturas de creatore, & omnium creatura ſpecie, ac diſpoſitione, quaſi pro uoce reſpondente. Deus meus fecit. Ex arte artificem cognouerunt, & tamen cum cogno

uiſſent

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

uissent non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, dicentesq; se esse sapientes stulti facti sunt. Superbia enim qua sibi illa quæ cognouerant attribuerunt, obnubilauit mentem eorum, & immunda vita quam duxerunt eorum mẽtis oculos excæcauit in tantum, quòd idola pro Deo coluerũt, & traditi sunt in desideria cordis sui in immunditiam vt contumeliis afficerent corpora sua, vt ibi Apost. inquit. Quorum superbia & vitæ immunditia sic mentis oculos clausit, quòd cum ex creaturis Deum esse vnum cognouissent, postea cum populis dæmones, ligna, & lapides adorarent, dicente Aug. de vera religione cap. 1. Euidentius error eorum deprædicatur populorum, qui multos Deos colere, quàm vnum Deum verum, & dominũ omniũ maluerunt, quorum sapientes, quos Philosophos vocant, scholas habebant dissentientes, & templa communia, cum ipsi & eorum sectatores, diuersa, & aduersa sibi de diis sentiebãt, & ad sacra cõmunia nullo prohibẽte veniebãt. Vt enim ipse dicit c. 3. Nihil magis impedit veritatem pura mẽte videri, & animam beatã fieri, atque perfectam, quàm vita libidinibus dedita, & falsæ imagines rerum sensibilium, quæ nobis ab hoc sensibili mundo per corpus impressæ, varias opiniones, erroresq; generant. In quibus duobus Philosophi laborantes ad veram Dei cognitionem non peruenerunt; & si peruenerunt, statim ad ista sensibilia prolapsi sunt, vt Deum æstimarent uel se æstimare fingerent aliquid sensibilium esse, vt habentes oculos mentis plenos puluere sensibilium imaginum, & lippiẽtes, vel suffossos turpitudine carnaliũ peccatorum; de quibus immunditiis nullus potuit liberari nisi per Christũ, dicente Aug. 4. de Trini. cap. 15. Sunt quidam, qui putãt se ad contemplandum & inhærendũ Deo virtute propria purgari posse, quos ipsa superbia maximè maculat. Et cap. 17. Philosophi qui æternitatem creatoris quantum poterant intellexerunt, per ea quæ facta sunt cognoscẽtes Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt; & cum idonei non essent, in æternitatem, spiritualis incommutabilisq; naturæ aciem mentis tàm constanter infigere, vt in ipsa sapientia conditoris, atque factoris vniuersitatis viderent volumina seculorum. Sed nec ad illud digni habiti sunt, vt eis ista per Sanctos Angelos nunciarentur; quia ad æterna capienda idonei non erant; Sordes enim peccatorũ temporaliũ rerum amore contractæ eos prægrauabãt, & de propagine mortalitatis tãquã naturaliter inolitę indignos reddebãt. Purgãdi ergo erant, & purgari non poterant nisi per mediatorem Dei, & hominum Christum hominem factum. Sic ergo Philosophi immundi existentes, & si per creaturas ad cognoscendum Deum intellectualiter, aliqualiter se dirigerẽt, attamen eorum immunditia fecit quòd ad ista sensibilia eorum mens declinauit, æstimantes diuinum honorem conferendum esse creaturæ: propter quod secura uia ad Deum pertingendi per intellectũ, & in eius cognitione perseuerandi, creaturæ non sunt sufficientes nisi per fidem, & charitatem sit intellectus hominis purificatus ab imaginum multiplicitate, & affectus à peccatorũ sordibus.

Rom. 1.

Augustin.

Idem.

Idem.

Idem.

SVMMARIVM.

Quòd certior, & eminentior est cognitio intellectualis de Deo, quę habetur ex fide, & ex scripturis diuinis, quàm cognitio Dei quæ habetur ex creaturis.

SEd securior via perueniendi ad Dei cognitionem, & perfectior, est scriptura sancta à Deo reuelata Sanctis Prophetis, Apostolis, & Euangelistis, quibus, ac in quibus locutus est Deus, & eis reuelauit secreta suæ maiestatis, suaque opera, quibus creaturas fecit, conseruat, gubernat, & ad se vt ad finem dirigit, quæ nullo modo perfectius sciri potuerunt, quàm ipso reuelante, qui & se ipsum perfectè cognoscit, & opera sua antequàm ipsa faceret; sicut & postquã ea perfecit ab æterno perfectissimè sciuit. Vt enim inquit Hila. 1. de Trini. cap. 9. Cum de rebus Dei erit sermo concedamus cognitionem sui Deo, dictisque eius pia veneratione famulemur: Idoneus enim sibi testis est, qui nisi per se cognitus non est. Et 4. de Tri. cap. 7. dicit idem. Nemini dubium esse oportet ad diuinarum rerũ cognitionẽ diuinis vtendum esse doctrinis; neque enim cœlestium scientiam per semetipsam humana imbecillitas consequitur, nec inuisibilium intelligentiam ipse sibi corporalium sensus assumit: Non subeunt ingenia nostra in cęlestem scientiam, neque incomprehensibilem virtutẽ aliquo sensu infirmitas nostra cõcipit ipsi de se Deo credendum est, & iis quæ cognitione nostræ de se tribuit obsequẽdũ. Aut enim more Gentiliũ denegãdus est, si testimonia eius improbantur; aut sicut est Deus creditur, non potest aliter de eo credi, quàm vt ipse est de se testatus,

Hilar.

Idem.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

intelligi. Ex quibus patet quòd perfectissima via in præsenti Deum cognoscẽdi, & opus eius, quod est vniuersa creatura, est scriptura diuina, in qua Deus se manifestauit hominibus, quantum se manifestare voluit, nullum immiscens errorem, sed omnia, prout sunt, ediscerens: fidelis enim est, & uerax Deus in omnibus uerbis suis. Hæc autem diuina scriptura non potest intelligi nisi fide illuminetur intellectus illius, qui ad eius cognitionem peruenire intendit; cum nec in aliis scientiis aliquis proficere possit nisi credat antequam illius scientiæ intelligat principia, esse uera, etsi per se non simpliciter prius creduntur in scientiis quàm intelliguntur, quorum credentia non supposita nihil addiscens proficere potest. Quantò magis in diuina scriptura, in qua fidei articuli sunt principia, qui semper in præsenti vita manent crediti, & non sibi intellecti, oportet addiscentẽ eos credere esse veros vt in diuina scientia proficere possit? Ad quod attendens Aug. 1. de Tri. ca. 2. dicit quòd Trinitas sit vnus, & solus, ac verus Deus; & quàm rectè Pater, Filius & Spiritus Sanctus vnius, eiusdẽque substantiæ, vel essentiæ dicatur, credatur, intelligatur, non potest nisi purgatissimis mentibus comprehendi, quia mentis humanæ acies inualida in tàm excellenti luce non figitur, nisi per iustitiam fidei nutrita vegetetur. Et cap. 1. eiusdẽ lib. dicit. Substantiam Dei sine vlla sui commutatione mutabilia facientem, & sine ullo suo tẽporali motu tẽporalia creantẽ, intueri, & plenè noscere difficile est. Et ideo est necessaria purgatio mẽtis nostræ, qua illud ineffabile, ineffabiliter videri possit; qua nondum prædita, fide nutrimur, vt ad illud capiendum apti, & habiles efficiamur. Ille enim qui ad Deum cognoscendum per scripturam diuinam articulis fidei non credens vult procedere, licet deducat ex scriptura multas de Deo conclusiones, tamen quia non credit principiis, ex quibus conclusiones deducit, vacillat omnino tàm in conclusionibus, quàm in principiis; & nihil plus scit de diuinis quàm ante; nisi solum videndo consequẽtiam, non credendo conclusioni deductæ ex consequentia: sicut fieri potest vera esse consequentia cuius principia & conclusio creduntur esse, vel sciuntur manifestè falsa. Vnde & Iaco. 1. dicitur de volente accipere Dei sapientiam. Si quis vestrũ indiget sapientia postulet à Deo qui dat omnibus affluenter, & non improperat; & dabitur ei: postulet autem in fide nihil hæsitans. Qui enim hæsitat similis est fluctui maris, qui à vento mouetur, & circumfertur. Non ergo æstimet homo ille quòd aliquid accipiat à Domino, sine cuius adiutorio nihil est acutum ingenium, & lingua expolita: vt dicit August. in prologo libri contra Faustum. Sed ille qui firmiter credens fidei articulos accedit ad studium scripturæ sanctæ, vt per eam ad Dei perueniat cognitionem, ad maiorem & perfectiorem cognitionem diuinorum pertingit; & citius quàm posset pertingere ex creaturis: quippè fidei articuli, qui sunt principia scripturæ sacræ, sunt altiores, & magis diuinis intrinseci, quàm sint conclusiones supremæ scientiarum, per quas habetur cognitio de diuinis per creaturas. Per creaturas enim solum deducitur quòd Deus est vnus, intelligens, & semper volens in actu; & quicquid in ipso est, idipsum cum ipso est, propter quod in ipso nulla mutatio esse potest. Sed quòd sic sit Deus vnus substantiæ, vel essentiæ vnitate, quòd & trinus in personis, & quòd vna personarũ ab alia procedat, hoc omnino excedit diuinorum cognitionem, quæ ex creaturis deduci potest, de quo tamen sunt articuli fidei. Et sicut de isto, ita etiam de processu & reductione creaturarũ à Deo ad Deũ, & de mysterio incarnationis dr q omnino excedit cognitionem quæ potest haberi de Deo ex creaturis; propter quod vbi finit Metaphysicus incipere habet Theologus, non descendendo ad particularia, & inferiora; quemadmodũ se habet medicus ad naturalem: sed ascendendo ad altiora, & superiora, ac magis abstracta. Cum ergo scripturæ principia sint altiora & magis intima de diuinis, quàm vltimæ conclusiones, & supremæ scientiæ humanæ de diuinis; dubium non est, quin per scripturam diuinam fidelis pertingere possit ad multò altiorem cognitionem diuinorum, quàm per scientiam ex creaturis acceptam. Vnde & sapientia hæc mittit aurilas suas, id est alias scientias ut nocent ad arcem, ostendendo se esse perfectas, humanamque perfectionem ostendentes esse non in se sed in scriptura diuina; quod satis haberi potest Prouer. 9. Propter quod & ipsa tanquam suprema, & caput scientiarum existens, de omnibus aliis scientiis iudicare habet dicente August. 1. lib. super Gen. ad litteram ca. 27. Philosophi quicquid de rerum natura veracibus documẽtis demonstrare potuerint, ostendamus nostris litteris non esse contrarium. Quicquid autem de quibuslibet fuis voluminibus iis nostris litteris, id est, catholicæ fidei contrarium

Auguſt.

Auguſt.

Idem.

Iaco. 1.

Prou. 9.

Auguſt.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

protulerint, aut aliqua etiam facultate oſtendamus, aut nulla dubitatione credamus eſſe falſiſsimum.

SVMMARIVM.

Quæ cordis munditiæ requirantur ad hoc, vt homo per diuinas ſcripturas ſecundum quòd homini poſſibile eſt in hac vita perfectè Deũ cognoſcendo attingat.

XI AD tàm autem altam Dei cognitionem, ſicut ex ſcriptura diuina deduci poteſt, non perducuntur niſi mundi corde, & maximè caſtitatis virtutẽ amantes. Cũ enim luxuria mentem hominis deprimat, & quaſi carnem efficiat, ut ſupra dicebatur, luxurioſi non poſſunt pertingere ad illam contemplationem, quæ eſt ſuprema inter præſentis uitæ cognitiones. Hieron. Vt enim inquit Hiero. in prima reſponſione contra Iouinianum. Amor formæ, vel pulchritudinis corporalis, rationis obliuio eſt, & inſaniæ proximum fœdus, minimeque conueniẽs animo ſoſpiti vitium, turbat cõſilia, altos & generoſos ſpiritus frangit; à magnis cogitationibus ad humillimas detrahit, quærulos, iracundos, temerarios, durè imperioſos, ſeruiliter blandos, omnibus inutiles, ipſe nouiſsimè amor facit. Idem. Et vt dicit idem auctoritate Theophraſti in dicto lib. Non eſt vxor ducẽda ſapienti primùm enim impediri habẽt Philoſophiæ ſtudia, nec poteſt quiſquã libris, ac vxori, pariter deſeruire Cum ergo (vt dictũ eſt) ad altiſsimã diuinorum contemplationẽ per ſcripturã diuinam homo fidelis deducatur, quæ contemplatio requirit & exercitiũ longum in ſcripturarũ ſtudio, & magnam mentis eleuationem, quæ ambo impediũtur per frequentem concubitum, manifeſtum eſt quòd qui diligenter, perfectè, & integrè vult peruenire ad diuinorum cognitionem per ſcripturam, oportet ipſum caſtum eſſe. Idem. Vnde & Hiero. in epiſtola ad Fabiolam de veſte ſacerdotali dicit. Voluptas & concupiſcentia iuxta eos, qui de phyſicis diſputant, cõſiſtit in iecore, huius pãnulam in diuerſa uolitantẽ, & per oculorũ feneſtras foras errumpentẽ: offerunt Sacerdotes Deo, vt poſtquam opere dixerint Deo holocauſtũ tuũ pingue fiat, & concupiſcentiam libidinis ſeminarium igne ſpiritus Sancti concremauerint, mereantur accipere præmium pectus, & brachium. In pectore mundas cogitationes, legis notitiam, dogmatum veritatem. In brachio bona opera, & pugnam contra diabolum; & armatam manũ, vt quod mẽ-

A te conceperint exemplo probent. Ex quo patet quòd mundæ cogitationes, notitia legis Dei, & dogmatum veritas eſt præmium refrænationis, vel potius conſumptionis luxurię carnalis; quod ſignificatũ fuit quando pro præmio combuſtionis pennulæ iecoris in altari datum fuit pectus animalis immolati Sacerdoti hoſtiã immolanti. Et nõ ſolum eſt neceſſaria carnis munditia illi, qui vult multum inſtrui in ſcriptura, immo etiam phantaſmatum munditia, ac imaginum ſerenitas, & quie
B tatio ſunt ſibi multũ neceſſaria. Si enim iſta duo neceſſaria ſunt in acquirendis, & vtendis ſcientiis naturalibus iam acquiſitis, vt patet 7. Phyſ. Sedatis enim paſſionibus, & concupiſcentiis carnalibus, Ariſtot. quietatisque corporalibus motibus non ſolum exterioribus, immo magis ſpirituum motibus, in quibus imagines repræſentantur, anima efficitur ſapiens, & prudens, quantò magis, qui volunt in ſcriptura proficere, vel iã ipſa acquiſita vti ea, habere debent refrænatas concupiſcẽ
C tias, & imaginationes quietatas ne per iſtarum imaginum, & paſsionum inordinationes rectum iudicium intellectus perturbetur: Propter quod has duas munditias cordis habere debent ſi omnimodè velint ſine errore de rebus intellectis iudicare. Sed tertiam munditiam quæ eſt liberum eſſe, & mundum ab omni peccato, non eſt neceſſe quòd habeant, quia multi peccatores multa de Deo tàm per creaturas ſcire poſſunt, quàm per ſcripturas, & addiſcere. Vnde & Aug. qui dixe- Auguſt.
D rat 1. lib. Soliloquiorũ in oratione. Deus, qui niſi mundos verum ſcire voluiſti, hæc retractans 1. lib. cap. 6. Retractationum, dicit. In his ſanè libris nõ approbo quod in oratione dixi. Deus qui niſi mũdos verum ſcire voluiſti, neque enim definitum eſt hîc quid ſit verum, quod niſi mundi ſcire non poſsint, & quid ſit ſcire.

SVMMARIVM.

Quas veritates immũdi ſcire poſſint, & quas nõ, quia & ſi ſciant tales veritates per ſcientiam, non tamen approbant; & quando tales ſunt reducendi ad veritatis approbationem, vel per alios, vel per ſe ipſos, Dei gratia eos
E *iuuante.*

XII CIrca quod attẽdendũ eſt, quòd aliqua ſcibilia ſunt, quæ ſic ſtant ſub cognitione intellectus, quòd non afficiunt voluntatem, nec mouent eam ad perſecutionem, vel fugam; ad quæ voluntas ſic ſe habet, quòd non appetit res ipſas in ſe; ſed ſolum earum ſcientias, ſicut voluntas

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

non appetit triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, sed solum appetit intellectum hoc scire; & huiusmodi scibilia sciri perfectè possunt, posito quòd voluntas sit omnino immunda, immo & dissentiente ipsa à conclusione solum, quòd intellectus consideret conclusionem de necessitate conclusam ex primis propositionibus intellectus conclusioni assentit. Sicut si voluntas nollet quòd duo & tria essent quinque, solum quòd intellectus hoc consideraret, non posset non assentire. Aliquæ vero conclusiones sunt, ad quas voluntas est affecta, vel appetit ipsas res, de quibus facta est conclusio; & habet desiderium de prosequendis ipsis, vel fugiendis, & in istis si voluntas non sit concors rationi rectæ obnubilat ipsam, & excæcat in tãtum quòd ducit rationem ad assentiendum contrariæ conclusioni, Sicut patet incontinente qui rectè consiliatur, non autem rectè eligit ĩ hora passionis deuictus, & illectus à passione, & hi tales dum contraria rectæ conclusioni eligunt, & si sciant habitu cõtrarium, & loquãtur etiam in actu quod contrarium agere deberent; attamẽ propter infectam voluntatem non sentiunt pro tunc, quòd agere debebant agere secundum quòd rectè fuerat iudicatum; siue etiam tunc in actu habeant ambas cogitationes de agendo, & non agẽdo; quia eorum Syllogismus habet tres propositiones, tamen magis inclinatur per voluntatem, vel appetitum inferiorem eorum intellectus ad assentiendum, & concludẽdum conclusionem concupitam, quàm illam quæ ex recta ratione procedit. Vnde licet multi mali & peruersi scire possint multa vera tàm de Deo, quàm de creaturis, de illis cõclusionibus, quæ sunt primi generis; sicut quòd Deus sit trinus, & quòd creaturæ sint à Deo creatæ; tamen de conclusione secundi generis, & si ipsas per scientiam & intellectum sciant, volũtate tamen, ac appetitu ipsis conclusionibus non consentiunt; sicut de quibusdam
Rom. 2. loquens Apostolus ad Rom. 2. dicit. Habes formam scientiæ & veritatis in lege. Qui ergo alium doces, teipsum non doces? Qui prædicas non furandum furaris; qui dicis non mechandum mecharis, qui abhominaris idola sacrilegium facis? Vnde tales propriè non dicuntur scire, quia voluntate satis aduersantur; & si sciant in habitu non sciunt in actu; & tandem pereunt malè agendo, quia & scientiam benè agendi amittunt, & veritatẽ odiũt, dicente Augustin. in quodam ser. de sua ordi-
Augustin. natione. Vobis dico siue præsentibus, F siue absentibus, quibus inimicus efficior verum prædicans, quibus consulendo videor onerosus, quorum requirens vtilitatem cogor offendere voluntatem. Et idem in quodam sermone de versu Psal. Deus manifestè veniet. Omne peccatum cõsuetudine vilescit, & fit quasi nullum, sic obduruit, doloré perdidit, quòd valde putre est, nec dolet, quod non dolet non pro sano habendum, sed pro mortuo est computandum. Vnde & multa sciẽtes de Deo, in peccatis tamen perseuerare volẽ- G tes Deũ scire licet videãtur, tamẽ ipsum ignorant, quia licet per scientiam sciant quòd Deus non diligit peccatores, tamẽ non consentiũt ipsum eos odire cum mali sint, malitia eorum oculos mentis excæcante, qui de aliis rectam proferunt sententiam, & tamẽ de se qui aliis sunt similes idem sentire nolunt. Vnde & talibus si conuerti debeant per admonitionem non est eis de eorum malitia immediatè loquendum, quia non acceptarent, sed de aliorum malitia consulendi sunt; quia de H aliis rectè iudicant, & iudicio per eos facto de aliis ad se ipsos conuertendi sunt, vt quale de aliis protulerunt iudiciũ, idẽ iudicium contra se vel inuiti ferãt; quemadmodum Nathan Propheta arguit Dauid proponens ei duorum factum, diuitis, ac pauperis, qui dives hospite superueniente occidit pauperis ouiculam parcens suis, quod audiẽs Dauid dixit quòd dives ille sic agens filius mortis erat, & Propheta subintulit. Tu es ille vir, qui fecisti hanc rem. Quod exponens Augu. in I quodam sermone Psal. quinquagesimi in quit. Peccatum meum post me fuit, quando ad me missus est Propheta, qui de oue pauperis similitudinẽ proposuit, qua proposita, profert ille iratus sententiam, planè tunc nesciens quòd ibi captus esset morte dignum diuitem dixit & ouem reddendam in quadruplum seueriss imè autem, iustissimeque iudicauit. Sed peccatum eius nondum erat coram eo, post dorsum erat, quod fecerat, suam iniquitatem nondum agnoscebat, & ideo alie- K næ non ignoscebat. Sed Propheta ad hoc missus abstulit à dorso peccatum, & ante oculos posuit, ut videret illam sentẽtiam tàm seueram in se esse prolatam. Sic ergo peccatores qui multa sciunt per scripturam de Deo, & tamen in peccatis manere volunt, sciunt quidem peccata Deo esse displicentia, & magna punitione digna, propter quod seueriss ime, ac iustissimè aliena condemnant peccata: sed quia peccata propria non attendunt, immo in ipsis delectantur, seipsos palpant,

Idem. Psal. 49.

2. Reg. 12.

Augu.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

& ſua peccata punire diſsimulant, quáſi fingendo Deum iniuſtum, & perſonarum acceptorem, qui velit ſeuerè punire aliorum peccata, non autem ipſorum; quod iudicium ex mentis excęcatione procedit, quam cauſſauit ipſorum immunditia peccatorum. Ex quibus contingit quòd in ſpeculabilibus rectè iudicant, & in practicis eorum iudicium quo ad alios eſt rectum, ſed quo ad ſe ipſos eſt iniquum; qui melius corrigi nequeunt per alienam admonitionem, quàm vt aliorum peccata iudicanda eis proponantur; & demũ eorum iudicium de alienis peccatis applicetur eiſdem, quemadmodum Nathan fecit Dauid 2. Reg. 12. Vnde inquit Ber. 1. ſer. de omnibus ſanctis. Qui in peccatis manent licet de Deo multa ſciant, tamen ipſum ignorant, quia non ſentiunt de domino in bonitate, Ideo inquit. Omnis in cuius conſcientia clauſum adhuc viuit peccatum, aut peccat in ſpe, & ita ſentit de Deo tamquam ſi minus ei peccata diſpliceant; aut peccat in deſperatione immiſericordem ſentiens Deum; quorum neuter Deum videt; ſed mentitur iniquitas ſibi, formans ſibi idolum pro eo; quod non eſt ipſe. Immunditia verò cordis, quę ſic agit quòd Deum homo non videt, eſt triplex, vt idem ibidem ait. Scilicet concupiſcentia carnis, concupiſcentia gloriæ temporalis, & conſcientia præteritorum delictorum. Contra autem duas primas immunditias opponitur remedium orationis, vt contra tertiam opponitur remedium confeſsionis. Hęc enim duo ſunt quæ mundãt oculum cordis, ſcilicet oratio, & confeſsio. Confeſsio enim arguit contraria peccata, & oratio impetrat ne in ipſa in poſterum incidamus, & his duobus modis quibus per ſe, ſiue alterius monitione, Deo eum preueniente, per gratiam poteſt mundare ſuam conſcientiam vt tàm in ſe, quàm in aliis ſemper de Deo in bonitate ſentiat.

Bernar.

SVMMARIVM.

Quæ cordis munditia ad claram, & perfectam, ac facialem Dei viſionem requiratur.

XIII SEd ad Dei viſionem apertam, & clarã ac ſine medio requiritur omnimoda cordis munditia; nihil enim coinquinatũ in illam ingreditur ciuitatem, vt dicitur Apocal. 21. Innocens enim manibus, & mundo corde aſcendet in montem Domini, & ſtabit in loco ſancto eius. Ciuitas enim cœleſtis eſt aurum mundum ſimile vitro mundo. Apoc. 21. Circa quod intelligendum eſt, quòd Dominus volens oſtendere quæ ſibi placeat munditia præcipuè oſtendit quòd cordis munditia, quia hãc Deus præcipuè intuetur, & ex illa omnis mũditia hominis ſumit originem. Ex corde enim inquinato & verba, & opera, & geſtus, & omnia coinquinata egrediuntur. De corde enim procedũt homicidia, furta, & conſimilia, infra 15. Licet enim quandoque cõtingat quòd exteriora opera & verba videantur eſſe munda; ſi tamẽ ex non mundo corde procedant omnia ſunt infecta, ſicut ſi fructus habeat vermẽ interius, quantumcunque extra pulcher appareat, tamen inutilis, & pernicioſus eſt. Vnde & Dominus infra 23. reprehendẽs Phariſæos, inquit. Phariſæe cęce munda prius quod intus eſt calicis & parapſidis, vt fiat & quod deforis eſt mundum. Vel etiam ideo cor dicit eſſe mundandũ, quia ſolo corde, ideſt intellectu, Deus videtur, qui non niſi à mũdis videri poteſt. Quemadmodum enim oculus lippus, vel in quo puluis eſt iniectus, non poteſt videre excellens ſenſibile, vt ſolem in ſua rota: ita nec intellectus niſi ſit ab omni peccatorum ſorde mũdatus, ab omnique phantaſia purificatus, & ab omni medio, quo mediante Deus uidetur. Sicut erant Theophaniæ, quas quidam poſuerunt in quibus videretur Deus, & ab omni carne corruptibili ſpiritum aggrauante ſeparatus, non poterit videre Deum facie ad faciem, ſed tunc quando intellectus erit ſeparatus à corpore corruptibili & mortali, vel ſeparatus per ſe exiſtens, vel corpori glorioſo coniunctus ab omni peccatorum labe mundatus, à phantaſia rerũ corporalium ſegregatus, habitu gloriæ eleuatus, tunc Deũ videbit, & beatus perfectè erit. Et Aug. in ſer. domini dicit. Stulti ſunt qui Deum videre iſtis exterioribus oculis quærunt, cum ſolum corde Deus videatur; quæ viſio merces fidei eſt, ac sũmum præmium beatorum, quæ viſio non in præſenti vita, ſed in futura habebitur, de illa namque dictum eſt. Exo. 33. Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo & viuet. Vel enim Deum ſic videntes totaliter in corpore moriuntur; vel eorũ anima corporeis ſenſibus extrahitur vt neſciant ſi ſint in corpore, vel extra corpus, ut patet 2. ad Cor. de Paulo.

Apoc. 21. Pſal. 14. Apoc. 21. Matt. 15. Matt. 23. Auguſt. Exo. 3. 2. Cor. 12.

TRactatus ſequens protenditur uſque ad illum locum (Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam

ſtitiam) *& habet ſexdecim capitula. Ponitur prima continuatio, & oſtenditur quòd pacificus debet habere cordis munditiam; quæ conſiſtit in vitiorum, & cupiditatum per rationem ſuperantia, & in ſubiectionem rationis ad Deum, quibus in homine exiſtentibus, aliorum pacificator eſſe poteſt.*

II *Beati pacifici quoniam filii Dei vocabũtur.*] Vbi ponitur ſeptima beatitudo, & cõtinuari poteſt primò ad beatitudinẽ immediatè præcedentem. Mũditia enim cordis (vt ſuperius dicebatur) includit culpæ remotionem, qua anima fædatur; & iuſtitiæ appoſitionem, qua anima pulchrificatur; Quouſque autem hæc duo in anima facta non ſunt, pax in ea non eſt plena. Quando enim caro diſcedit à ſpiritu, eique aduerſatur, pax non eſt in anima, ſed pugna; ſemper autẽ huiuſmodi pugnæ ſtant dum peccata manẽt; quibus caro ſpiritum ſibi adiungere nititur, nec ſpiritus ad victoriam peruenit quouſque operibus carnis mortificatis in iuſtitia ipſe viuit. Vnde ad Rom. 8. dicit Apoſtolus. Iuſtificatio legis impletur in nobis, qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum. Et infra eodem cap. Si ſecũdum carnem vixeritis moriemini, ſi autẽ ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Sed quando iuſtitia eſt in ſpiritu, qua opera carnis mortificantur, & ipſe ſpiritus Deo ſubditus eſt, tunc in homine pax perfecta eſt, dicente Aug. 19. de ciuitate Dei cap. 14. Quia homini rationalis anima ineſt, totum hoc quod habet cõmune cum beſtiis ſubdit paci animæ rationalis, vt mente aliquid contempletur, & ſecundum hoc aliquid agat, ut ſit ei ordinata cognitionis, actionisq; cõſenſio. Ad hoc enim uelle debet nec dolore moleſtari, neque deſiderio perturbari, nec morte diſſolui, ut aliquid utile cognoſcat; & ſecundum eam cognitionem, uitam, moreſque diſponat. Sed ne in ipſo cognitionis ſtudio propter humanæ mentis infirmitatem in peſtem alicuius erroris incurrat, opus habet magiſterio diuino ut inuitus obtemperet, & adiutorio ut liber obtemperet; ac per hoc omnem pacẽ corporis, uel animæ, vel ſimul corporis, & animæ, referat ad illam pacem, quæ homini mortali eſt cum Deo immortali; vt ei ſit ordinata in fide ſub æternæ legis obedientia. Ex quibus patet quòd ad hoc, quòd ſit homo in ſe pacatus, neceſſe eſt, quòd anima ſenſualitati imperet, eius motus beſtiales comprimendo, vel etiam refrænando iuxta regulam rectam rationis, & quòd ratio ipſa ſubdita ſit Deo in eius obedientia perſeuerando; quæ duo per cordis mundationem importantur; cum cordis munditia includat peccatorum ablutionem, & virtutum per modum cuiuſdam ornamẽti ſpiritualis appoſitionem. Qua pacificatione facta in homine, faciliter pacificator aliorum poteſt eſſe. Qui enim Deum diligit, & omnem alium hominem diligit vt ſe ipſum pacificatus eſt, dicente Aug. in prædictis lib. & c. quòd duo præcepta hoc eſt dilectionem Dei, & proximi, docet magiſter Deus, in quibus tria inuenit homo quæ diligat; ſcilicet Deum, ſeipſum, & proximum; atque illa diligendo non errat. Qui Deum diligit, conſequens eſt vt etiam proximo ad diligendum Deum conſulat; quem iubetur ſicut ſeipſum diligere, ac per hoc erit pacatus omni homini quantum in ipſo eſt pace hominum, ideſt ordinata cõcordia, cuius hic ordo eſt, primùm vt nulli noceat, deinde vt etiam proſit cui potuerit. Cum igitur ex cordis munditia quã quis habet in ſe oriatur pax, quam inter alios facit, manifeſtè patet quare poſt cordis munditiam ponitur [*Beati pacifici.*] Vnde & Ambro. ſuper Luc. lib. 5. c. 6. dicit. Si diligenter pectoris tui ſecreta mundaueris, tunc compatere iis qui impugnãtur; ac intellige quanti hominum, quanti fratrũ tuorũ auxiliũ tuũ quærant; quia niſi tu prius interiora tua vacua feceris ab omni labe peccati ne diſſenſiones, contẽtionesque ex affectu tuo prodeant, non potes aliis ferre medicinam. A te igitur pacem incipe, vt cum fueris ipſe pacificus pacem aliis feras. Quomodo namque aliorum potes corda mundare niſi tuum ante mundaueris? Illi enim pacifici ſunt ſecundum Auguſt. 1. lib. de ſermone Dom. in mon. cap. 2. qui in ſemetipſis omnes animi ſui motus componunt, & ſubiiciunt rationi ideſt menti, & ſpiritui, carnalesque concupiſcentias habentes edomitas, in quo ita ordinata omnia ſunt; vt id quod eſt in homine præcipuum, & excellens, hoc imperet cæteris non reluctãtibus, quæ ſunt nobis, beſtiisq; cõmunia, atque idipsũ quod excellit in homine, ideſt, mẽs & ratio, ſubiiciatur potiori, quod eſt ipſa veritas, vnigenitus Dei Filius. Neque enim inferioribus imperare poteſt niſi ſe ipſum ſuperiori ſubiiciat, & hæc eſt pax, quæ datur in terra hominibus bonæ voluntatis. Et Glo. hic dicit. Pax à nobis incipit, quia dum lex carnis repu-

Rom. 8.

Auguſt.

Idem.

Ambr.

Aug.

Glo.

repugnat legi mentis non modo alteri: sed neque nobis possumus esse pacifici, sed postquam intus Spiritus imperabit, vt totus homo spiritui seruiat, tunc pax ad alios deriuatur, vt cum omnibus pacem habeamus.

SVMMARIVM.

Ponitur secunda continuatio, & ostenditur quòd viri multum virtuosi qui alios ad pacem inter se faciendam inducunt, frequenter sunt impatientes passi ab alijs iniuriam, & propter hoc non sunt verè pacifici, cum ille pacificus propriè dici possit, qui discordantes reducit ad pacem, & ipse iniuriam passus ab aliis ipsam faciliter remittit.

II SEcundò continuari potest ad præcedentes beatitudines, sic. Multi sũt qui & in se ipsis mundi sunt, castam uitã ducentes, terrena non diligẽtes paupertatẽ amantes, motus bestiales suæ sensualitatis mitigantes, ac componentes, & lugentes tàm sua quàm aliorum peccata, misericordes sunt ad pauperes, & de suo iustè viuentes, & tamen propter quodcunque dictum, vel factum eis irascuntur, & aliquando eorum ira transit in odium, qui licet pacem faciant inter alios qui se inuicem offendunt, tamen ipsi læsi, vel uilipensi vix vel nũquam possunt se ex corde pacificare cum illis qui eos offendunt, de quibus Ber. 3. sermone de Aduentu loquens dicit. Sunt aliqui qui si quempiam viderint vel leuiter scãdalizatum ualdè sunt soliciti quomodo eum in pacem reducere possint; & pacifici viderentur, nisi quòd eorum commotio si fortè quicquã contra eos factum, dictumue uidebitur, tardius vniuersis, difficiliusq; poterit sedari, qui nimirũ si verè pacem diligerent, non dubium quòd & sibi ipsis quærerent. Et Chrysost. hîc in expositione inquit. Multi sunt qui alios quidem inimicos libenter in pace reconciliant, & ipsi inimicis suis nunquam ex corde reconciliantur, tales illusores sunt pacis, non amatores. Quia igitur aliquos inuenire contingit qui præmissas habẽt virtutes, & tamẽ impatientes existentes propter modicũ verbum, vel factum contra eos irascũtur, & quandoque illos odiunt, qui talia contra se dixerunt, vel fecerunt, in tantum quòd uix, vel nunquam cum eis possunt reconciliari, ideo post prædictas virtutes ponit istam [*Beati pacifici*] per hoc insinuãs quòd perfecti in virtute facilius irascuntur contra illos, qui indignè eis dicunt iniuriam, vel faciũt, vtpote quia indigni sunt hoc pati, cum magis deberent honorari. Vnde & Iob cum suas laudasset virtutes, hoc pro magna posuit calãmitate, quòd ab iniquis, & quasi nullis deridebatur vt habetur Iob 30. Nunc derident me iuniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei. Qui tamen iusti non propter hoc commoueri debent, vel irasci, cum sciãt ipsos iniuriatores insipientes esse, & ne scire quid agant: sed debent cũ psalmista dicere. Cum iis qui oderunt pacẽ eram pacificus, cum loquebar illis impugnabãt me gratis; exemplo domini, qui dum crucifigeretur pro crucifixoribus suis orabãt dicens. Pater dimitte illis quia nesciunt quid faciũt. Vnde ad hanc intentionẽ Dominus hãc posuit beatitudinem post prædictas, & introducens si iniuriam iustè patiantur, dicit [*Beati pacifici.*] Pacificus nãque dicitur nõ solum qui inimicos in pace reconciliat, verum etiam qui immemor malorum pacem diligit, & ad pacẽ reducit illum qui eum offendit, vt Chrysost. hîc dicit. Non solum enim, vt idem dicit in homiliario, hoc destruit litigare aduersus seipsos, sed odiri ad inuicem, & aliquid aliud amplius inquirit vt alios litigantes congregemus, cum dicit. [*Beati pacifici.*]

Iob 30.

Psal. 119.

Luc. 23.

Chrysost. hom. 9.

SVMMARIVM.

Ponitur tertia continuatio, & ostenditur quòd ille plenè potest esse pacificus, qui supradictas beatitudines habet.

III Bernar. TErtiò potest continuari secundũ Ber. 1. ser. de omnibus sanctis ad beatitudines præcedentes sic. Circa quod attendendum est quòd reconciliatio quadruplex est. Reconciliatur enim homo sibi ipsi reconciliat sibi proximum, reconciliat se Deo, reconciliat proximo proximum. Per tres autem primas beatitudines idest paupertatem, mansuetudinẽ, & fletum reconciliatur homo sibi ipsi, dum propria sua attendendo peccata, se pauperem, & humilem reputat, & occasiones peccatorum rescindit, mansuescere faciens sensualitatis motus, quibus anima inficitur, sed luctu peccata præterita abstergit, & lauat. Sanè conciliatur proximo per iustitiam, & misericordiam, quia per iustitiam alteri non facit quod sibi non vult fieri. At per mundiciam cordis reconciliatur Deo, quibus reconciliationibus perfectis non restat nisi ut proximus proximo reconcilietur. Et quia primò debemus Deo, & nobis charitatem impendere, deinde proximo, ideo

post-

postquam reconciliati sumus nobis ipsis, & Deo, ac proximo, non restat nisi vt proximos nostros ad inuicem reconciliemus, vt iam reconciliati nobis, reconciliati quoque proximo fiducialiter per cordis munditiam reconciliemur Deo. Beati uerò qui de sua reconciliatione non ingrati pro fratribus suis piè soliciti eos quantum prævalent & sibi, ac Deo reconciliare laborant. Quibus enim laudibus dignum, quanto amplectendum putas affectu illum, qui sine querela inter fratres conuersans tota cauet solicitudine ne quid in eo sit quod ab aliis portari oporteat; & quicquid in aliis onerosum est patientissimè suffert, qui singulorum scandala sua reputat, ac cum Apostolo dicit. 2.Cor.11. Quis scandalizatur, & ego non vror?

SVMMARIVM.

Quòd cum duplex sit pax, vel concordia hominum, vna mala, qua maligni concordant ad suam perficiendum malitiam, altera bona, qua boni inter se conueniunt ad perficiendum multa bona, prima pax non est facienda, sed quantum possibile est dimittenda est ne deteriores fiant.

IIII Secundò intelligendum est cum pax hominum aliud non sit nisi ordinata animorum concordia, dicente Augustin. 19. de Augustin. ciui. Dei cap. 13. Pax hominis est ordinata concordia, sicut duplex est hominum cõcordia, sic etiã duplex est pax. Est enim cõcordia peruersorum hominum, qui sibi ad inuicem adiuuantur, vt plurima mala & citius, & impunè perficere possint; de qua in malum cõcordia habetur Prou. 1. Prou. 1. Fili mi si te lactauerint peccatores nõ acquiescas eis. Si dixerint ueni nobiscum, insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem, deglutiamus eum sicut infernus uiuentem, & integrum quasi descendentem in lacum; omnem substantiam preciosam reperiemus, implebimus domos nostras spoliis, sortè mitte nobiscum, marsupium sit unum omniũ nostrũ. Sap. 2. Et Sap. 2. quid scilicet iniquorum congregatio dicat. Nullum inquit pratũ sit quod non pertranseat luxuria nostra, nemo nostrum exors sit luxuriæ nostræ, opprimamus pauperem iustum, & non parcamus viduæ, nec ueterano, nec uereamur canos multi temporis, sit autem fortitudo nostra lex iniustitię. De qua cõcordia loquẽs Gregor. Grego. 33. lib. Moral. exponens illud Iob de squamis leuiathan. Vna vni coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas, una alteri adhærebit, & tenentes se neF quaquam separabuntur, ait. Iniqui quos similis reatus sociat concordi pertinacia etiam defensio peruersa conciliat, vt de facinoribus alterna se inuicem defensione tueantur. Sibi enim quisque metuit dum admoueri, vel corrigi alterum cernit. & iccirco contra corripiẽtium verba vnanimiter assurgunt, quia dum uicissim iniquitatibus suis superba defensione se protegunt; sanctæ exhortationis uerba, uel correctionis ad se nullatenus intrare permittunt, & qui diuisi corrigi poterant, iniG quitatum suarum pertinacia uniti perdurant. Nam sicut esse noxiũ solet si unitas desit bonis, ita pernicioſum est si non desit malis, peruersos quippe unitas corroborat dum concordat, & tantò magis incorrigibiles redduntur, quantò magis vnanimes sunt. Quia ergo peruersorum concordia & pax & sibi, & aliis est pociua, non debent mali homines in malitia pacificari, sed diuidi. Vnde & Dominus infra 10. dicebat. Non veni pacem mittere, sed gladium. Vbi dicit Chrysost. Non Matt.10. Chrysost. hom.36. H ubique concordia bona est, nam & latrones consonant, sed malam pacem bona dissonantia dissoluere debet. Vnde & Dominus superbam concordiam hominum turrem ædificantium, cuius cacumen ad cęlum pertingeret, diuisit, eorum linguas diuidẽdo, & eos ab inuicem localiter seGen.11. parando Gen. 11. Et Paulus videns quòd Actuũ. Saducęi & Pharisæi congregati erant ad eius interfectionem, exclamauit in concilio. Viri fratres ego pharisæus sum, filius pharisæorum, de spe & resurrectione mortuorum ego iudico. Et cum hoc dixisset, I facta est dissensio inter pharisæos, & saducęos, & soluta est multitudo. Vnde & psalPsal.54. mista videns iniquorum cõgregationem & concordiam orabat dicens. Præcipita Domine, diuide linguas eorum quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in ciuitate. Quod exponẽs Cassiodo. inquit. Cassiod. Hîc iudęo populo propter dissensionem salutariter imprecatur, ut diuisione linguarum malitiæ suæ non implerent effectum; sicut in Turre illa factum est, quam metu recentis diluuii in altum homines extendere tentauerunt. Et præcipita dixit ne muniant cogitationes suas machinatione peruersa. Diuide, ne in pernicioK sam confluant vnitatem. Et dignè illos diuidi postulabat, quos iniquos fore in sacrilegis congregationibus præuidebat. Quia ergo malorũ concordia sibi, & aliis est nociua, ideo adiuuanda non est, sed diuidenda, ac separanda.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

SVMMARIVM.

Quòd magnum bonum est concordia multorum perfectorum, quando concordant ad bonum; & quòd talis concordia multorum perfectorum est maximum bonum, & propter hoc beatus est qui talem procurat concordiam, & facit quantum potest.

V SEd èconTra bonorum concordia maximum est bonum, quia virtuosa opera, & plura, & maiora, & citius perficiuntur quando simul multi concordãt ad perficiendum ipsa. Cum enim quilibet per se consideratus non sibi sufficiat nec ad cognoscendum ea, quæ cognoscenda sunt; nec ad agendum illa quæ necessaria sunt, & hoc tàm in vita actiua, quàm in contẽplatiua; necesse est ad hoc, quòd vita humana perfecta ducatur, quæ in actione, & cognitione consistit (vt supra dictum est) vt vnus ab alio iuuetur, & quòd vnus non videt alter videat; & de illo quod cognoscit alterum instruat, vt ipse quoque de ijs, quæ ignorat ab alio instruatur; & simi liter in actione vnus ab alio adiuuetur; vt sic ex mutua concordia uitam perfectam humanam simul ducere possint. Vnde & 3. Politi. dicitur. Cũ multi quorum vnus quisque non est studiosus vir, conueniũt; contingit eos esse meliores, quàm si eorũ quilibet per se esset; multis enim existentibus, contingit vnumquemque partem habere virtutis, & prudentiæ; & fieri congregatorum multitudinem, quasi vnum hominem multorum pedum, & multarum manuum, & multos habentem sensus, & sic & quę circa mores, & quę circa intellectum melius perficiũt multi quàm pauci, vel singuli, vt musicæ opera, atque Poetarum. Alij enim aliquam habent particulam, omnia autẽ omnes. Et infra. Omnes simul congregati habent sufficiẽtem sensum, & admixti praui melioribus, ciuitatibus prosunt. Sicut non purum alimentum cum puro, totum facit vtilius. Si ergo virtutum opera actiuæ, ac contemplatiuæ vitæ melius perficiuntur, si multi etiam non perfecti in virtute adunantur & concordant, quàm si vnus, vel pauci etiam perfecti per se essent, manifestum est quòd multorum bonorum concordia, & vnitas multa & magna bona citò perficit, propter quod eorum concordia & sibi, & alijs multum vtilis est. Quemadmodum enim in naturali corpore melius est, quòd singula mẽbra sint minus perfecta, quàm si vnum membrum eminentẽ haberet perfectionem alijs membris in imperfectione existentibus: Sic melius

Aristo.

Idem.

A est homini quòd habeat uirtutem motiuam, sensitiuam, & intellectiuam aliquo modo imperfectas, quàm si tantum excederet in virtute motiua, quòd uirtutes sẽ sitiuæ & intellectiuæ omnino in defectu essent. Et sicut melius est homini quòd videat, audiat, odoret, gustet, & tangat temperatè, & quasi deficienter, quàm si sic videret vt Aquila, & tamen in aliis sensibus omnino deficeret; Sic melius est & perfectius ad virtutum opera perficiẽda, quòd multi sint simul, quorum quilibet per se

B cõsideratus est imperfectus, quàm si vnus multum perfectus esset, qui per se omnia virtutum opera sufficientissimè perficere posset. Vnde & primo Politi. dicitur. Si non per se sufficiens est vnusquisque segregatus ab alijs, manifestũ quòd naturalis impetus, est omnibus hominibus ad viuendum in ciuitate, vel communitate, non potens autem communicare, aut nullo indigens, propter per se sufficiẽtiam, aut bestia, aut Deus. Si ergo imperfectorum concordia ad bonum prævalet

C operationibus virtutum vnius hominis perfecti, quanto magis si multi perfecti essent concordes, & adiuuati eorum concordia & vnitas optima esset? dicente Augustin. 1. lib. super Gen. contra Manichæos cap. 21. Omnis pulchritudo quæ partibus constat, multò est laudabilior in toto, quàm in parte; sicut in corpore humano, si laudamus solum oculos, si nasum, si genas aut solum caput, aut solas manus, aut solos pedes, & cętera membra; si pulchra singula, & sola laudamus, quanto magis totum corpus, cui omnia membra, quæ singula pulchra sibi suam conferunt pulchritudinem? Tanta enim uis est, ac potentia integritatis, vt quæ bona sunt tunc multum etiam placeant, cum in vniuersum aliquid conueniunt, atque concurrunt; vniuersum autem ab vnitate nomen accepit. Et infra. In sermone aliquo ornato atque composito si consideremus singulas syllabas, vel etiam litteras singulas, quæ cum sonuerint statim transeunt, non in eis inueniemus quid delectet, atque laudandũ

D sit, totus enim ille sermo non de singulis syllabis, aut literis, sed de omnibus pulcher est. Et 2. de ciui. Dei cap. 21. auctoritate Scipionis dicit idem. Sicut in fidibus & cantu concentus dissimilium vocum moderatione concors efficitur, & congruens, sic ex summis, & mediis, ac infimis interiectis ordinibus vt sonis, moderatam ratione ciuitatẽ consensu dissimilium concinere, & quæ harmonia à Musicis dicitur in cantu, eam esse in ciuitate concordiam arctissimum, atque opti

Aristo.

Augustin.

Idem.

Idem.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

mum omni in republica vinculum unitatis. Quia igitur concordia multorum bonorum, licet imperfectorum, & magis ex consequenti multorum bonorum perfectorum concordia maximum bonum est, & maius quàm si quilibet per se bonus esset, manifestũ est quòd illud, quod huiusmodi concordiam bonorum facit maximum bonum est: huiusmodi autem concordiam pax facit dicente Augu. 19. de ciui. Dei cap. 14. Pax ciuitatis est ordi
Idem nata, imperandi, ac obediendi concordia ciuium. Et de bonis pacis loquens idem
Idem dicto lib. cap. 11. dicit. Tantum est pacis bonum, vt etiam in rebus terrenis, atque mortalibus nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, postremò nihil possit melius inueniri. Et de verbis Domini ser. 57. idem ait. Quæ pacis sunt
Idem commoda videamus. Pax est serenitas mẽtis, trãquillitas animi, simplicitas cordis, amoris vinculum, consortium charitatis. Hæc est quæ simultates tollit, bella compescit, comprimit iras, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat, inimicos concordat, cunctis est placita, non quærit alienum, nihil reputat suũ, docet amare, quæ odisse non nouit, nescit extolli, nescit inflari. Hanc qui accepit teneat, qui perdidit repetat, qui amisit exquirat, quoniam qui in eadem non fuerit inuentus, abdicatur à Patre, exheredatur à Filio, à Spiritu Sancto alienus efficitur. Cum ergo tantum bonum, tamque perfectum sit pax bonorum, haud dubium est quòd qui hanc in se habet, & quantum potest prævalet, & laborat quòd discordes paci ficet, & sibi, & proximis suis multum bonum est, & magni meriti apud Deum vnde & Dei filius hic vocatur.

SVMMARIVM.

Quòd pacificus vt homines inter se pacificet primò debet ostendere quòd eorum bonum diligat, ac si suum bonum esset.

VI NVnc verò tria præcipua quibus homines pacifici vtuntur ad discordes reconciliandum, quæ ponuntur in Glo. Ephe. 4. Solliciti seruare vnitatẽ spiritus
Glo. in vinculo pacis, tãgamus, vbi dicit. Hæc pax fit si bona nostra inuicẽ diligamus, si peccata quæ sine dãno tritici, aut cũ spe salutis corrigendorum, eradicari non possunt, vsque ad messem vltimã toleramus: si etiam perfectionis opera, quæ tamẽ fieri, & non fieri licet, ne infirmi scandalizentur, pro loco, & tempore non facere dispensamus: quæ tria obseruata pacem, F ac bonorum tranquillitatem conseruant, sicut ècontrario non obseruata, lites, & discordias parere consueuerunt. Nihil enim sic mouet ad hoc vt vnus homo alterum diligat sicut cum videt quòd eum, & eius bona opera diligit; quia si videat aliquis, quòd alter eum diligit in bono, quicquid ei dicat, vel faciat, siue dãdo, siauferendo, siue indulgendo, siue præueniendo, totum credit quòd ad sui faciat vtilitatem: Sic ècontra quando homo alterum reputat inimicum, quando etiam G ei videtur benefacere, reputat inimicitias exercere; vnde & Eccl. 22. dicitur. Ad amicum si produxeris gladium non desperes; Eccl. 22.
est enim regressus ad amicum. Si aperuerit os triste ne timeas, est enim recordatio ad amicum; & eodem li. cap. 12. de inimico dicitur. In labiis suis indulcat inimicus, & in corde suo insidiatur vt subuertat te in foueam. Idem 12.

SVMMARIVM.

H *Quòd pacificus vt homines discordes inter se pacificet secundò vti debet remissione vindictæ, vel correctionis, maximè quandò imminet periculum de scismate; vel quando uerisimiliter æstimatur quòd illi qui correctione indigent ex correctione vel punitione deteriores efficerentur, vel alios probos molestarent.*

SEcundò etiam si tantum sit quod maVII ligni peruersè agant, & tamen sic colligati sint cum bonis vt nõ possint ab ipsis discerni, vt soli puniantur, vel destrui possint, I tamen periculum sit quòd propter aliquam colligationem, boni eis adiungerentur eos iuuando ne puniãtur, vindicta cohibenda est, vel semper, vel ad tempus, quousque mali possint discerni à bonis ne simul cum impiis puniantur. Tunc enim dictum Domini habet locum quòd zizania simul cum tritico debeat permitti crescere vsque ad messem, ne fortè simul cum zizaniis eradicetur triticum. Melius est enim quòd impius dimittatur impunitus in præsenti, quàm si cum eo innocens puK niretur; & hoc modo etiam pax inter bonos fouetur, ex qua frequenter contingit quòd propter talem tolerantiam, qui fuerant impii emendentur postea. Vnde & 1. de ciui. Dei cap. 9. dicit Augustinus. Si propterea quisque obiurgandis, & corripiendis Augustin.
malè agentibus parcit, quia opportunius tempus inquirit, vel eisdem ipsis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam, & piam erudiendos impediant alios infirmos & præmant, atque auertant à fide nõ videtur esse occasio cu-

pidi-

piditatis, sed consilium charitatis. Et 19. de ciui. Dei cap. 17. inquit idem. Cœlestis ciuitas dum peregrinatur in terra, ex omnibus gẽtibus ciues euocat, atque in omnibus linguis peregrinam colligit societatem, non curans quicquid in moribus, legibus, institutisque diuersum est, quibus pax terrena, vel conquiritur, vel tenetur, nihil eorum rescindẽs, vel destruẽs, immo etiam seruans, ac sequens, si religionem qua vnus summus, & verus Deus colendus docetur, non impedit. Et idem contra epistolam Parmeniani dicit. Cum quisque Christianorum intus in ecclesia constitutorum in aliquo tali peccato fuerit deprehensus, vt anathemate dignus habeatur; fiat hoc vbi periculum scismatis non timetur cum dilectione, non ad eradicandum, sed ad corrigendum; quod tunc fieri potest, quando ita cuiusque crimen notum est, & omnibus execrabile apparet; vt vel nullos prorsus, vel tales non habeat defensores, per quos possit scisma contingere, propter quod non dormiat seueritas disciplinæ. Cum verò isdẽ morbus putridus plurimos occupauerit nihil aliud boni restat bonis, quàm dolor, & gemitus. Sic igitur misericorditer corripiat homo, quod potest; quod vero non potest pacienter ferat, & ex dilectione gemat atq; lugeat, donec Deus desuper emẽdet, & corrigat; aut vsque ad messem differat eradicare zizania, & paleam ventilare. Sic ergo quandoque mali tolerandi sunt, vel non puniendi, vt pax, & concordia habeatur, & teneatur in ecclesia cum de scismate immineat periculum, vel propter personę corrigendæ potentiam, vel propter peccãtium multitudinem ad sui peccati defensionem coadiuuatam, & paratam inferre violentias, & iniurias multis bonis; vel etiam vindicta est suspendẽda, quando sic mali cum bonis sunt commixti, quòd ab inuicem separari non possint.

Idem. Idem.

SVMMARIVM.

Quòd diu vindicta malorum hominum, & eis vel malitiosè, uel ex simplicitate adhærentiũ sit differenda; etiam quomodo à mitioribus pœnis vbi vindicta plus differenda non est, est in choandum; & postea ad grauiores est procedendum, vbi grauius periculum non timetur.

VIII

ET hoc tamdiù est faciendum quousque manifestè cognoscitur, quòd in malitia sunt obstinati; & periculum adest de bonorum subuersione, vel oppressione per iniquos facienda. Tunc enim separandi sunt ab ecclesia per sententiam excommunicationis, vel etiam sunt debellandi, vt sic innocentes sine periculo viuere possint. Sic enim ciuitas totaliter destrui præcepta est quando idolatria in ea erat commissa Deuter. 13. Et Tribus Beniamin quasi totaliter deleta est quia defendit Gabaonitas, qui crimen execrabile luxuriæ commiserant cum vxore Leuitæ Iudic. 19. & 20. Et Ber. in epistola ad Regem Ludouicum inquit. Quicquid uobis de regno vestro, de anima, & corona vestra placeat facere, nos Ecclesiæ filii matris iniuriam, contemptum, & conculcationem omnino dissimulare non possumus, profectò stabimus, & pugnabimus vsque ad mortem si oportuerit pro matre nostra, armis quibus liceat, nõ scutis, & gladiis, sed precibus, fletibusque ad Deũ. Et Augustin. in epistola ad Vincentium ait. Facta nocentium, quæ innocentibus demostrari, vel ab innocentibus credi nõ possunt, non inquinant quemquam, sed propter innocentium consortium etiam cognita sustinentur. Non enim propter malos deserendi sunt boni, sed propter bonos mali sunt tolerandi, quemadmodum tolerauerunt Prophetæ iniquos, contra quos tanta dicebant; nec communionem Sacramẽtorum illius populi relinquebãt, sicut ipse Dominus nocẽtem Iudam vsque ad cõdignum eius exitium tolerauit, & eum sacram cenam cum innocentibus communicare permisit. Sicut tolerauerunt Apostoli eos qui per inuidiam, quod ipsius diaboli vitium est, Christum annunciabant. Sicut tolerauit Cyprianus collegarum auaritiam, quam secundum Apostolũ idolatriam vocabat. Et infra in eadem epistola inquit. Nonnullos toleramus, quos corrigere, vel punire non possumus, neque propter paleam relinquimus aream Domini, neque propter malos pisces rumpimus retia Domini, neque propter hædos in fine segregandos deserimus gregẽ Domini, neque propter vasa facta in contumeliam, migramus de domo Domini. Et in epistola ad Restitutum idem ait. In ecclesia si qua fortè peruersa, vel etiã scelerata corrigere, aut extinguere non valemus, saluo vnitatis vinculo tolerãda sũt. Sic ergo vbi mali sic cõmixti sũt bonis qꝫ nõ possint discerni ab eis, vel sic mali bonis adhærent quòd absque magno periculo, & euidenti, bonorum puniri mali non possint; vel quando magna multitudo est peccantium, in qua fortè sunt multi, qui non animo malignandi, sed simplici quadam adhærentia malis adhærent, vel quando ratione personæ timendum est de ma-

Ber. Augustin. Idem. Idem.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

gno sciſmate, vindicta ſu ſpendenda eſt, p
pter bonum pacis, & vt ne ſimul cum im-
piis iuſtè inuoluantur. Sed tunc agẽdum
eſt perſuaſorie ad hoc vt innocentes vel
ſimplici animo malis adhærentes ſuum de
fectum recognoſcant, & errorem, & ſepa-
rent ſe à malorum conſortio. Etſi perſua-
ſio ad hoc nõ ſufficit, aliquæ pœnæ mites
ſunt infligendæ, vt uel timore pœnæ ſim-
plices, vel boni ſegregentur à malis, dicẽ-
Idem. te Aug. in epiſtola ad Viuentium. Mea Sẽ
tentia primitus erat neminem ad vnitatẽ
eccleſiæ Chriſti eſſe cogendum, verbo eſ-
ſe agendum, diſputatione pugnandum,
ratione vincendum, ne fictos catholicos,
haberemus quos apertè hæreticos no-
ueramus. Sed hæc opinio mea non con-
tradicentium verbis, ſed demonſtran-
tium ſuperabatur exemplis. Multi enim
propter timorem amiſsionis ſubſtantiæ,
uel corporis afflictionem, qui catho-
lici eſſe volebant manifeſtiſsima volun-
tate commoti, offenſionem ſuorum ve-
rendo quotidie differebant ad vnitatem
Eccleſiæ reuerti. Multi etiã quos non ve-
ritas, ſed obdurate conſuetudinis graue
vinculum colligabat; non verbis: ſed ver-
beribus ſunt ad Eccleſiam reducti. Multi
quoq; qui putabãt verã Eccleſiã eſſe partẽ
Donati, quia eos ad cognoſcendam ca-
tholicam veritatem ſecuritas torpidos, fa
ſtidioſos, pigroſque faciebat, quam mul-
tis aditum intrandi obſerabant rumores
maledicorum, quam multi etiam nihil
intereſſe credentes in qua quiſque parte
chriſtianus ſit; ideo permanebãt in parte
Donati, quia ibi erãt nati, & eos inde di-
ſcedere, atque ad catholicam tranſire ne-
mo cogebat; quibus omnibus harum le-
gum terror, quibus promulgandis reges
Domino ſeruiunt in timore, ita profuit,
vt poſtea gauderent ſe vel flagello coa-
ctos fuiſſe ad Eccleſiaſticam redire vnita-
tem. Nam vt idem dicit in dicta epiſtola
Idem. aliquantulum ſupra prædicta verba, quòd
quiſque bonus poſsit eſſe inuitus, ſed ti-
mendo quod non vult pati, vel relinquit
impedientem animoſitatem, vel ignora
tam compellitur cognoſcere veritatem,
vt timens, vel reſpuat falſum de quo cõ-
tendebat, vel quærat verum quod neſcie-
bat, & volens iam teneat qnod nolebat.
Sic ergo quando multi ſunt, qui errant,
nec diſcerni poſſunt qui ſint omnino per
tinaces in errore ſuo, vel malitia, & qui
innocentes, & qui ſimplici animo, vel fa
tuo, vel fauore humano malis, vel errã-
tibus adhærentes, perſuaſorie cum eis pri
mò eſt agendum vt à conſortio malignã-
Num. 16. tium ſe ſeparent, ſicut fecit Moyſes Nũ.

16. dicens ad turbam. Recedite à taberna
culis hominũ impiorũ, & nolite tangere
quæ ad eos pertinent ne inuoluamini in
peccatis eorum. Et Saul idem fecit Cineo
1. Reg. 15. dicẽs ei. Abite, recedite, atque Reg. 15.
diſcedite ab Amalech, ne fortè inuoluam
te cum eo. Quòd ſi fortè monitionibus, &
perſuaſionibus nolit multitudo diſcede-
re à malignantibus, pœnæ aliquæ multi
tudini ſunt imponendæ, ſicut ſunt excõ-
municationes, ſubſtantiarum expoſitio-
nes, multæ ſeruitutes, & cætera huiuſmo-
di, quemadmodum fecerunt humanæ le-
ges contra Donatiſtas, vt dictũ eſt. Quòd
ſi nec ita ſe volunt ab eis ſeparare, con-
tra omnes ferro agendum eſt, quia iam
non ex ſimplicitate, vel ignorãtia, ſed ex
malitia videntur malis adhærere. Vnde
& filij Iſrahel cõtra Beniamin arma ſum-
pſerunt, & eũ quaſi totaliter deleuerunt,
quia ad eorum monitionem noluerunt
tradere puniendos, qui flagitium perpe-
trauerant in abuſione vxoris leuitæ vt pa Iudic. 20.
tet Iudic. 20. Sic itaque ne ſcandalũ oria
tur, & vt pax conſeruetur, vindicta diffe-
renda eſt, vel etiam ſuſpendenda, quouſ-
que videatur ſi multitudo corrigi velit
verbis, vel mitioribus pœnis, donec obſti-
nata in modo videatur; vt ſic pax in Eccle
ſia conſeruetur, & iuſti cum impijs non
perdantur, & vt ſimplices, vel ignoranter
peccantes ad bonum, vel timore pœnæ
reuertantur.

SVMMARIVM.

*Quòd pacifici propter puſillorum ſcandalum di-
mittunt facere opera illa quæ poſſunt benè fie
ri, & non fieri, & quandoque etiã opera per
fectionis, vel ſuper erogationis, vel totaliter
dimittendo, vel occultè faciendo, donec infir
mis reddita eſt ratio quare talia opera fieri
debeant, quia ſic paci infirmorum prouident.*

TErtiò etiam pax conſeruatur quando VIIII.
ad tempus opera quæ poſſunt fieri,
& non fieri etiam ſi ſint perfectionis ope-
ra quæ licet facere, & non facere non fiũt
vt infirmi inde non ſcandalizentur, quo-
modo & Apoſtolus docet nihil cum ſcan-
dalo infirmorum eſſe agendum ad Rom.
14. Bonum eſt homini non mãducare car- Actu. 21.
nem, neque bibere vinum, neque in quo
frater tuus offenditur, aut ſcãdalizatur,
aut infirmatur. Vnde & ipſe iuxta Iacobi
conſilium purificatus templum intrauit,
ſciens quod huiuſmodi purificatio inu- Rom. 14.
tilis erat vt ſe iudæis conformaret Actu.
21. & ne ſcandalizaret eos qui ex eis in
Chriſtum credebant, dicẽte Hiero. in epi

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

stola ad Augus. O' Paule interrogo te cur caput inseris ? cur nudipedalia exterius de cerimoniis Iudæorum? cur obtuleris sacrificia & secundum legem hostiæ pro te fuerunt immolatæ ? vtique respondebis ne scandalizerentur qui ex Iudæis crediderũt. Sic ergo si in cõmunitate in qua viuit homo scandalizarentur homines propter perfectionis opera, quæ homo facit, vel etiam scandalizarentur propter opera licita, quæ facit, & tamen apud eos illicita reputantur propter contrariam consuetudinem, nullo modo huiusmodi opera sunt publicè facienda ne scandalũ oriatur; sed in secreto possunt fieri, vbi nullum ex hoc potest oriri scandalum. Vnde Et Dan. sciẽs præceptum Regis esse quòd nullus aliquid peteret à quocũque Deo, vel homine, per triginta dies nisi à Rege, intrabat domum suam, & fenestris apertis contra Hierusalem in cænaculo suo tribus temporibus in die flectebat genua sua orans Deum secretè, & non publicè propter regis præceptum, ne scãdalum susciteretur. Dan. 6. Et, vt deducit Apostolus, ille qui credit idolum nihil esse, nec immolatum idolis ex hoc aliquã habere virtutem si pro necessitate, & non pro veneratione idoli idolothytũ secretè comedat, non peccat, qui tamẽ peccaret in præsentia infirmorum comedens, qui ex hoc informarentur ad idolothytũ comedendum in idoli veneratione 1. ad Cor. 8. dicens. De escis quæ idolis immolantur, scilicet quia nihil est idolum in mundo. Et infra. Neque si non manducauerimus deficiemus, neque si manducauerimus abundabimus, & subdit. Videte ne fortè hæc licentia uestra fiat offendiculũ infirmis. Vbi dicit Glo. Si manducauerimus idolothyta vt cibum, & non vt idolothytũ, non deficiemus, idest minus habebimus bonum, neque si mãducauerimus abundabimus in bono virtutum. Et sic licet quantum ad uos nihil prosit, vel obsit talis esca, tamen videte ne fortè hæc licentia uestra fiat offendiculum infirmis in fide, qui nesciunt adhuc idolum nihil esse, & potest eis esse offendiculum. Videns enim quis fratrem peritum, idolo sacrificata edere, incipit & ipse infirmus edere non illa conscientia qua ille peritus sciens nihil esse idolum, sed iste infirmus putat ex hoc illic esse numen, quia videt fratrem peritum edere illic, nec horrere. Et Aug. in quodam ser. de Quadragesima inquit. Qui ieiunare in quadragesima non prævalet, secretius sibi soli, aut si est alius infirmus cum ipso, sibi in domo sua præparet, quod accipiat, & alios qui ieiunare prævalent ad manducandum nõ inuiter, quia si hoc fecerit nõ solum Deus, verum etiam homines intelligere possunt illum non pro infirmitate non posse, sed pro gula ieiunare non uelle. Et quòd quandoque perfectionis opera propter infirmorum scandalum, vel ruinam sint omittenda, dicit Augus. in epistola ad Editiam. Nihil de tua veste, nihil de auro, vel argento, vel quacumque pecunia, rebusue vllis terrenis tuis sine arbitrio viri tui facere debuisti, vel uestem nuptiarũ mutando in uidualem, vel tuas substantias pauperibus etiam religiosis dando ne hominem scandalizares. Infirmus enim erat, & ideo à te, quæ in communi proposito fortior videbaris, non erat præsumptione turbandus; quia etiam si ad ipsas eleemosynas largius faciendas fortè pignus mouebatur, posset & ita condiscere si tuis inopinatis non feriretur expensis, sed expectatis inuitaretur. Et Bernar. in lib. de præcepto, & dispensatione cap. 4. ait. Regulæ sanctorum Basilij, Augustini, Bene dicti nec non & auctentici Canones, & si quę sunt alia Canonica instituta dignæ auctoritatis quæ sunt à sanctis tradita sancita stabiliter perseuerent, quia tamen ab hominibus statuta, & etiã per homines loco & officio illis canonica electione succedentes licitè interdum, innoxieque pro causis, personis, locis, & temporibus dispensantur. Ideo autem hanc dispensationem taliter, & à talibus recipere possunt, quia nõ naturaliter, nec per se bona sunt, sed inuenta atque instituta fuerunt; non quia aliter nõ liceret viuere, sed quia sic magis expediret, nec planè ad aliud, quã ad lucrum, vel custodiã charitatis: Quãdiù ergo charitati militant, immobiliter fixa sunt, mutarique omnino nec ab ipsis quidem Præpositis sine offensa possunt. Ac si è contrario, contraria fortè aliquando charitati visa fuerint iis dumtaxat, quibus hæc posse uidere datum est, & prouidere creditum est. Non ne iustissimũ esse liquet, ut quæ pro charitate inuẽta fuerint, pro charitate quoq; ubi expedire uidebit uel omittãtur, uel intermittãtur, uel ad aliud forte cõmodius tẽpus demutentur? Et huiusmodi perfectionis opera propter quæ infirmi scandalizãtur tam diù sunt omittẽda, uel totaliter, uel ne in publico fiant, quousque reddita ratione, uel uisa, infirmi desinant propter huiusmodi opera scandalizari. Quòd si nec adhuc reddita ratione, uel uisa operum perfectione ab infirmis, infirmi scandalizari non deserunt, tunc iam non uidetur esse scandalum infirmorum; sed Pha-

Dan. 6. — Glo. — Augus. — Augus. — Ber.

riseo-

risæorum, propter quorum scandalũ opera perfectionis omittẽda non sunt. Vnde
Matth. 15. & Dominus infra 15. respondens discipulis, qui dixerant Scis quia pharisæi audito hoc uerbo scandalizati sunt? respondit. Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum. Et ut dicit Ber. in lib. de præcepto, & dispensatione cap. 12. Non omnium scandala æqua sunt lance pensanda. Aliter nanque accipienda sunt scãdala pusillorum, & aliter Phariseorum. Nam Phariseorum scandalum de sermone ueritatis de malitia descẽdit; sed pusillorum de ignorantia. Illi enim scandalizantur quia ueritatem nesciũt, isti, quia oderũt. Vnde propter scandalum Phariseorũ non sunt perfectionis opera dimittenda, sed propter scandalum infirmorum ad tempus dimittenda sunt, uel occultanda: De
Greg. scandalo enim Phariseorum dicit Greg. Quòd si propter ueritatem scandalum oriatur, vtilius est permitti nasci, quàm si veritas relinquatur. Sic ergo propter scandalũ & ne scisma fiat, aliquãdo omittenda sunt opera, quæ fieri possunt, & nõ fieri sine detrimento salutis; & etiã opera perfectionis, quandoque sunt dimittẽda, vel occultanda propter scandalum infirmorũ. Si enim propter cibum, vel absti nentiam meam scãdalizatur frater meus iam non secundum charitatem ambulo; melius est autem quòd charitas maneat in nobis, omittendo propter hoc, vt ipsa maneant supererogationis opera, quàm si charitate offensa illa fiant, cum sine illis possit homo saluari, sine charitate autem
Ber. nullus saluari possit. Vnde Et Bernar. in Apologetico dicit Ordinatè uiuentes; superbè tamen loquentes, & alios iudicantes, ciues se faciunt Babylonis. Et infra.
Idem. Dicunt enim Cistercienses contra Clunia censes. Quomodo regulam tenent, qui pelliceis induuntur sani carnibus, seu carnium pinguedine uexantur, tria, vel quatuor pulmentaria, una die (quod Regula prohibet) admittũt, opus mannum,
Idem. quod iubet, non faciunt? Et infra. Attendite in regulam, cui non dissonat institutio Sancti Benedicti, Regnum inquam Dei intra uos est, hoc est, non exterius in uestimentis, aut alimentis corporis, sed in uirtutibus interioris hominis. Vos autẽ de corporalibus obseruantiis fratribus calũniam struitis, & quæ maiora sunt regulæ, spiritualia scilicet instituta relinquitis. Camelũ gluciẽtes, culicem liquantes. Magna abusio, maxima cura est, ut corpus regulariter induatur, & contra regulam
Idem fuis uestibus anima nuda deseratur. Et infra. Si corporales obseruantias, aut spiri-

F tuales uirtutes omitti necesse sit, illę potius omittendæ sunt, quàm istæ; quantò enim spiritus corpore melior est, tantò spiritualis, quàm corporalis exercitatio fructuosior est. Nec hoc dico q̃ hæ obseruantiæ exteriores sint negligendæ, sed quòd uirtutum opera eis sunt præferenda. Vnde & contra quosdam, qui in istis exterioribus gloriantur dimissis uirtutũ operibus dicit idẽ in li. de duodecim gradibus humilitatis. Ei qui se supra alios
G iactat, turpe est si non plus cæteris aliquid agat, per q̃ ultra cæteros appareat. Proin de non sufficit ei, agere quod cõmunis monachorum regula, uel maiorum cohortan tur exempla: nec tamẽ melior esse studet, sed uideri, non melius uiuere, sed uideri uiuere gestit: magis sibi blãditur de uno ieiunio, quod cæteris prandentibus facit, quàm si cum cæteris septem dies ieiunauerit: Commodior sibi uidetur una oratiuncula peculiaris, quàm tota psalmodia unius noctis; Inter prandendum crebrò solet oculos iactare per mensas, ut si
H quem minus uiderit comedere, uictum se doleat, & incipiat sibi idipsum crudeliter subtrahere quod necessariũ victui præuiderat indulgendum, plus gloriæ metuẽs detrimentum, quàm famis cruciatum. Si quem maeriorem, si quem pallidiorẽ prospexerit, uilem se æstimat, nũquam requiescit; & quoniam uultum suum qualem se intuentibus offert, ipse uidere non potest, manus, quas potest, et brachia spectans, palpat costas, humeros atrectat, & lũbos, & secundũ q̃ corporis sui mẽbra, uel minus, vel satis exiliã probat, palloré, ac colorem oris discernit. Ad omnia deniq̃ sua strenuus, ad cõmunia piger. Vigilat in
I lecto, dormit in choro: cũque aliis psallẽtib⁹ ad vigilias tota nocte dormitet, post vigilias aliis quiescentibus solus in oratorio remanet, excreat, & tussit, gemitibus atque suspiriis aures foris sedentium de angulo implet: Huiusmodi autem homines sua singularitate cõmunem pacem perturbant, volentes soli videri inter alios meliores, cum sint inter omnes peiores,
K qui tunc quales sunt cognoscuntur, cũ eis honor non defertur, sed vel iniuriis, aut uerberibus impetuntut. Tunc enim non patientes, sed impatientissimi, non humiles, sed superbi, non sancti, sed improbi cõprobantur, dicente Ber. in dicto lib. Gloriosa res, humilitas est, qua ipsa quoque superbia palliare se appetit ne uilescat, humilis enim superbia facilè deprehẽditur, cum vna, uel leui contumelia, aut exigua pœna interrogatur. Nam iam humilitatẽ simulare, aut simulationẽ dissimulare nõ
Idem

po-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

poteſt: murmurat, frendet, iraſcitur: quanta putas tunc confuſio ſit in corde ſuperbi, cum fraus aperitur pax amittitur? Ex quibus patet, quòd pax inter homines fit, fouetur, augetur, & perficitur, quãdo bona ſua inuicem diligunt, quando mala quæ ſine periculo plurimorum eradicari non poſſunt, uel propter ſpem emendationis tolerantur, uel ſemper, uel ad tempus, quando etiam opera, quæ licet fieri, etiã ſi ſint perfectionis opera, uel ſupererogationis ad tempus dimittuntur, uel etiam occultantur ne ſcandalizentur infirmi.

SVMMARIVM.

Quòd duo debent præcedere in homine, vt ſit pacificus inter alios, ſcilicet quòd ſenſualitas eius ſit ſubdita rationi, & ratio Deo. Et quòd iniuriis, vel damnis ſibi illatis ſit patientiſſimus, & facilè remittens iniurias, & damna eidem illata.

X

Ber. TErtiò eſt intelligendum quod ſecundum Ber. duo gradus ſunt uirtutum præmii ad hoc quòd ſit homo pacificus; quorũ primus eſt quod ſit in ſe pacatus, quod tunc contingit, quando omnes ſenſualitatis motus ſubduntur rationi, ſic quòd licet quandoque contra rationem inſurgant, tamen dominari rationi non ſinuntur, & quãdo ipſa ratio Deo ſubdita eſt. De qua pacatione hominis ad ſe ipsũ

Auguſt. loquens Augu. in lib. de Sermone Domini in monte dicit. Pacifici ſunt in ſe ipſis, qui omnes ſui animi motus componẽtes, ſubiiciẽtes rationi, carnales cõcupiſcẽtias habentes edomitas, fiunt regnum Dei. In quibus ita ordinata ſunt omnia, vt quod eſt in homine præcipuum, & excellens, imperet cęteris, quæ sũt nobis, beſtiisque cõmunia, atque id ipſum, quod excellit in homine, id eſt mẽs, & ratio ſubiiciatur potiori ſcilicet Deo, quo facto, aptus eſt homo vt inter alios pacẽ faciat. Quia vt hîc

Gloſ. dicit Gloſ. Pax à nobis incipit, quia dum lex carnis repugnat legi mentis, non modo alteri, ſed nec nobis poſſumus eſſe pacifici. Sed poſtquam intus ſpiritus imperat, vt totus homo ſpiritui ſeruiat, tunc pax ad alios deriuatur: propter quod &

Iaco. Iaco. 4. dicitur. Vnde bella, & liteș in vobis? nonne ex concupiſcentiis veſtris, quæ militant in membris veſtris? Concupiſcitis, & non habetis: occiditis, & zelatis, & non poteſtis adipiſci, litigatis & belligeratis, & nõ habetis. Qui enim ferales ſuæ ſenſualitatis non vult domare motus, cũ huiuſmodi motus ad diuerſa tendãt, & cõtraria, nunquam ſecum, nec cum aliis pacem habere poteſt: Secum non, quia ratio ſenſualitati contradicit, nec cũ aliis, quia bona, quæ ſenſualitas ſuadet frequenter adipiſci nõ poſſunt ſine iniuria aliorum: ex quo lites, & diſſenſiones inter homines oriuntur; meum enim & tuum principia omnium diſenſionum ſunt. Econtra autẽ contingit in homine pacifico, in quo inter ſpiritum & carnẽ contradictio non eſt, quia in eo ſpiritus ſubditur Deo, qui eſt commune, & omne bonum. Ideo illud bonum nulli inuidet, ſed vellet omnes homines illius boni participes eſſe: propter quod nec ſecum, nec cum aliis diſſenſionẽ habet: propter quod & alios diſſidentes, uel ſecum, vel cum illo, vel cum aliis pacificare poteſt. Propterea & Hier. hîc dicit. Pacifici dicũtur beati qui primũ in corde ſuo, deinde, & inter fratres diſſidẽtes pacem faciunt, & ècontra illi, qui ſecũ pacem non habent, nec cũ ſuis, malè alios pacificare poſſunt. Vnde & in prima reſpõſione contra Iouinianum recitat quòd Melantius inimicus Gorgiæ, qui libram pulcherrimum fecerat de concordia, Grẽcis inter ſe tunc diſſidentibus iniuriosè dixit. Hic nobis, inquit, de concordia præcipit; qui ſe, & vxorẽ, & ancillulam, tres in vna domo concordare non potuit. Aemulabatur quippè vxor eius ancillulę pulchritudini, & caſtiſſimum virum quotidianis iurgiis exagitabat; & ſic ad hoc q̃ homo ſit pacificator aliorũ primò requritur quòd ſecum ſit pacatus. Sed quia cõtingit quòd homo in ſe pacatus frequẽter ad iram, & rixam aliorum malitia irritatur, propter quod habet pacem cum aliis hominibus, iniuriis, & damnis ſibi irrogatis concitatus: & qui non habet pacẽ cum aliis hominibus, malè poteſt facere pacem inter alios homines: Ideo ſecundò requiritur adhoc quod homo ſit pacificus, quòd non irrationabiliter propter iniurias, & damna contra proximum moueatur. Et ſi commouetur, non tantum, quòd pacem, & amicitiam rumpat, ad implens illud pſalmi. Iraſcimini, & nolite peccare; & procuret, & faciat, quòd ad pacem, & amicitiam offendentem ſe reducat: quod faciens, pacem fugientem perſequetur. Vnde & hîc Chryſoſt. dicit. Pacifici non dicuntur ſolum qui inimicos in pace reconciliant, ſed etiam illi, qui immemores malorum ipſi diligunt pacem, cum iis, qui pacem oderunt. Vis cognoſcere, qui verè eſt pacificus? Audi Propheram. Inquire pacem, & perſequere eam. Non dixit ſi te pax ſequatur ſuſcipe eam, ſed & ſi te fugit, ſequere eam, vt puta, ſi (quod humanum eſt) cum aliquo feceris

Hiero.

Pſal. 4.

Chryſoſt. hom. 9.

Pſal. 33.

litem

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

litem, si quidem te prius inuitat ad pacẽ, pax te sequitur, cum gaudio susci pe eam; quòd si ille, quasi malus permanet in malo, pax abscõditur ab oculis tuis: sed qua si filius pacis pulsa ianuam pacis, & hoc est inquirere pacem. Nec dicas ille mihi prior iniuriam fecit, & prius me debet rogare: glorioſior es tu, si nocitus pacem petieris, quàm si noceas. Et Cassiodorus Cassiod. exponens illud psalmi, Cum iis, qui oderunt pacem, erã pacificus, dicit. Ipse eram patiens, & benignus cum rixantibus, & hæretica prauitate distortis, cũ pacis scilicet inimicis, cum aduersariis meis, cum odio me habentibus, quæ sũma virtus est christiani, inter turbulenta præsentis seculi semper placabilem reperiri, quibus loquebar, vt pacificus, non persequens, non iniurians, sed honorans verbis blandissimis, sed illi, qui erant obstinata mente durati, impugnabant me gratis, quasi inimicum, quasi hostem, quasi malè suadẽtem. Ille autẽ, qui & in se sic pacatus est, & iniuriis, & damnis illatis sibi à malignis patientissimus est, nõ mala eis quærens, sed bona pro uiribus, aliorum inter se discordantium optimus pacificator est se ex ipso docẽs, qualiter sunt sibi mutuo reconciliandi ad pacem inimici. Vnde & Bern. in sermone ad Clericos exponens illud [*Beati pacifici*] dicit. Est homo pacatus, qui bona pro bonis reddens, quantum in se est, nemini vult nocere: & est alius patiens, qui nõ reddẽs mala pro malis, etiam potens est sustinere nocentem. Est & pacificus, qui bona ꝓ malis reddẽs in prõptu habet, & prodesse nocenti. Primus paruus est, & facilè scandalizatur: nec facilè, qui eiusmodi est in hoc seculo nequam, & pleno scandalis, poterit obtinere salutem. Secundus (vt scriptum est) in patientia sua possidet animam suam. Nam tertius non modo possidet suam, sed & multorum animas lucrisacit. Primus quantum in ipso est, pacẽ habet, secundus pacem tenet, tertius pacem facit. Et in primo sermone de omnibus sanctis Idem. dicit idem. Frater ille, qui sine quę rela conuersans inter fratres, tota solicitudine cauet, ne quid in eo sit, quod in aliis portari oporteat, & quicquid in aliis onerosum est, patientissimè portat, verè pacificus est.

SVMMARIVM:

De duplici pace mala.

XI EST etiam intelligendũ, quod pax multiplex legitur in scriptura. Est enim simulata, à parte mala, & vera vere bona. Simulata est, quando pax exterius fingitur, & odium in corde retinetur. De qua dicitur in psalmo. Pacificè loquebantur mihi inimici mei, & in ira molesti erant mihi: & de qua etiam dicitur 3. Regum 2. Ioab effudit sanguinem belli in pace; & hij tales nõ possunt dici pacifici, sed pacidici, de quibus dicit Ber. in sermone ad Clericos, cap. 30. Considera diligenter nõ pacidicos, sed pacificos commendari. Et Chry. hîc dicit. Multi sunt, qui alios inimicos libenter in pace reconciliant, & ipsi inimicis suis numquam ex corde recõciliantur. Tales illusores sunt pacis, non amatores., Pax enim illa beata est, quę in corde posita est, non in verbis: Qui enim portat pacem in ore, & malitiam seruat in corde, non quidem pacificus, sed magis impugnator est dicendus. Secũda pax est verè mala, quando homines sine omni prohibitione, & timore in suis peruersitatibus quietè, & sine reprehẽnsione viuere volunt, vel permittuntur, de qua dicitur in Psalmo. Zelaui super iniquos pacem peccatorum videns, & Iob. 21. Impij viuunt subleuati, cõfortatique diuitiis semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba, & nepotum in conspectu eorum, Domus eorum securę sunt, & pacatę, & non est virga Dei super eos. Et Augustin. 2. de ciuitate Dei, cap. 20. de tali pace loquens dicit. Cultores, & dilectores Deorum, quorum etiam sunt imitatores in sceleribus, & flagitiis se esse lætantur. Et nullo modo curant pessimã, aut flagitiosissimam esse Rẽpu. tantũ (inquiunt) stet, tantũ floreat, copiis referta, victoriis glorioſa, & quod fęlicius est, pace secura. Abundent in ea publica scorta, extruantur amplissimę, atque ornatissimæ domus, opipara cõuiuia frequentẽtur, vbicũque libuerit, & fieri potuerit, die, noctuque ludatur, bibatur, vomatur, diffluatur, saltationes vndique concrepẽt, theatra inhonestæ letitiæ vocibus, atque omni genere crudelitatis, vel turpissimę voluptatis exæstuent: ille sit publicus inimicus, cui hæc fęlicitas displicet. Quisquis eam mutare, vel auferre tẽtauerit, eũ libera multitudo auertat ab auribus, euertat à sedibus, auferat à viuentibus. Et Sapientiæ 14. dicitur. Non sufficit iniquis errasse circa Dei sapiẽtiam, sed in magno viuentes inscientiæ bello, tot, & tam magna mala, pacem appellant.

SVMMARIVM.

De multiplici pace bona.

ALia verò est vera pax, & hæc est multiplex: quia quædam est pax tẽporis, vel humanæ societatis, qua iusti procurant, & faciunt solum quòd in ea nihil sit, quod religionem christianitatis offendat. Vnde, & præceptum est primæ ad Timotheum 2. Orate pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt constituti; vt quietam, & trã quillam vitam agamus in omni pietate, & castitate, & Augustin. 19. de ciuitate Dei ca. 16. dicit Quod quia omnis domus initium, siue particula debet esse ciuitatis, omne autem initium ad aliquem sui generis finem, & omnis pars ad vniuersi, cuius pars est, integritatem refertur, satis apparet esse conueniens, vt ad pacem ciuicam pax domestica referatur, atque ita fit vt ex lege ciuitatis præcepta sumere patrem familias oporteat, quibus domum suam sic regat, vt sit paci accommodata ciuitatis; & cap. 17. dicit Cælestis ciuitas dum peregrinatur in terra, ex omnibus gẽtibus ciues euocat, atque in omnibus linguis colligit peregrinam societatem, non curans quemquam in moribus, legibus, institutisque diuersum esse, quibus pax terrena, vel conquiritur, vel tenetur; nihil eorum rescindens, nec destruens; imò etiam seruans, ac sequens. Quòd licet diuersum in diuersis nationibus sit, ad vnum tamen, eundemque finem terrenæ pacis intenditur, si religionem, qua vnus, & summus, & verus Deus colendus docetur, non impedit. Vnde & de huiusmodi pace loquens Apostolus ad Romanos 12. dicit. Si fieri potest, quòd ex vobis est cum omnibus hominibus pacem habẽtes. Secunda pax bonorum est pax pectoris, quæ nihil aliud est nisi concordia sensualitatis edomitæ cum ratione, & rationis cum Deo; de qua supra satis dictũ est, & de qua dicitur Lucæ 2. Pax in terra hominibus bonæ volũtatis; & in psalmo, Pax multa diligentibus legem tuam: Tertia pax bona est pax æternitatis, & hæc est multiplex; quia vel est creata, quam beati habent, quibus Deus est omnia in omnibus, & de qua dicit Augustin. 22. de ciuitate Dei cap. 30. Ego, inquit Deus, ero beatis quæcunque ab omnibus honestè desiderantur, vita salus, victus, copia, gloria, honor, pax, & omnia bona, & infra, Illa beata ciuitas magnum in se bonum videbit, quòd nulli superiori inferior inuidebit; tam nolet esse vnusquisque, quod non accepit, quàmuis sit pacatissimo concordię vinculo ei, qui accepit, obstrictus, quã nec in corpore vult oculus esse, q digitus est; cum membrum vtrumque contineat carnis pacata compago; Hæc autem pax beatorum duo includit, scilicet, quia vnũ erit omnium desiderium satians; & quia inter se inuicem pacatissimi erũt, & quilibet diliget bonum alterius sicut suum. Illud autem vnum, quod erit satians omnes, vnus Deus est: quo licet diuersitate participent secundum differentias meritorum; tamen quilibet erit contentus de hoc quod habebit, nec maioris gloriã minor concupiscet, propter quod ibi verissima pax erit, quam pacem nulla res vnquam poterit perturbare, de qua pace dicitur in psalmo. Posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te Quod exponẽs Cassiodorus dicit. Ciuitas illa magna inæstimabilis sub laudis breuitate descripta est; Nam quid illa præstantius dici potest, cuius fines pacis munere terminantur? Sed quemadmodum pax ista proueniat, consequenter exponitur, dum fideles Christi Domini contemplatione saginantur. Adipem quippè frumenti dicit ipsam contibilem Deitatem; Vnde sic iustorum sensus reficitur, vt omnem satietatẽ superare noscat. Re vera tunc est secura pax, & inuiolata tranquillitas, quando indigentia nobiscum nulla litigat; nec aliquẽ lassitudo defatigat, nec frigus contristat, nec esuries grauat, & cætera quæ hîc nostræ imbecillitati bellum semper infigunt. Ibi autẽ corporis, animæque talis est societas, vt nulla inter se aduersitate discordẽt, sed ibi vtraque gloriosa uoluntate consentiant. Secunda pax æterna Christus est, qui pacificauit Iudæos, & gẽtes, ex eis vnam ecclesiam faciens, cuius lapis angularis ipse est, de quo dicit Apostolus ad Ephes. 2. ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum: ipse etiam pacificauit per mortem suam homines peccatores Angelis iustis, iuxta illud ad Colossenses primo. Per eum reconciliauit omnia in ipsum pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris sunt, siue quæ in cęlis. Ipse etiam fecit pacem inter nos, & Deum, iuxta illud ad Romanos 5. Iustificati ex fide pacem habeamus ad Deum per Iesum Christum Dominum nostrum. Est etiam tertia pax Aeternitatis, in qua, distinctione personarum, & proprietate excepta, omnia sunt vnum, & inter se, & cum ipsa Deitate; Vnde & Augustin. 6. de Trinitate cap. 5. loquens de Spiritu sancto, dicit. Spiritus Sanctus in eadem vnitate substãtiæ, & æqualitate consistit. Siue enim sit vnitas amborũ, siue sãctitas, siue charitas, siue ideo vnitas qa charitas, & ideo charitas, qa sãctitas manifestũ est, quòd non aliquis duorũ est; quo vterque,

1. Tim. 2. — Augustin. — Idem. — Rom. 12. — Luc. 2. Psal. 118. — Augustin. — Idem. — Psal. 147. — Cassiod. — Ephes. 2. — Coloss. 1. — Rom. 5. — Augustin.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

coniungitur, quo genitus à gignente diligatur, genitoremque suum diligat, sintque non participatione, sed essentia sua, neque dono superioris alicuius: sed suo proprio seruantes vnitatem spiritus in vinculo pacis. Et Apostolus de hac pace loquens ad Philipenses 4. dicit quod pax Dei exuperat omnem sensum

Glo. Quod exponens Glo. dicit, Pax Dei, qua ipse Deus pacatus est sibi, sicut Deus eam nouit, nec nos possumus nosce, nec vlli Angeli, superat enim omnem intellectum præter suum.

SVMMARIVM.

Quòd pacificus debet procurare, & operam dare, vt proximus habeat pacem temporis, & pectoris in vita præsenti, sicut & ipse habet, vt per has duas paces perueniat ad pacem æternitatis.

XIII CVm ergo pax bona sit tam temporis, quam pectoris, quam etiam æternitatis; primæ duæ sunt in præsenti; & sicut quilibet eas in se obseruare debet, ita debet operã dare vt sint in proximo, vt verè sit pacificus, faciens pacẽ, & in se, & in aliis; vt de pace temporis, & pectoris veniant ad pacem æternitatis, iuxta illud

Isa. 27. Isaiæ 27. Faciet pacem mihi, pacem faciet mihi: qui enim nõ fuerit pacificus in præsenti, non veniet ad pacem in futuro, dicente

August. Aug. de verbis Domini serm. 57. Qui cum pace non fuerit inuentus abdicatur à patre, exheredatur à filio, nihilominus & à spiritu sancto alienus efficitur. Respuit enim munus oblatum, qui datæ legis contempserit bonum: Nec poterit ad hæreditatem Domini peruenire, qui testamentum pacis noluerit obseruare: & super Ioannem parte 2. Serm. 77.

Idem 12. dicit idem exponens illud. Pacẽ relinquo vobis, pacẽ meam do vobis; Hoc est quod legimus apud Prophetam. Pacem super pacem; pacem nobis relinquit iturus, pacem suam nobis dabit in fine venturus:

Idem. Pacem suam nobis reliquit, in qua manentes hostes vincimus; pacem suam nobis dabit, quando sine hoste regnabimus; pacem relinquit nobis ne de occultis nostris iniuriam iudicemus, cum in hoc mũdo sumus; pacem suam dabit nobis cum manifestabit cogitationes cordis; & tunc laus erit vnicuique à Deo. Et infra. Est in nobis in præsenti pax aliqua, quando cum delectamur legi Dei, secundum interiorem hominem, sed non est plena, quia videmus aliam legem in membris nostris repugnantem legi mentis nostræ. Item.

F Inter nos ipsos est in nobis pax in præsenti, qua inuicem diligimus: sed nec ipsa plena est, quia cogitationes cordis nostri inuicem non videmus: & quædam de nobis, quæ non sunt in nobis, vel in melius inuicem, vel in deterius opinamur; sed si hanc pacem tenuerimus usque in finem, talem habebimus; vbi nihil repugnat ex nobis, & nihil nos inuicem lateat in cordibus nostris.

G

SVMMARIVM.

Quòd mala Pax debet etiam bellando destrui; & qui ad hoc bellat ut malorum pacem rumpat, pacificus est dicendus, & non bellatur; quia non quærit bellum, sed pacem verã vult acquirere per bellum, mala pace destructa.

EST etiam intelligendum, quod cum vt superius dicebatur pax sit duplex scilicet bona, & mala, & expediat, quod mala pax, & concordia destruantur; ex hoc contingit, quod Sancti viri, qui bonã pacem faciunt, & procurant, laborant quod

H malam pacem dirumpant, & si aliter eam rumpere non possunt, pugnando agunt, vt mala pax rumpatur, & tamen propter hoc non amittunt quòd pacifici non sint; quia illos, quorum pacem malam bellando rumpunt, vel destruunt ad bonam pacem eos reducere satagunt; vt relicta iniquitate iustitiæ pacem sectentur, vel si hoc recusant, ad minus bello coerceãtur, quod pacem iustorum non impediant.

Glo. Vnde & hic dicit Glosa: In præsenti homo pacatus,

I & si bellum gerat cum vitijs, vel vitiosis in nullo pacem abrumpit quã Deus dedit. Et

August. Augustin. in quadã Epistola ad Bonifacium comitẽ dicit, Noli existimare, neminem Deo placere posse, qui in armis bellicis militat; sed hoc primũ cogita, quando armaris ad pugnam, quod virtus tua etiam corporalis, donũ Dei est; sic enim cogitabis de dono Dei, non facere contra Deum. Fides enim quando promittitur, etiam hosti seruanda est, contra quem bellum geritur, quanto magis amico pro quo pacem habere debet volũtas, &

K bellum necessitas, vt liberet Deus a necessitate, & conseruet in pace? Non enim pax quæritur, vt bellum excitetur, sed bellũ geritur, vt pax acquiratur. Esto ergo etiam bellando pacificus, vt eos, quos expugnas, ad pacis vtilitatem vincendo perducas. *Beati enim pacifici, &c.* Itaque hostem pugnantem necessitas perimat, non voluntas; & sicut rebellanti, & resistenti violentia redditur ita vincto, vel capto misericordia iam debetur ma-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

ximè in quo pacis perturbatio non timetur. Et 22. libro contra Faustum, cap. 74. dicit idem. Nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominãdi, & si qua similia, hæc sunt, quia bellis iure culpãtur, sed aduersus violentiam resistentium siue Deo, siue aliquo legitimo imperio iubente gerenda ipsa bella suscipiuntur à bonis; non ad vlciscendum suas iniurias, sed ad salutem publicam defendẽdam. Et Bernardus in lib. de laude, nouæ militiæ templi cap. 3. dicit. Pagani necãdi non essent, si quo modo aliter possent à nimia infestatione siue oppressione fidelium cohiberi. Nunc autem melius est vt occidãtur, quàm certè relinquatur virga peccatorum super sortem iustorũ. Securè proinde dissipentur gentes, quæ bella volunt, & abscindantur, qui nos cõturbant; & disperdantur de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatẽ: qui repositas in Hierosolymis christiani populi inextimabiles diuitias tollere gestiũt, sãcta polluere, & hæreditate possidere sanctuarium Dei. Sic ergo quando aliter non potest fieri, bellum à pacificis cõtra malignantes suscipitur, non animo iniuriam propriam vlciscendi, sed communes violentias, & iniurias repellendi, religionis impedimenta auferendi; & impellentes ad mala culpæ populum extirpandi, & disturbatores sanctæ pacis disturbandi: sic tamen, quòd si malignantes, velint desistere ab incepto, vel aliter possint in seruitutem bonorum reduci, non tractentur ut inimici, sed ut amici, & subditi, dum in subiectione, & obedientia voluerint permanere, & taliter bellantes, bellãdo sunt pacifici, quia non quærunt mortem inimicorum, sed correctionem.

Idem.

Bernar.

SVMMARIVM.

Quare pacifici filij Dei dicuntur, & quomodo Deus dicitur esse Pacificus, quò ad creaturam irrationabilem, & rationalem, & quò ad rationalem dicitur esse pacificus, quia voluntates discordantes ad concordiam reducit, & quia expectat peccatores vt conuertantur, & pacificentur, & secum, & cum ipso, & etiam quia imperfectioribus imperfectiora præcepta iustitiæ dedit, vt illa implere possent, qui perfectiora præcepta implere non patuissent.

XV

QVoniam filij Dei vocabuntur.] vbi ponitur istius beatitudinis præmiũ. Rectè autem pacifici, Dei filij uocantur quia sunt imitatores Dei, filii autem debent patrem suum imitari, non solum in natura, sed magis in operibus iuxta illud Ioannis 8. Si filii Abrahæ estis opera Abrahæ facite. Deus autem dicitur Pacificus, quia naturas contrarias in hoc mundo sic constituit, quòd vna per aliam non totaliter corrumpatur, secundum locum eas ab inuicẽ separando, sicut aquam non posuit iuxta ignem, nec aerem iuxta terram; sed consimilia iuxta se inuicem posuit, vt pugna continua inter ipsa non sit; sic etiam corpora animantium; & mineralium ex contrariis constituta, sic coniũxit pacificè, qualitates contrarias refringendo, & formam contentiuam substantialem largiendo, quòd ad longum tempus persistere possunt. Vnde & de hac pace loquens Boetius tertio de consolatione dicit.

Ioan. 8.

Tu numeris elemẽta ligas, vt frigore flammis
Arida conueniant liquidis, ne purior ignis
Euolet, aut mersas deducant pondera ferrat.
Tu triplicis mediam naturæ cuncta mouẽtem
Connectẽs animã per consona mẽbra resoluis

Boeth. metro. 9.

Et 12. Metaphysicæ dicitur. Omnia, quæ ordinata sunt, & non sic se habent, ut non sit alteri ad alterum, sed est aliquid, ad unum enim omnia ordinata sunt: nec solum ipse pacificat naturas cõtrarias in elementis, & animantibus ac mineralibus, sed etiam discordantes uolũtates ad concordiam, & pacem reducit; facit enim concordiam in sublimibus suis, & ut dicitur Iob 34. Ipso concedentem pacẽ, qui est, qui condemnet? vt enim dicit Augustinus libro de gratia, & libero arbitrio, cap. 30. Scriptura diuina si diligenter inspiciatur, ostendit non solum bonas hominum voluntates, quas ipse facit ex malis, & à se bonas factas in actus bonos, & in æternã dirigit uitam; uerum etiam illas, quæ conseruant seculi creaturam, ita esse in Dei potestate, ut eas, quò uoluerit, quãdo voluerit faciat inclinari, uel ad beneficia, quibusdam, præstanda, uel pœnas quibusdam ingerendas, sicut ipse iudicat occultissimo quidem iudicio, sed sine dubitatione iustissimo, & in libro de correctione, & gratia dicit idem. Non est dubitandum uoluntate Dei, qui in cœlo, & in terra omnia quæcunque voluit fecit humanas uoluntates non posse resistere, quo minus faciat, quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cum vult, facit. Cum ergo hominum voluntates inclinare possit ad id quod vult, cũ ipse pacem, & concordiã velit, inde est, quòd quando ei placet, discordes voluntates facit concordare in

Aristo.

Iob 34.

August.

Idem.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

unum, ſicut fecit quando multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna. Nec ſolum ſic concordiam, & pacem facit Deus in natura, & voluntatibus naturas contrarias in vno corpore pacificando, vel hominum voluntates ad vnum inclinando, quando ei placet: ſed etiam inducit homines ad pacem, de ſe exempla pacificandi præbendo, ſua beneficia ingratis ſceleſtis, & inimicis largiẽdo. Facit enim oriri ſolem ſuum ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos; Infra eodem; Vt homines inimicos ad ſuam trahat amicitiam beneficia largiendo. Nil enim ſic trahit inimicum ad pacem, & amorem, quàm præuenire eum in beneficiis, dum ipſe eſt aduerſus; ad cuius exẽplum excitamur, cum dicitur infra eodẽ. Diligite inimicos veſtros, benefacite ijs, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos, vt ſitis filii patris veſtri, qui in cœlis eſt. Nec ſolum ſic inimicos ſuos ad pacem reducit, ſed etiam per longum tempus eorum malitias tolerando, expectans, ſi fortè cõuerti a ſuis iniquitatibus vellent, nolens aliquem perire; ſed omnes ad viam iuſtitiæ, & veritatis venire, iuxta illud ad Rom. 2. Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiã te adducit; & 2. Petri 3. dicitur: Deus agit patienter propter nos, nolens, aliquos perire, ſed omnes ad pœnitẽtiam conuerti. Vt enim dicitur in Pſalmo: Sicut miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe, quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum; Recordatus eſt, quoniam puluis ſumus, homo ſicut fœnum, dies eius tanquam flos agri, ſic efflorebit; Quoniam ſpiritus pertranſibit in illo, & non ſubſiſtet, & non cognoſcet amplius locum ſuum. Vnde & Dionyſius in Epiſtola ad Demophilum, loquens de lõganimitate Dei, quam habet ad peccantes, eorum cõuerſionem expectans, dicit. Quòd quidam, qui vocabatur Carpus, cũ contriſtaſſet eum quidam infidelium, cuius triſtitiæ cauſſa erat, quòd ille ab Eccleſia, quendam fidelem ad infidelitatem adduxerat; & ambo in ſua iniquitate permanſerant, nolentes conuerti ad Deum, propter quod multum Carpus contriſtatus exiſtens, Deum rogabat, vt amborum vitam quadam combuſtione ſimul immiſericorditer abrumperet; ſubitò vidit domum, in qua ſtabat diuiſam in duo, & fornacem multi luminis in cõſpectu ſuo, quæ videbatur aſcendere, vſque ad ipſum cœlum, & cœlum apertum, & ſuper cœli dorſa Ieſum ſtantem cum multitudine Angelorum, deinde deorſum aſpiciens

F Carpus, dixit, ſe vidiſſe triſtem hiatum, & obſcurum, & diſciſſum, & illos duos viros, quibus calumniabatur ante ſe iuxta os ſtare hiatus, iam penè deponendos illuc à propriorum pedũ inſtabilitate tremulos, & miſerabiles. Deorſum autem ab hiatu ſerpentes ſurſum repere; & circa pedes eorum ſuppoſitos, aliquandò quidem trahere inuolutos ſimul, & grauantes, & trahentes; aliquandò autem dentibus, & palatis percutientes, & ſuburgentes, & per omne ad triſtitiam immittem machinantes. Eſſe autem, & viros quoſdam in mediis ſerpentibus, contrà viros conſtitutos, commouentes ſimul, & impingentes, & percutientes. Videbãtur autem eſſe caſuri viri illi partim quidem inuicti, partim autem voluntarii, à malo paulatim coacti ſimul, & perſuaſi. Dicebat autem Carpus ſe ipſum delectari deorſum inſpicientem, ſuperiora verò negligere, moleſtari autem, & puſillanimum eſſe, quia nondum in hiatum ceciderant viri: & reſpiciens iterum cœlum, vidit Ieſum miſeratum pro iis, quæ fiebant; & conſurgere ex ſuper cœleſti throno, vſque ad ipſos viros deſcendit, & manum bonam extendit, & Angelos cum ipſo accipientes tenere viros, & audiuit Carpus Ieſum manu extenta dicentem ei, Percute contra me de cætero, paratus enim ſum, & rurſus pro hominibus ſaluandis pati, vt homines non peccent. Sed vide, ſi benè habet tibi, manſionem in hiatu, & cum ſerpentibus commutare pro manſione cum Deo, & bonis Angelis amatoribus hominum. Cùm ergo Deus ſit tantæ longanimitatis, & patientiæ, quòd non vult peccantes ſtatim condemnare, ſed expectat patienter conuerſionem eorum, benè ſe habet vt pacificus; vt enim ſuperius dicebatur, cauſſa ſecunda, qua omnes pacificantur, eſt toleratio malignantium ad tempus expectando ſi fortè conuertantur. Sed & Deus tertiã conditionem pacificorum habet, quæ eſt ad tẽpus perfectionis opera propter puſillorum ſcandalum non iniungere: quia licèt Deus in ſe nõ niſi perfecta operetur tamen ſecundum cõditionem hominum, eis condeſcendens, præcepta imperfectionis iuſtitiæ dedit hominibus in veteri teſtamento, & lege, nequaquam in Euangelio; paruuli enim erant, & ſuſtinere illa non potuiſſent, dicẽte Apoſtolo ad Hebr. Facti eſtis, quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo: omnis enim qui lactis eſt particeps expers eſt ſermonis iuſtitiæ; & capite 12. Vocem verborum, qui audierunt, excuſauerunt ſe, ne eis fieret verbum, nõ

Rom. 2.
2. Petri 3.
Pſal. 102.
Dionyſ.
G
H
I
K
Hebr. 5.
Idem 12.

enim

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

enim portabant, quod dicebatur. Et Aug. Auguſt. 3. confeſsionum, cap. 7. loquens de diuerſitate præceptorũ veteris, & nouæ legis dicit. Non noueram ab imperitis iudicari iniquos, Moyſen, Dauid, & alios ueteris legis laudatos ore Dei iudicantibus ex humano die, & uniuerſos mores ex parte moris ſui metientibus, qui indignantur cum audierint illo ſeculo licuiſſe iuſtis aliquid, quod iſto ſeculo nõ licet iuſtis, & quia illis aliud præcepit Deus, aliud iſtis, pro temporalibus cauſsis, cum eidem iuſtitiæ utrique ſeruirent, cum in uno homine, & in una die, & in unis ædibus uideant, aliud alij membro cõgruere, & aliud iam dudum licuiſſe, & poſt horam non licere illud, quod poſtea licet, & in illo angulo permitti, aut iuberi, aut fieri, quod in iſto iuſtè uetetur, & uindicetur. Quia ergo Deus per beneficia inimicos ſuos homines ad ſuum amorem trahit, eorum malitiam longo tempore tolerat, eorum conuerſionem expectans, & ad tempus humanæ infirmitati condeſcẽdẽs, minora præcepta iuſtitiæ hominibus dedit; quæ tria pacifici obſeruãt in faciẽda, uel conſeruanda pace humana. Ideo benè, quia Deum in hoc imitãtur filij Dei vocãtur, dicẽte Ioanne primæ Ioannis tertio in hoc manifeſti ſunt filij Dei, & filij diaboli, omnes, qui non eſt iuſtus, non eſt de Deo; & qui non diligit fratrem ſuum; & Hylarius hîc dicit Aliter trãſire in nũcupatione filiorum Dei, non licebit, niſi fraternæ inuicem charitatis pace uiuamus, & Chryſoſt. hîc dicit. Pacifici dicuntur, qui nec litigant, nec odiunt ad inuicem, ſed congregant litigantes, propter quod recte filij Dei vocantur, quia vnigeti hoc opus eſt congregare diſperſa, & pacificare contra ſe præliantia propter hoc enim Dei filius paſſus eſt, vt homines diſperſos in religione, & moribus, congregaret in unitate religionis, & morũ Ioannis 11. Ieſus moriturus erat pro gẽte, & non ſolum pro gente, ſed vt filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in vnũ.

1. Ioan. 3

Hylar.

Chryſoſt. hom. 9.

Ioann. 11.

SVMMARIVM.

Aſſignatur cauſſa, quare pacifici vocantur filij Dei habentes hanc nominationem à Dei filio naturali.

XVI CIrca quod etiã cõſiderandũ eſt quòd ſicut paternitas omnis in cœlo, & in terra nominatur, & deſcendit ex paternitate Dei Patris, ita & omnis filiatio bona, quę in cęlo, & in terra nominatur, deſcendit ex filiatione diuina, dicente Dionyſio 1. de diuinis nominibus, Vſque ad hoc venimus, quòd omnis diuina paternitas, & filialitas ex omnium remota paternitate, & filialitate principali donata eſt nobis, & ſupercœleſtibus virtutibus; ex qua Dij, & Deorum filij & Deorum patres Deiformes fiunt, & nominãtur animi ſpiritualiter, videlicet tali paternitate, & filialitate perfecta.** Si ergo omnis diuina ideſt omnis bona, & ſecundum Deum filiatio ex diuina filiatione ſumit originem, & denominationem, manifeſtũ eſt, quòd illa filiatio, qua homines, Dei filij vocãtur, nõ quidem per naturam, ſed per adoptionis gratiam ex diuina filiatione deſcendit; & maximè illa principaliter deſcendet ab ea, quæ maximè ex intentione intenditur propagari à Dei filio inter homines. Huiusmodi autẽ filiatio eſt pacificorũ; ut iã quia ſupradictum eſt, cauſſa incarnationis Dei filij fuit, vt pax eſſet inter homines ad inuicem: inter homines, & angelos, inter homines, & Deum: propter quod pacifici rectè Dei filij vocãtur, quia illud implẽt inter homines, propter quod maximè Dei filius inter homines venit. Vnde, & Bernar. vltimo ſermone de omnibus ſanctis dicit pacifico committitur opus filij reconciliationis alienæ, vt qui reconciliatus eſt, etiam alios reconciliare ſolicitus ſit. Vel etiam ſecundũ Auguſt. ideo pacifici filij Dei vocantur, quia ſicut Deo nihil repugnat, ſic pacifici in ſe non habent quid eis repugnet, cum ſenſualitas in eis ſit ſubdita rationi, & ratio ſit ſubdita Deo. Propter quod et in eis Dominus pacificè requieſcit, cuius locus in pace factus eſt; propter quod & Apoſtolus hortabatur fideles dicens, pacem habete, & Deus pacis, & dilectionis erit vobiſcum 2. Cor. 13.

Dionyſ.

Ber.

2. Cor. 13.

TRactatus ſequens protenditur vſque ibi (Beati eritis, cum vos oderint homines,) *& habet 19. cap ponitur prima continuatio ad beatitudinem immediate precedentẽ. Vbi oſtenditur, quòd quandoque pugna, vel tolerantia perſecutionis prevalet paci: & quod tunc iſta præligi debeat pluſquam pax.*

BEati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœ-

lorum

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

lorum] Vbi ponitur octaua beatitudo, & potest continuari sic secũdum Chrysost. ad beatitudinem immediatè præcedentẽ. Quia Dominus beatificauerat pacificos illos, qui & in se, & in aliis pacem diligunt, ne crederetur, quòd semper pax esset quærẽda quocũque modo haberi posset, dicit; quod aliquando persecutiones, & pugnæ sunt magis appetendæ, quàm pax, propter quòd & persecutionẽ patiẽtes beatificantur hîc. Vnde dicit. Ne extimares, q̃ ubique pax pro bono sit eligẽda ideo subdit [*Beati, qui persecutionẽ patiũtur*] Si enim per pacem inter homines, uirtutes patiuntur detrimentum, uel etiam amittuntur, non pax, sed pugna, & dissensio præeligenda sunt paci. Vnde Cyrillus exponens illud lucæ 12. Putatis, quia pacem ueni dare in terra? non, dico uobis, sed separationem; dicit. Manifestum est, quod quandoque quidem, vtilis est pax, quandoque etiam damnosa, & separans ab amore diuino, quam consequuntur ij qui à Deo dissident; & ob hoc Christus fœdera terrena docuit vitare fideles. Vnde quandiu pax humana seruari potest sine Dei iniuria, uel cõtẽptu, uel etiã sine uirtutum amissione, seruanda est. Quando autem sine Dei iniuria, uel uirtutum perditione, non potest seruari, tunc est frangenda, & vel bellum est suscipiendũ, uel persecutio toleranda malignantium: uel à loco malignantium est discedendũ: sic enim bellũ susceperũt Machabæi pro religione, & moribus conseruandis. Sic martyres sancti persecutiones malignantium tolerauerunt patienter. Sic etiam multi Sancti loco cesserunt, magis talem pugnã & discensionem appetentes, quàm malignam pacem, qua conuenirent cum hominibus peruersis, & discordarent à Deo, & Sanctis. Vnde & Apost. 1. ad Cor. 7. loquens de coniugio facto inter fidelem, & infidelẽ in quo infidelis non uult cohabitare cum fidele sine iniuria Creatoris, dicit. Si infidelis discedit, discedat. Vbi dicit Glo. Fidelis non dimittat infidelẽ cõsentientem habitare, quòd si infidelis uir, aut mulier discedat odio fidei: discedat, idest non pro eo fidelis fidem deserat, eo enim modo mulier infidelis rectissimè dimittitur. Si verò vxor dicat non ero vxor tua, nisi mihi de latrocinio diuitias cõgreges, nisi solita latrocinia exerceas, & huiusmodi, tũc ille, cui vxor dicit, si veraciter Christianus est, plus tenebitur amore diuinæ gratiæ, quam carnis vxoriæ, & membrum, quod scandalizat fortiter amputat, & infra. Non cogitur fidelis sequi infidelem, odio fidei discedentẽ, sed quandiu in pace sine creatoris iniuria esse, possunt, non separentur. Et 19. de ciuitate Dei 18. Dicit August. Quia terrena ciuitas habuit quosdam suos sapientes, quos, diuina improbat disciplina, qui vel suspicati, vel decepti à Dæmonibus crederent multos Deos esse colendos; cœlestis autẽ ciuitas unum Deũ solum colendum nosset, eiquè tantumodo seruiẽdum, ea seruitute, quæ græcè latria esse dicitur, & non nisi Deo debetur, fideli pietate censeret; factum est, vt religionis leges cœlestis ciuitas cum terrena ciuitate non posset habere communes, & pro iis ab ea dissentire haberet necesse, atque altera alterius esset diuersa sentientibus eorumque iras, & odia, & persecutionum impetus sustinere habuit ciuitas cœlestis, nisi cũ animos aduersantiũ, aliquando timore suæ multitudinis, & semper diuino adiutorio propulsaret. Et Bernardus in tractatu de guerra inter Hierusalem, & Babylonem dicit. Inter Hierusalem, & Babilonem nulla pax est, sed guerra cõtinua habet vnaquæque ciuitas regem sciunt. Rex Hierusalem Christus est, Rex Babylonis Diabolus: & cum alterũ in iustitia alterum semper in malitia regnare delectet, Rex Babylonis, de ciuibus Hierusalẽ per ministros suos, scilicet spiritus immundos seducere, & seruire eos faciat iniquitati ad iniquitatem, in Babylonem trahit. Quia ergo pax quãdoque inter homines bonos perditur; immo pro tũc præualet pugna, vel tolerantia odiorũ, maledictionum, & persecutionum: quã pax maligna eis infert. Ideo Dominus postquã beatificauit pacificos; ne crederetur omnis pax esse bona, beatificat persecutionẽ propter iustitiam sustinentes.

Chrys. hom. 2.

Cassiod.

Cyrillus Luc. 12.

1. Cor. 7.

Glos.

Ead. August.

Bernar.

Psal. 72.

SVMMARIVM.

Ponitur 2. continuatio ad omnes beatitudines præcedentes, & ostenditur quod tolerare persecutionem, & mortem pro veritate, & iustitia retinenda, est euidens signum perfectionis virtutis, quale signum non est in prosperitate, licet iustitia perfectè possit etiam in prosperitate seruari.

Vt.a

II.

SEcundo potest hæc beatitudo continuari secũdũ Bern. in serm. de omnibus sanctis, quia in præcedẽtibus beatitudinibus est vitæ humanæ profectio, sed in ista vltima est totius bonæ vitæ consumatio. Vnde dicit octaua beatitudo Martyrum est prærogatiua, cuius nobis tolerãtię nec tempus esse videtur nec virtus. Et August. in lib. de sermone Domini in mõ

August.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Auguſt. te dicit. Hęc octaua ſententia, quæ ad caput redit perfectum hominem declarat; quòd perfecti hoïes, omnes extrinſecus illatas moleſtias pro veritate, & iuſtitia ſuſtinent. Circa quod attẽdendum, quod cũ virtus, & in proſperitate, & in aduerſitate florere poſſit, tamen non ſic certa, & manifeſta eſt virtutis perfectio in proſperitate, ſicut eſt in aduerſitate: dum enim in proſperitate iuſtè viuit homo nondum perfectè perpenditur, propter quod iuſtè Iob 1. viuit. Vnde & ſuper illud Iob 1. Nunquid fruſtra Iob timet Deum? nunquid non tu vallaſti domum eius, vniuerſamq; ſubſtantiam per circuitum? dicit Gregor. 2. lib. Gregor. Moralium, cap. 5. Qui tot bona in terra recepit, quid mirum eſt ſi pro eis ſe ſe innocenter geſsit? Innocens verè eſſet, ſi bonus inter aduerſa perſiſteret; quando autem iuſtè viuitur in proſperitate, nec ipſe, nec qui ſic viuit, nec alii ſciunt, ſi ſic perfectus ſit in virtute, quod propter aduerſitatem à ſtatu virtutis deiici nõ poſſit, ſed perſecutio probat, ac demonſtrat perfectionem virtutis. Vaſa enim figuli probat fornax, & viros iuſtos tentatio tribulationis, vnde & Bernardus in Epiſtola ad Epiſcopos Aquitaneæ dicit. Virtus in pace acquiritur in præſſura probatur approbatur in victoria, Nec mirum, quia per perſecutionis tolerantiam manifeſtè oſtenditur quantum diligatur virtus, cum nec timore amiſſionis exterioris ſubſtantiæ honoris, & famæ; nec etiam vitæ corporalis, vel bonæ conſiſtentiæ virtus deſeritur, propter quod euidenter oſtenditur ipſam magnam eſſe in corde, quia quanto maior eſt, tanto plus diligitur, nec plus poteſt oſtendi, diligi, quam ſi pro ea tuenda, & conſeruanda corporalis vita, libenter exponatur tortori, quicquid de ea facere velit, dum ipſa virtus retineri poſſit. Quę perfectio oſtendi non poteſt proſperitatis tempore, propter quod propter iuſtitiam perſecutionem tolerare, ſignum eſt virtutis perfectæ. Vnde, & Ambroſius lib. 5. ſuper Lucã Ambroſ. cap. 6. hanc partem ſic continuat ad ſuperiora, dicens. Protuiſti aliis, tuliſti auxilium pluribus, feſtina, contende, ad finem te ducito, vſq; ad martyrium proſequere, & conſtitue beatitudinem, palmã, Patientia enim in perſecutionibus perfectio eſt charitatis: qui enim patitur perſecutionem, in vltimo certamine conſtitutus probatur aduerſis, vt qui legitimè certauerit coronetur. Vnde & Dominus hos gradus voluit eſſe virtutum, per quos ab vltimis ad ſuperiora poſſimus aſcendere: ſic ergo præcedentes beatitudines homi-

A nes perficiunt in ſtatu virtutis; ſed hæc beatitudo conſumat, etiam beatum facit, quia perſecutione tolerata propter iuſtitiam tuendam, vel non deſerendam, non reſtat, niſi corona regni, quam repromiſit Deus diligentibus ſe, & pro ipſo certantibus, vſque ad mortem; iuxta illud Iacobi 1. Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quã repromiſit Deus diligentibus ſe, & Auguſt. 13. de ciuitate Dei, cap. 6. dicit: Prętioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius, quid enim prętioſius quàm mors, per quam fit, vt etiam delicta omnia dimittantur, & merita cumulatius augeantur? nec enim tanti ſunt meriti, qui cum mortem differre non poſſent, baptizati ſunt, deletiſque omnibus peccatis ex hac vita migrauerunt; quanti ſunt ij, qui mortem differre cum poſſent, non diſtulerunt, quia voluerunt pro Chriſto vitam finire. Iacob. 1. Auguſt.

B

C

SVMMARIVM.

Quòd ille, qui patitur perſecutionem ab alio, vel in rebus, vel in perſona propter auaritiam, vel odium perſonale inferentis, non beatificatur hic, ſed ille, qui patitur perſecutionem ab alio, ut iuſtitiam deſerat, quam habebat.

QVo ſuppoſito eſt attẽdendum, quòd quemadmodum ſunt tria bona, ſcilicet bona exteriora, bona corporis, bona animę: inter quę, bona animę, quę ſunt virtutes, præponderant bonis corporis, quæ ſunt ſanitas, vigor, & cætera huiuſmodi. Quæ bona corporis præponderant bonis exterioribus, iuxta illud Eccl. 30. Salus animæ in ſanctitate iuſtitiæ, & melior omni auro, & argento, & corpus validum, quàm cenſus immenſus; non eſt cenſus ſuper cenſum ſalutis corporis, & nõ eſt oblectatio ſuper cordis gaudium: Sic, & triplex genus perſecutionis videtur: Aliquando enim fit homini perſecutio, vt bona eius exteriora auferantur, aliquando, vt ei in corpore noceatur; aliquandò, vt ab eius anima iuſtitia auferatur. Vnde, & Apoſtolus ad Hebr. 10. dicit: Rememoramini priſtinos dies, in quibus illuminati magnum certamẽ ſuſtinuiſtis paſſionum, & in altero quidẽ opprobrijs, & tribulationibus ſpectaculum facti, in altero autem ſocii taliter conuerſantium effecti, nam & vinctis compaſſi eſtis, & rapinas bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habere meliorem, & manentem ſubſtantiam. Et de perſecutione animę dicitur in Pſalmo. III Eccl. 30. Hebr. 10.

D

E

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Psal.142. Persecutus est inimicus animam meam. Sed persecutio, vt exteriora bona auferãtur, vel vt in corpore quis lædatur, propter tria fieri potest; Vno modo propter auaritiam, quemadmodum latrones, & raptores propter cupiditatem aliorum bona rapiunt; quæ si aliter rapere non possunt, personam interficiunt, vel lædũt, vt eorum bona diripere possint sine contradictione, vel reclamatione eorum; & hi magis censendi sunt auari, quàm homicidæ. Aliquando etiam ista damna ingerunt, vel in corpore, vel in rebus propter vindictam, vel personæ odium, parum, aut nihil curantes, de commodo rapinæ, nisi solum de vindicta, vel odio exercendis. Huiusmodi autem persecutiones nõ fiunt vt iustitia auferatur ab illis, qui tales persecutiones patiuntur, sed solum propter bona eorum diripienda, vel propter læsionem corporis eorum, vt odio suo satisfacere possint. De quo genere

Augus. persecutionis loquitur Augustinus de verbis Domini, sermone 6. dicens: Insidiatur contra te potens, acuit nouaculam vnde capillos radat, non vnde caput incidat.

Psal.51. Vnde de eo dicitur in Psalmo. Sicut nouacula fecisti dolum. Potentes enim malę nouaculæ comparauit, quia non admittitur nisi ad superflua nostra, sicut capilli in capite nostro, tanquam superflui videntur, & sine detrimento carnis radũtur. Sic quicquid tibi potest facere iratus potens inter superflua tua numera, & infra, Para capillos, nouaculam acuit, ablaturus est superflua tua, rasurus quicquid relicturus es; tollit à te quod fur, quod effractor, vt multum sæuiat, quod latro, si & ad ipsum corpus occidendum permissus fuerit; quid tollit, nisi quod latro? Nam qualiscunque latro homo est quod febris, quod scorpius, quod fungus malus: ista tota potentia sæuientium est facere quod fungus; manducant homines fungum malum, & moriuntur. Huiusmodi autem persecutiõ quia non fit vt iustitia deseratur, non est persecutio propter iustitiam; propter quod qui eam patiuntur non propter hoc beatificantur. Licet enim talia patienter tolerare sit meritorium, tamen non sunt illius meriti, quòd illa patientes propter hoc sint beati. Vn-

Chrys. de hic dicit Chrysost. Solam causſam Christus persecutionis posuit, vt non aspicias, quis te persequitur, sed propter quod, scilicet propter iustitiam, ideſt ad hoc persequitur, vt iustitiam deseras, cuiusmodi persecutio non est illorum, qui rapere bona exteriora volunt, vel se de suo inimico vindicare.

F

G

H

I

K

SVMMARIVM.

Quòd pati persecutionem vt ad iustitiam quis reducatur, vel ab iniquitate quis arceatur, non facit hominem beatum.

IIII. SEcundò potest inferri persecutio alicui in bonis exterioribus, vel in corpore, non ad hoc, vt iustitiam deserat, sed ad hoc vt ad iustitiam desertam, vel timore pœnæ reuertatur, qui amore iustitiæ ad eam reuerti nolebat, & qui sic persecutionem inferunt, boni sunt: qui autem ipsam patiuntur, mali, qui nisi per pœnam ad bonum iustitiæ reuertuntur. Non eos pœna beatos facit, sed miseros ostendit. Vnde & Augustinus in Epistola ad Vincentiũ Donatistam dicit. Si semper esset laudabile persecutionem pati, sufficeret Domino dicere: *Beati qui persecutionem patiuntur*, nec adderet *propter iustitiam*. Item si semper esset culpabile persecutionem facere, non esset scriptum in sanctis libris; Detrahentem proximo suo occultè hunc persequebar. Aliquando ergo & qui eam patitur, iniustus est, & qui eam facit iustus est. Sed planè semper, & mali persecuti sunt bonos, & boni malos; illi nocendo per iniustitiam; illi consulendo per disciplinam; illi immaniter, illi temperanter, illi seruientes cupiditati, illi charitati. Nam qui trucidat non considerat quemadmodum laniet, qui autem curat, considerat quemadmodum secet: ille enim persequitur sanitatem, ille putredinem: Occiderunt impij Prophetas, occiderunt impios & Prophetæ. Flagellauerunt Iudæi Christum. Iudæos flagellauit & Christus; Traditi sunt Apostoli ab hominibus potestati humanæ, tradiderunt & Apostoli potestati Sathanæ. In his hominibus quid attenditur, nisi quis eorum pro veritate, quis pro iniquitate, quis nocendi causſa, quis emendandi? & prima parte super Ioannem sermone vndecimo, dicit idem. Quando vult Deus concitare potestates aduersus Hæreticos, aduersus scismaticos, aduersus dissipatores Ecclesiæ, aduersus exsufflatores Christi, aduersus blasphematores baptismi non mirentur, quia Deus eas concitat, vt à Sarra verberetur Agar, cognoscat se Agar, ponat ceruicem, quia ad hoc affligitur, vt reuertetur; atque vtinam reuertatur. Ex quibus patet, quòd pati persecutionem tàm in corpore, quàm in rebus ad hoc, vt iniquus ad iustitiam reuertatur nõ est illorum qui beatificantur, cum non propter iustitiam, sed propter suam iniquitatem persecutionem patiantur.

Aug. Psal.100.

Aug.

SVM-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

SVMMARIVM.

Quòd illi beatificantur hic, qui propter iustitiã persecutionem sustinent: & quòd duplex est persecutio propter iustitiam, scilicet vel per prospera, & blanda huius vite, vel per aduersa; & quòd illi qui per prospera, & blanda tentantur, vt iustitiam deserant, quam tamen nullo modo deserere volunt, martyres sunt, & coronam martyrij habituri sunt.

V

TErtiò aliquis patitur persecutionem, tàm in corpore, quã in rebus ad hoc vt iustitiã deserat, qualem persecutionẽ passus fuit in rebus, & in corpore Sanctus Iob; qui primo extrinseca amisit, deinde in corpore flagellatus fuit, & tamen iustitiam, quam cæperat, non deseruit. Vnde. Et Greg. 2. lib. moralium cap. 7. dicit. Sathã non aliquid multũ, se facere putat, nisi cum in anima sautiat, vt ab illa patria feriẽs reuocet, à qua ipse lõgè telo superbiæ suæ prostratus iacet. Veruntamen est intelligendum, quòd hæc persecutio dupliciter fit, vel per prospera, vel per aduersa: p prospera quidem, quando omnia ad votum iustis succedunt: ex quo contingit, eos frequenter iustitiam amittere, quam per tempus seruauerunt. Difficillimum enim est inter huius mũdi prospera iustitiam non deserere. Vnde & Hieron. in Epistola ad Eliodorum exhortatoria dicit. Erras frater, erras, si vnquam putas Christianum persecutionem non pati, & tunc maximè oppugnaris si te oppugnari nescis. Aduersarius vester tãquam Leo rugiens aliquem deuorare quærens, circuit, & tu pacẽ putas? Sedet in insidiis cum diuitibus, vt in occultis interficiat innocentem, oculi eius in pauperem respiciũt, insidiatur in occulto, sicut Leo in spelunca sua insidiatur, vt rapiat pauperem, & tu frõdosæ arboris tectus vmbraculo, molles somnos futura præda carpis? Inde me persequitur luxuria, inde auaritia conatur irrumpere; inde venter meus vult mihi Deus esse pro Christo, compellit libido, vt habitantem in me Spiritum fugem; vt templum eius violem: Persequitur inquam, me hostis, cui nomina mille, & mille nocendi artes, & ego infelix victorem me putabo dũ capior à Quę persecutio significata fuit per ludũ Ismaelis cum Isaac de quo dicitur. Gen. 21. cũ uidisset Sara filium Agar Egyptiæ ludentem cum Isaac dicit. Eijce ancillam, & filium eius, non enim erit hæres filius Ancillę cum filio Isaac. Quem ludum Ismaelis Apostolus persecutionem vocat, ad Galatas 4. dicens. Quomodo tunc qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eũ, qui secũdum spiritum, ita, & nunc. Et subdit: Eiice ancillam, & filium eius. Vnde Aug. 1. par. super Ioan. serm. vndecimo dicit: Quid mali fecerat Ismael puero Isaac, quia ludebat cum eo? Sed illa lusio illusio erat; illa lusio deceptionem significabat propter quod ipsam lusionem persecutionem Apost. vocat. Dilectores enim mundi, & amatores seculi, cum amatoribus regni cœlorum, dilectoribus Christi desiderantibus vitam ęternam, gratis colentibus Deum ludunt: & hunc ludum Apostolus dicit persecutionẽ, plus enim nos persequũtur, qui nos colludẽdo persequũtur. Et 18. de ciuitate Dei cap. 51. dicit idem. Id quod ait Apost. Quicunque volunt in Christo Iesu piè viuere, persecutionem patiuntur, nullis putandũ est, deesse posse tẽporibus, quia & cũ ab eis, qui foris sunt, nõ sæuiẽtibus uidetur esse tranquillitas: & re vera plurimum consolationis affert maximè infirmis, non tamen desunt, imò multi sunt intus, qui corda piè uiuentium, suis perditis moribus cruciãt. Quoniam per eos blasphematur Christianum, catholicum nomen. Et infra, Huiusmodi prauis moribus & erroribus iniquorum hominum persecutionẽ patiuntur, qui uolunt in Christo piè viuere, nullo infestante, nec vexante corpus illorũ. Patiũtur quippè hanc persecutionẽ nõ in corporibus, sed in cordibus. Ex quibus patet, q̃ prosperitatis tempore sancti persecutionẽ grauissimã patiũtur, & à rebus huius seculi eorum appetitum ad sui desiderium alliciẽtibus; & ab hominibus impiis pios ad sui similitudinem trahere conantibus, & etiam in corde pij patiuntur dũ uident, nõ sine cordis dolore Christi nomẽ, & sanctam uitã per iniquos, qui sunt in Ecclesia blasphemari, propter quę & tẽpore prosperitatis grauiores persecutiones patiunt Sancti quã tẽpore aduersitatis. Vnde & Boet. loquẽs de fortuna prospera, & aduersa secundo de consolatione Prosa ultima dicit. Plus hominib⁹ reor aduersam, quàm prosperam prodesse fortunam: prospera enim semper spe felicitatis, dum uidetur blanda mentitur, & aduersa semper uera est; cum se instabilẽ mutatione demonstrat, illa fallit, hæc instruit; illa mẽdacium spe bonorum mẽtes fruentium ligat, hæc cognitione fragilis felicitatis absoluit. Itaque prosperam videas uentosam, fluentem, suique semper ignaram: hãc aduersam, sobriã, succinctamque, & ipsius aduersitatis exercitatione prudentem; postremo felix à verò bono deuios blanditiis trahit, aduersa plerumque ad uera bona reducens unco

Gregor.

Hier.

1. Pet. 5.

Psal. 49.

Gen. 21.

Gal. 4.

Aug.

Idem.

Idem.

Boeth.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

retrahit: an hæc inter minima æstimandũ putas, quòd amicorum tibi fidelium mẽtes, hæc aspera, hæc horribilis fortuna detexit? Hæc tibi certos sodalium vultus, ambiguosque secernit, discedens enim suos abstulit, tuos tibi reliquit, quæ persecutio tunc toleratur propter iustitiam quando nulla prosperitate animus iustitiam, vel uirtutem deserere uult: Quæ persecutionis tolerãtia martyrium facit. Damasce. Vnde, & Damascenus 4. lib. cap. 7. dicit Honoramus Sanctos patres mundi, Dei formes astatas, ideſt confessores, qui prolixius, & laboriosius martyrium conscientiæ vt Atlethæ certauerũt. Et in sermone Raban. de omnibus Sãctis dicit Rabanus de Sacerdotibus, & Doctoribus, q. licet persecutorum non senserint gladium, per uitæ tamen meritum Deo digni martyrio non priuantur, quia martyriam non solum sanguinis effusione, sed abstinentia peccatorum, & exercitatione Dei præceptorum perficitur. Et Augustin. in quodam Aug. sermone de Sancto Vicentio dicit. Professioni Christi nominis, nec persecutor deest; nec tortor absistit, quotidie mundi odio præmimur, Diaboli infestatione torquemur. Nam aut plagis terrimur, aut illudimur blandimentis: Hostis enim antiquus separare nos a Christo cupiens ingerit vitæ mortifera blandimenta, infert vanis cogitationibus, vel mortiferis cupiditatib⁹ tormẽtorũ ungulas, infert turpibus concupiscentiis infelicis luxurię flammas: Et infra. In his rebus omnibus Idem Christianis quotidiana martyria deesse non possunt. Sicut enim castitas, & veritas, & iustitia Christus est, & sicut illo, qui ea persequitur persecutor est Christi: ita ille, qui defensare voluerit, martyr: & qui hæc tota animi virtute, & ipse diligit, & vt alij diligant, & uerbis simul, & exemplis ostendit: & vbicunque veritas, & iustitia, siue castitas laborat, quantum præualet se etiam vltro ingerit; & secundum quod vires habuit defensare contendit, non vnam, sed plures coronas Deo remunerante percipiet: Et infra. Sicut ille, qui Idem pro testimonio veritatis occisus est per vniuersum mundum martyr, & habetur, & creditur; ita, & in hoc sæculo omnes, qui pro iustitia, p castitate, pro eleemosynis, pro veritate, & pro reliquis his similibus rebus, & loqui, & laborare voluerint, absque vlla dubitatione coronas martyribus debitas Domino remunerante percipient. Ex quibus manifestè pater, quòd illi, qui per mundi prospera à iustitia, & veritate non deijciuntur, sed omnes tentationes carnis, mundi, & Diaboli tolerant, nec tentationibus cædunt, vt iustitiã deserant, coronas martyrum percipient, & erũt de numero illorum, de quibus hic dicitur [*Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam*.

F

SVMMARIVM.

Quòd ad hoc, quòd quis dicatur per prospera persecutionem pati propter iustitiam, duo sunt necessaria, scilicet & quòd fortiter tentetur, & quòd tentationi tali resistat.

G

SEd duo sunt hîc adhuc necessaria, primum quidem, quòd tentetur fortiter ad iustitiam deserendam, quia sinè pugna nullus coronatur dicente Apostolo 2. ad Timotheum 2. Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit, propter quod & Dominus in hac beatitudine persecutionem ponit, vt ostendat quòd pugna necessaria est ad hoc quòd aliquis sit victor: secundum est, quòd illa pugna sit tentationis, & patienter sustineatur: & tamẽ propter eã virtus non deseratur. Vnde dicit: [*Qui persecutionem patiuntur:*] ille enim tentationẽ patitur, qui tentationi resistit, quia talis tentationem sentit, propter quod patienter tolerat eam suscipiendo eius afflictionẽ; sed ille, qui cædit tentationi, non sentit eius asperitatẽ, quia statim vult facere illud, ad quod tẽtatione instigatur, propter quod nec tentationem patitur. Quibus existentibus hæc beatitudo tempore prosperitatis acquiritur.

H

I

SVMMARIVM.

Quòd patì persecutionem propter iustitiam per aduersa facit propriè Martyres, qui quantò magis diligibilia exponũt pro tuenda iustitia, & quantò grauiora tolerãt pro ipsa non deserenda, magis glorioſie efficiuntur.

SEd persecutio, & passio magis solent accipi in tolerantia aduersitatum, & maximè illarum, ex quibus contingit substantiarum amissio, corporum læsio, debilitatio, vel occisio. Ideo propriè tolerantia aduersitatis, qua substantiæ auferuntur bonorum, & dignitas personæ perditur, bona corporis consistentia amittuntur & corpus etiam qãndoq; occiditur, quæ est martyrum propriè dictorum beatitudo; principaliter intelligitur, & propriè de tolerantia aduersitatum, & quia maior aduersitas est corpori violẽta occisio quã corporis læsio; & corporis læsio, q̃ honoris, vel famæ perditio; & honoris, vel famæ amissio, quàm substãtiarum de

K

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

perditio. Ideo, & beatiores cẽsentur, qui corpora sua morti exposuerunt propter iustitiã defendendam, quã illi: qui solum læsi in corpore citra mortem fuerunt, & illi magis, quàm illi, qui honores perdiderunt; & illi magis, quàm qui solum substãtias ammiserunt, quantò enim maior fuit impetus prælij, tantò plus creuit gloria Martyrij. Vnde Augustinus in quodam sermone de Sancto Vincẽtio dicit. Tentamenta accerbioris pugnæ illustriora sunt ornamenta victoriæ, vbi caro laboriosius uincit, glorioſius anima consecatur, & Leo in sermone de sancto Laurẽtio dicit. Seuisti persecutor in martyrem, & auxisti palmam, dum exageras pœnam. Si ergo in martyribus, quantò plus fuerint cruciati in corpore, tantò plus creuit palma martyrii: similiter quantò magis cara voluerunt amittere pro defensione iustitiæ, tantò glorioſiores sunt etiam illi, qui nõ corpora, sed vel honores, vel pecunias pro defensione iustitiæ amiserunt. Vnde, & Apostolus hunc ordinem persecutionum ponens, qui dixerat ad Hebræos 10. Rememoramini pristinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen sustinuistis passionum, & in altero quidem oprobriis, & tribulationibus spectaculum facti, in altero autem socij taliter conuersantium; nam & vinctis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis ad maiora certamina pro iustitia toleranda, exhortans eos, dicit cap. 12. Nondum vsque ad sanguinem restitistis, peccato repugnantes. Vbi dicit Glossa. Laudat eos qui repugnauerunt peccato, vsq; ad substantiarum rapinas, & oprobria, & tribulationes, & spectaculum facti fuerant peccato resistentes, sed nunc ostendit adhuc posse eos ascendere, scilicet ad effusionem sanguinis quasi dicat. Et si vestra amisistis, tamen perfectior in hac vita nulla dilectio est, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis; ad quam sancti martyres peruenerunt, qui contra peccatum vsq; ad sanguinem certauerunt. Ideoque iniuria est pro martyre in Ecclesia orare, cuius debemus orationibus commendari, pro aliis autem defunctis oratur.

Auguſt. — Hebr. 10. — Idem. 12. — Gloſſa.

SVMMARIVM.

Quòd inter persecutionem pati per prospera, & aduersa est ordo, quia si quis non vicerit prospera, aduersa non poterit tolerare; & qui minora aduersa pro iustitia non tolerat, nec maiora poterit tolerare.

A

SEd quidam ordo est, quia ad summum certamen pro iustitia toleranda, non peruenitur nisi actu, vel voto primi gradus persecutionum tolerentur; qui enim non est promptus cõtemnere delitias pro iustitia, nec aduersitates faciliter poterit tolerare; & qui pecunias propter Christum non vult contemnere, & qui nec honorem vult perdere pro defensione iustitiæ, minus patietur læsionem in suo corpore, & qui nec læsionem, minus vtique mortem. Vnde, & Augustinus in quodam sermone de martyribus, dicit. Primò vincendæ sunt delectationes, & postea dolores; quomodo potest superare minantem, qui non potest vincere blandientem? blanditur hic mundus, pollicendo honores, diuitias, voluptates, minatur hic mundus ministrando dolores, egestates, & humilitates: qui non contempserit: quod pollicetur, quomodo superare potest quod minatur? & Gregorius in homil. Ego sum Pastor bonus, dicit. Primum nobis est exteriora nostra misericorditer ouibus eius impendere; postremò verò si necesse sit, etiam mortẽ nostram pro eisdem ouibus ministrare: à primo hoc minimo peruenitur ad postremum maius. Cum enim incomparabiliter longè sit melior anima; qua viuimus terrena substantia quam possidemus, qui non dat pro ouibus substantiam suam quomodo pro ijs daturus est animam?

B

C

D

VIII.

Auguſt. — Gregor.

SVMMARIVM.

Quòd non omne pati persecutionem per quæcunque aduersa martyrem facit, sed ille solus dicendus est martyr, qui patitur persecutionem, & iustitiã non vult deserere; martyrem enim non facit pœna, sed causſa.

E

SEd quia mala huius vitæ propter diuersa tolerari possunt, volens declarare Dominus, qui sint illi beati, qui persecutionem patiuntur, subdit propter iustitiam. Finis enim, qui est causſa causſarũ imponit bonitatẽ actibus moralibus. Vnde, & Aug. 2. lib. de ser. Domini in monte exponẽs illud. Si oculus tuus simplex fuerit, dicit. Oculum hîc accipere debemus intentionem qua facimus quicquid facimus, quæ si munda fuerit, & recta, & opera nostra, quæ secundum eam operamur, necesse est, bona esse; non ergo quid quilibet faciat, sed quo animo faciat, considerandum est. Si ergo quis patiatur mortem, tribulationem, vituperationem, substantiarum direptionem, nõ propter hoc est beatus, nisi propter iustitiam tenen-

IX.

Auguſt.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

dam, vel defendendam ipsa patiatur. Vnde, & Augustin. in quodam sermone de martyribus dicit. Patiuntur auari tribulationem, angustiam, persecutionem, famem, nuditatem, periculum, & gladium; quantas enim patiuntur angustias, qui volunt rapere aliena, quos persecutio ipsa non frangit, quas enim persecutiones fures, latrones, & prædones patiuntur, quos totus mundus odio habet: sed & famem frequentius patiuntur vt acquirant, & faciant lucra: tota die vacat eis solidos numerare, & ieiuni dormiunt, ac nuditatem patiuntur quotidie negotiatores, de naufragio nudi euadunt, & iterum nauigant ad periculum. Vnde quotidie periclitantur homines nisi propter diuitias acquirendas, sed nec gladius eos prohibere potest; possunt enim auari dicere auro: Propter te mortificamur tota die. Quia ergo auari propter diuitias congregandas tot, & talia patiuntur, qualia martyres sustinuerunt; ideo dicunt martyres in Psal. Discerne caussam meam de gente non sancta. Tribulantur, angustiantur, persecutionem patiuntur, famem, nuditatem, mortem, periculum, gladium auari sicut & nos. Nos tamen propter te mortificamur tota die; discerne caussam nostram, quia discreta caussa facit in nobis victoriam. Amemus ergo in martyribus nō passiones, sed caussas passionum: nam si amaremus passiones multos inueniremus, qui peiora patiuntur in caussis malis; Et vt dicit idē Aug. in Epist. ad Festū: Quid autē infelicius, atq; peruersius, sicut Donatistæ faciunt, qui persecutionem se perpeti gloriantur, quàm de coertione iniquitatis suæ, non solum nescire confundi, sed etiam, & velle laudari, ignorantes cæcitate mirabili, vel animositate damnabili, seu scire dissimulantes quòd martyres veros non faciat pœna, sed caussa. Vnde, & 1. Petr. 4. dicitur: Nemo vestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor, si autem vt Christianus non erubescat. Et Gregorius 18. libro Moral. cap. 14. dicit. Vera fidelium sapientia, cui vniuersalis Ecclesia locus est, tribulationem à persequentibus patitur, sed à cunctorū peccatorū sordibus persecutionis vestræ igne purgatur, extra quā vnitatē ecclesię quisquis patitur, pœnas pati potest, martyr fieri non potest. Vna enim est Ecclesia, in qua quisquis conflari voluerit ab omni poterit peccatorū sorde purgari, si quid pro Deo amaritudinis, si quid tribulationis extra hanc positi sustinent, incendi possunt, purgari non possunt.

Augustin.

Pſal. 44.

Idem 43.

1. Petr. 4.

Gregor.

SVMMARIVM.

Quòd fideles, qui pro qualibet virtute defendenda, vel retinenda occiduntur martyres sunt; & quòd illi qui pro suorum subditorum salute æterna obtinenda, vel procuranda eos non deserunt tempore persecutionis, sed cum eis, vel pro eis occiduntur, martyres sunt, & quòd illi, qui se exponunt pro fidelibus contra infideles, si occidantur martyres sunt.

CIrca quod attendendū est quòd iustitia propter quam patientes persecutionem beatificātur, potest accipi vel pro iustitia fidei, qua homines iustificantur, vel pro ipso Christo, qui factus est nobis à Deo sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio 1. ad Corint. 5. Et quòd iustitia sic accipiatur dicit Chrysostomus hîc: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam*, hoc est, propter virtutem, propter præstantiam, propter aliorū defensionem, propter pietatem, iustitiam enim assueuit vniuersam philosophyam dicere. Vbi Chrysost. tria ponit propter quæ persecutionem pati, beatum facit; quorum primum est virtutis cuiuslibet defensio. In habēte enim charitatem quando propter nullam persecutionem quis vult virtutem aliquam deserere, si propter virtutis defensionem moriatur, martyr efficitur. Vnde & Augustin. in sermone de Sancto Vincentio dicit, Sicut castitas, & veritas, & iustitia Christus est, & sicut ille, qui ipsas persequitur persecutor Christi est, ita ille qui defensare voluerit martyr. Vnde & Ioannes Baptista, qui non pro Christi nomine passus est, aut occisus (nō enim dictum est ei; Nega Christū ne moriaris) sed pro hac sola re, quia Regi sacrilego, quod verum est, prædicauit, coronā martyrii meruit, & infra. In hoc seculo oīs qui pro iustitia, pro castitate, pro eleemosynis, pro veritate, pro reliquis his similibus rebus, & loqui, & laborare voluerit absque vlla dubitatione coronas martyribus debitas Domino remunerante percipiet. Et Chrysostomus in expositione hîc dicit. Si aliquis ex potentibus, qui videntur esse Christiani, forsitan propter peccata sua correptus, factus fuerit tibi inimicus, & persecutus te fuerit, beatus es cum Ioanne. Nam & Ioannes neque propter gentilitatem, neque propter hæresim interfectus est, sed quia corripiebat Herodem propter adulterium eius, & sicut pro defensione castitatis Ioannes occisus, martyr est, ita & quicunque fidelis pro defensione virtutis alicuius alterius

1. Cor. 5. Chrysost.

Idem.

Augustin.

Idem.

Chrysost.

occi-

occiditur, martyr censendus est. Nec solũ si pro virtutis defensione quis moritur, est martyr; sed & ille, qui se exponit morti, ne populus ei subditus occidatur, bonus enim pastor animã suam dat pro ouibus suis. Ioan. 10. & hoc maximè quando mors spiritualis populi timetur. Vnde & Augustin. in Epistola ad Honoratum dicit. Cum omnium episcoporum, & clericorũ est commune periculum, ii, qui aliis indigent, non deserantur ab ijs, quibus indigent. Aut igitur ad loca munita omnes transeant, aut qui habent remanendi necessitatem, non relinquãtur ab eis, per quos illorũ est Ecclesiastica supplenda necessitas ut aut pariter uiuant, aut pariter sufferant quod eos pater familias uolet ppeti. Et infra. Qui propterea patiũtur, quia fratres, qui eis ad christianã salutẽ indigebant, deserere noluerunt, sine dubio suas animas pro fratribus ponũt Nã qui clades hostiles ideo non fugit, cũ possit effugere ne deserat ministeriũ Christi, sine quo nõ possunt homines vel fieri, uel uiuere Christiani, maiorẽ Charitatis inuenit fructũ, quã qui nõ propter fratres, sed propter se ipsum fugiens, atque comprehensus, non negat Christũ, suscipitque martyrium: quia qui patitur quia fratres qui in eo ad Christianam salutem indigebant, deserere noluit, sine dubio animam suam pro fratribus ponit. Et infra. Timeamus magis, ne oues Christi spiritualis nequitiæ gladio incorde, quàm ferro in corpore trucidẽtur. Magis timeamus ne sensu interiore corrupto pereat castitas fidei, quàm ne fœminæ violenter constuprentur in carne: quia violentia non violatur pudicitia, sed mente seruatur, quoniam nec in carne violatur quando uolũtas patientis sua turpiter carne non vtitur, sed sine consensione tolerat quod alius operatur. Magis timeamus ne lapides viui extinguantur deserentibus nobis, quàm ne lapides, & ligna terrenorũ ædificiorũ incendantur præsentibus nobis. Magis timeamus ne membra corporis Christi destituta spirituali victu necẽtur, quàm ne membra corporis nostri oppressa hostili impetu torqueantur; non quòd ista non sunt vitanda, cum possunt, sed quia potius ferenda sunt, quando vitari sine impietate non possunt. Sic ergo persecutione imminente communi Christi ministri non debent deserere plebem, etiam si possint, si manifestum periculum immineat de periculo salutis animarum subditorum; si ipsi eos deserant, & si propter hoc ministri occidantur, martyres sunt, pro salute fratrum suas animas ponentes. Nec solum qui sic persecutionem patiuntur pro salute fratrum defendenda, martyres sunt, si propter hoc patiantur, sed etiam illi, qui se opponunt, ne eorũ subditi corporaliter à peruersis hominibus uexentur, martyres censendi sunt; & hoc siue solũ resistãt verbo, & proprer hoc patiantur in corpore suo, siuè etiam resistant facto, & in tali resistentia occidantur. Vnde Et Greg. in hom. Ego sum pastor bonus, dicit. Lupus super oues uenit, cum quibus iniustus & raptor fideles quosque humiles opprimit. Sed qui pastor esse videbatur, & non erat, reliquit oues, & fugit, quia dum sibi ab eo periculum metuit, resistere eius iniustitiæ non presumit; fugit autem non mutando locũ, sed subtrahendo solatiũ, fugit, quia in iustitiã uidit, & tacuit, sed è cõtra bonus pastor ex aduerso ascendit quando cõtra quaslibet potestates praue agentes libera voce rationabiliter cõtradicit. Et in die Domini in prælio stat, ac pro muro se ponit, cum fideles innocentes contra peruersorum iniustitiam ex iustitiæ autoritate defendit, qui si in tali defẽsione proximorum occurrat, non dubium est, quin palmã martyrij acquirat. Vnde. Et Bernardus in Epistola de Machabeis dicit. Vniuersis nempe tàm noui, quàm ueteris testamenti martyribus conuenit æquè pro iustitia occubuisse, sed interest, quòd isti passi sunt quia illã tenebant, illi quia nõ tenentes reprehendebant, isti quòd eã nõ desererent, illi quòd deserentes peritu ros assererẽt. Et infra. Nõ sic Isaias, nõ Zacharias, nõ deniq; Ioã. Baptista, quorũ primus serra scissus fertur, secundus inter tẽplum, & altare legitur occisus, tertius in carcere decollatus. Si quæritur à quibus, ab iniustis, & impiis: si quæritur quã de caussa, p iustitia, & pietate, si quo modo, non tàm eas confitendo quàm proponẽdo, proponebant veritatẽ odientibus eã, veritas pariebat eis odium, & odium mortem. Et Nicolaus Papa, & ponitur 33. caussa dicit. Omnium vestrũ nolimus charitatem latere, quoniam quisquis in hõc belli certamine, quod occasione perfidos opprimẽdi fit fideliter mortuus fuerit, regna illi cælestia minimè negabuntur. Et Bern. lib. de laude nouæ militiæ tẽpli c. 3. dicit. Milites Christi securi prẽliãtur prẽlia domini sui, nequaquã metuentes aut de hostium cæde peccatũ, vel de sua nece periculũ, quãdoquidem mors pro Christo vel ferenda, vel inferenda, & nihil habet criminis, & plurimi gloriæ meretur: hicquippe Christo, inde Christus acquiritur, qui nimirum, & libẽter accipit ho-

Ioan. 10.

Aug.

Idem

Idem

Gregorius

Bernar.

Idem

Bernar.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

stis mortẽ pro ultione, & libentius præbet seipsum militi pro cõsolatione. Miles inquã Christi securus interimit, interit se curior. Sibi præstat cum interit Christo cum interimit. Sanè cum occidit malefactorem non homicida: sed, vt ita dixerim, malicida: & planè Christi vindex in iis, qui malè agunt, & defensor Christianorum reputatur: cum autem occiditur, ipse nõ periisse, sed peruenisse cognoscitur. Mors ergo, quam irrogant Christi est lucrum quam excipit suum: In morte ergo pagani Christianus gloriatur, quia Christus glorificatur; in morte Christiani regis liberalitas aperitur cum miles remunerandus educitur. Et idem scribens ad Innocentium Papã de iniqua interfectione Thomæ prioris Sancti Victoris qui prohibebat cuidam spoliari ecclesias, pauperes depredari, propter quod & interfectus fuit ab illo, dicit. Credimus, & nostri martyris spiritum, quẽ nouissimè diebus istis tua crudelitas morti dedit cũ cæteris animabus interfectorum voce valida sub altari clamare, & flagitare vindictam, eòque instanti quò recentius ipsius sanguis effusus est super terram. Deinde ponens caussam quare interfectus fuerit, subdit, ob illicitas exactiones quas B. ratione Archidiaconatus in presbiteros minimè, iam vt consueuerat, usurpare liceret Beati Thome obuiãte zelo atque industria, vtpote iustitiæ amatoris, & defensoris oderat illum, & mortem, ei iam ipso odio homicida minitari solebat.

SVMMARIVM.

Quòd illi, qui pro fidei pietate defendenda occisi fuerunt specialius, & magis propriè in Ecclesia martyres vocãtur, & quòd tolerare quodcunque genus passionis, & mortis sine Charitate Dei, & proximi nõ facit Martyrẽ.

XI NEc solum pro prædictis caussis persecutionem patientes si occidantur martyres sunt, sed & pro pietate, quæ est Dei cultus, vel latria persecutionem patientes, sunt martyres: & maximè inter omnes, cum præcipua virtus sit pietas inter virtutes cardinales; propter hãc enim quasi omnes martyres noui testamenti interfecti, sunt, quia honorem soli Deo debitum impendere creaturæ, vel facturæ noluerunt; magis eligentes per torméta grauissima, & inexcogitata vitam corporalem finire quã creaturæ seruire, & Christum negare. Vnde Et Augustinus 18. De ciuitate Dei cap. 50. dicit. Nõ solum per ipsos, qui Christum ante passionem, & post resurrectionem suam viderant, & audierant, verum etiam post obitum eorũ per posteros eorum inter horrendas persecutiones, & varios cruciatus, & funera martyrum prædicatum est toto orbe euangelium, vt populi gentium credentes in eũ, qui pro redemptione eorum crucifixus est, Christiano amore venerarentur, & sanguinem martyrum, quem diabolico furore fuderũt, ipsique reges, quorũ legibus vastabatur Ecclesia ei nomini salubriter subderẽtur, quod de terra crudeliter auferre conati sunt; & falsos Deos inciperent persequi, quorum caussa cultores Dei veri fuerant antea persecuti. Et idem dicit in quodam sermone. Fremebat mundus aduersus martyres, populi meditabantur inania, principes conueniebant in vnum, excogitabant nouos cruciatus, & pœnas incredibiles, inueniebant ingenia crudelia, obruebantur opprobriis, falsis arguebãtur criminibus, custodiis intolerabilibus includebãtur, vngulis arabãtur? ferro perimebãtur, & flecti nequibãt Ex quibus omnibus patet, quòd persecutionem pati pro quacunq; virtute defendenda, vel tenenda; vel pro defensione aliorum, vel etiam pro pietate, quæ Dei cultus est, beatos homines facit solum, quòd persecutionem patientes existant in Dei, & proximi charitate; alias enim nullum genus persecutionis tolerare, palmam martyrij confert. dicente Apostolo 1. ad Corint. 13. Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest; Quod exponens Augustinus de verbis Domini Sermone 1. dicit. Boni pastores sanguinem pro ouibus fuderunt; non enim fuderũt elatione, sed charitate; nam, & apud hæreticos, qui propter iniquitates, & errores suos aliquid molestiarum perpessi fuerint, nomine martyrii, se quidem iactant, vt hoc pallio dealbati facilius furentur, quia lupi sunt. Et infra. Ecce venitur ad passionem, ecce venitur ad sanguinis effusionem, venitur & ad corporum incensionem, & tamẽ nihil prodest, quia charitas deest, adde charitatẽ, prosunt omnia, detrahe charitatẽ, nihil prosunt cætera; Quale bonum est charitas? quid prætiosius? quid luminosius? quid firmius? quid vtilius? quid securius? quomodo autem hãc charitatem, vel exiguam habet, qui non amat veritatem? Et Greg. 18. lib. Mor. dicit, Qui de Deo peruersa sentit, liquet profecto quia Deum non diligit: qui verò de Deo rectè sentiens à Sanctæ Ecclesiæ vnitate diuisus est, constat quòd proximum non amat, quem habere socium

Augustinus. Idem. Augustinus. Idem.

recu-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

recusat. Quisquis ergo ab hac vnitate matris Ecclesiæ; siue per hæresim de Deo peruersa sentiendo; siue errore scismatis proximum non diligendo diuiditur, charitatis huius gratia priuatur, propter quod si tradiderit corpus suum, ita vt ardeat, quia charitatem non habet, nihil ei prodest.

SVMMARIVM.

Quòd à quocunque quis persecutionem propter iustitiam patiatur, beatus est, sed si propter alias causas persecutionem patiatur, non est propter hoc beatus.

XII Est autem intelligendum, quòd hic Dominus non ponit cõditionem, vel statum persequentium, vel persecutorum; sed solam causam tolerantiæ persecutionis; Quia à quocũque, siue Iudæo, siue Pagano, vel etiam Christiano, quis propter iustitiam persecutionem patiatur, beatus est: non enim attenduntur personæ, quæ inferunt; vel quibus infertur persecutio, sed solum causa, propter quam infertur. Chrysost. hom. 9. Vnde hìc Chrysostomus dicit. Non dixit Beati qui à gentilibus persecutionem patiuntur; ne putes solum illum beatum, qui persecutionem patitur propter idola colenda: nam, & qui ab hæreticis persecutionem patitur propter veritatem non relinquendam, beatus est; quia propter iustitiam patitur; Et nõ solum si hæreticus, sed si aliquis ex potentibus, qui videntur esse Christiani forsitan propter peccata sua, correptus à te, factus fuerit tibi inimicus, & persecutus te fuerit, beatus es cum Ioanne, & infra. Sine dubio, qui propter causam Dei, aliquid patitur, & si à suis patiatur, mercedem habet; & ideo non posuit scriptura personas persequentium, sed solam causam persecutionis, vt tu non aspicias quis te persequitur; sed vt quia te persequitur, an scilicet propter iustitiam, vel ob aliam causam te persequatur. Nam, vt subdit, si quis te persecutus fuerit, non propter causam Dei, sed propter priuatam rem. Vtputa, si auferat aliquam rem tuam, ille qui sine causa te persecutus est, reus est; tu autem beatus non es; quia non propter iustitiam persecutionem passus es, sed propter causam priuatam; & tamen si in hac causa priuata persecutionẽ passus, volueris adimplere quod dictum est; Luc. 6. Siquis te percusserit in maxillam, præbe illi & alteram; & qui vult auferre quæ tua sunt, noli vetare, tunc verè beatus es; quia & si ab initio non propter causam Dei patiebaris, tamen postea, aut damnum, aut iniuriam passus es propter Deum. Si autem restiteris etiam cum peccato, & non potueris, beatitudinis perdidisti mercedem.

SVMMARIVM.

Quòd martyres statim post mortem susceptam pro defensione pietatis, & iustitiæ intrant in regnum cælorum, & ibi vt Reges coronati triumphant.

B Quoniam ipsorum est regnum cœlorum.] Vbi ponitur præmium persecutionẽ patientium propter iustitiam. Martyrum enim propriè regnum cœlorum est, quia statim post mortem peccatis omnibus dimissis, cum iustitia cumulata ad regnum perueniunt; quecunque enim peccata in martyribus præcesserunt abundanti charitate, qua maior non est, operiuntur. Vniuersa enim delicta operit charitas; ac sanguine delentur, & abolentur, & ac si nunquã facta fuissent, habentur. Isti enim C sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt stolas suas, & dealbauerũt eas in sanguine agni. Apocal. 7. quia propter Christum certauerunt, & victoriam obtinuerunt, ideo vt victores, & triumphatores in regno cœlorum coronantur, & accipiunt palmas. Vnde & in sermone de omnibus sanctis dicit Rabanus de martyribus. Hi sunt triumphatores, & amici Dei, qui contemnentes sceleratorum iussa principũ, modo coronantur, & accipiunt palmas laborum, & Augustin. in quodam D sermone de martyribus dicit. Coronam vniuersorum martyrum fulgere credentes, quorum robusta fides ad agonem passionis cõgressa est, pro certo scimus, quòd in omnibus Christus patitur; & quòd ad regna cœlorum statim cum exultatione corporis transferuntur, & cum gentes horreant in ægritudine mortem, hi in ipsa morte perpetuam consequuntur hæreditatem, & in alio Sermone dicit idem. Proprium & originale peccatum lauat sãguis humanus; & quod plus est, nemo iã E tollit quod baptismo isto cõmuniter iste contulit. Felix hic martyr baptismo, quo omne delictum, ita abeo exiuit, vt iam redire non possit: quo sic debita sua soluit, ne vltra creditorem timeret; quo in se hostium peccatis clausit, fide damnauit, per quod innocentem deuotionem quæsiuit; perseuerantiam inuenit, Et infra; Honoremus beatos martyres principes fidei, intercessores mundi, præcones regni, cohæredes Dei: Et Bernard. in 1. Sermone de omnibus sanctis dicit: Martyribus

XIII Apocal. 7. Rabanus. Augustin. Idem. Idem.

tyribus regnum cœlorum promittitur, quia passione tolerata pro Christo, absque omni dilatione percipitur. Sic ergo illorum est regnum cœlorum, quia sine omni impedimento, dilatione, vel retardatione, passione mortis suscepta pro Christo, ad regnum cœlorum transferuntur: non solum, vt ibi sint, sed vt Reges glorioſi in regno cœlorum sint, dicente Auguſt. 13. de Ciuitate Dei, cap. 7. Quid est prætiosus, quã mors, per quam fit, vt delicta omnia dimittantur, & merita cumulatius augeantur? Neque enim tanti sunt meriti qui baptismate deletis omnibus peccatis ex hac vita migrarunt, quãti sunt ij, qui per mortem, Christum confitendo, finiere vitam.

Auguſt.

SVMMARIVM.

Quòd sanctorum martyrum dicitur, Est Regnum cœlorum; quia aliquibus eorum meritis, & præcibus regnum cœlorum datur; qui attentis eorum meritis non ingrederentur in illud. Et quia eorum meritis, & præcibus conceditur à Deo aliquibus uenia peccatorum in præsenti vita, & gratia datur, per quam perueniũt ad regnum cœlorum.

XIIII

VEl etiam martyrum dicitur esse regnum cœlorum; quia aliqui alij eorũ meritis & præcibus regnum cœlorum cõsequuntur, qui suis meritis illud non cõsequerentur. Vnde sic regnum cœlorum martyrum diceretur, quia ipsum aliqui habent per eorum meritum, qui aliter nõ consequerentur ipsum. Vnde Et Auguſt. 21. De ciuitate Dei. cap. 27. loquens de præcibus sanctorum, quę fiẽt pro aliquibus introducendis in regnũ cœlorũ, qui alias nõ introduceretur, dicit. Iusti sunt aliqui, qui tãta sanctitate vixerũt, vt alios quoq; recipiant in tabernacula æterna, Illi aũt qui recipiũtur à talibus in tabernacula æterna, fatendũ est quòd non sint iis moribus præditi, vt eis liberandis sine suffragio sanctorũ, sua posit vita sufficere ac per hoc multo amplius in eis superexaltat misericordia iudicium: Nec tamẽ ideo putandus est quisquam sceleratissimus, nequaquam vita, vel bona, vel tolerabiliore mutatus, recipi in tabernacula æterna; quoniã obsecutus est sanctis. Sed est quidam modus vitæ nec tam malæ vt iis, qui eã viuunt, nihil prosit ad capescẽdum regnum cœlorum: largitas eleemosinarum, quibus etiam iustorum sustentatur inopia; & fiunt amici eorum, qui in tabernacula æterna eos suscipiant: nec tã bonæ, vt ad tantam beatitudinem adipiscendam eis ipsa sufficiat; nisi eorum meritis, quos amicos fecerint, misericordiam consequantur. Et infra. Sed quis sit iste modus vitę, & quæ sint ipsa peccata, quæ ita impediunt peruentionẽ ad regnum Dei, vt tamen amicorum sanctorũ meritis impetrent indulgentiã, difficillimum est inuenire, periculosissimum definire. Huiusmodi autẽ sancti qui aliis impetrant indulgentiam, vt ad regnum cœlorum perueniãt, præcipuè sancti martires sunt; dicente Grego. in hom. de decem virginibus. exponendo illud, Ne forte non sufficiat nobis, & vobis. In illo die, scilicet iudicij, quod tamen de quibusdã in pace Ecclesiæ quiescentibus loquor, sibi metipsi testimoniũ vniuscuiusque uix sufficit; quãto minus & sibi, & proximo? ex quibus uerbis insinuat quòd sancti qui in pace in Ecclesia mortui sunt, pro magna parte, vix sibi sufficiunt ad salutem: & è contrario, sancti martyres, & precipui cõfessores se, & alios iuuare poterũt ad salutem. Quia ergo secundum ista, meritis & precibus martyrũ aliqui cõsequentur regnũ cœlorum, quibus propria merita non sufficiunt; ideo bene illorũ dicitur esse regnum cœlorum, qui persecutionem propter iustitiam patiuntur. Nam vt dicit Hiero. in Epistola contra Vigilantium: Si sancti Apostoli & martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando de se debent adhuc esse soliciti, quãto magis post coronas, victorias, & triumphos? Vnus homo Moyses sexcẽtis millibus armatorum impetrat à Deo veniam; & Stephanus imitator Domini sui, & primus martyr in Christo pro persecutoribus veniam deprecatur; & postquã cũ Christo esse ceperint, minus valebunt? Paulus Apostolus ducentas septuagintas ex sibi dicit in naui animas condonatas; & postquam resolutus ceperit esse cũ Christo, tunc ora clausurus est? Et pro iis, qui in toto orbe ad suum Euangelium crediderunt, mutire poterit? Quasi dicat quòd tunc magis poterit. Martyrũ enim orationibus, & in præsenti multi veniam peccatorum consequuntur; vt postea ad regnum cœlorum perueniant, dicẽte Auguſt. in quodam serm. de S. Steph. Vt nouerit sanctitas vestra quantũ valuerit oratio Sancti martiris, recurrite nobiscum ad illum adolescentem nomine Saulũ; qui cum sanctus Stephanus lapidaretur, omnium vestimenta seruabat, & tãquam manibus omnium lapidabat. Nam si martyr Stephanus non sic orasset, Ecclesia Paulum non haberet: Sed ideo de terra erectus est Paulus, quia in terra inclinatus exauditus est Stephanus. Et fulgẽtius

Idem.

Greg.

Hiero.

Auguſt.

Fulgen.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

in quodam ſer. de Sanc. Stephano dicit: Proceſsit Stephanus trucidatus lapidibus Pauli; illic ſecutus eſt Paulus adiutus orationibus Srephani. Ex quibus omnibus patet, quare de paſsis perſecutionem propter iuſtitiam dicitur, quòd ipſorum eſt regnum cœlorum; quia hîc dicitur tum quòd ſtatim poſt mortem regnum cęlorũ ſine omni dilatione percipiunt; & quia eorum orationibus multi peruerſi conuerſi ad bonum merentur regnum cœlorum; quia etiam aliqui regnum cœlorum eorum meritis, & prȩcibus ingrediuntur, qui propriis meritis illuc non ingrederentur.

SVMMARIVM.

Quare in prima beatitudine & vltima, pro præmio aſſignatur regnum cęlorum, ponuntur tres cauſſæ.

XV EST autem intelligendum, quòd in prima beatitudine, & in hac vltima pro præmio regnum cœlorum promittitur; quod fit vt oſtendatur perfecta corona beatitudinum, quæ vbi incipit, ibi etiam init. Hoc enim de ratione coronæ eſt, quòd finis principio coniungatur, quod multum de ratione beatitudinis eſt. Nũquam enim beatitudo cenſenda eſt niſi æternitatem, & perpetuitatem habeat; dicente Auguſt. 11. de ciuitate Dei, cap. 13. Auguſt. Cui vis non difficulter occurrit vtroque coniuncto effici beatitudinem, quam recto propoſito intellectualis natura deſiderat; hoc eſt vt bono incommutabili quod Deus eſt, ſine vlla moleſtia perfruatur; & in eo ſe in æternum eſſe manſurum; nec vlla dubitatione cũctetur, nec vllo errore fallatur. Aeternitas autem magis habet rationem lineę circularis, quàm rectæ; quia nec incipit, nec finit æternitas perfecta: Sicut nec in circulo eſt aliqua pars quæ proprium ſit finis, vel principium; & in æternitate participata licet ſit principiũ, tamen nullus eſt finis. Et ſicut beatitudo quæ æternitatem requirit, circuli vel coronæ ſimilitudinem habet; propter quod rectè præmia iſtarum beatitudinum circulo concluduntur, quia perfectæ hominem beatum conſtituunt. Vnde Auguſt. 1. lib. de Sermone Domini in monte, ad Idem. hanc intentionem dicit. Octaua ſententia, quæ ad caput reddit perfectum hominem declarat. Vel etiam in his duabus beatitudinibus regnum cęlorum promittitur; quia ſanctis bis regnum cœlorũ datur. Primo quidem quando anima reſoluitur à carne, dicente Apoſt. 2. ad Cor. 5. 2. Cor. 5. Scimus quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam, ſed æternam in cœlis: & animabus interfectorum propter verbũ Dei datæ ſunt ſingulæ ſtolæ albæ Apoc. 6. quæ nihil aliud ſunt quàm animæ beatitudo, quam animæ conſequuntur ſtatim poſt vitam. Apo. 6. Sed poſt reſurrectionem quando rapiuntur obuiam Chriſto in aera, & ſemper cum Domino erunt. Iterum regnum cœlorum in corpore, & anima glorificati percipient, iuxta illud, infra 25. Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Ambro. Quia ergo bis ſancti regnum cœlorum percipient, ideo rectè bis pro præmio promittitur regnum cœlorum. Ad quam intentionem hoc exponens Ambr. 5. lib. ſuper Luc. cap. 6. dicit. Primum regnum cęlorũ ſanctis propoſitum eſt in diſſolutione corporis: Secundum regnum cęlorum eſt poſt reſurrectionem eſſe cum Chriſto. Vel etiam regnum cęlorum pauperibus, & martyribus promiſſum eſt; quia paupertas voluntaria quoddam genus marryrii eſt; & præparat hominem ad prompte martyrium ſufferendum; quia cum nihil quærat in mundo, ſed ſit crucifixus mundo, & mundus ſibi, iccirco promptè ſuſtinet illud per quod de mundo poteſt tranſire ad Chriſtum, quem tanto deſiderio habere, & videre concupiſcit. Vnde & dicebat pauper Martinus. Grauis quidem eſt Domine corporeæ pugna militiæ; & iam ſatis eſt, quòd hucuſque certaui; ſed ſi adhuc in eodem labore pro caſtris tuorum ſtare me præcipis, non recuſo laborem, nec fatiſcentem cauſſabor ętatem, munia tua deuotus implebo ſub ſignis tuis quoad ipſe iuſſeris militabo. Et quamuis optata ſit ſeni remiſſio poſt laborem, & tamen animus victor annorum, & cædere neſcius ſenectuti. At ſi parcis ætati bonum mihi eſt Domine, fiat voluntas tua; hos vero quibus timeo ipſe cuſtodies. Quia ergo pauper ſpiritu diſſolui cupit, & cum Chriſto eſſe, manifeſtum eſt quòd paupertas ſpiritus ad martyrium ſuſtinẽdum præparat animam. Talis enim paupertas quodam genus martyrii eſt, & prȩparat animam ad prompte martyrium ſuſtinendum. Ideo recte pauperibus, & martyribus idem præmium promittitur, ſcilicet regnum cœlorum. Ad quam intentionem hoc exponens Bernard. 1. Serm. de omnibus ſanctis dicit. Bernar. Quid ſibi vult, quòd eadem promiſſio facta eſt pauperibus, & martyribus, niſi quia vere martyrii genus paupertas voluntaria eſt? Quod

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

ehim martyrium grauius est quàm inter epulas esurire, inter vestes multas & pretiosas algere; paupertate præmi inter diuitias, quas offert mundus, quas ostentat diabolus, quas noster desiderat appetitus? An non meritò coronabitur, qui sic certauit? mundum abiiciens promittẽtem; irridẽs inimicum tentantẽ, & quòd gloriosius est, de semetipso triumphãs, & crucifigens conscientiam prurientem? Denique propterea pauperibus pariter & martyribus regnum cœlorũ promittitur, quia paupertate quidem emitur, sed in passione pro Christo absque omni dilatione percipitur.

SVMMARIVM.

Quòd per omnia præmia beatitudinum hic posita, secũdum unam expositionem non intelligitur aliud quàm regnum Dei; in quo sunt hæc omnia præmia, sed quia bona quæ sunt in regno cœlorum vno nomine exprimi non poterant, nec sine errore intelligi; iccirco multa nomina dicto bono sunt imposita, vt perfectius intelligeretur illud bonum.

XVI Chrysost.

ESt autem attendendum circa præmia beatitudinum præcelentium, quod secundum Chrys. idem præmium omnium beatitudinem est, regnum scilicet cœlorum; & tamen variè nominatur: sicut possidebunt terram, consolabuntur, & sic de aliis: quod fit, vel propter hoc quia regnũ cœlorum quod est præmium commune, nõ potest vno nomine exprimi quale est, nec enim oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se; & si in cor hominis non ascendit, nec intellectus hominis illi rei nomen imponere potuit, quo perfectè possit indicare perfectionem regni cœlestis. Vnde sicut in aliis rebus ineffabilibus consueuit scriptura multis nominibus vti, vt quod per vnum nomen non poterat exprimi, per alia nomina exprimeretur; vt sic ad perfectiorem cognitionem ineffabilis rei perueniatur; sic & regnum cœlorum quod intelligi non poterat vno nomine, multis nominibus explicatur. Quod autem consuetum sit in scriptura quòd illud quod uno nomine perfectè intelligi non potest, multis nominibus nominetur, manifestum est; Secunda enim persona in diuinis vocatur verbum, Filius, splendor Patris, caracter, vel imago substantiæ Paternæ: vt quia Filij Dei proprietas exprimi non poterat per vnum istorum nominum, per alterum exponetur, vt declarat Glos. super illud ad Heb. 1. Qui cum sit splendor gloriæ: & in gestis Ephesini Conc. dicitur. Propterea scriptura alicubi filium Patris nomi- Glos. Eph. Cõc.

F nat, alicubi verbum, alicubi splendorem, singula horum nominum de illo dicens; vt intelligas ea, quæ de Christo dicuntur esse citra blasphemiam; Naturæ enim consubstantialitatem astruere volens, Vnigenitum Patris Filium vocat; Nam & tuus quoque filius eiusdem tecum nascitur naturæ; vnam itaque eãdemq; Patris & Filij substantiam esse, ostendere volens, vnigenitum ex Patre natũ Patris Filium appellat: Deinde verò quoniam filius, eiusue, qui nascitur ortus passiõnẽ apud nos denotat, ideo hunc Dei filium verbum nominat, natiuitatis impassibilitatẽ nomine hoc exprimens: Sed quoniam pater in creaturis indubitanter senior suo filio demonstratur, ne hoc ipsum etiam de diuina natura putares, splendorem vocat vnigenitum Patris, splendor enim natus ex sole non intelligitur sole posterior; sed vt omnimodam æqualitatem, & similitudinem in natura intelligatur filius habere cũ Patre; uocatur caracter, vel figura substantiæ: & idem dicit Hylar. 7. de Trini. Ic circo earum rerũ unigenito Deo aptata cognomina sunt, quæ cũ eum subsistẽtem ex natiuitate cõsummẽt, tñ patri non desint ex indemutabilis virtute naturæ; propter quod Vnigenitus Deus, & verbu est, sed innascibilis pater, nũquã omnino sine verbo esse credatur. Ex quibus patet, ꝙ qñ per vnũ nomẽ perfectè natura alicuius rei nõ potest intelligi sine omni errore, cõ sueuit scriptura multa nomina ponere, vt proprietas naturæ illius rei quæ per nomen vnum exprimi non poterat, sine errore per multa nomina exprimatur: vt ꝙ deest ex uno nomine, per aliud nomẽ suppleatur; quod & hîc fit, potest enim aliqua res esse alicuius quo ad proprietatem, & dominium; & tamen illius rei possessor non est; propter quod simpliciter illius rei dominus non est; quousque sit possessor; propter quod quia in prima beatitudine dictum fuit ipsorum est regnum cœlorum; in secunda dicitur possidebunt terram; per hoc insinuans quòd non solũ ipsorum erit regnum cœlorum, quia eis debitum, sicut & sanctorum in præsenti vita degentium; sed quòd possidebunt ipsum, ingressi in ipsum, quando intrabunt in gaudium Domini sui. Sed quia contingit quòd alicuius hæreditatis possessor tantum laborem sustinet, quod non est sibi illa possessio ad gaudium, sed ad pœnam, & si aliquo modo gaudet de possessione adepta, tamen propter laborem nimium, gaudium eius obfuscatur, vel quasi euanescit, ideo ne credatur possessio regni cœlestis esse angustiosa, vel laboriosa, Hyla.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

subditur in tertia beatitudine, quòd ibi consolabũtur; vt ex hoc ostendatur quòd ibi sine dolore, labore tristitia, vel timore sancti erunt. Per quod omne malum extrinsecũ à nobis excludetur, quæ perfecta consolatio dici potest; qualis nunquam est in vita præsenti, quæ laboribus, doloribus, tristitijs, & timoribus plena
Psal.93. est; de qua dicitur in Psal. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificauerũt animam meam. Sed quia contingit quòd habens possessionem terrenam, non habet dolorem, vel laborem, tristitiam, vel timorem in excolendo eam; sed piger existens non vult laborare, propter quod possessionem habẽs vnde possit saturari, famescit, non habens vnde viuat; iuxta illud
Prou.20. Prouer. 20. Propter frigus piger arare noluit; mendicabit ergo æstate, & non dabitur ei; vt ostendatur quòd in regno cœlorum sine omni labore, vel dolore est omnium bonorum affluentia; quibus sanctorum desiderium replebitur ab vbertate domus Dei; ideo in quarta beatitudine ponitur, saturabuntur. Sed quia contingit quãdoque quòd plurimũ satiati, multa mala in corpore suo patiantur, iuxta il
Eccl.5. lud Eccles. 5. Dulcis est somnus operanti siue parum, siue multum comedat; saturitas autem diuitis non sinit dormire eum; iccirco vt ostendatur quòd saturitas, & ocium Regni cœlorum nunquam in corpore beatorum caussabunt infirmitatem, nec in anima peccatum; quæ duo prima solent caussare duo secunda; quia saturitas ægritudines corporis, & ocia peccata
Idem 33. animæ caussant, iuxta illud Eccl. 33. Multam malitiam docuit ociositas; ponitur in quinta beatitudine præmium, [*quoniam ipsi misericordiam consequentur,*] quæ misericordia remouet infirmitatem, & corruptionem omnem à corpore; & peccatum & omnem malitiam à corde; & hæc quinque præmia beatitudinum videntur spectare ad coniunctum ex corpore, & anima. Sed quia non sufficit homini secundum suam partem superiorẽ quæ est mẽs, quòd sit in regno cælorum, & nullum malum extrinsecũ habeat, & in bonis abundet; nec in corpore suo, vel anima infirmitatem corporalem, & spiritualem habeat, nisi intelligat, & velit; quia sic beatitudo hominis quasi bestialis esset, dicente Hilario in prologo 1. lib. de Trinit.
Hylar. Multa aderant quæ opinione communi vitam optandam, atque vtilem efficere videbantur; maxime ea, quæ nunc & semper antea potissima inter mortales habentur; ocium simul, & opulentia, quod alterum sine altero mali potius materies, quàm boni esset occasio; quia & quies inops prope quoddam vitæ ipsius esse intelligatur exilium; & opulens inquietudo, tantò plus calamitatis afferat quantò maiore indignitate iis careat; quæ maximè optata & quæsita sunt ad vtendum: sed quamquã hæc duo in se summa atque optima vitæ blandimenta contineant, tamen non multum videntur à consuetudine belluinæ oblectationis aliena; ac propter hoc pleriq́ue mortaliũ non ob aliam causam hanc ineptæ ac belluinæ vitę consuetudinem, & respuisse à se, & coarguisse in aliis videntur; quod natura ipsa auctore impulsi indignum homines esse existimarunt in officium se ventris, & inertiæ tantum natos arbitrari, & in hanc vitam non ob aliquod prẹclari facinoris ad bonæ artis studia esse deductos; & iccirco ad aliquas patientiæ, & continentiæ, & placabilitatis virtutes & doctrina, & opere transtulisse; quando benè agere, atque intelligere demum benè viuere esse opinabantur; iccirco vltra prædicta præmia in regno cẹlorum existentia ponitur præmium, quod præcipuè spectat ad intellectum, scilicet visio Dei; qua visione sic intellectus repletur scientia, & cognitione, quòd scit omnia certitudinaliter, clarè, & facialiter quæ spectant ad essentialem beatitudinẽ intellectus. Sed quia non sufficiunt prædicta, si homo quasi seruus, vel extraneus videret Deum, ideo ponitur in septima beatitudine [*quoniam filij Dei vocabuntur,*] vel etiam ideo ponitur in septima beatitudine Dei filiatio vt ostendatur omnimoda assimilatio creaturæ videntis Deum ad ipsum Deum: huiusmodi enim visio Dei vim habet assimilatiuam ad ipsum, dicente 1. Ioan. 3. Nunc filii Dei sumus, & nondum apparuit, scimus quoniam cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est: ex hoc enim quòd illa visio perfectissimum amorem includit, dicente Gregorio in homil. de decem virginibus. Visioni nostræ Deus coniungitur, quæ scilicet visio nunquam iam in perpetuum ab amoris sui complexibus euelletur; Assimilat creaturam videntem Deum ipsi Deo viso; ex quo cõtingit præcipua filiatio adoptiua, & totalis consumatio creaturæ rationalis; cuius perfectio vltima, & perfecta consistit in visione Dei clara per intellectum; & in amore supremo Dei ipsius voluntatis, ad quam filiationem sequitur perfecta regni cẹlorum possessio. Si enim filii Dei sumus, & hæredes erimus; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chri-

1.Ioan.3.

Gregor.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Rom. 8. sti, ad Rom. 8. Ex quibus omnibus præmissis manifestè colligitur conditio beatitudinis, quam in cęlo expectamus; quia erit nostra possessio, à qua nunquam expellemur, nullum laborem, dolorem, tristiciam, vel timorem ibi sustinebimus, sed æternam consolationem; bonis omnibus nostrum desiderium replebitur, quæ saturitas hîc vocatur; nullam in nobis læsionem in corpore, nec in anima peccatum habebimus; quia misericordiam omnem miseriam excludentē cōsequemur; Deum clarè videbimus, & sibi assimilabimur; G qua assimilatione filii Dei efficiemur: & demum non sicut extranei, sed sicut Dei filii in domo Dei, quæ nihil aliud est nisi ipsemet, habitabimus, & ipse in nobis; Dominus enim Deus templum ciuitatis Dei est, & agnus. Apo. 21. & vt ibi dicitur. Ciuitas Dei est tabernaculum Dei, in quibus Deus habitabit in eis, & ipsi in eo. Nec mirum quia sicut in præsenti qui habet charitatem in Deo manet, & Deus in eo; quando est modica charitas per comparationē ad patrię charitatem; sic quando erit maxima charitas in Deo manebimus, & ipse in nobis. Vnde & ad hanc intentionem hæc præmia beatitudinum videtur Chrysost. hic exponere dicens. Si enim non secundum vnamquamque beatitudinē regnum audis esse donatum, ne tristeris, & si non differenter nominat retributiones, secundū tamen omnes in regnum ducit; etenim cū dicit consolabuntur qui lugent, & misericordiā consequē tur misericordes, & Deum videbūt mundi corde, & filii Dei vocabuntur pacifici, I nihil aliud quàm regnum per hæc vniuersa enigmaticè insinuat, qui enim fruuntur illo, potiuntur omnino, non igitur spiritu pauperibus solum æstimo promissum esse regnum primum, sed & esurientibus iustitiam, mitibus, & aliis omnibus vniuersaliter; per hæc enim in omnibus beatitudinem posuit, vt nihil expectes sensibile. & Ambro. 5. super Lucam cap. 6. dicit. Cum fueris in regno cœlorum tunc processus est mansionum; & si vnum regnum, diuersa tamen merita sunt in regno cęlorum: post resurrectionem terram tuam incipies possidere absolutus à morte; non enim potest esse possessor, qui non capit fructum, absolutus igitur per Dominicam crucem (si tamen infra iugum Domini inuentus fueris) consolationem in ipsa possessione reperies; consolationem sequitur delectatio, delectationem diuina miseratio. Cui autem miseretur Deus, & vocat; qui vocatur videt vocantem; qui Deum videt, in ius diuinæ generationis

Apo. 21.

Chrysost. hom. 15.

Ambro.

F assumitur; tunc demum quasi Dei filius cœlestis regni diuitiis delectatur. Illic igitur incipit, hîc repletur, nam & intra hoc seculum multi in Imperio Romano sunt, sed maiorem imperii gratiam consequuntur, qui propiores Imperatori sunt.

SVMMARIVM.

Cum diuersa præmia diuersis beatitudinibus tribuantur, ostenditur, quòd illis, qui præeminēt in aliqua istarum beatitudinum plusquam in alijs, præmium quod pro illa virtute conuenit, eminentius tribuetur in regno cœlorum.

VEl etiam hoc fit, quia licet omnes, qui sunt in regno cœlorum omnia prædicta præmia consequātur; tamen per quandam eminentiam illud præmium cōuenit magis propriè alicui, in cuius virtute magis exercitatus fuit; sicut enim, qui vnam virtutem in præsenti habet, habet omnes; eo quòd virtutes connexæ sunt, & tamen magis quilibet virtuosus, H vt in pluribus præpollet in vna virtute, quàm in alia: Sic in beatitudine, omnes quidē sancti has beatitudines possident; sed eminētius quilibet sanctus in illa beatitudine eminet, in cuius virtute magis floruit in præsenti: Vnde Ambro. 5. lib. super Luc. cap. 6. dicit. Connexæ sibi, concatenatæque virtutes sunt, vt qui vnam habet plures habere videatur, & sanctis vna competit virtus; sed eius, quæ fuerit vberior, vberius est præmium: quanta hospitalitas in Abraham? quanta humilitas? quanta sanctitas? quanta abstinentia? sed quia fide præstitit, fidei præceptis meruit principatum; ergo vnicuique sancto plura debentur præmia, quia plura sunt in vno quoque incentiua virtutū; sed quod in aliquo merito copiosius, hoc etiam in præmio redundantius. Quia ergo aliqui plus abundant in virtute paupertatis, quàm in aliis, & aliqui in mititia plusquā in alijs, ideo eminentius in beatitudine possidere terram dicuntur mites, quàm cæteri; licet omnes beati tetram possideant, & sic de alijs, propter quòd licet K omnes beati omnia præmia beatitudinū habeant; tamen eminentius vnum, vel aliqua istorum præmiorum habent; secundum quòd magis in virtute hac, vel illa floruerunt: propter quòd & Dominus distinctis beatitudinibus distincta præmia eis corrispondentia adiunxit; vt per hoc insinuet, quod præmiū, cuicumq; virtuti præcipuè conueniat. Vnde & Glo. hîc dicit. Generaliter omnium dicitur regnum cęlorum; & si spetialitas numeretur meritorum,

XVI

Ambro.

Glos.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

ritorum, quia illius iuris posset dici, qui nouissimus erit, tamen vniuersorum dignitas omnibus communis erit, dum per charitatem quod in alijs est, etiam vltimus possidebit.

SVMMARIVM.

Quomodo istæ beatitudines correspondẽt septem donis Spiritus Sancti positis in Esaia.

XVIII Augusti. Isa. 11.

EST etiam intelligendum secundum Augu. 1. lib. de ser. Domini in mon. quòd hæ beatitudines correspondent donis Spiritus Sancti enumeratis Esa. 11. Vbi dicitur quòd requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapiẽtiæ & intellectus; Spiritus consilij & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini. Ordo tamen donorum & beatitudinum est contrarius, quia principale donũ Spiritus Sancti est sapientia à qua descenditur gradatim vsque ad timorẽ Domini, quod est infimum donum inter dona Spiritus Sancti: sed beatitudines incipiunt à paupertate quæ est infima beatitudinum, & gradatim ascendunt vsque ad pacificos qui sunt in suprema beatitudine; & hoc ideo fit, quia in Isa agitur de descensu Dei ad homines; quo descẽsu supremus inter omnia factus est infimus inter intellectualia; propter quod & descendendo describuntur dona, quę in eo sunt. Sed hîc agitur qualiter homo possit ad Deum ascẽdere, & fieri Dei filius per gratiam; & ideo ab infima beatitudine incipiens, peruenit ascendendo ad supremam; in qua homines Dei filij efficiuntur; sicut & Christus descendendo factus est hominis filius; qui erat Dei filius per naturam; & secũdum hoc donum timoris Domini correspondet beatitudini paupertatis. Paupertas enim spiritus nihil aliud est secundum eum, quàm cordis humilitas: humiles enim corde se deijciunt, suam infirmitatem, & Dei excellentiam attendendo; propter quod benè timor eis conuenit, iuxta illud Apostoli. Rom. 11. Noli altum sapere, sed time, ad Rom. 11. Sed donũ pietatis correspondet mitibus, ex hoc enim quòd homo suam fragilitatem cognoscens, & defectum, de suo intellectu non præsumit, sed subijcit suum intellectum scripturis à Deo traditis; sequitur, quòd sic venerãter scripturas Dei recipit, quòd eas quando non intelligit non scindit, non eis detrahit, vel de falso arguit, sed scripturis adscribit veritatis eminentiam; suo verò intellectui infirmitatem, & ignorantiam; quod maximum genus pietatis est. Sed scientiæ donum correspondet lugentibus. Ex hoc enim excitatur iste luctus, quia per diuinam scripturam intelligunt, quòd multa peccata commiserunt contra diuinam iussionem faciẽdo, vel omittẽdo; propter quod lugere incipiunt pro malis quæ commiserunt, & bonis quæ omiserunt; quem luctum sciẽtia diuinæ legis habet ex sui natura excitare. Sed donũ fortitudinis conuenit esuriẽtibus iustitiam. Ex hoc enim quòd homo per scripturam diuinam cognoscit quibus malis est inuolutus, & attendit quæ mala pęnę est propter ipsa peccata toleraturus; conatur quãtum potest egredi de peccatis, etiam prauæ consuetudinis, & affectat iustitiam operari, vt mala pęnæ possit effugere, & cęlestia præmia acquirere; ad quod faciendũ maxima animi fortitudine opus est; quia iã contra se ipsum pugnare nititur. Sed donum consilij correspõdet misericordibus; quia enim quantumcũque ad bonum conemur, adhuc humana fragilitate, vel peruersa consuetudine aliqua peccata committimus; datur nobis consiliũ quid agere debeamus; vt scilicet dimittamus peccantibus in nos, si volumus quòd Deus dimittat nobis quę peccamus in ipsum. Sed donum intellectus conuenit mundis corde, per præcedentes enim beatitudines mundatur oculus cordis à peccatis, & vitijs, & erroribus vniuersis, quo mundato per intellectum Deum videt, qui non nisi mundo corde videri potest. Sed donum Sapientiæ conuenit pacificis, quia tunc solum potest esse altissima contemplatio in homine quando sedatis omnibus passionibus, sensualitas obedit rationi, & ratio ipsi Deo.

SVMMARIVM.

Quomodo præmia hîc posita correspondent beatitudinibus etiam in vita præsenti secundum Augustinum.

XIX

ET secundum hæc rectè præmia beatitudinibus respondent: Qui enim humiliter diuinas scripturas suscipit, dignũ est, vt ei scripturarum intellectus detur. Absconditi enim hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis, id est humilibus, infra 11. Quę scripturę aperitio regnum cœlorum vocatur. Sed mitibus, qui non lacerant Dei legem, nec testamentum Dei rumpunt, conuenit possessio terræ, sicut enim iustè exhęredatur hæres, qui testamentũ paternum rumpit, vel non vult adimplere; sic è contra iustè hæ- Matt. 11.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

reditatem posſidet qui teſtamẽtum vult cuſtodire, ac defendere; & eodem modo multi tardi, & rudes cum pietate diuinas ſcripturas legentes ad eius veritatem perueniunt, ad quam venire non poſſunt multi ſubtilis ingenij; quia cum impietate ſcripturas legunt, vt dicit Auguſt. in
Auguſt. principio libri contra Fauſtum; Qui ſenſus ſcripturæ hîc terrę poſſeſsio vocatur. Sed lugentibus promittitur conſolatio, quia in ſcriptura ſicut pęnę comminantur impęnitẽtibus; ita conſolationes promittuntur pęnitentibus. Vt autem dictum eſt lugentes plorant per ſcripturam ſuos defectus cognoſcentes; & ideo quia pęnitẽt, conſolationem reperiunt in ſcripturis,
Pſal. 93. iuxta illud Pſal. Secundum multitudinem dolorem in corde meo conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam: ſed eſurientibus, & ſitientibus iuſtitiam ſaturitas promittitur, quia qui multum conantur ad iuſtitiæ opera peruenire Dei adiutorio ad tantam iuſtitiam peruenĩũt, quòd ſaturati ſunt, non quidem quod poſtea in iuſtitia proficere non velint (immo tunc magis inardeſcunt) ſed quia in iuſtitia habita plurimum eorum anima delectatur: Edent enim pauperes & ſaturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirũt eum.
Idem 21. Sed miſericordibus miſericordia promittitur, vt quales ſe reddiderunt inferioribus ſuis; talem reperiant ſuperiorẽ ſuum. Sed mundis corde promittitur Dei viſio: Intellectus enim à peccatis purgatus, & diuinæ ſcripturæ ſemper intentus, factus eſt aptus videre Deum, nunc quidem per fidem, & aliqualem intelligentiam, ſed in futuro per viſionem apertam. Sed pacificis Dei filiatio promittitur, vtpote; qui non timore, ſed amore ſuũ ſuperius Deo ſubdunt; & ſuum inferius ſuo ſuperiori, vt ſic nihil ſit eis repugnans in ſe, ſicut & Deo nihil repugnat, ſed omnia conſonãt.
Sed octaua beatitudo oſtendit hominem conſumatum, quia ad caput redit; & quia ex ductu ſeptenarii ſuper ſe addito vno cõſurgit quinquagenarius numerus, qui complementum perfectionis ſpiritualis ſignificat; quia quinquageſimo die à reſurrectione Chriſti Spiritus Sanctus datus credentibus fuit; quo repleti contra totum mundum ſęuientem propter Chriſtum ſe obiecerunt; ac etiã ſuperãuerunt; ſepties enim ſeptem quadraginta nouem faciunt; ideo ſi vnus addatur fiunt quinquaginta, qui numerus eſt remiſsionis omnium peccatorum; & repletiuus omnium chariſmatum ſpiritualium, & ſecun-
Auguſt. dum quòd hîc dicit Auguſt. Iſta ſcilicet tàm beatitudines, quàm præmia in hac vita compleri poſſunt, ſicut completa eſſe in Apoſtolis credimus; nam illa mutatio omnimoda in angelicam formã, quæ poſt hanc vitam promittitur nullis verbis exponitur, vel exponi poteſt.

Tractatus ſequens protenditur vſque ibi. (Vos eſtis Sal terræ) *& habet 31. Capitula. Ponitur diuiſio capitulum primum.*

I Beati eſtis cum maledixerint vobis homines &c.] Poſtquam Dominus poſuit principia totius bonæ vitæ ex quibus omnis bonitas vitę dependet, nunc illa principia declarat ipſa applicando ad diſcipulos, & ex eis deducit quaſi principia ſecundarum rectarum actionum; ſicut & fecit in veteri teſtamento. Primò enim toto populo audiente decem prędcepta moralia poſuit; deinde multa præcepta ſecũdaria in primis præceptis incluſa, Moyſi dedit, vt per ipſum ad populum deuenirent, vt patet in Exodo, & Leuitico, & multis alijs locis. Præcepta autẽ quædam omnibus conueniunt, quædam autem ad ſolos ſuperiores pertinẽt; & ideo Dominus hîc duo facit. Quia primò ponit præcepta conueniẽtia Doctoribus, & Rectoribus populi Chriſtiani, & ſecundò ponit præcepta conuenientia multitudini fidelium, & omnibus Chriſtianis; ibi. Audiſtis quia dictum eſt antiquis, [*Non occides.*]
I Pertinet autem ad Doctores, & rectores populi Chriſtiani, quòd viriliter, & ſine timore alios corrigant, & emendent; & ſecundò quòd ipſos inſtruant, & informent. Vnde & Apoſtolus de ſe dicebat 2. ad Cor. 10. Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potẽtia Dei ad deſtructionem munitionum conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentẽ ſe aduerſus ſcientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectũ in obſequium Chriſti, & in promptu habẽtes vlciſci omnem inobedientiam; Propter quòd Dominus primò inducit Apoſtolos, & alios rectores ad hoc quòd viriliter, & ſine timore alios corrigant, & emendent; & ſecundò quòd alios inſtruant, & informẽt, ibi. [*Vos eſtis lux mundi.*] Et rectus ordo eſt quia vt dicit Gloſ. ſupra illud. [*Vos eſtis lux mundi.*] Lux tenebras ſoluit, & poſtea illuſtrat; ſic Apoſtoli depulſis vitijs deducunt ad lucem fidei, & cognitionis. Prima in duas ſecundum duo, quæ conueniunt illis, qui corrigere volunt, &
2. Cor. 10.
Gloſ.

emen-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

emendare ſuos ſubditos malos; quorum primum eſt animi fortitudo, & conſtantia, qua eorum animus ſic confortatur, quòd propter nullum damnum vel iniuriam propriam vult deſiſtere à correctione malignantium, iuxta illud Eccleſ. 7. Eccl. 7. Noli fieri iudex niſi valeas virtute irrumpere iniquitates; ne fortè extimeſcas faciem potentis; Secundum eſt ipſa correctio moderata inter dulcedinẽ, & auſteritatẽ; vt dulcedine ad bonum trahat, & auſteritate à malo retrahat, ſecunda ibi. [*Vos eſtis Sal terræ.*] Sal enim cibos condit, & ſapidos reddit, & carnes mortuas ſua auſteritate, vel ſalſedine à vermibus & putrefactione illeſas ſeruat; & hæc ſecunda proprietas zelus vocatur, de qno zelo Bernar. ſer. 1. de natiuit. dom. dicit. Bernar. Quæramus ad decoquendos cibos aquas feruentes, aquas æmulationis, de quibus dicitur. Pſal. 68. Zelus domus tuæ comedit me; vt ex dulcedine deuotionis diligamus iuſtitiam, & ex feruore æmulationis odio habeamus iniquitatẽ; qui fons æmulationis huic conuenit ſpecialius quia maximè prælato conuenit zelus. Prima in tres; quia primò ponit præceptum de fortitudine animi, & conſtantia contra omnes perſecutores habenda; ſecundò abiecit ad præcepti obſeruantiam præmium pollicendo; & tertiò inducit exemplum ad perſequentium malitias æquanimiter tollerandas, ſecunda ibi. [*Gaudete in die illa, & exultate.*] tertia ibi. [*Sic enim perſecuti ſunt Prophetas.*] Prima in duas, quia primò animatur eos ad grauia tollerãda ab ijs, quos corrigere habebant; & ſecundò ponit cauſas propter quas bonum eſt illa grauia ſuſtinere, ſecunda ibi. [*Mentientes propter me.*] Damnum autem quod proximo infertur dupliciter infertur, ſcilicet, verbis, vel factis. Cogitatione enim maligna non lęditur proximus; verbis autem quis alium lædit, vel in faciem ei conuicia dicendo, vel occultè detrahendo; & propter hoc Dominus tria hîc ponit; primum eſt maledicta in faciem dicta; ſecundum perſecutio facti aperta & tertium eſt detractio occulta, ſecunda ibi. [*Perſecuti vos fuerint,*] tertia ibi, [*& dixerint omne malum.*]

A

E

SVMMARIVM.

Ponitur prima continuatio ad beatitudinem immediatè præcedentem, & oſtenditur quòd non ſolum ſunt beati qui propter iuſtitiam moriuntur; ſed etiam illi, qui iniurias, vel alia damna patiuntur citra mortem propter iuſtitiam.

DIcit ergo. [*Beati eſtis cum maledixerint vobis homines.*] Quæ pars poteſt continuari ad illud, quod immediatè dictum eſt. Poſſent diſcipuli dubitare ſi ſolũ perſecutionẽ corporalem vſque ad mortem patientes propter iuſtitiam boni eſſent; ſic quòd, non illi eſſent beati qui iniurias, vel alia damna citra mortem, vel corporis læſionem propter Chriſtum tolerarẽt? Ad quod Dominus dubium remouẽdum dicit; quòd non ſolum ſunt beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam; B ſed etiam beati ſunt illi quibus iniuriæ verbales, vel etiã aliæ perſecutiones, aliæ citra mortem inferuntur propter Chriſtum; & hoc modo cõtinuat hanc partem Chryſoſt. in expoſitione hîc dicens. Poſtquam locutus eſt de perſecutionibus ſuſtinendis, tamquam ſi reſpondeat quis ad eum. Domine quid ſi perſecutionem quidem paſsi non fuerimus propter te, vel propter iuſtitiam tuam? in opprobrium autem venerimus, & in blaſphemiam hominum iniquorum? Cui quæſtioni quaſi C reſpondens ſubdit. Beati eritis non ſolum cum perſecutionẽ paſsi fueritis, ſed etiam cum vos exprobrauerint homines: Ecce multi homines propter cauſſam quidem Dei fiunt vobis inimici, ſed non apertè vos perſequuntur forſitan, quia non poſſunt; tamen blaſphemant vos, & dicunt de vobis, quæ ſunt opprobrioſa. [*Beati eritis cum vos exprobrauerint homines.*]

II

Chryſoſt. hom. 9.

SVMMARIVM.

D *Ponitur ſecunda continuatio ad beatitudines præcedentes, & oſtenditur quòd pati maledictiones, & blaſphemias, ac perſecutiones occultas, vel manifeſtas à malignis hominibus, conuenit rectoribus aliorum; quibus incumbit malos homines arguere, & reprehendere ac corrigere.*

III

SEcundò poteſt continuari ſecundum eundem ad beatitudines ſuperiores, quia in præcedentibus generaliter locutus eſt ad omnes fideles, propter quod ſine determinatione ad aliquam perſonam proſecutus eſt, dicens: [*Beati pauperes,*] & ſic de aliis. Sed nunc dirigit ſermonem ad Apoſtolos, eorumque ſucceſſores; quibus præcipuè conuenit iniurias, & blaſphemias ſuſtinere ab illis quos corrigunt, & emendare volunt, iuxta illud Apoſtoli ad Gal. 4. Factus ſum vobis inimicus verum dicens. Gal. 4. Vbi dicit Gloſſa. Per hoc videor inimicus, quia verum dico; ſed ſi fallerem putarer amicus. Quia enim nemo errans vult ſe argui, ideo vobis inimicus Gloſ.

videor,

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

videor, iustè vos reprehendens. Et Augu. in quoddam ser. de illo verbo Isa. Clama ne cesses, dicit. Nulla causa est, quæ magis faciat dispensatorem Dei pigriorem ad arguendos contradicentes, quàm timor verbi asperi; Dum enim timemus detractores, irrisores, & opprobria hominum superborum; dumque ab eis in terrena substantia metuimus prægrauari, timentes temporalia perdere, minus quàm oportet æterna prædicamus, & dum per illorum nequitiam aliquid terrenæ substantiæ perdere formidamus, peccatorum eorum vulnera medicamentis spiritualibus curare negligimus. Et in quoddam sermone de ordinatione sua dicit idem. Inimicus vobis efficior verum prædicans quibus consulendo videor onerosus; quorum requirēs vtilitatem cogor offendere voluntatē; non parcis, non parco; aduersaris aduersor; resistis resisto; &c. Quia ergo rectoribus & Doctoribus plurimum conuenit arguere, & corripere delinquentes, quibus dum displicet correctio cōtra corrigentes bestiali more insurgunt, eos blasphemando, & eis occultè detrahendo; & si palam non possunt, vel non audent occultè persequendo; ideo benè Dominus ad eos incipit dirigere hunc sermonem, qui Doctores & rectores aliorum esse debeant. Et hoc modo continuat hanc partem Chrysost. in hom. dicens. In alijs beatitudinibus dixit; [*Beati pauperes, & misericordes:*] hic autem non indeterminatè illud posuit, sed ad ipsos vertit sermonem dicens. [*Beati estis cum maledixerint vobis homines,*] monstrans quoniam hoc maximè eorum præcipuum erat, & super alios vniuersos magistrorum propriū est hoc. Et Rabanus eodem modo cōtinuat hanc partem dicens. Superiores sententias generaliter dirigebat, hîc iam incipit loqui præsentes compellens, prædicens eis persecutiones, quas pro nomine eius passuri erant, dicens. [*Beati estis, &c.*]

Auguſt. Idem. Chryſoſt. hom. 15. Raban.

SVMMARIVM.

Ponitur tertia continuatio, & ostenditur quòd in præcedentibus beatitudinibus totius bonæ vitæ moralis principia in genere posita sunt; hic verò incipiunt in specie explicari, & declaratur hic per partes illud, quod dictum est. [Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam] *explicando partes persecutionum.*

IIII

TErtiò potest continuari sic quod superius in genere posuit principia, & origines totius bonæ vitæ moralis; hîc verò dicta principia & origines declarat, & deducit ad plura secundaria principia bonæ vitæ; & hoc modo continuat hanc partem hîc Glo. dicens. Sicut Moyses decem præcepta proponens postea per partes explicat; sic Christus quasi virtutum genera octo beatitudines proposuit, ex quibus pendent omnia, quæ in monte dixit Dominus; sed quia obscurè plura paucis verbis concluserat exponit latius. Vnde & de octaua beatitudine latius prosequitur partes persecutionum, specialiter Apostolos, & eorum sequaces pro iustitia passuros exprimens; & iuxta hanc continuationem octaua beatitudo hîc explicatur cum pati persecutionem, sit verba & facta malignantium æquanimiter propter Deum tolerare.

Gloſ.

SVMMARIVM.

Cum maledictio siue malum imponatur, siue imprecetur alicui, procedat vel ex zelo iustitiæ, vel ex odij rancore, ostenditur quòd maledictionem audire prolatam ex zelo iustitiæ non facit beatum; & quòd non omnis maledictio prolata ex odij rancore facit beatum eam sustinentem; sed illa sola in qua mendaciter peccatum alicui imponitur ex eo quòd Deum colit, & ei seruit.

QVo viso est intelligēdum, quòd maledicta in faciem illius cui maledicitur dicta, ex duplici fonte procedere possunt; primò quidem ex fonte amoris, & zelo iustitię; secundò ex fonte odii, irę, vel rancoris. Ex fonte quidem amoris processit maledictio Apostoli ad Gal. 3. O insensati Galathæ quis vos fascinauit non credere veritati? Et Dominus Luc. vlt. Loquens duobus discipulis euntibus in Emaus dixit eis. O stulti, & tardi corde ad credendum. Et Iob 2. dixit ad vxorem suam. Quasi vna de stultis mulieribus locuta es. Sed ex fonte odii & rancoris processit maledictio Goliath contra Dauid 1. Reg. 17. Nunquid ego canis sum quòd tu venisti ad me cum baculo? Et maledixit Philisteus Dauid in Diis suis. Et Semei filius Gera maledixit Dauid, de quo habetur 2. Reg. 16. Ita loquebatur Semei cū malediceret Regi Dauid. Egredere, egredere vir sanguinum, & vir Belial. Et quòd his duobus modis maledictio proferatur, dicit Gregor. 4. lib. moralium cap. 6. Sciendum est quòd sacra scriptura duobus modis maledictū commemorat; aliud videlicet quod approbat, aliud quod damnat. Aliter enim maledictum profertur iudicio, vel amore iusti-

Gal. 3. Luc. vlt. Iob 2. 2. Reg. 1. Reg. 16. Gregor.

tiæ,

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

tiæ, aliter liuore vindictæ; & exponens quòd maledictum procedat ex amore iustitiæ dicit infra. Virtus sequens testatur, qua mente maledictionis sententia proferatur. Cum enim & maledicentis innocentia permanet, & tamen eum qui maledicitur vsque ad interitum maledicto absorbet, ex vtriusque partis fine colligitur, quòd ab vno & intimo Iudice in reum sententia sumpta iaculetur. Quia ergo maledictio ex fonte amoris & zelo iustitiæ quandoque progreditur, quandoque ex liuore vindictæ, vt videatur de qua maledictione hîc dicatur, est sciendum quòd hîc loquitur de maledictione procedente ex odio, vel rancore. Ille enim qui zelo iustitiæ alteri maledicit vt corrigat delinquentem, siue prædicat quòd peccati debeat euenire, non odit delinquentem, vt pereat homo delinquens, sed vt pereat in eo peccatum. Et quia quandoque contingit quòd non vult deserere peccatum optat ei malum pœnæ, vt sic à peccato ad viam iustitiæ reducatur; iuxta illud Psal. Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine. Quia si fortè nec sic vult se emendare, optat quòd de medio auferatur, vt eius pœna alii corrigantur; & vt ipse non efficiatur peior; & vt iusti non continuè per eum affligantur, sic quòd malum non detur ei, vel optetur nisi propter bonũ vel ipsius, vel aliorum; propter quod cum maledictionem sustinere, quæ beatos facit duo in se includat, scilicet quòd mendacium sit illud quod imponitur bonis, vel optatur euenire eis; & quòd propter Christum eis talia mala imponantur, vel imprecentur; & illa maledictio quæ ex amore iustitiæ procedit, malum inexistens corrigat; & ille qui corripitur non propter Deum, sed propter peccatum suum corripiatur, manifestum est quòd huiusmodi maledictionem sustinere non facit beatum nisi dispositiuè; scilicet si propter huiusmodi maledictionẽ se velit corrigere. Vnde & Petrus Simoni Mago maledicẽs Act. 8. dicit. Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniã donum Dei existimasti pecunia possideri; non est tibi pars, neque sors in sermone isto; Cor enim tuum non est rectum coram Deo, pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua. Sed sustinere maledictionẽ quæ procedit ex odio, & rancore maledicẽtis beatum facit solum, quòd illa duo absint; scilicet quòd mendacium sit illud, quod imponitur à maledicente; & quòd propter Deum illa maledictio inferatur; quia si alterum horum desit non facit beatum talem maledictionem audire, sed ostendit

Idem.

Psal. 82.

Act. 4.

A miserum, nisi per accidẽs hoc fiat. Si enim in homine sit malum vel peccatum, quod alter liuore vindictæ ei improperat; quanto magis eius malum diuulgatur tanto miserior est; sed per accidens contingit quòd illam maledictionem audire boni occasio sit, quando ex illa maledictione se corrigit, cum videt sua mala esse propalata, vel etiam pro pœnitentia peccati illam maledictionem patienter sustinet, quemadmodum fecit Daniel maledictus à Semei. Vnde & Chrysost. hîc dicit. Si quod de te malum dictum est verum est, non es beatus, quia veram dictum est de te; & illa blasphemia pertinet non tibi ad mercedem iustitiæ, sed ad vindictam peccati; nisi fortè ratione patientiæ, vel pœnitentiæ; quandoque enim sic plus proficit inimicus obiurgãs, quàm amicus blandiens. Si etiam in homine non sit peccatum quod ei mendaciter ab aliquo imponitur; sed tamen nõn propter causam Dei, sed propter priuata odia maledicitur, illa maledictio non facit eum beatũ, si eam patienter sustinet, nisi per accidens, si eam sustinet patienter propter Dei mãdatum. Sed quia contingit quòd maledictio progrediẽs ex odio & rancore vtrunque istorum habet, quia inimicus non curat an verũ sit, an falsum illud, quod suo inimico imponit; sed solum quòd eum difamari, vel puniri faciat; quia non nisi vindictam quærit, quam quocumque modo attingere possit siue vera crimina imponendo, siue falsa ei confingendo ei sufficit quòd suspecta habeatur omnis accusatio, & testificatio inimici; quia etiam contingit esse inimicitias inter homines propter religionẽ, qua Deo seruitur; ideo potest esse quòd inimicitiæ sint propter Deum, ex quibus inimicitiis maledicta confingunt, ideo cum maledicta quæ procedunt ex liuore vindictæ, sint quandoque & falsa, & propter Deum imposita iustis veram religionem Dei obseruantibus; huiusmodi maledictorum tolerantia bonos facit: propter quod & in antiqua translatione ita habetur, vt dicit Glo. Antiqua translatio habet. [*Beati eritis cum oderint vos homines, & dixerint omne malum:*] idem etiam sensus est in natura. Beati, cum huiusmodi maledicta ex odio cordis fiant. Et interli. hîc dicit. Cum maledixerint vos homines, idest cum ex odio in faciem contumelias dixerint. Et Luc. 6. Quando hæc beatitudo ponitur sic dicitur. [*Beati eritis cum vos oderint homines*] sic ergo vt ostendatur ex quo fonte progredi habet maledictio quæ beatos facit, ponitur in antiqua translatione, & in Luca odium.

B

C

D

E

2. Reg. 16. Chrysost. hom. 9.

Glos.

Glos.

Luc. 6.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

SVMMARIVM.

Quare patienter tolerare maledictiones hominum, & criminationes, ideſt impoſitiones falſorum criminum propter Deum, facit hominem eſſe beatum.

VI TAles autem maledictiones, vel peccatorum impoſitiones mendaciter contra hominem iuſtum, propter Chriſtum ab impijs iactatas tolerare beatos facit, & meritò, inter omnia enim quę multum homines diligũt, clara fama, & honor multum diligi ſolent, iuxta illud Prouer. 22, Prou.22. Melius eſt nomen bonum quàm diuitiæ, ſuper argẽtum & aurum gratia bona eſt: & quia per tales maledictiones, & criminum impoſitiones, famę claritas & honor obfuſcantur, & deſtruuntur in conſpectu hominum, ideo multum homines ſolent contriſtari de perditione vel obfuſcatione honoris, & famæ; & multi ſunt, qui grauius tolerant honoris, & famæ perditionem, quàm ſi cogerentur ſubire mortem. Idem 25. Vnde Prouer. 25. dicitur. Iaculum & gladius, & ſagitta acuta, homo qui loquitur contra proximum ſuum falſum teſtimonium. Et ſi homines cõmuniter multum diligunt famæ claritatem, & honorem, quantò magis illi, qui veraciter ſunt claræ famæ, & digni honore? quia virtuoſi cum plurimum diligunt, cum eis propriè honor conueniat, & famæ claritas: Vnde & de magnanimo dicitur quòd cum periclitatur honor non parcit vitæ, vt non dignum exiſtens omnino viuere 4. Ethic. Ariſtot. Et de Catone dicitur ab Auguſt. 1. de ciuita. Dei cap. 23. Auguſt. Quòd vir doctus & probus exiſtens non potuit tolerare, quòd ſubeſſet Ceſari, ſed ſe ipſum interfecit malens mori, quàm dehoneſtari. Quia ergo ſummè difficile eſt patienter virtuoſum tolerare, quòd ab iniquis eius fama & honor per maledictiones, vel criminũ impoſitiones lædantur, vel obfuſcentur, ideo magni meriti eſt iſta propter Chriſtum tolerare, & tantò magis, quãtò quis magis eſt virtuoſus, & ab impijs eius fama laceratur. Vnde & Chryſoſt. hîc dicit. Chryſoſt. hom. 15. Non ſolum periculorum, quę ſuſtinuerũt Sancti, ſed & malę locutionis multam determinat retributionem, difficilius enim rebus ipſis mordent accuſationes; in periculis enim multa ſunt, quæ alleuiant dolorem; puta ab omnibus confortari, multos habere applaudentes, & coronantes; & famam prædicantes, hîc autem in mala locutione, & ipſa fama deſtructa eſt. Multi itaque & vſque ad laquei ſuffocationem venerunt, pernicioſam non ferentes

F doxam, ideſt gloriam. Etenim Iob qui adamante & petra fuit ſolidior, cum pecuniæ ei auferentur, & intolerabilia mala paſſus eſſet, & ſine filijs factus fuiſſet, & fontem vermium corpus ſuum factum eſſe videretur, omnia cum facilitate repulit; vbi autem vidit amicos exprobrãtes, & ſuperuenientes; & pernicioſam doxam de eo habentes, & dicentes pro peccatis hæc pati, & malitiæ dare vindictam, tunc turbatus eſt, tũc tumultuatus eſt magnus ille & nobilis; quantò enim homo eſt in
G maiori virtute conſtitutus, quãdo ab impijs, & indignis reprehenditur, & accuſatur mendaciter; tunc magis indignari ſolet iuxta illud Iob 30. Tunc derident me Iob 30. iuniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei. Et infra. Filij ſtultorum, & ignobilium, & Ibidem. in terra penitus non parẽtes: Nunc in eorum canticum verſus ſum; & factus ſum eis in prouerbium, abhominantur me, & longè fugiunt à me, & faciem meam conſpuere non verentur. Quod exponẽs Gre
H gor. 20. lib. moral. cap. 17. dicit. His verbis illud tempus eccleſiæ exprimitur, quo publicè à reprobis deridetur; quando iniquis creſcentibus in opprobrium fides, & veritas erit in crimen; Tantò quippè deſpectior vnuſquiſque tunc erit, quantò iuſtior eſſe potuerit, tantò abhominabilis, quantò laudabilis; Nam afflictionis tempore eccleſiam. doctorũ prouerbium prauis efficitur, quia cum bonos mori per tormenta conſpiciunt, ab eis ſimilitudinẽ maledictionis ſumunt. Cum ergo quiſ-
I que virtuoſus tantò magis affligatur maledictionis verba ſibi illata audiens ab impijs, quantò magis ipſe virtuoſus eſt, & minus dignus talia audire, iccirco quando patiẽter tolerat, ſuum meritum accumulat. Et maxime quando vidĕt quòd in Chriſti vituperium iniuriæ impiorum in ipſum prolatæ conuertuntur, cum videat ſe non vituperari niſi quia eſt Chriſtianus; & quãtò plus Chriſtum diligit quàm honorem, & famam ſuam, immo etiam plus, quàm ſe ipſum, tantò magis dolet,
K & turbatur in ſeipſo, quãdo Chriſtum in ſe contemni videt. Quia ergo hæc tria ſimul iuncta claræ famę, obfuſcatio mendaciter facta, impiorum deriſio, & Chriſti vituperatio, multum ſolent turbare ſanctos, cum quidlibet eorum per ſe ſit ſufficiens conturbare virtuoſum, iccirco patienter iſta tolerare magni meriti eſſe debet; propter quod non immeritò hîc beati dicuntur. Vnde & Chryſoſt. hîc dicit. Chryſoſt. hom. 9. Si verum eſt, quòd qui nobis calicẽ aquæ perrexerit merces eius non perit, conſe-

quenter

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

quenter qui vel vnius leuissimi verbi nobis iniuriam pro Christo fecerit, iniuria nostra non est vacua à mercede.

SVMMARIVM.

Quòd fama & honor debent concupisci, non propter se, sed propter aliud, & quòd fama & honor concupita debitè magnorum & virtuosorum operum sunt caussa & facinus abstinere concupiscentiam ipsam ab operibus vitiosis.

VII. CIrca quod attendendum est, quòd licèt honor & famæ claritas non sint vt per se appetenda; quia in eis finis poni non debet, tamen quia multum sunt vtilia ad bonam vitam moralem tàm habèti ipsa, quàm alijs, iccirco custodiri debent quantò possibilius est, ne perdantur per malignãtium oblocutiones. Quod autem fama & honor sint multum vtilia & habenti, & alijs, manifestum est, multi enim desistunt ab operibus prauis, ne famam claram, & honorẽ perdant; ad bona etiam opera exercenda plurimum excitantur vt famam, & honorem acquirant, & acquisita custodiant. Vnde & August. 5. de ciuit. Dei cap. 18. dicit. Hæc duo sunt, scilicet libertas, & cupiditas humanæ laudis, quæ ad facta miranda compulit Romanos. Et cap. 12. Laudis auiditas, & cupido glorię, multa illa miranda fecit, laudabilia, scilicet, atque glorioſa, secundum hominum æstimationẽ; Et cap. 13. dicit idem. Qui libidines turpiores fide pietatis impetrata Spiritu sancto, & amore intelligibilis pulchritudinis non refrenant, melius saltem cupiditate humanæ laudis, & gloriæ, non quidẽ iam sancti, sed minus turpes sunt. Vnde & Tullius in lib. de Repu. vbi loquitur de instituendo principe ciuitatis dicit, quòd alendus est gloria. Et in libris philosophiæ dicit idẽ Tullius. Honos alit artes omnesq́; accendũtur ad studia propter gloriã; iacentq́; ea semper, quæ apud quosque improbantur. Ex quibus patet manifestè quòd ad magna opera, & virtuosa excitantur homines propter claritatem famæ obtinẽdam, vel iam habitam conseruandam; nec solum facit opera virtutum perficere, sed etiam custodit homines ne corruant in peccata. Vnde Ambro. 8. lib. super Luc. cap. 18. dicit. Pudor bonus magister est officij, infirmus autem custos diuturnitatis timor; qui enim metuit, reprimitur, non emendatur, quem pudet facere, in naturam vertit; propter quod, qui timorem confusionis humanæ habet, non faciliter efficitur vitiosus. Nec solum famæ claritas proficit homini habenti eam, sed etiam multũ proficit aliis. Vnde August. in epistola ad Aurelium dicit. Ab eis qui hominem honorant, nec totum honorem, nec nihil est accipiendum; & id quod accipitur laudis, aut honoris, non propter se bonus accipit, qui totus coram Deo esse debet, & humana contẽnere; sed propter illos accipit, quibus consulere nõ potest si nimia deiectioni vilescat. Et infra. Magnum est de honoribus & laudibus hominum non lętari; sed omnem inanem pompam præcidere, & si quid inde necessarium retinetur, id totum ad vtilitatem honorantium, salutemque conferre. Et primo de ciuit. Dei cap. 9. dicit idem. Hi qui superiorem vitæ gradum tenent nec coniugalibus vinculis irretiti sunt; & victu paruo, ac tegumento vtuntur, plerumque suæ famæ, ac saluti consulentes, dum insidias, atque impetus malorum timent, ab eorum reprehensione sese abstinẽt, ne si non potuerint sua salus ac fama in periculũ, exitiumq́; perueniant; nec ea consideratione qua suam famam, ac salutem vident esse necessariam vtilitati erudiendorum hominum; sed ea potius infirmitate, qua delectat lingua blandiens, & humanus dies, & reformidatur vulgi iudicium & carnis excruciatio vel peremptio hæc est propter quædam cupiditatis vincula, nõ propter officia charitatis. Ex quibus manifestè colligitur quòd famæ claritas multum est vtilis ad bona opera peragenda, & ad peccata vitanda illi qui eam habet; nec solum illi, immo & proximis eius qui & doctrinam, & correctionem eius libentius accipiunt; quàm si famosus in doctrina, & moribus non esset, propter quod multum diligenter custodienda est, iuxta illud Eccl. 41. Curam habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri magis pretiosi, bonæ vitæ numerus dierum, bonum autem nomen permanebit in æuum.

SVMMARIVM.

Quòd sicut appetere claritatem famæ propter virtutem, & Deum, est multum laudabile, & multorum bonorum operum caussa; ita appetere eam propter se non referendo eam ad virtutem, nec ad Deum, est caussa multorum malorum, & ideo si claritas famæ non possit retineri sine hoc quòd actus virtutis dimittatur; vel Deus qui est finis vltimus perdatur, contemnenda est ipsa claritas famæ; & virtuti, & Deo est adhærendum.

VIII

VEruntamen quia præclara fama non debet esse finis bonæ vitæ, vt propter eam conseruandam benè viuatur, dicente

Augusti. Augusti. 5. de ciuit. Dei cap. 15. Apostoli inter maledicta & opprobria, inter grauissimas persecutiones, crudelesq; pœnas non sunt deterriti à prædicatione salutis humanæ, tanto fremitu offensionis humanæ; & quia eos diuina facientes atque dicentes, diuineque viuentes debellatis quodammodo cordibus duris, atque introducta pace iustitiæ ingens in Ecclesia Christi gloria consecuta est, nõ in ea tamquam in sue virtutis fine quieuerunt, sed eam quoque ipsam ad Dei gloriam retulerunt, sed debet ea homo vti ad finem vltimum eam dirigendo, ad quod etiã omnis virtus humana dirigi debet, iccirco si contingat quòd vltimus finis perdi, vel amitti debeat, si famâ clara debeat retineri; tunc debet omnino fama sperni humana, vt finis vltimus, immo etiam, vt virtus retineri possit; fama enim ad virtutem, & beatitudinem debet ordinari, & non virtus & beatitudo ad famam; dicente Augusti. 5. de ciuit. Dei cap. 20. Non

Idem. Idem. æstimo debiti decoris esse picturam si talis fingatur, vbi virtutes humanæ gloriæ seruiant; Licèt enim ista gloria delicata mulier non sit, inflata tamen est, & multum inanitatis habet; Vnde non ei dignè seruit soliditas quædam, firmitasq; virtutum vr nihil prouideat prudentia, nihil distribuat iustitia, nihil toleret fortitudo, nihil temperantia moderetur, nisi vnde placeatur hominibus; & ventosæ gloriæ seruiatur; Nam quando contingit, quòd claritas famæ præferatur virtuti, & beatitudini, non solum bona non est, immo multorum malorum causa est, dicẽte domino. Ioan. 5. Quomodo potestis vos credere qui gloriam ab inuicẽ accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est non quæritis? & Ioan. 12. Multi qui crediderunt in eum non confitebantur vt de synagoga non eijcerẽtur, dilexerunt enim gloriam hominum magis quàm gloriam Dei.

Ioan. 5. Idem 12. Chrysost. Et Chrysostomus super Ioann. dicit. Non est eum, qui vehementer præsenti seruit gloriæ, ea quæ à Deo est, potiri, ebrietas enim quædam profunda est; ideo difficile reducibilem eum, qui captus est, facit hæc passio, hæc eorum animam, qui capiuntur ab ea, abscindens à cœlis, terræ affigit, & ad lucem respicere veram non dimittit, sed in gurgite semper volutari suadet, & infra. Propter gloriam humanam fidem mutant, & vt ipsi glorificentur, Deum debonorant; hæc passio omnia superius, & inferius facit; hæc auaritiam

Idem. genuit, liuorem, accusationem, insidias; hæc eos, qui nihil mali passi sunt aduersus eos, qui nihil mali eis fecerũt, armat, & irritat; & neque amicitiam nouit, qui in hanc æquitudinem incidit; non assuetudinis meminit, non verecundari ob aliquem vniuersaliter scit; sed omnia ab animo eijciens bona, ad omnes bellatur; & sine amicis existit; & non est tempus (vt ita dicam) in quo quiescere possit, non intelligentia prohibente eam, & subtrahente, sed semper adest; non solum suadens peccare, sed & si contingit nos dirigere aliquid, & hæc de manibus rapit. Et vt dicit idem. Hæc passio vbique principatum extendit suum, & ætatem omnem detinet tyrannicè; hæc & ciuiles lædit res, hæc & domus integras euertit, & ciuitates, & plebes, & gentes. Et Hom. 30. dicit idem. Versutum gloriæ amor; versutum & multis plenum malis spina quædam est difficilè euelli; & fera immansueta, & multa capita habens, & aduersus eos, qui nutriunt eam, armata. Quemadmodum enim vermis ligna in quibus generatur, corrodit, & erugo ferrum vnde procedit, consumit, & tetes lanam, ita & vanagloria nutrientem se perdit animam. Quia ergo si quando amor claritatis famæ diligitur ad finem virtutis, & beatitudinis, est laudabilis multum; ita est vituperabilis, & multorum peccatorum initium, quando ponitur vltimus finis in ea: Iccirco si virtus, vel beatitudo impeditur, vel amittitur propter gloriam humanam omnino spernenda est, & pro nihilo reputanda. Quod attendens Dominus beatificat illos, qui maledictiones, & opprobria hominum sustinent propter ipsum; quia tales plus Christum, & virtutem diligunt, quàm claram famam hominum mundanorum. Nec mirum si plus diligunt Deum, & virtutes, quàm famæ claritatem; cum claritatem famæ rectè non appetant, nisi vt quadam necessitate sint adstricti ad bona opera peragenda, & ad vitanda peccata; & ad hoc, quòd multis proficiant ad salutem, & sic vtuntur gloria, & fruuntur virtute & Deo.

Idem. Idem.

SVMMARIVM.

Quòd laus & honor à mundanis & animalibus hominibus exhibita alicui paruipendenda sunt; nec curandum est bono viro de laudibus, vel vituperationibus eorum, sed sicut laus bonorum appetenda est, sic vituperatio fugienda.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

IX VErum est etiam, quòd vt Dominus ostenderet quæ maledictiones sanctis timendæ essent, dixit. [*Cum maledixerint vobis homines.*] Homines enim in scriptura intelliguntur poni pro hominibus carnalibus, & mundialibus, qui nihil diuinum cogitant, vel volunt, sed solum terrena sapiunt, quomodo homines accipit Apostolus 1.ad Corin. 2. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei; stultitia enim est illi, & non potest intelligere; quibus displicere signum est perfectæ virtutis; dicente Apostolo ad Gal. 1. Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. Et Anacletus in prima epistola dicit. Scimus multos ob id infestare Doctores vt eos perdant; & propriæ voluntatis placita adimpleant, non propterea tamen Doctores, inquantum vires suppetunt, à recta emulatione, & bona intentione recedere debent, scientes quòd beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Nihil illo est pastore miserius, qui luporũ laudibus gloriatur, quibus si placere voluerit, atque ab illis amari deelegerit, erit hæc ouibus magna pernicies; nullus ergo pastor placere lupis, & gregibus ouium potest. Et Petrus in ordinatione Clementis vt dicitur in prima epistola Clementis, dicit. Si te multi e fratribus propter rigorem iustitiæ odio habuerunt, ex hoc non læderis; sed huiusmodi odiis amor tibi consiliabitur Dei; & ideo satage magis, & refuge ne laudaris ab iniquis, & ne à pessimè agentibus diligaris; sed propter potius iustitiæ dispensationem, & æquissimam regulam disciplinę à Christo collaudari merearis. Ex quibus patet si Sancti ab hominibus animalibus, & mundanis, idest sola mundana diligentibus blasphementur, non debent eorum blasphemias metuere; tum quia mali non laudant nisi sibi consimiles, tum etiam quia frequẽter vituperium eorum laus magna est. Vnde & Prouer. 28. dicitur. Qui derelinquunt legem laudant impium, qui custodiunt succenduntur contra eum. Sed illa vituperatio vel blasphematio sanctis timenda est, quæ fit ab hominibus perfectis cum illi non vituperẽt scienter aliquem, nisi quem dignum vituperatione æstimant; nec laudent, nisi quem dignum laude credunt, Vnde & in laudem Demetrii dicit Ioan. in tertia epistola. Demetrio testimonium redditur ab omnibus, & ab ipsa veritate, & nos testimonium perhibemus, & nosti quoniã testimonium nostrum verum est. Vnde & de Hæliseo legitur quòd pueris Bethel, qui ei illudebant dicentes, Ascende calue, ascende calue, maledixit in nomine Domini; de quibus duo Vrsi, quadraginta duos pueros lacerarunt 4.Reg. 2. Vnde & Apostolus attendens, quæ maledictio timenda non esset, dicit 1. ad Tim. 4. Fidelis sermo & omni acceptatione dignus, in hoc enim laboramus, & maledicimur, quia speramus in Deum viuũ, qui est saluator omnium hominum, maximè fidelium.

1.Cor.2. Gal.1. Anacl. Papa. Clemens Papa. Prou.28. Io.epist.3. 4.Reg.2. 1.Tim.4.

SVMMARIVM.

Quòd expediens fuit Apostolis, quòd ab hominibus mundialibus maledicerentur, vt non superbirent de magnis donis à Deo illis collatis, sed in virtute humilitatis firmi, & constantes mancrent.

X ESt autem attendendum, quòd rectè Apostolis dicitur, quòd [*Beati erunt cum eos homines maledixerint*] Quantò enim homo dignior laude est, tantò ei grauius est, quando per homines eius fama denigratur per maledictiones, & conuitia eorum. Apostoli autem (vt superius dicebatur) tanta gloria digni erant, quòd nullus eis dignior gloria fuit; cum & in cognitione diuinorum fuerint vltra humanum modum subitò eleuati, & in perpetratione mirandorum, stupendorum, & vtilissimorum operum multipliciter decorati; & in subiugatione hominum multum sublimati; quia mundus, quem nec philosophia, nec arma debellare potuerunt, & suæ sectæ subiugare, eorum doctrina, & miraculis sine ferro conuersus fuit; & cum homines vel propter scientiam, vel propter opera magna, vel propter multorum subiectionem cõmuniter soleant laudari, & glorioſi haberi; Apostoli, qui omnia hęc excellentius inter homines consecuti sunt, non est mirũ si multum laudabiles, & super omnes homines glorioſi apparuerunt; propter quod cum tam laudabiles essent, non est mirũ si morderentur blasphemiis malignantium. Et quia plus eos, quàm alios mordere poterat vituperatio malignantium, hîc Beati dicũtur cum eos homines maledixerint; vt sæpe beatitudinis promissæ non dolerent de maledictione hominum, sed gauderent. Quòd maximè necessarium eis fuit, vt sic exhortarentur ad maledictiones sufferẽdas si inferrẽtur; homines enim simplicis status, & conditionis quãdo subitò ad magnum statum, & supra commu nem statum humanum promouentur, in magnam superbiam, & iactantiam erigi solent; propter quod vix tolerare possunt

quòd

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

quòd aliquid eis dicatur, vel fiat contra eorum velle. Vnde & magis affliguntur si vituperentur, quàm illi, qui paulatim, & cum magno labore & diuturno ad statum magnum peruenerunt. Vnde 4. Ethic. dicitur. Aristot. Sine virtute non facilè est ferre moderatè bonas fortunas; non potentes autem ferre, & æstimantes alios superexcellere, alios contemnunt. Vnde talibus qui ad magna subito prouehũtur magna medicina est ne superbiant; quòd vel habeãt aliquos, qui eos reprehendãt, vel aliquod in eis fiat, quo ad suam fragilitatem, & insufficiẽtiam intuendam eorum animus aliquotiens conuertatur. Vnde & Apostolus 2. ad Corint. 12. de se dicit. 2. Cor. 12. Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Sathanę qui me colaphizet. Vbi dicit Glo. Glos. Cętera vitia tantum in malefactis valent, superbia vero sola in rectè factis cauenda est. Cum enim quisque profecerit superbia tentatur, vt perdat totum profectum. Non itaque mirum si contra capitale vitium appositum sibi Apostolus dicit mordax epytima quo tumor curaretur. Et Chrysost. in homiliario hæc dicit. Chrysost. hom. 15. Sicut elatio fons est omnis malitiæ, ita humilitas vniuersæ philosophiæ est principium. Et quamuis discipuli vndique essent humiles (neque enim habebant occasionem aliquam elationis, piscatores, & inopes existentes, & ignobiles, & idiotæ) tamen quia postea post signa & miracula, & orbis terrarum honorem, & liberã ad Deum præsentiam indigebant hac vtilitate, scilicet humilitate; neque enim diuitiæ, neque potẽtia, neque ipsum regnum ita extollere erat sufficiens, vt vniuersa quæ illis extiterunt. Quia ergo ad tantam excellentiã subito venturi erant de qua non immeritò superbire poterant, ideo prædicit eis quòd humiliationes & maledictiones ab hominibus paterentur; vt humilitatem conseruare possent, quã etiam seruauerunt maledictiones hominum humiliter tolerantes, nec propter eas à via iustitiæ deuiantes, pro maledicentibus deprecantes, maledicentes etiam diligentes.

F

G

H

I

K

SVMMARIVM.

Quòd tria sunt, quæ faciunt, quòd vituperia & maledictiones hominum non exasperent illum cui inferuntur; scilicet si sit peregrinus & in aliena terra; si vituperetur ab ijs, qui eius dignitatem non cognoscunt; vel si ab insipientibus, & stultis vituperium inferatur: & si multum diligatur ille, qui iniuriam intulit; & quia Apostoli erant peregrini in hoc mundo, & homines mundi eorum dignitates non cognoscebant, erant phrenetici, & stulti; iccirco eorum vituperia patienter sustinuerunt, quia eorum salutem diligebant.

VT enim dicit Chrysost. super Io. moral. 71. Tria sunt quæ faciunt quòd homo de iniuria sibi illata ab alio nõ contristetur; quorum Primum est. Si iniuriæ dicantur, vel fiant homini quando est in aliena patria vbi cognitus non est; vnde & homo in terra aliena, & inter ignotos existens, non cũrat de conuiciis sibi illatis: vnde dicit. Extranei sumus & peregrini, nullo igitur tristium doleamus, neque enim si ex patria clara natus, & illustribus genitoribus, in longinquam aliquam terram abiisset nulli notus existẽs, non filios habens; non diuitias; Si iniuriatus quis sibi fuisset, dolere vtique non debet veluti si domi hæc pateretur; cum enim in extranea, & aliena reperiatur, omnia ferre facilè suadetur; idest & contemni, & esurire, & sitire, & quodcũque pati. Secundum est quando iniuriæ fiunt, vel dicuntur homini ab illis, qui eius dignitatem non cognoscunt; nullus enim iniuriam sibi factam reputat, si etiam in domo propria fiat ei à carente vsu rationis; quia scit quòd ex fatuitate, vel ignorantia iniuriam facit, vel dicit. Vnde dicit. Si quis noscens Præfectum iniuriatus fuerit, tunc iniuria amara est; si verò priuatus existimatus iniuriatus fuerit, neque tangere potest eum iniuria qui hæc patitur. Tertium est si multum diligatur ille, qui iniuriam intulit; quia amor iniuriantis mitescere facit iniuriam iniuriato. Si enim filius patri iniurietur pater faciliter remittit, quia vix, vel nunquam potest filium odire; cuius signum est, quasi extraneus vellet filium dure punire, pater sufferre æquanimiter non posset; vt patet de Dauid dolente de morte Absalonis: hoc videmus etiam inhonesto amore, quia meretrix frequenter conuiciatur amasio, & tamẽ amasius conuicia non reputat meretricis. Vnde 3. Esdre cap. 4. dicitur. 3. Esd. 4. Credite mihi quia magnus est Rex in potestate sua, quoniã omnes regiones verentur tangere eum; Videbã tamẽ Apemen filiam Bezacis mirifici concubinam regis sedẽtem iuxta regem ad dexteram, & auferentem diadema de capite eius, & imponẽtem sibi, & palmis cędebat regem de sinistra manu: & super hæc ore aperto intuebatur eam, & si arriserit ei ridet; nam si indignata fuerit ei blanditur donec reconcilietur in gratiã. Et Chrysost. Chrysost.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

in dicto morali dicit. Eos qui amantur conuiciantes ferimus, & infra. Non vides eos qui amant, ij de meretricibus mulieribus crimina circumardentes derisi mollitam sustinentes meretricem auertentem decies millies, & conuiciantem; & tamen si semel iocundum quid, & placabile viderint, omnia ei in prosperitate, & omnia priora obliuioni dãtur; & omnia ex tranquillitate feruntur; & si inopia, & si ęgritudo, & si quodcunque aliud ab iis acciderit cum tranquillitate ferimus; & si illa conuiciata fuerit; & si in faciem cędat, ro sas immitti ęstimant hæc patientes; & domum illius omnibus æstimant clariorem & si lutea fuerit, & si ruinam minetur; & non solum domum, sed loca ipsa vbi conuersatur. Ex quibus patet, quòd esse extra patriam suam & non cognosci ab aliquo, & multum aliquem amare, faciunt quòd conuicia & maledictiones tolerare à talibus facile est: & quia Apostoli aduenę & peregrini in hoc mundo erant iuxta illud Apostoli ad Hebr. 11. Peregrini & hospites se esse confitebantur super terram, ideo non curabunt si eos mũdus deridebat, iuxta illud Ioan. 15. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret; quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Et Chrysost. in dicto morali dicit. Quoniam extraneus es, & peregrinus, nihil te eorum quæ in hac extranea terra tibi fiunt, turbet; etenim ciuitatem expectas, cuius conditor & artifex est Deus; qui vult ergo feriat conuicietur, iniurietur, in extranea patria sumus, & viliter viuimus. Quia etiam, mundani homines dignitatem Apostolorum ignorabant, vt vesani, & phrenetici existentes; ideo Apostoli de eorum conuitiis & maledictionibus non curabant: Vnde & Dominus Ioan. 16. docens Apostolos. de iniuriis contemnendis dicit. Extra synagogas facient vos, & hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem, neque me. Vnde & Chrys. in dicto morali dicit. Neque sciunt conuiciatores, qui sumus, puta ciues cęlorum, & in superiorem patriam scripti; & Cherubin sumus quo exultatores, ne igitur doleamus, nec iniuriam æstimemus iniuriam, si enim cognoscerent nequaquam conuiciati essent. Vnde & Dominus hanc caussam remittendi iniuriam factam Patri in persona sua à crucifixoribus suis allegans dicit Luc. 23. Pater dimitte illis quia nesciũt quid faciũt: quem etiam sequutus est Stephanus dicęs Actu. 7. Domine ne statuas illis hoc peccatum. Quia etiam Apostoli omnes homines diligebant, ad salutem æternam eos adducere cupientes, iccirco non curabant de eorum irrisionibus, dummodo eos ad saluationẽ perducere possent. Vnde & Apostolus pro Iudæis, qui eum quinquies verberauerant, persecuti fuerãt, in manusq; Romanorũ eũ tradiderãt, ac sãguinẽ eius sitiebant, dicebat ad Rom. 10. Optabam ego ipse Anathema esse à Christo pro fratribus meis qui sunt cognati mei secundum carnem, & 2. ad Corint. 12. Ego libentissimè impendam, & super impendar ego ipse pro animabus vestris, licet plus vos diligens minus à vobis diligar. Nec mirum cum ipsi Apostoli materna viscera ad omnes homines habuerint; mater autem non reputat iniurias filiorũ præ magnitudine amoris, quem habet ad eos. Vnde & August. in quoddam sermone de purificatione Beatæ Mariæ dicit. Mater non attendit iniurias filiorum, à quibus non vt dignũ est honoratur, tolerat enim pia mater irreuerentiam filiorum, quia amore vincitur generationis. Et Chryso. in dicto morali dicit. Non similiter eos, qui amantur conuiciantes ferimus, & eos quos ignoramus. Hinc est quòd consolantes eos, qui cõuicium passi sunt dicimus, multoties. Hinc frater est qui conuicium intulit fer nobiliter; vel Pater tuus est, & sic consolamur eos de conuicio passo, vt non velint procedere ad vindictam, sed suorum propinquorum iniurias æquanimiter ferant, vel etiam contemnant: non enim potest obliuisci mater filii sui vt nõ misereatur filio vteri sui Isa. 49. Quia ergo Apostoli erant peregrini & aduenæ in hoc mundo; & huius mundi homines eorum dignitatem non cognoscebant; & ipsi Apostoli & omnes homines ad salutẽ adducere cupiebant, ideo iniurias & maledictiones mundanorum hominum paruipendebant. Nec mirum si paruipendebãt maledictiones, cum nec eorũ benedictiones, & laudes nisi pro quanto homines mundi per hæc ad fidem inducebãtur pro magno æstimarent. Vt enim dicit Chryso. hîc in expositione. Qui lętatur de laude hominum, ille & de vituperatione hominum contristatur: qui autem de laude hominum non extollitur, nec de vituperatione humiliatur. Vnde & Isa. 51. dicitur. Nolite timere opprobria hominũ, & blasphemias eorum ne metuatis; & 1. Pet. 4. dicitur. Si exprobramini in nomine Christi beati eritis; quoniam quod est honoris gloriæ & virtutis Dei; & qui est spiritus eius super vos requiescet; in quo autem Deus requiescit beatus est, nunc quidem in spe, tunc autem in re; & quia in il-

Heb. 11. Ioan. 15. Chrysost. Ioan. 16. Chrysost. Luc. 23. Actu. 7. Rom. 10. 2. Cor. 12. Augusst. Chrysost. Isa. 49. Chrysost. hom. 9. Isa. 51. 1. Pet. 4.

lis,

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

lis, qui ab hominibus pro Christi nomine exprobrantur Deus requiescit, vt dicit Petrus; iccirco rectè tales beati dicuntur cum dicitur. [*Beati estis cum maledixerint vobis homines.*

SVMMARIVM.

Quòd persecutio citra mortem est vel violentiam inferendo, vel insidijs aliquid appetendo; quas duas persecutiones passi fuerunt Dominus, & Apostoli; & quòd hæc beatitudo magis intelligitur de dictis persecutionibus, quæ sunt citra mortem, quàm de illa per quam mors infertur.

XII

ET quia post maledictiones frequenter solent sequi persecutiones iuxta illud Eccl. 22. Ante ignem camini vapor & fumus ignis inaltatur, sic & ante sanguinem maledicta, & contumeliæ, & minę; iccirco subditur. [*Et persecuti vos fuerint.*] Persecutio autem dupliciter fit, vel quando violentia manifesta alicui infertur; vel quando insidiis quis impetitur, dicente Augustino. 1. lib. de ser. Domini in monte. Persequi autem est vim inferre, vel insidiis appetere; violentiam intulerunt Domino qui eum ligauerunt, ligatū ad Principes sacerdotum duxerunt; deinde ad Pilatum, & qui eum flagellauerunt; ac postremò, qui eum crucifixerunt. Sed insidiis appetiit eum Iudas, qui eum Iudęis dolosè tradidit, & illi qui eum frequēter capere voluerant in sermone, vt, haberēt ab eo vnde accusare eum possent. Verumtamen licet vtroque modo Apostoli persecutionem passi fuerint ab hominibus, vt patet frequenter in actibus Apostolorum, quādo ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati Actu. 5. & vt dicitur eodem libro cap. 8. Facta est in illa die persecutio magna in ecclesia quæ erat Hierosolymis, & omnes dispersi sunt per regiones Iudęæ & Samariæ præter Apostolos; tamen in præsenti loco magis videtur accipi persecutio nō pro illatione mortis, vel vulnerum, sed pro compulsione ad fugam, vel eiectione à communi aliorum hominum consortio; siue hoc fiat per insidias, siue per apertam violentiam. Vnde & Lucas hanc beatitudinem ponens dicit cap. 6. [*Beati eritis cum vos oderint homines, & cum separauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen vestrum propter filium hominis.*] Quod exponens Beda dicit. Cum separauerint separent, & à synagoga expellent Christus inuenit & confirmat, & eiecerint nomen vestrum; vbi signat quòd christianorum nomen à Gentilibus, Iudęisq; sępissimè quantum ad ipsos memoriæ abrasum, & ab hominibus est eiectum; vt sic differentia sit inter persecutionem positam in octaua beatitudine; & illam quæ ponitur hîc, quia agitur de persecutione martyrū, qui propriè tunc dicuntur, quando pro Domino occiduntur; vel taliter tractantur quòd eos necesse est mori; sed hîc agitur de persecutione, quæ infertur alicui citra mortē, quæ sine magna remuneratione nō est.

SVMMARIVM.

Quòd fideles detractiones malorum hominum patientes, qui eis falsa crimina imponunt, non curant de hoc propter se; licèt curent propter eos, quia in nullo eorum bonitas ex hoc lęditur, immo augetur.

SEd quia contingit, quòd non solum aliqui sanctos persequuntur verbis iniuriosis eos in faciem blasphemantes, sed etiam verbis detractoriis quādo sunt absentes; ideo post persecutiones quibus faciunt fugere sanctos, sequūtur verba detractionum. Et dixerint inquit omne malum aduersum vos. Vbi dicit interli. Hoc est cum absentiū famam lędserint. Et Chrysost. in homilia dicit. Per omnia genera verborum malignantium; vtputa siue seductores, siue maleficos, siue pestiferos, & si aliud quodcunque vocauerint, [*Beati estis*] ait. Vnde & Apostolus de se & aliis Apostolis loquens dicit. Maledicimur, & benedicimus, persecutionem patimur, & sustinemus, blasphemamur, & obsecramus 1. ad Corin. 4. Quod exponens Glo. dicit. Maledicimur & benedicimus, hortando alios ad bonum; persecutionem idest tormenta patimur, & patienter sustinemus, & blasphemamur, vt Magi & malefici, & obsecramus Deum pro illis; per quæ Dominus ostendit quòd nullum vituperiū nullum verbum iniuriosum, nulliusque criminis impositio christiano timenda sunt; solummodo quòd & falsum sit, quod imponitur, & propter Deum imponatur. Vnde & infra 10. ad tales iniurias contemnendas Dominus animās Discipulos dicit. Si patrem familias Beelzebub vocauerunt, quantò magis domesticos eius? Vbi dicit Remigius. Tęporales honores & humanam gloriam non queratis dum me videtis per irrisiones, & opprobria genus humanum redimere. Quia ergo Dominus sine detrimento suæ gloriæ & bonitatis, multas iniurias & facti, & verbi sustinuit mendaciter sibi impositas;

Eccl. 22.
Augusti.
Actu. 5.
Idem 8.
Luc. 6.
Beda.
XII
Glos.
Chrysost. homil.
1. Cor. 4. Glos.
Matt. 10.
Remig.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

tas; similiter serui eius propter Christum tales sufferre debent; cum eorum bonitas ex hoc non diminuatur, immo ex hoc plurimum augeatur, suo Domino cõformes effici.

SVMMARIVM.

Quòd audire maledictiones, & pati persecutiones, non semper faciunt hominem beatum, sed miserum; sed quando illud crimen, quod imponitur alicui mendaciter imponitur, & quando propter Deum, vel virtutis bonum, quis persecutionem patitur: nisi per accidens hoc contingat; quia ex tali impositione veri criminis quis corrigitur.

XIIII SEd ne glorientur aliqui maligni, quando persecutiones prædictas patiuntur à bonis propter eorũ malignitates, ideo duo ponit, per quæ determinatur qui sint illi Beati, qui maledictiones, & persecutiones patiũtur, cũ subdit [*Mentientes propter me.*] Non enim beatus est, cui vera crimina improperãtur, immo tãtò infelicior est, quantò ad plurimam notitiã eius peruersitas deuenit; cum fetor eius ad plurimos diffundatur, & iam incipit esse non solum peccator, sed etiam aliorum scandalizator; & difficilius corrigitur, quia verecundiam peccandi amisit, vnde & ad peccatricem Hierusalem dicitur Hier. 3. Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Ille etiã, de quo mendaciter crimina dicuntur, si non propter Christum ei dicantur, sed propter priuata odia, non propter hoc beatus; sed quando, & mendaciter crimina imponuntur alicui, & propter hoc imponuntur quia christianus est, & fidem Christi defendit, & manutenet, tunc beatus est. Vnde & Chrysost. hîc dicit. Ne æstimes quoniam mala audire simpliciter beatos facit; duas posuit determinationes; quando, & propter Christum, & mendacia fuerint, quæ dicuntur; quoniam nisi hæc affuerint, non solum non beatus, sed & miser est, qui mala audit; potest tamen esse per accidens, quòd bonum est homini mala, quæ occultè facit, audire improperatiuè ab aliquo: Frequenter enim credimus, quòd mala nostra aliis sint occulta, & propter hoc non curamus nos corrigere; quæ cum ab alijs nobis improperantur, videntes quòd manifesta sunt, vel propter humanam confusionem emendamus nos ipsos, qui fortè in peccatis perdurauissemus, nisi ab inimico nobis peccatũ occultum fuisset improperatum. Vnde & Hiero. in prima responsione contra Iouinianũ dicit. L. Syllæ

Hier. 3.

Chrysost. hom. 15.

Hiero.

A Felicis si non habuisset vxorem: Metella coniux palàm erat impudica. Et quia nouissimi mala nostra discimus; id Athenis cantabatur, & Sylla ignorabat, secretaq; domus suæ primum hostium conuitio didicit. Et vt dicit idem. Duilius, qui prius Romæ nauali certamine triumphauit, Biliam virginem duxit vxorem, tantæ pudicitię, vt illo quoque seculo pro exemplo fuerit: is iam senex, & trementi corpore in quoddam iurgio audiuit exprobrari sibi os fętidum, & tristis se domum

B contulit; Cumque vxori quæstus esset, quare nunquam se monuisset, vt huic vitio mederetur, fecissem (inquit) illa nisi putassem omnibus viris sic os olere. Laudanda pudica fęmina, & quòd maritus infelicitatem corporis sui non vxoris fastidio, sed maledicto sensit inimici. Vnde & Augustinus 2. de Trinit. cap. 1. dicit. Magis optabo à quolibet corrigi, quàm siue ab errãte, siue ab adulante laudari; nullus enim reprehensor formidandus est amatori veritatis; aut enim reprehensurus est inimicus,

C aut amicus: Si inimicus insultat, ferendus est; amicus autem si errat, docendus, si docet andiendus. Laudator vero & errans confirmat errorem, & adulans illicit in errorẽ. Quia ergo contingit quandoque quòd audito crimine occulto homines corrigũtur; ideo per accidens quandoq; bonum hominem facit obiurgatio inimici. Vnde & Augustinus 9. confess. cap. 8. dicit de matre sua. Protulisti durum, & acutum ex altera anima conuicium contra matrem, tamquam medicinale ferrum

D ex occultis prouisionibus tuis, & vno ictu putredinem illam præcidisti. Ancilla enim cum qua mater solebat accedere ad cupam, litigans cum domina, vt solet fieri, sola cum sola, obiecit hoc crimen amarissima insultatione, vocans eam Meribibulam; Quo illa stimulo percussa, respexit fęditatem suam; confestimque damnauit, atque exiuit; Sicut enim amici adulanter parcendo perdunt; sic inimici litigantes plerumque corrigunt.

Idem.

Augustin.

Idem.

E

SVMMARIVM.

Quid sit pati persecutionem propter Christum, & quòd pati talem persecutionem facit beatum, & quòd pati persecutionem propter scelera sua, quæ commisit, non facit beatum, nisi per accidẽs, & quòd pati persecutionem propter scelera, in quibus vult permanere non facit beatum sed miserum.

XV PRopter Christum autem conuicia patiuntur non solum, qui in vituperium

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Christi blasphemãtur, sed etiam qui propter quamcunque virtutem, quam habẽt persecutionem vel maledictiones hominum sustinent. Christus enim est iustitia; sapientia, sanctificatio, redemptio, & omne bonum virtuosum, dicente Augustino. 8. de Trinit. cap. 3. Bonum hoc, & bonum illud, tolle hoc, & tolle illud, & vide ipsum bonum si potes, ita Deum videbis nõ alio bono bonum, sed bonum omnis boni. Ad quod attẽdens Dominus, quod in octaua beatitudine posuerat. [*Beati scilicet qui persecutionẽ patiuntur propter iustitiã,*] quasi hîc hoc declarãs, dicit. [*Mentientes propter me*] quasi idem sit pati persecutionem propter iustitiam, & persecutionem pati propter ipsum. Vnde & Bernar. in sermone ad clericos cap. vlt. dicit. Aduersitas non nocebit, immo etiam proderit, & copiosius proderit, dummodo iustitia sit in intentione, Christus in caussa, apud quem patientia pauperum non peribit in finem; qua beatitudine digni non sunt, qui maledicta, & opprobria sustinent, non propter Christum, vel iustitiam, sed propter facinora. Licet enim eadem patiantur, non tamen propter idem patiuntur, caussa enim facit diuersitatem in passis idem tormentum, dicente Augustino. 1. de ciuit. Dei cap. 8. Quicumque boni & mali pariter afflicti sunt, non ideò ipsi distincti non sunt, quia distinctum non est, quod vtriq; perpessi sunt. Manet enim dissimilitudo passorum etiam in similitudine passionũ, & licet sub tormento, non est idem virtus & vitium. Nam sicut sub vno igne aurum rutilat, palea fumat, & sub eadem tribula stipulæ comminuuntur, frumenta purgantur: nec ideo cum oleo amurca confunditur, quia eodem prelio pondere exprimitur: ita vna eademque vis irruens bonos probat, purificat, eliquat, malos damnat, vastat, exterminat; Vnde in eadem afflictione mali Deum detestantur, atque blasphemant, boni autem precantur, & laudant. Tantum interest, non qualia, sed qualis quisque patiatur; nam pari motu exagitatum & exhalat horribiliter cænum, & suauiter fragrat vnguentum. Vnde & Apostolus 1. Petri cap. 3. dicit. Melius est enim vt benè facientes si velit voluntas Dei pati quàm malefacientes, & cap. 4. dicit idem. Nemo vestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor; si autem vt christianus, non erubescat, glorificet autẽ Deum in isto nomine: quia vt subdit, ij qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli creatori commendent animas suas in benefactis. Licet autem non sit bonum quòd quis patiatur propter suas iniquitates, tamen si pœnam acceptet pro redemptione suorum peccatorum æstimans se iustè pati pro suis peccatis, & pœnitens de eisdem, illa pœna potest ei valere ad suorum peccatorum dilectionẽ; & tanta posset voluntas in peccati detestationem, & pœnæ acceptationem, quòd non solum delerentur peccata, sed etiam augerentur merita; quemadmodum fuit factum in latrone, qui cum Domino fuit crucifixus, qui se accusans de suis peccatis dicebat. Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es? & nos quidem iustè, nam digna factis recipimus, hic autem nihil mali fecit: propter quod & audire meruit, Hodie mecum eris in paradiso. Vnde Chrysost. in quoddam serm. de parasceue exponens hoc dictum latronis & nos quidem iustè; digna enim patimur ijs, quæ commisimus, dicit. Vidisti confessionem perfectam; Vidisti quomodo se in cruce exuit à peccatis: Dic iniquitates tuas prius vt iustificeris; Nemo compulit, nemo vim fecit, sed ipse se diuulgauit; ipse se condemnauit; non est ausus ante dicere, Memento mei Domine, quàm per confessionem iniquitatis præteritæ sarcinam peccatorũ deponeret. Vides quanta res sit confessio; confessus est, & paradisum aperuit; confessus est, & tantæ fiduciæ robur accepit, vt de latrocinio regnum deposceret. Quo exẽplo patet, quod licet non sit bonum per se aliquem pati pœnas, vt malefactorem, tamen si acceptentur pœnæ quæ inferuntur pro deletione peccatorũ, pœnitendo de peccatis, pœnæ possunt conuerti ad bonum, in tantum, quod non solum peccata delentur, immo & merita augentur. Verum est tamẽ, quod huius beatitudinis participes, non sunt, qui licet multa patiãtur, tamen non patiũtur propter Christum, vel iustitiã, sed magis aduersa patiuntur, vt iustitiam, & Christum non sequantur; malentes omnia aduersa pati, quàm iustitiã sequi. De quibus Bernardus cap. vlt. de conuersione ad clericos dicit. Vsque adeo aliqui persecutionem non sustinent propter iustitiam; vt persecutionem malint, quàm iustitiam sustinere; Nempè contraria est operibus eorum, grauis est etiam eis ad audiendum. Cæterum propter auaritiam; propter ambitionem paratos, videas vniuersa pericula subire, suscitare scandala, sustinere odia, dissimulare opprobria, negligere maledicta: ij tales non beatitudinem, sed miseriam per tales persecutiones, & opprobria acquirunt; vt dupliciter sint miseri, & in præsenti, & in futuro, vt de eis

Augustin. Bernar. Augustin. 1. Pet. 3. Idem 4. Luc. 23. Chrysost. Bernar.

verifi-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

verificetur. Illud Hiere. 17. Duplici contritione contere eos Domine Deus noſter. Et Apoc. 18. dicitur. Duplicate illi duplicia ſecundum opera eius: in poculo quo cõmiſcuit vobis miſcete illi duplum.

Hier. 17.

Apoc. 18.

SVMMARIVM.

Quòd gaudere propriè conuenit rationali, vel intellectuali creaturæ, & quod propriè ratio gaudij non inuenitur niſi in bonis animis.

XVI SEquitur, [*Gaudete in illa die, & exultate.*] Vbi huius beatitudinis ponitur præmium, & in præſenti eſt gaudium, & exultatio; & in futuro copioſa remuneratio; dicit ergo. [*Gaudete, & exultate,*] gaudete quidem mente, & exultate corpore: vt dicit interlinearis. Gaudiũ enim propriè ſpectat ad rationalem, vel intellectualem creaturam; quia licet dicamus, quod bruta delectentur; tamen non dicimus, niſi impropriè, quod gaudeant; gaudium enim quædam ſpecies delectationis eſt, quæ conuenit rationabilibus ſecundum Auicennam ſexto libro naturalium; Licet autem gaudeant mali & boni: mali iuxta illud Iob 21. Tenent tympanum, & cytharam, & gaudent ad ſonitum organi, ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendũt: Et boni iuxta illud Apoſtoli ad Philippenſes 4. Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete; tamen propriè gaudium non niſi bonorum eſt; dicente Seneca 23. epiſt. ad Lucillum. Bonæ mentis fundamentũ eſt, nè gaudeas vanis, fundamẽtum hoc eſſe dixi, culmen eſt ad ſumma peruenit, qui ſcit quo gaudeat; qui felicitatem ſuam in aliena poteſtate non poſuit. Et infra. Animus debet eſſe alacer, & fidens; & ſupra omnia erectus. Mihi crede, verum gaudium res ſeuera eſt; Et infra. Leuium metallorum fructus in ſummo eſt; illa opulẽtiſsima ſunt, quorum in alto latet vena. Hæc quibus delectarur vulgus tenuem habent, ac perfuſoriam voluptatem; & inuentitium gaudium eſt: fundamẽto caret: hoc gaudium de quo loquor, ad quod te conor perducere ſolidũ eſt; & quod plus pateat intror ſus. Diſijce, & conculca iſta, quæ extrinſecus ſplendent; quæ tibi promittuntur, ex alio, vel ab alio: Ad verũ bonũ ſpecta, & de tuo gaude: Quid eſt autem hoc de tuo? te ipſo, & tui optima parte. Corpuſculum, quoque etiam ſi nihil fieri ſine illo poteſt, magis neceſſariam rem, crede, quàm magnam; Vanas ſuggerit voluptates, breues pœnitendas; ac niſi magna moderatione temperentur: in contrariũ abiturus: Præcipita enim voluptas ad dolorem vergit, niſi modum teneat; viri boni gaudium in tuto eſt, quid ſit iſtud interrogas, aut vnde ſubeat dicam. Ex bona conſcientia, ex honeſtis conſilijs, ex rectis actionibus, ex contemptu fortuitorũ, ex placido vitæ, & continuo tenore vnam præmentis viam.

Gloſ.

Auicen.

Iob 21.

Philip. 4.

Seneca.

Idem.

Idem.

XIX

SVMMARIVM.

Quòd gaudium malorum hominum eſt vanum, breue, plenum pœnitudine, nociuum corpori, & animæ, ideò non debet dici propriè gaudium.

XVII EX quo dicto patet, quod verũ, & perfectum gaudiũ non niſi bonorum eſt, quod procedit ex bona conſciẽtia, ex honeſtis conſilijs, ex rectis actionibus, ex contemptu fortũitorum, ex placidæ vitæ continuo tenore; ſed gaudium nõ verum, & imperfectum eſt peruerſorũ, quia vanum eſt; quia frequenter gaudent, de quo dolendum eſſet: iuxta illud Prouer. 15. Stultitia gaudium ſtulto, quia breue eſt, & modico tẽpore durat, iuxta illud Iob 20. Laus impiorũ, breuis eſt; & gaudium hypocritæ ad inſtar puncti; quod exponens Gregorius lib. 25. Moralium dicit. Sepe hypocrita dum ſe ſanctum ſimulat, ab omnibus honoratur, eique ſanctitatis gloria defertur ab eis, qui exteriora eius cernũt; ſed interiora proſpicere nequeũt. Vnde fit vt gaudeat in prima ſeſsione, hylareſcat in primo recubitu, infletur in prima ſalutatione; eleuetur in reuerenti voce obſequẽtium, & ſuperba cogitatione tumeat in famulatu ſubditorum: ſed hoc eorum gaudium æternitati comparatum, quid erit quando irruente mortis articulo, ita cõſumitur; ac ſi omnino non fuerit? Cuius nimirum lętitia pertranſit, & pœna permanet; & cum res amittitur, cauſſa durat. Benè autem dicitur, Hypocritæ gaudium ad inſtar puncti. In puncto enim vt ſtylus mox ponitur, leuatur, nec vlla mora agitur, vt per exprimendam lineam trahatur; gaudium autem hypocritæ ad ſimilitudinem puncti eſt; quia apparet ad momentum, ſed diſparet in perpetuum: & ſicut ſtylus in puncto, dum ponitur, leuatur; ſic hypocrita præſentis vitæ gaudia dum tangit amittit. Nec ſolum gaudium peruerſorum eſt vanum, & breue; ſed etiam plenum pœnitudine, iuxta illud Prouerb. 14. Extrema gaudij luctus occupat. Et Eccl. 2. dicitur. Dixi ego in corde meo vadam, & affluam diuitiis, & fruar bonis, & vidi quoque, quod hoc

Prou. 15.

Iob 20.

Gregor.

Prou. 14.

Eccl. 2.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

esset vanitas: risum reputaui errorem: & gaudio dixi; quid frustra deciperis? Nec solum est vanum, breue, plenum pœnitudine, sed est nociuum corpori, nisi diligẽs cautela, & moderatio cum eo habeatur. Hieron. Vnde & Hieronymus in 3. responsione contra Iouinianum dicit. Sensus corporum quasi equi sunt sine ratione currentes; anima verò in aurigæ modum retinet frena currentiũ, & quomodo equi absque ratione præcipites ruunt, ita corpus sine ratione, & imperio animi in suum fertur interitũ. Et infra. Idem. Diogenes tyrranos, & subuersiones vrbium, bellaque, vel hostilia, vel ciuilia non pro simplici victu olerum, pomorumque, sed pro carnibus, & epularum delitiis asserit excitari; quodq; mirandum est, Epicurus voluptatum assertor omnes liberos suos repleuit oleribus, & pomis, & vilibus cibis, dicens esse viuendum, quia carnes, & exquisitæ epulæ ingenti cura, ac miseria præparantur, maioremque pœnam habent in acquirendo, quàm voluptatem in abutendo. Et infra. Idem. Grandis exultatio animæ est cum paruo contentus fueris cibo mũdum habere sub pedibus, & omnem eius potentiam, epulas, libidinesq; propter quę diuitię cõparantur, vilibus naturę cibis, & grossiore tunica compensare, epularum enim largitas corpus frangit, & animam. Quia ergo impiorũ gaudium vanum est, breue, & plenum pœnitudine, & animæ, & corporis destructiuum; iccirco, nec gaudium dici debet. Vnde & Eccl. 19. dicitur. Eccl. 19. Qui gaudet iniquitate denotabitur.

F Hoc est plenum gaudium nostrum, quo amplius non est, frui Trinitate Deo, ad cuius imaginẽ facti sumus; hæc enim contemplatio nobis promittitur, actionum omnium finis, atque æterna perfectio gaudiorum. De quo gaudio dicitur Ioan. 15. Hæc loquutus sum vobis, vt gaudiũ meũ in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur. Ioan. Et Prouer. 17. dicit. Animus gaudens ætatem floridam facit. Prou. Iccirco, quia hîc Dominus de gaudio spirituali iustorum loquitur dicit. [*Gaudete*] Contristatiua G enim quãtum ad corpus sunt, maledictiones, persecutiones, & improperia hominum sustinere, sed secũdum spiritum delectabilia sunt propter Christum, & spem remunerationis æternæ. Vnde & 2. Machab. 6. cap. dicit. 2. Mach. De Eleazar cum plagis perimeretur, ingemuit, & dixit. Domine, qui habes sanctam scientiam, manifestè tu scis, quia cum à morte possem liberari duros corporis sustineo dolores, secundum verò animam propter timorem tuum libenter hæc patior. Et Apostolus ad Hebræos 12. dicit de Christo. H Hebr. Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta. Glos. Vbi dicit Glossa, quod æterno gaudio ad quod per passionem peruenitur Christo proposito: crucem sustinuit confusione contempta, idest neglecta verecundia humana. Sic & nos æterno gaudio proposito pro habita confusione debemus currere. Vnde & Iaco. 1. dicitur. Iaco. Omne gaudiũ existimate fratres mei cum in tentationes varias incideritis; scientes quod probatio fidei vestræ I patientiam operatur; patientia autẽ opus perfectum habeat, vt sitis perfecti, & integri in nullo deficientes. Vnde & Bernardus dicit. Bern. Nemo indignemini, si mali floreant, & vos patimini, quia non est christianæ dignitatis in temporalibus exaltari, mali nihil habent in cœlo, vos nihil in mundo, sed spe boni ad quod tenditis, quicquid cõtingat in via gaudere debetis.

SVMMARIVM.

Quòd gaudium bonorum est sempiternum, & plenum, quãtum ad animam, etiam, cum sunt cõstituti in tribulationibus corporis; sed spes, quam eorum animæ habent de æterna remuneratione pro toleratis tribulationibus præsentibus, facit eos esse gaudentes.

SVMMARIVM.

Assignantur quatuor caussæ, quare Sancti homines gaudent, & gaudere debent in mente sua, quando persecutiones, maledictiones, & K opprobria inferuntur eis à malis hominibus propter Christum, & iustitiam.

XVIII ET contra gaudium iustorũ, quia est de rebus, de quibus naturaliter anima rationalis gaudet, est perpetuum, & in præsenti incipiens, vsque in sempiternum durat, quia gaudium iustorum, nemo tollet ab eis. Ioan. 16. Ioan. 16. Nullam etiam pœnitudinem secum habet; iuxta illud Sapientiæ 8. Sap. 8. Intrans in domum meam, conquiescam cum sapientia: non enim habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus illius, sed lætitiã, & gaudium; animę enim, & corpori huiusmodi gaudium multum prodest. Vnde Augustinus primo de Trinitate cap. 8. dicit. August.

ET rationabiliter Sancti de maledictionibus iniuriis, opprobriis, & persecutionibus prooter Christum eis illatis gaudere secũdum animam debent; Si magnitudinem mercedis attendant; omnis enim pœna, & tribulatio propter præmij XII

magni-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

magnitudinem, decus, & facilis sit; Amor enim præmij facilem facit laborem; quo præmium amatum certitudinaliter acquiritur. Sic enim de Iacob, dicitur Gen. 29. quod seruiuit pro Rachel septem annis, & videbantur illi pauci dies pro amoris magnitudine. Si strenuus miles duros in corpore sustinet ictus, & vulnera, vt ad glorioſam victoriam posſit pertingere, sic etiam eger amarã prębibit potionem, vt ad salutis gaudium posſit peruenire; & mulier parturiens, quando masculum peperit, non meminit præſſuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Ioan. 16. Si ergo propter mercedem terrenã, quæ quasi nulla est, & cito transit, dura, & aspera cum gaudio tolerãtur; quantò magis pro æterna remuneratione, quæ & in se copioſa est; & finem non habet cum gaudio, debent tolerari quæcunque aduersa huius mundi? Ad quod attendens Apoſtolus 2. ad Corint. 4. dicit. Id, quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostrę, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur: quæ videntur enim temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna sunt. Quod exponens Gloſſa dicit. Paruis laboribus magna reddetur merces, & pro leui tribulatione supra modum sublimitas gloriæ pensabitur, & sic propter mercedis magnitudinem cum gaudio sustinent sancti omnem præsentem tribulationem. Vnde & Hylarius primo de Trinitate dicit. Vitam corporis huius Sancti non modo non moleſtam sibi, aut ægram arbitrabãtur, sed eam quod pueritiæ litteras, quod ægris medicinã, quod naufragis natatum, adoleſcentibus disciplinam, quod militiam imperaturis rerum scilicet præsentium tolerantiam ad præmium beatæ immortalitatis estimant proficientę. Et Auguſtinus quinto de ciuitate Dei cap. 17. & 18. dicit. Cum illa ciuitas cœleſtis, qua nobis regnare promiſſum est, tantum distet ab hac terrena, quantum distat cœlum à terra; à temporali lætitia, vita æterna; ab inanibus laudibus solida gloria, à societate mortaliũ, societas Angelorum, à lumine Solis, & Lunæ, lumẽ eius, qui fecit Solem, & Lunam; non mirum est si nihil sibi magnum feciſſe, videantur tantæ patrię ciues, si pro illa adipiſcenda fecerint, boni aliquid vel mala aliqua sustinuerint. Cum illi pro hac terrena iam adepta tanta fecerint, tanta perpesi sint, quod ergo magnum est pro illa æterna, cęleſtiq; patria cuncta sęculi huius, & quælibet iocunda blandimenta contemnere, si pro hac temporali, atque terrena Brutus filios suos potuit & occidere? Vnde & Apoſtolus ad Rom. 5. de se, & aliis fidelibus dicit. Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei, non solum autẽ, sed & gloriamur in tribulationibus, sciẽtes, quod tribulatio patientiã operatur; patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit. Vbi dicit Gloſſa. Gloriamur per gratiam Christi in tribulationibus, quas pro Christo patimur, quibus itur ad gloriam, per tribulationes enim oportet nos intrare in regnum cœlorum. Ideoque in iis gloriandum dicit. Spei enim addita tribulatio augumentum facit præmii, cognoſcentes de tribulatione finienda infinitũ præmium nos acquisituros. Secundò gaudendum est, quia per hoc efficiuntur Sancti Christo conformes, qui in præsenti maledicta, & opprobria, pro iustitia, & pro nobis gaudenter sustinuit; non enim maior honor est militis, quàm indui, & armari vestibus, vel armis sui Regis; nec maiorem gloriam potest habere seruus, quàm vt sit suo domino conformis. Vnde super illud Ioan. 15. Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. Si enim de mundo fuiſſetis, mundus quod suum erat diligeret. Dicit Chryſoſtomus homil. 76. Quia perſecutionem pati, à multis exprobrari, difficile erat; & sufficiens excelsam humiliare animam, propterea præliniens eorum animam, dicit, quod non dolere, sed lętari magis oportet, quoniam hoc maximè gaudii est, odio haberi ab eis; ita enim mihi communicabitis paſsionibus. Non ergo vos turbari oportet, non enim vos peccatores, si enim à mundo diligeremini, manifeſtum est, quoniam perniciei offerretis oſtensionem. Et vt dicit Hylarius super Matth. exponens illud Matth. 10. Non est discipulus super magiſtrum, nec seruus super Dominum suum; Deus lumen æternum, dux credentium, & immortalitatis parens, discipulis suis in futurum paſsionum solatium, se præmiſit in exemplũ; vt gloriæ loco amplectamur, si Domino nostro in paſsionibus adequamur, qui enim cõformis fuerit Christo in paſsionibus pro iustitia, vel pro ipso susceptis, socius etiam erit consolationis eius. Dicente Petro 1. epiſt. Communicantes Christi paſsionibus, gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. Et 2. ad Theſſal. primo dicit Apoſtolus. Gratias agere debemus Deo pro nobis in omnibus perſecutionibus vestris, & tribulationibus, quas sustinetis in exemplum

Gen. 29.
Ioan. 16.
2. Cor. 4.
Glos.
Hylar.
August.
Rom. 5.
Glos.
Chryſoſt.
Hylar. Matt. 10.
1. Pet. 4.
2. Thes. 1.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

plum iusti iudicij Dei, vt digni habeamini in regno Dei, pro quo, & patimini, &
2.Cor.1. 2.ad Cor.1. dicit. Sicut socii passionum estis, sic eritis & consolationis. Tertiò gaudere debent; quia propter hoc manifestè possunt perpendere, se bonos esse; argumentum enim manifestum est, quod homo sit bonus, quando displicet malis, omne enim animal diligit sibi simile, & omnis homo proximum sibi, omnis caro ad similem sibi coniungitur; & omnis
Eccl.13. homo simili sui sociabitur. Eccl.13.& 1.
1.Ioan.4. Ioan.4. dicitur. Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur, & mundus eos audit, nos ex Deo sumus, qui audit Deum audit nos; qui autem non audit Deum,
Ioan.15. non audit nos. Et Ioan.15. dicitur. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret; quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Quod exponens Gre-
Gregor. gorius super Eze.homil.9.dicit. Peruersorum derogatio vitæ nostræ approbatio est, quia iam ostenditur aliquid nos iustitiæ habere, si illis displicere incipimus, qui non placent Deo; Nemo enim potest in vna eademq; re omnipotenti Domino, atque eius hostibus, gratus existere: Nam se Deo amicum denegat, qui eius placet inimico; & inimicus veritatis aduersabitur, qui eidem veritati in mente subiugabitur. Vnde & Ioan.16. dicitur. Plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Quartò gaudere debẽt, quia tales persecutiones, & odia hominum impiorum, vel peccata, si qua in eis fuerint, delentur, vel si talia peccata non habẽt, merita accumulantur non enim Deus Omnipotens permitteret suos amicos ab inimicis suis pati aliquid, nisi hoc sciret esse expediens amicis suis.
Vnde quod per tales passiones peccata
Augusti. iustorum deleãtur. Dicit Augustinus primo lib. de Baptismo contra Donatistas cap.18. Si qua in lucidam mentem Cypriani ex humana conditione nebula irrepserat, glorioſa serenitate fulgentis sanguinis est fugatũ; quod enim ille vir Sanctus de Baptismo aliter sentiens, quàm se res habebat, quæ postea pertractata, diligentissima consideratione firmata est, in Catholica vniuersitate permansit, & charitatis vbertate compensatum est, & passionis falce purgatum. Et idẽ Augustinus
Idem. in quodam sermone de Martyribus dicit. Triumphãtes in Christo in sua morte peccata lucrantur, quamquam qui in illo patitur, omnino non moritur; cõfessio enim mors non est, sed hæreditas vitæ: martyrium igitur est indulgentia criminũ, virtutum capacitas, occasio iustitiæ, Dominicæ passionis imitatio, nec solum peccata si qua insunt, delẽtur, sed etiam merita cumulatius augentur. Dicente Gregorio
Gregor. 6.Mor.cap.14. Iccirco omnipotens Deus foris verbera admouet, vt intus vulnera delictorũ curet. Et in prologo moralium
Idem. dicit idem: Hostis vt Iob deficeret petiit, sed ut proficere Iob à Domino accepit; nam cum iccirco illud expetisset hostis vt consumeret tentando egit, vt eius merita augeret. Et cap.5.idem dicit. Percussionum diuersa sunt genera, alia est namque percussio, qua peccator percutitur sine retractione vt puniatur; alia qua peccator percutitur vt corrigatur: alia, qua nonnũquam quisque percutitur, non vt præterita corrigat, sed ne futura committat; alia qua plerunque percutitur, per quam nec præterita culpa corrigatur, nec futura prohibeatur; sed dum inopinata salus percussionem sequitur saluantis virtus cognita ardẽtius ametur. Cumque innoxius flagello atteritur, ei per patientiam meritorum summa cura cumuletur.

SVMMARIVM.

Quid significet exultatio quam Sancti habent, quando persecutiones pro Deo patiuntur, & quare non solum in animo gaudere debent, sed etiã exultare in corpore in tolerantia talium tribulationum pro Deo eis illatarum.

QVia ergo Sancti persecutionibus iniXI
quorum, vel consequũtur remissionem peccatorum, vel cumulationem meritorum, vel vtrunque: Iccirco non immeritò in tribulationibus, & persecutionibus gaudent. Vnde & Apostolus loquẽs
2.Cor.1. de Ecclesiis Macedoniæ 2. ad Cor. cap.8. dicit. In multo experimento tribulationis abundantia gaudii ipsorum fuit. Et
Coloss.1. de se dicit idem ad Coloss. 1. Gaudeo in passionibus. Propter ergo præmissa Sancti gaudent quando maledicuntur, & opprobria patiuntur, ac persecutionem patiuntur à dilectoribus mundi. Nec solum animo gaudent, sed & exultant in corpore; exultatio enim non est, nisi quædam saltatio gaudii existens in anima perueniens in ipsum corpus, per quandam redundantiam, qua gaudium non potens capi in animo, diffundit se in ipsum corpus. Vnde & translatio Hieronymi vbi
Psal.113. nos habemus; montes exultauerunt, vt arietes; habet montes subsilierunt quasi arietes. Vnde & Elisabeth dixit Virgini,

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Luc. 1. Luc. 1. Vt facta est salutatio tua in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. Et super illud. Vt audiuit salutationē Mariæ Elisabeth exultauit infans in vtero eius. Dicit expositor Græcus: Propheta parentem acutius videt, & audit, salutatque prophetatum; sed quoniam verbis non poterat, saltat in vtero, quod maximum existit in gaudio: quia ergo maximum gaudium est de opere virtutis, quādo non potest contineri, & claudi infra animam gaudentis, sed in ipsum corpus se diffundit; ideo Dominus, vt ostendat, quod maximè gaudium est in maledictionibus, & persecutionibus pro ipso toleratis, non solum dicit, quod gaudeant; sed addit, quod exultēt, idest, quod gaudium saltet in corpus de anima, non animam dimittendo, sed corpus & animam totaliter implendo, vt gaudium Sanctorum plenum sit. Nec mirum si exultandum dicit in corpore, Cum enim corpus sit particeps tribulationis, debet, & esse particeps consolationis: & quia ipsum etiam corpus remunerationis in beata vita, & in mortali erit particeps. Iccirco in præsenti propter spem suæ futuræ glorificationis exultare debet, quādo acquirit meritum suæ glorificationis. Vnde & Bernardus 4. sermone de Aduentu dicit. Noli ò corpus, noli impedire tuæ animæ reconciliationem, quoniam grandis tibi exinde gloria præparatur; patienter immo, & libēter temetipsum expone ad omnia, nihil dissimules, quod huic videatur reconciliationi posse prodesse, Dic hospiti tuo, Quando recordabitur tui Dominus tuus, & restituet te in gradum pristinum, tunc memento mei; Omnino enim memor erit tui in bonum, Si benè seruieris ei; & cum peruenerit ad dominū suū, suggeret ei de te, & loquetur bonum pro bono hospiti suo dicens: Cum in vltionem culpæ suæ exularer seruus tuus, pauper quidam apud quem hospitatus sum, fecit mecum misericordiā, & vtinam retribuat pro me Dominus meus. Primò siquidem omnia sua, de hinc etiam se ipsum exposuit vtilitatibus meis, non parcens sibi propter me, in ieiuniis multis, in laboribus frequenter, in vigiliis supra modum, in fame, & siti, in frigore, & nuditate, suas iniurias & molestias non reputans, tantum, vt ego honorificè possem apud eum demorari: Quid ergo? profectò non mentietur scriptura, qua dicitur. Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet: O caro si fortè gustare posses dulcedinem hanc, si fortè gloriam istam valeres æstimare; Ipse enim

Expositor Græcus.

Bernar.

Pſal. 144.

A Dominus Sabaoht, Dominus virtutum, & Rex gloriæ, descendet ad reformanda corpora nostra; & configuranda corpori claritatis suæ; quanta erit illa gloria, quàm inextimabilis exultatio, quando creator vniuersitatis, qui pro animabus iustificandis humilis antè venerat & occultus, pro te glorificanda (ò misera caro) sublimis veniet, & manifestus? Vnde cum corpus ipsum sit glorificandum, quam glorificationem mereri habet per tolerantiam tribulationum, non est mirum si dum tribulatur, exultat, quia confidit per hoc se ad suam gloriam peruenturum. Vnde & in B dicto sermone Bernardus exponens illud Pſal. Sitiuit in te anima mea quā multipliciter tibi caro mea: dicit; Desiderabat anima quidem prophetæ aduentum Christi priorem, quo se nouerat redimendam; sed multò amplius desiderabat caro aduentum posteriorem, & glorificationem suam; tunc enim implebuntur desideria nostra, & plena erit maiestate Domini omnis terra. Vnde & de equo per quem C potest designari Sanctorum caro, dicitur. Iob 39. Exultat audacter, in occursū pergit armatis. Vbi dicit Gregorius 31. lib. Moral. 14. cap. Quia Sancti dum se exerceri vtilius contritionis suæ laboribus vouerunt, in aduersis hilarescunt, quia dum constanter pro veritate patiūtur, augeri sibi virtutis meritum lętantur. Hinc est, quod Apostolos tunc exultasse legimus, cum pro Christo illos contingit flagella tolerasse. Et Bernardus secundo Sermone de Sancto Andrea dicit. Videns Andreas D eminus Crucem, nequaquam (sicut exigere videtur mortalis infirmitas) facies eius expalluit, nequaquam sanguis gelatus est, aut vox faucibus hæsit; non contremuit corpus, non mens turbata est, non recessit (vt assollet) intellectus; sed ex abūdantia cordis os eius locutum est; & charitas, quæ feruebat in corde, quasi scintillas quasdam ardentissimas emittebat in voce. O crux, inquit, diu desiderata, & iam concupiscenti animo præparata; securus, & gaudens venio ad te, ita vt & tu E exultans suscipias me discipulum eius, qui pependit in te. Et Laurentius dicebat dum in craticula assaretur. Gaudeo planè, quia hostia Christi effici merui, accusatus non negaui nomen Sanctum tuū, assatus gratias ago. Et Augustinus in quodam sermone de Machabæis exponens illud 2. Machab. 7. Tu quidem sceleratissimè in præsenti vita nos perdis; sed rex mundi defunctos nos pro suis legibus in eternæ vitæ resurrectione suscitabit, dicit; Atleta fortissimus inter angustias suas

Iob 39.

Gregor.

Bernar.

Auguſt.

2. Mach. 7.

memo-

memorat gaudia resurrectionis, & artificioso remedio contra vim doloris consolationē apponit retributionis. Ecce causſæ, quibus imbuti agonum spiritualium bellatores, illatos cruciatus patiēter excipiunt; ecce causſæ, quibus virtus tolerantiæ pęnas suas temperat: ecce causſæ, quibus mitescunt vngula, mollescunt cathenæ, flammæ refrigescunt: Malorum enim pondus leue facit spes bonorū; Minus enim carni tribulatio ad præsens inflicta dominatur, dum menti iucunditas futura blanditur, ac dum pœna cum gloria pensatur, dum breui anguſtia lætitia æterna cōfortetur, fortiter excipit patientia quod imponitur; dum iam extra se posſidet conscientia, quod speratur. Et hoc modo euenit, vt pęnæ ad animā non perueniant, dum spiritus in desiderio retributionis ascēdit; per hoc itaque quantumlibet in exteriori carne sæuiat, & licet in extensa latera ferreis manibus dirus tortor incumbat, vix summus dolor pertingit ad sensum, dū magnitudo conceptæ remunerationis occupatum pascit affectum. Vnde & Tyburtius, cum super carbones incēsos nudis plantis incederet dixit, quod videbatur sibi super roseos flores ambulare. Vnde & vox Martyrum

Psal. 83. potest esse illa Psalmi; Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutū, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini: Cor meum & caro mea exultauerūt in Deum viuum.

SVMMARIVM.

Quòd exultatio, quæ in passionibus aliquorum Sanctorum apparuit, non ex virtute fortitudinis, quæ est virtus moralis procedit, sed ex charitate, & quod in martyribus sufficit, non multum turbari in passione, sed magnæ perfectionis est exultare.

XXI VErum est tamē, quod huiusmodi exultationem non causſat virtus fortitudinis, vt est cardinalis, quia sufficit forti, dū patitur cruciatus & dolores, quod non contristetur, vt dicitur 3. Ethico-

Aristot. rum: sed virtus charitatis hanc exultationem facit, quæ quantò maior est in martyribus, tantò minus eos sentire facit dolores, propter spem præmij, propter visionem propinquam Christi dilecti, propter certam expectationem futuræ resurrectionis, & glorificationis; non tamen est necesse ad hoc, quod martyrium sit, quod talis exultatio sit; sed sufficit, nō nimium conturbari. Vnde & Augustinus exponens illud. Tristis est anima mea vsque

Augusſt. ad mortem: in quodam sermone de martyribus dicit. Quod hoc dicendo personam infirmorum membrorum suorum suscepit, qui non sine tristitia ad mortem sunt aducti. Vnde & Gloſſa super illud Marci 14. dicit. Hæc vox est sonus infirmitatis nostræ, multi tristantur in morte futura, & habent cor, vt vitent mortem quantū possunt, & si non possunt dicunt, quod Christus Patri. Si fieri potest transfer calicem hunc à me. Vnde & Ioan. vltimo. dixit Dominus Petro; Cum senueris alius te cinget, & ducet, quo tu non vis; sed magnæ perfectionis est in martyrio exultare, ad quod inducens Dominus dicit. [*Gaudete, & exultate.*]

Matth. 26. Gloſ. Marc. 14. Ioan. vlt.

SVMMARIVM.

Assignantur quatuor causſæ quare Sancti tribulationes, & mortem sustinentes pro Deo, in die dictarum tribulationum gaudere, & exultare debent.

XXII DIcit autem gaudendum, & exultandum esse in die illa, vt ostendat, quod nō solum lætitia, vel delectatio bonorum operum est in futura vita, sed & in præsenti; sicut & malorum operū pœna, non solum est in futuro, sed & in præsenti, vt superius satis declarabatur. Et si alia bona opera gaudium habent concomitans, maximè hoc opus gaudium habere debet, cum mentem perducat ad gaudium sempiternum: de qua die dicitur. Eccl. 1. Timor Domini delectabit cor, & dabit lętitiam & gaudium in longitudinem dierum: Timenti Deū benè erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur. Gaudere etiam, & exultare in illa die debent, quia diuinum adiutorium sentient: qui enim pro Domino tribulatur, dignū est, vt à Domino adiuuetur, de cuius adiutorio euidenti multum anima gaudere debet. Vnde & in Psalmo dictum est. Domine, Domine virtus salutis meæ, obumbrasti super caput meū in die belli. Quod exponens Cassiodorus dicit. Cum dicit virtus salutis meæ: patientiam suam, perseuerantiamq́; demonstrat. In certamine verò tribulationum salus esse non potest: nisi misericordia Domini virtus tolerantiæ fuerit attributa: In die autem belli obumbratus est, atque defensus: ne animus eius cōfusionem aliquam pateretur. Et Augustinus in quodā sermone de Sancto Vincētio dicit. In passione Sancti Vincentij, euidenter ostenditur iudex ferox, tortor cruentus, martyr inuictus. In cuius corpore pęnis varijs exarato, iam tor-

Eccl. 1. Psal. Cassiod. Augu.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

menta defecerant, & adhuc membra durabant; tot conuicta miraculis persistebat impietas, tot vexata supplicijs non cedebat infirmitas. Agnoscatur ergo operata diuinitas. Quomodo enim corruptibilis puluis cõtra tam immania tormẽta duraret, nisi in eo Christus habitaret? Et infra. Idem. Vt mala fortiter perferamus, ab illo est, non nostra patientia; Quia ergo dum sic Sancti tribulantur, manifestum adest eis Christi adiutorium, iccirco multum gaudere debent. Vnde & in Psalmo dicitur. Psal. 49. Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua. Inuoca me in die tribulationis eruam te, & honorificabis me. Quod exponens Augustinus in originali August. super Psalterium, dicit. Non præsumere debes de viribus tuis, omnia auxilia tua mendacia sunt; Me inuoca in die tribulationis tuæ, eruam te, & glorificabis me, ad hoc enim præmisi tibi dies tribulationis fieri; quia si nõ tribulareris, fortè: non inuocares me; cum autem tribularis, inuocas me, cum inuocas me, eximam te; cum eximam te, glorificabis me, vt iam non discedas à me. Nec solum debent gaudere in die illa, quia appropinquant præmio, vel adiuuantur à Christo, sed etiam, quia tunc liberantur ab omni malo, quia postea nec in corpore, nec in anima, nec in aliquo sui malum poterunt sustinere. Psal. 90. Vnde & in Psalmo dicitur. Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum, longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meũ. Quod Bernar. exponens Bernardus 15. serm. super. Qui habitat dicit. Eripiam eum, & glorificabo eum; Liberatio plena, & perfecta à malo ante diem sepulturæ, esse non poterit, eo quod maneat iugum graue super filios Adam à die exitus de ventre matris eorũ vsque in diem sepulturæ in matrem omnium; sed in hac die eripiã eum, quando nihil iam vltra, quod vel corpori, vel animæ faciat, mundus habebit. Et in- Idem. fra. Felix, qui te interim consolatorem, & adiutorem habet; sed felicior, quem iam eripuisti, & exemisti tantis malis; quàm felix enim est, qui iam exemptus de laqueo venantium, qui iam raptus est, ne malitia mutet intellectum illius, aut ne fictio decipiat animam illius? Longè tamen felicissimus præ ijs omnibus erit, quem assumpseris ad te ipsum, quem repleueris in bonis domus tuæ, & claritati tuæ conformaueris eum. Nec solum in illa die qua opprobria, & maledictiones pro Christo sustinent, gaudere debent, quia appropinquant ad gaudium, quia sentiunt diuinum adiutorium, quia à malis eripiuntur; sed etiam, quia copiosam mercedem Cœlestem, pro modico pretio tribulationis præsentis emunt: Malum est: malum est, dicit omnis emptor, & cum recesserit, tunc gloriabitur, Prouer. 20. Prou. 20. Qualiter appropinquans ad palmam Apostolus dicebat 2. ad Timot. 4. Bonum 2. Tim. 4. certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex: & Bernardus super Qui habitat. Sermone 17. dicit. Bernar. Res necessaria tribulatio, quæ in gloriam vertitur, tristitia quæ mutatur in gaudium; Gaudium sanè longum, quod nemo tollet à nobis, gaudium multiplex, gaudium plenum. Res necessaria est ista necessitas, quæ coronam parit. Non contemnamus fratres, semen modicum est, magnus exinde fructus exurgit. Fortè insipidum est, fortè acerrimum est, fortè granum synapis est. Non considerabimus quæ videntur, sed quæ non videtur in eo. Siquidem in tribulatione spes gloriæ; immò & ipsa gloria in ipsa tribulatione continetur; sicut spes fructus in semine, sic & ipse fructus in semine est. Sed latet gloria, & abscondita nobis est in tribulatione; in momentaneo hîc latet æternitas; in leue hîc latet pondus sublime, & supra modum. Interim ergo festinemus emere agrũ istum nobis, emere thesaurum istum, qui absconditus est in agro; existimantes omne gaudium cum in tribulationes varias inciderimus.

SVMMARIVM.

Quare illi, qui persecutionem, & mortem propter Christum sustinent, dicuntur habere mercedem æternam ex debito, iustitiæ, libero eorum arbitrio per gratiam confortato, & adiuto; & quare maiorem mercedem accipiunt, quàm illi, qui sine meritis propriis, vel bonis operibus saluantur solum per Dei gratiam.

XXIII

AD quod Dominus attendens dicit, quòd ideo sui gaudere debent & exultare in illa die, qua scilicet maledicuntur; & exprobrantur. [*Quoniam merces eorum copiosa est in cœlis,*] & rectè loquens de præmio exprobratorũ, persecutiones sustinentium, & maledictorum propter ipsum dicit, [*quod merces eorum est in cœlis.*] Licèt enim aliqui sine merito proprio consequantur cœlorum regnum, vt infantes Baptizati, qui ipsum habẽt propter meritum Christi, si in tali ætate decedant; tamen non ita gloriosè, & copiosè fruuntur Dei gloria; sicut illi, qui per

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

opera laboriosa ipsum habent; quia licet rem præmii infantes habeant, tamen non habent præmium sub ratione præmii, vel sub ratione mercedis: Glorioſius est autem bonum magnum habere, & acquirere per ſua opera, quã ſi gratis, & ſine opere ſuo, eidem illud magnum bonum liberaliter daretur, quia magis debitum, ſibi illud facit. Vnde & præmium cœleſte laborantes conſequuntur ex debito iuſtitię propter quod, & Apoſtolus dicit. Bonum 2. Tim. 4. certamen certaui, &c. ideoque repoſita eſt mihi corona iuſtitię, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex: non quidē, quod ſic ſit totaliter iuſtitiæ, quod non & gratiæ; ſed ſic ſit iuſtitiæ, quod liberum arbitrium adiutum gratia perficit opera bona, quibus debetur gloria æterna. Vnde & Gloſſa ſuper illud. Reddet mihi Dominus, dicit, Nota, quod ait reddet; Gloſ. ſi enim fides gratia eſt, & vita æterna, quaſi merces eſt fidei; Videtur quidem Deus vitam æternam, tamquam debitam reddere cui debet fideli, quia præmeruit illam per fidem: ſed quia fides gratia, & vita æterna eſt, gratia per gratiã ergo reddet. Vnde & laborantibus in vinea dato Matt. 20. denario conuento, dicitur, Tolle quod tuum eſt, & vade; nonne ex denario conueniſti mecum? ſed illi, qui præmium cęleſte conſequuntur non ex debito iuſtitiæ, vel de condigno, ſed ſolum de gratia. Vnde ſuper illud Apoſtoli ad Ro- Rom. 4. manos 4. Ei, qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum. Ei verò, qui nõ operatur, credenti autem in eum, qui iuſtificat impium, reputatur fides eius ad iuſtitiam, ſecundum propoſitum gratiæ Dei; dicit Gloſ. Gloſſa. Ei qui operatur, ideſt, qui habet tempus operãdi, merces non imputatur, ideſt, non dabitur ſecũdum gratiam fidei tantum, ſed ſecũdum debitum operationis ſuæ; ei verò, qui non operatur, ideſt, qui non habet tempus operandi; credenti autem in eum, qui iuſtificat impiũ, ideſt, ſi credit in Chriſtum, qui peccata impio dimittit, fides ſola reputabitur ad iuſtitiam, ideſt, ſufficit ad iuſtitiam, quam opera non meruerunt; & ita ſufficit ad ſalutem ſine operibus præcedentibus, & hoc, ſecundum propoſitum gratiæ Dei, omnibus credentibus; vel ſecũdum, quod Deus longè ante propoſuit. Vnde talibus non debetur vita æterna, vt merces bonorum operum; cum non ſint talia operati, ſed ſolum datur eis vita æterna gratuite, ſed laborantibus, & plura pro Chriſto ſuſtinentibus datur vita ęterna, vt merces bonorum operum; de qua mercede dicitur.

F Prouerb. 11. Seminanti iuſtiriam merces fidelis: & Sap. 10. dicitur. Reddidit iuſtis mercedem laborum ſuorum, & deduxit illos in via mirabili, propter quod benè hîc dicitur merces veſtra, quia vitam ęternam mercati ſunt, bona opera pro ea faciendo, & mala peruerſorum hominum tolerando. Nec ſolum merces iſta eſt magis dilecta, quia debita; ſed etiam quia eſt magis copioſa; ſecundum enim multiplicationem laborum multiplicatur, & præmium, iuxta illud Apoſtoli 1. ad Corin. 3. 1. Cor. 3. G Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet, ſecundum ſuum laborem. Et quia iſti exprobrati, maledicti, perſecutionem paſsi, plus aliis laborant pro Chriſto. Nulli enim tantum impenderunt, ſicut illi, qui ſe ipſos impendunt; vt dicit Auguſtinus in quodam ſermone de martyribus. Aug. Ideo copioſam mercedē ſunt accepturi.

SVMMARIVM.

Quare merces, quæ reddetur illis, qui pro Deo perſecutiones patiuntur, dicitur eſſe copioſa ſecundum Matthæum, & ſecundum Lucam multa: aſſignantur quattuor rationes.

H HAec autem merces nihil aliud eſt, niſi ipſe Deus, qui ſe dabit ad videndum clarè, ad amandum perfectè, ad tenēdum, & inhabitandum perpetuò in animabus iuſtorum, qui pro eo perſecutionem paſſi ſunt. Iuxta illud Apocal. 22. Ecce venio citò, & merces mea mecum eſt, reddere vnicuiq; ſecundum opera ſua. Quia enim I Deus maius ſe aliud non habet, pro mercede, ſe ipſum dat: & quia in eo ſunt omnia, dando ſe, dat omnia, propter quod merces copioſa dicetur. Nec ſolum dicitur copioſa merces, quia ipſe ſe ipſum dat, ſed quia vltra omne meritum merces eſt copioſa, iuxta illud Apoſt. 2. ad Cor. 4. 2. Cor. 4. Quod in præſenti momentaneum eſt, & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. De qua mercede loquens Ioan. in 2. Epiſt. dicit. Videte, voſ- 2. Ioan. 1 K metipſos ne perdatis, quæ operati eſtis, ſed vt mercedem plenam accipiatis: quæ tunc plena merces erit, quando totus intellectus, totus affectus, & totaliter totus homo plenus Deo erit, quia ipſe ſolus poteſt replere deſiderium; intellectus ſuperat, & excedit in infinitum, omnem intellectum creatum, & affectum: propter quæ, & hęc merces dicitur copioſa; & in Luca, hæc merces dicitur multa, non comparatiuè, ſed ſimpliciter: dicente Baſilio ſuper Lucam. Magnum aliquan- Baſil.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

do absolutam habet intentionem; sicut magnum est cœlum, magna est terra: aliquando verò habet ad aliud relationem, vt magnus equus, & bos in comparatione similium: & arbitror multam mercedē repositam patiētibus opprobria propter Christum, non tanquam comparatam ad ea, quæ penès nos sunt, sed in se multam existentem, tanquam à Deo donatam; Vt enim dicit Chrysost. Multum, & paucum mensuratur dignitate proferentis, quæramus igitur quis promisit multam mercedem. Siquidem Propheta, vel Apostolus, velut homo paucum æstimauit multum: nunc autem Dominus, qui possidet perennes thesauros, & opes, quæ quemlibet intellectum transcendunt, multam pollicitus est mercedem, de qua mercede loquens ipse Genes. c. 15. dicit ad Abrahā: Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis. Dicitur etiam ista merces copiosa non solum, quia replet totum hominem interiorem, vel etiam, quia vna, & sola existens omnes creaturas beatas implet, cum tota sit in qualibet, & tota in omnibus, sed etiam quia omnes superexcedit, non solum secundum aliquam proportionem, sed etiā in infinitum; cum nō possit eius infinitas capi ab aliqua creatura, nec ab omnibus simul; sed solum ipsa merces, quæ Deus est, se ipsum capit: Propter quod rectè dicitur [*merces copiosa*] quia quantumcunque se det, & repleat intellectum creatum, adhuc tamen infinitos intellectus creatos replere potest, & adhuc in se manet omnibus modis infinita. Vnde, & Damascenus dicit. Illa, quæ mensurari, vel numerari possunt, terminatè leguntur; quæ autem cum quadam excellentia omnem transcendunt mensuram, & numerum, indeterminatè dicuntur. Sicut magnum, & multum, vt puta, quando dicimus magnam esse Dei misericordiam. Et Dionysius 13. cap. de diuin. nomin. loquens de Dei perfectione dixit. Plusquam perfectissimus dicitur Deus secundum omnem excellentiam, omnem intellectionem terminans, omni summitati super expansum, & à nullo locatum, aut comprehensum, sed extentum in omnia simul, & super omnia. Et 9. cap. loquens de magnitudine, & multitudine Dei dicit. Magnitudo hęc, & multa, & infinita est; & sine quantitate, & sine numero, & hic est excessus secundum absolutam, & super extentam infinitæ acceptæ magnitudinis effusionem. Et vlterius dicit idem. Magnus Deus nominatur secundum magnitudinem ipsius, quæ se ipsam tradit omnibus æternaliter magnis,

Chrysost. Gen. 15. Damasc. Dionys. Idem. Idem.

A & extra communem magnitudinem, & superfusa, & superextenta, omnem locum continens, omnem numerum supergrediens, omnem infinitatem transiens, & secundum superplenum ipsius, & fontana ipsius dona, in quantum ipsa ab omnibus participantur, secundum infiniti doni effusionem non meliorata omnino sunt; & eandem habent superplenitudinem, & nō minorantur participationibus, sed & magis supermanent. Et secundum hoc, quia Deus merces Sanctorum est, Sanctorum
B merces copiosa dicitur, quia omnem copiam, & plenitudinem excedit, hæc merces cum plenis Deo omnibus Sanctis adhuc eius perfectio in infinitum excedit omnem intellectum, & cognitionem eorum. Vnde & Apostol. ad Philipp. 4. dicit. Philip. 4.
Quòd pax Dei exuperat omnem sensum. & in Psal. dictum est: Magnus Dominus; Psal. 144.
& magna virtus eius, & magnitudinis eius non est finis. Vbi dicit Cassiodorus. Cassiod.
Miranda complexio, verā prædicatio, sic laudare Dominum, vt quantum est ma
C gnus, non æstimes explicandum. sensus enim totius creaturæ deficit, & adhuc illa retractio semper excrescit; nam sicut nullo loco clauditur, ita nec eloquentia quamuis amplissima eius possunt preconia terminare; virtus eius inexplicabilis, pietas incomprehensibilis, sapientia ineffabilis, cuius vera definitio est finem in suis laudibus non habere. Nec mirum si Deus in patria est copiosa merces, cum & in via sit eius redemptio copiosa; vt dicitur in Psal. Copiosa apud eum re- Psal. 129.
D demptio. Dicitur etiā ista merces copiosa, quia non solum vno bono finito, & speciali replet creaturam intellectualem ista merces, sed etiam omni bono. Hac enim mercede habita, non est, quòd plus, vel amplius intellectus quærat intelligere, nec affectus quærat habere, quia omnia intelligibilia simul cognoscentur, quorū cognitio ad beatitudinem spectat, & omnia bona beatitudinem integrantia simul habebuntur; dicente Psalmista: Satiabor, Psal. 16.
cum apparuerit gloria tua; quam copiam
E promittens Moyses filijs Israel Deut. 8. Deut. 8.
dicit. Rerum omnium copia perfrueris.
Vnde super illud 1. ad Cor. 15. Erit Deus 1. Cor. 15.
omnia in omnibus, dicit Glossa. Deus erit Glos.
omnia, quæ desiderari possunt in omnibus membris suis: quia præmium virtutis erit ipse, qui dedit virtutē: quia Deus erit, vnde satientur omnia, ergo & quæ honestè desiderantur: quia est & uita, & salus, & virtus, & copia, & gloria, & honor, & pax, & finis desideriorum, & omnia bona: quia ergo illa merces, non erit

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

vnius solius boni contentiua, sed omnia bona simul habens, & hæc abundanter, & gloriosè, ideo rectè copiosa merces uocatur. Sic ergo hæc merces dicitur copiosa, vel multa, quia maior est omni merito, quoniã totam creaturam rationalem, vel intellectualẽ implet, quæ nullo creato impleri potest, cum in infinitum excedat omnem intellectum, quia omni verbo, & bono replet intellectum, & affectum.

SVMMARIVM.

Quare merces, quæ persecutionem passis propter Deum reddetur, dicitur quòd eorum talis merces est, & non dicitur quòd erit.

XXV Ecclı.18.

ET quia dicta merces non est momentanea, & temporalis, sed duratiua, & æterna. Vnde Eccles. 18. dicitur: Ne verearis usque ad mortem iustificari, quoniam merces Dei manet in æternum: cuius durationem, & æternitatem significat verbum, est, ideo non dicitur merces vestra copiosa erit, sed dicitur copiosa est. Licèt enim sancti dum persecutionem patiuntur, hiusmodi mercedem in se actu nõ habeant, tamen mercedem talem expectant, & eam per tolerantiam persecutionum comparant; quæ in se nec incipit, nec desinit, sed semper est; licet ut eam sancti consequãtur eis de nouo adueniat, quando primo beatificantur, & glorificantur: Bene enim esse potest quòd res de se æterna adueniat in tempore rei temporali. Quia ergo merces nostra Deus est, quæ tunc datur quando primo Sancti beatificantur: Iccirco bene dicitur, quòd merces nostra est, & non erit, quia illud, quod æternum est in se, nobis in beatificatione datur.

SVMMARIVM.

Exponitur multipliciter, quid significatur cum dicitur quòd merces nostra est in cœlis.

XXVI Bernar.

SEd quia in præsenti vita, quæ miserijs plena est, iuxta illud Iob 14. Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs. Quod exponens Bernardus in serm. de pass. Domini dicit. Multis inquam, & multiplicibus miserijs repletur homo in præsenti vita, miserijs corporis, miserijs cordis, miserijs dum dormit, miserijs dũ vigilat, miserijs quaversus se vertat. Tanta, & talis merces nõ nobis redditur, vel datur, dum corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena cogitatio deprimit sensum multa cogitantem, sed depositq corpore mortali per mortem carnis, hæc merces animabus Sanctorum datur, quando ad cœlestia regna assumuntur, & Dei visionem, fruitione adipiscuntur. Sed tunc plenè toti homini hæc merces reddetur, quando corruptibile hoc induerit incorruptionem, & corpus nostrum factum fuerit spirituale, & cœleste. Ideo benè dicitur, quòd hæc merces est in cœlis, ideſt, tunc plenè reddetur nobis, quando corpus nostrum erit cœleste, non quòd natura corporis humani mutetur in naturam corporis cœlestis; sed quia efficietur incorruptibile, & impassibile per dotẽ gloriæ, sicut corpus cœleste est incorruptibile, & impassibile, per naturam. Vnde Apostolus ad hanc intentionem loquens 2. ad Corint. 5. dicit. Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam, sed æternam in cœlis. Quod exponens Glossa dicit. Si domus nostra, ideſt, caro mortalis, in qua habitat anima, & in qua semper anima inquietatur, & procliua est ad terrena, dissoluatur, ideſt, destruatur pro Christo, scimus quòd habebimus corpus immortale; quod quidem corpus immortale, in quo resurgentes semper erimus, dico domum non manufactam, ideſt, non complexione hominum factam, ideſt, non humanæ generationis opere productam, nec humanis fomentis auctam, sed à Deo ineffabiliter compactam, & ęternam, ideſt ab æterno factam, in Dei dispositione, & ab æterno nobis præparatam, vel æternam; quia in ea sine fine manebitur, & illam habebimus in cœlis, ideſt, inter cœlestes spiritus: tunc enim merces nostra cõpletè, & perfectè nobis reddetur, quando glorificata anima, & corpore, Deus in nobis per apertam visionem, & fruitionem habitabit, & nos in ipso completo illo, quod dicitur Apoc. 21. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cũ eis, & ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus. Ad quod attendens Petrus 1. Petr. 1. dicit, Regenerauit nos in spem viuam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem conseruatam in cœlis. [*Vel etiam merces nostra est in cœlis,*] ideſt in Deo, qui in cœlis est, & est cęlum cœli, quia à Deo nihil aliud quærere debemus nisi ipsum solum, cum sit finis noster, pro quo adipiscendo debemus omnia bona opera facere, & mala tolerare: qui enim aliquid aliud à Deo quęrit prę-

2. Cor. 5.

Glos.

Apoc. 21.

1. Pet. 1.

ter

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

ter ipsum, nõdum cognoscit ipsum Deũ, nec sibi bonum finem præstituit omnium bonarum actionum, dicente Hugone 22. Hugo. lib. de Sacramentis cap. 8. Quid est Deum diligere, nisi ipsum velle habere nõ aliud ab ipso, sed ipsum, & hoc est gratis diligere, si aliud quæreres ab ipso, gratis non amares; nunc autem non aliud quæris pro eo quod amas, & tamen aliud quæris, & desideras in eo ipso, quod amas. Et Idem. infra. Si vitam æternam aliquid aliud esse cogitaueris, & diuersum ab ipso bono, quod Deus est, & pro ipsa adipiscenda Deo tantum seruieris, non erit pura seruitus, neq; dilectio gratuita; Tunc ergo actio nostra bona habet suum finem, quando solum propter adipiscẽdum Deum fit; qui est merces omnium bonarum actionum. Vnde vt non ponatur spes mercedis in quocunque alio, nisi in Deo, dicitur, [*Quòd merces nostra est in cœlis*,] ideſt, in Deo adepto. Et hoc modo exponit cœlos Augustinus in primo lib. de sermone Domini in monte dicens. Non hîc cœlos dici August. puto superiores partes huius mundi visibilis; Non enim merces nostra, quæ inconcussa, & æterna est, debet in rebus volubilibus & temporalibus collocari, sed in cœlis dictũ puto in spiritualibus firmamentis, Vbi habitat sempiterna iustitia. De his cœlis dicit Apostolus. Quoniam conuersatio nostra in cœlis est. Et hîc Remigius hoc magis exponens dicit. Quòd in Remig. cœlis intelligendum est in spirituali firmamento, vbi nullus creaturæ est accessus, sed perpetua inhabitat iustitia. Quia tamen dum sumus in præsenti peregrinamur à Domino, per fidem enim ambulamus, & non per speciem: Ideo in præsenti non perfectè merces redditur, quia licet Deus habitet in Sanctis per gratiam, tamen non se eis ostendit per visionem apertam, filii enim sumus, sed nondum apparuit, quod erimus; scimus autẽ quoniam cum apparuerit similes ei erimus, quoniã 1. Ioan. 3. videbimus eum sicuti est 1. Ioan. 3. Hæc autem apparitio Dei fiet anima à corpore separata, & in cœlis cum sanctis Angelis collocata; sed tunc præcipuè, cum Sancti immortales effecti rapientur in nubibus obuiam Christo in aera, vt sic semper 1. Thes. 4. cum Domino sint 1. ad Thessal. 4. & tunc Apoc. 11. dicetur Sanctis illud Apocal. 11. Ascendite huc, & ascenderunt in cœlum in nube, & viderunt illos inimici eorum. Vnde August. August. 12. super Genes. ad litteram 35. cap. dicit. Si quis mouet, quid opus sit spiritibus defunctorum corpora in resurrectione recipere, si potest eis etiam sine corporibus summa beatitudo euenire? & respondens dicit, quòd minime dubitandũ est, ipsam animam post mortem ipsam carne deposita, non sic videre posse incommutabilem substantiam, vt sancti Angeli vident: siue alia latentiore caussa, siue ideo, quia inest ei naturalis quidam appetitus corpus administrandi: quo appetitu retardatur quodammodo ne tota intentione pergat in illud summum cœlum, quandiu non subest corpus, cuius administratione appetitus ille conquiescat. Et infra. Cum hoc corpus iam non animale, Idem. sed per futuram commutationem spirituale anima receperit Angelis coæquata, perfectum habebit naturæ suæ modum, obediens & imperans, viuificata & viuificans, tam ineffabili facilitate, vt sit ei gloriæ quod fuit Sarcinę. De qua mercede loquens idem in lib. de Trinit. cap. 8. dicit: Contemplatio merces est fidei, cui mercedi per fidem corda mundantur, & vt dicit cap. 10. Cõtemplatio Dei finis est omnium bonarum actionum, & requies sempiterna, & gaudium, quod non auferetur à nobis. Dicitur autem hîc in cœlis in plurali, vel more linguæ Hebreæ, in qua (vt dicitur) cœlum singulare: non habet, vel etiam propter bonorum omnium plenitudinem, quæ in Deo est. Vnde Cassiodorus Cassiod. exponens illud Psal. Laudate eum Cœli Psal. 148. cœlorum, dicit: Sicut dicimus vnum palatium, quod multis membris, multisque spatijs ambitur; ita forsitan & cœli partes dicimus cœlos; dum complexio, atq; sinus eius, vnius esse monstretur. Vnde, & Isaiæ 45. dicitur: Rorate cœli desuper, Isa. 45. vbi cœli videntur intelligi de ipso Deo. [*Vel etiam merces nostra in cœlis est*,] ideſt, in superioribus partibus mundi; quæ partes cœlum vocantur, iuxta illud Prou. 25. Prou. 25. Cœlum sursum, & terra deorsum, in quibus cœlis præcipitur nobis thesaurizare. Infra 6. Thesaurizate vobis thesauros in Matt. 6. cœlo. Licet enim habitatio in cœlo non sit pars beatitudinis essentialis, tamen est pars decentiæ, & congruentiæ, propter loci nobilitatem, sublimitatem, & luminositatem. Vnde & Beda dicit 1. lib. super Beda. Genes. Quòd in cęlo empyreo creati sunt Angeli, & in eo erunt etiam post resurrectionem sanctorum corpora, vt declarat August. 22. de Ciuit. Dei, cap. 5. & ca. 11. August. Vnde ad hanc intentionem Glossa exponens hîc cœlos, dicit. Merces vestra copiosa est in cœlis, ideſt in superioribus partibus mundi. Sicut enim Christi humanitas post resurrectionem in cœlum ascendit, ita & nostra humanitas post generalẽ resurrectionem in cœlum ascendet; quod nobis datum esse per Christũ Apostolus, Glos.

fideli-

fidelibus ad huc in carne manẽtibus, dicebat ad Eph. Conresuscitauit & consedere fecit in cęlestibus in Christo Iesu, vt ostenderet in seculis superuenientibus abundãtes diuitias gratiæ suæ. Vbi dicit Glossa. In cęlestibus Christus iam sedet, nondum autem nos, sed pro certo tenemus, quod consedebimus in cęlestibus in re, & hoc in seculis superuenientibus, idest, in diem iudicij, in quo ostendet abũdantes diuitias gratiæ suæ, idest, abundantia dona gratiæ suæ. In futuro enim seculo apparebit donũ Dei in remuneratione credentium, quod oculus non vidit, nec auris audiuit; & hæ sunt abundantes diuitiæ, vt tantum detur, quod mens inuestigare non potest; quæ merces dabitur sanctis, in cœlo in corpore & anima glorificatis habitantibus, quę merces nihil aliud est, quàm cęlorum regnum, de quo supra dictum fuit, [*Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.*]

Eph. 2.

Glos.

SVMMARIVM.

Quòd Prophetæ veteris testamenti propter hoc passi fuerunt persecutiones à malignis hominibus, quia veritatem eis prædicabant, & eis prædicabant mala quæ passuri erant, nisi se à sua malitia emendarent, & eodem modo contigit Apostolis, & Christi Discipulis.

XXVII SEquitur [*sic enim persecuti sunt Prophetas, qui fuerunt ante vos*] Vbi inducit exemplum ad persequentium malitias æquanimiter tolerandas, dicens. Non debetis mirari, si bona facientes, & alios ad bonum faciendum, & ad malum declinandum inducentes, odia peruersorum hominum, maledictiones, & persecutiones eorum sustinetis; quasi nouũ, & inusitatum aliquid vobis contingat; nam hoc semper fuit consuetum, quod mali correcti, vel coerciti à bonis oderũt eos; & si potestas data fuit persecuti eos fuerunt. Vnde dicit, [*quòd sic persecuti sunt Prophetas, qui fuerunt ante vos.*] Vnde & Amos 5. dicitur de iniquis. Odio habuerunt in porta corripientem, & loquentem perfectè abhominati sunt. Et Sap. 2. dicunt impij. Circumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Et infra. Contumelia, & tormento interrogemus eum; morte turpissima condemnemus illum. Vnde Augustinus parte secunda super Ioan. dicit. Mali odio habent veritatẽ; nolunt enim sua facta damnari & hoc habet veritas, vt talia facta damnentur, tantum ergo oderunt veritatem, quantum oderunt suas pœnas, quas talibus irrogat veritas. Et infra. O miseros homines, qui cum esse volunt mali, nolunt esse veritatem, qua damnãtur mali. Quia ergo Sancti malos reprehendunt, veritatem eis dicendo, eorum malam vitam corripiendo in qua mali delectantur, Iccirco bonos odio habent, & persequuntur, vt liberè, & sine correctione alicuius suam malam vitam possint continuare: quemadmodum infirmus odit medicum. Dicente Hieronymo in epistola ad Marcellam de Onaso. Medici quos vocãt Chyrugicos crudeles putantur; & miseri sunt. An non est miseria, alienis non dolere vulneribus? & mortuas carnes inclementi secare ferro, non horrere curantem, quod horret ipse, qui patitur? Ita se natura habet, vt amara sit veritas, blanda vitia æstimentur. Vnde & mirum non est, si & nos vitiis detrahentes offendimus plurimos. Vnde quia Prophetæ priores scelera populi arguebãt, iuxta illud Isa. 58. Annuncia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum. Quod exponens Hieronymus 16. lib. super Isaiam dicit. Præcepit Dominus Isaię, vt clamet in fortitudine, ad instar tubæ exaltet vocem suam, & peccata, & scelera populi Israel dicere non formidet; nequaquam mortem metuens nec impiorum truculenta conuicia, sed magis consideret imperãté Deum; populo ideo odiosi facti fuerũt, & eos sunt persecuti. Vnde & de Hieremia dicitur. Eccl. 49. Male tractauerũt illum, qui à ventre matris cõsecratus est Propheta; propter hoc enim Moyses & Aarõ à populo quasi lapidati sunt; Helias fugit, Zacharias filius Ioiadæ in templo lapidatus est, Isaias sectus est à vertice per mediam, Hieremias lapidatus est, Ezechiel interfectus fuit, Amos prius plagis affectus, tandem vecte per tempora transfixa crudeli morte necatus est, Vt dicit Isydorus in libro de ortu, & obitu Sanctorum. Et eodem modo, quia Apostoli scelera mundi arguere habebant, omnibus hominibus mundi odiosi futuri erant, iuxta illud, quod iufra 24. Tradent vos in tribulationem, & occident vos, & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Vt ergo ostendat quòd sicut Prophetæ priores, sanctè viuentes, vera predicãtes, homines corrigentes, multa mala, & persecutiones sunt; sic & Apostoli pati debebant dicit, eos animando ad gaudiosè toleranda mala pœnalia, [*sic persecuti sunt Prophetas, qui fuerunt ante vos,*] quasi diceret

Amos 5.

Sap. 2.

Augus.

F

G

Hieron.

H

Isa. 58.

Hieron.

I

Eccli.

K

Matt. 24.

Isydor.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

ceret eis; propter illud, quod passi sunt Prophetæ, patiemini & vos. Vnde & Remigius hîc dicit. Non turbemini, non contristemini, si vos persecuti fuerint pro veritate, & confessione nominis mei; & si vobis aduersitates acciderint, quia ob hoc persecuti sunt Prophetas, qui fuerunt ante vos. Vnde & 1. Pet. 2. dicitur. Hæc est enim gratia, si propter conscientiam Dei sustinet quis tristitias, patiens iniustè; & cap. 4. dicit idem. Ij qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli creatori commendent animas suas in benefactis.

Remig. 1.Pet.2. Ibidem 4.

SVMMARIVM.

Quòd multum animat bonos homines ad tolerantiam passionum, & aduersitatem sustinẽdam, dum cogitant, quod Sancti Prophetæ pro veritate, & pro iustitia passi sunt, qui etiam magnum exemplum tolerandi persecutiones propter Deum nobis dederunt.

XXVIII MAgna autem consolatio est in tribulationibus, & magnũ exemplum datur viriliter sustinendi persecutiones, quãdo quis agnoscit, quod propter idem patitur persecutiones, propter quod passi fuerunt eas illi, de quibus certum est, quod amici Dei fuerunt, quia si socij sumus tribulationis, & consolationis erimus, non minus autem animamur ad tolerandas persecutiones, quando tales nobis in exemplo ponuntur de quibus certum est, quod Deo placuerũt. Vnde & hîc dicit Remigius. Magna consolatio datur homini in tribulatione posito, dum recordatur; quia alij talia passi sunt ante eum, qualia ipse patitur. Accipitur etiam inde exemplum patientiæ, vt omnia patienter ferat, & desideret tendere ad illum laudabilem finem, ad quem cognoscit, alios peruenisse, nihil enim magis animat ad virtuosa opera, quàm ante oculos habere homines magnæ virtutis, vt ad exemplar eorum vita hominis conformetur. Dicente Seneca ad Lucillum. Aliquis vir bonus nobis diligendus est, ac semper ante oculos habendus, vt sic tãquam illo spectante viuamus, & omnia, tamquam illo vidente faciamus. Magna enim pars peccatorum tollitur, si peccatori testis assistit, aliquẽ habeat animus, quem vereatur, cuius auctoritate & secretum suũ sanctius faciat; O felicem illum, quoniã non præsens tantum, sed etiam cogitatus emendat, ò felicem, qui sic aliquem vereri potest, vt ad memoriam quoque eius se componat, atque ordinet. Vnde Iaco. 5. dicitur. Exemplũ accipite Fratres exitus mali, & lõga

Remig. Seneca. Iaco. 5.

nimitatis, laboris, & patiẽtiæ Prophetas, qui locuti sunt in nomine Domini: ecce beatificamus eos, qui sustinerũt; Sufferentiam Iob audistis, & finem Domini vidistis; Et Augustinus in quodam sermo. de martyribus dicit. Melius docemur facto, quã voce, denique Sancti martyres voce tacent, & factorum virtute nos edocent; & si lingua silent, martyrij passione persuadent. Vnde quamuis orator facundia summa edoceat, tamẽ quod vtile est, melius disco exemplo Sanctorum, quam assertione verborum; Quia ergo Dominus volebat animare Apostolos ad tolerantiam passionum, inducit in exemplum passiones Sanctorum prophetarum dicẽs. Sic enim persecuti sunt &c. Et hoc modo continuat hanc partem ad præcedentem Remigius dicens; Quia dixerat Dominus superius Discipulis suis, quod multas essent passuri persecutiones, & aduersitates, pro veritate, & confessione nominis sui, vt eos corroboraret, subiunxit exemplum dicens. Sic enim persecuti &c.

Augustin. Remig.

SVMMARIVM.

Ponitur secunda continuatio, & ostenditur pro qua causa pati persecutiones sit bonum, & laudabile, vt scilicet patiamur eas propter easdem causas, propter quas illas passi sunt Sancti Prophetæ; quia si non sit causa debita, & bona, sed sit mala, pati persecutiones, bonum non est.

SEcundò potest continuari, & exponi secũdũ Chrysost. vt sit declaratio talis, quòd huiusmodi persecutiones pati, sit laudabile, & dignum mercede cœlesti: non enim pro qualibet causa pati persecutionem est bonum, & laudabile, sed eas pati pro veritate, & iustitia, multum laudabile est, & dignum mercede æterna, dicente 1. Petro 4. Nemo vestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem vt christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine. Quia ergo, & mali patiũtur persecutiones, & boni, vt ostendat, propter quod persecutiones sustinere sit bonum, dicit, quod si patiamur persecutiones propter idem, propter quod passi fuerunt eas Sancti Prophetæ tunc est bonum, & laudabile. Vt enim dicit Augustinus in epistola ad Vincentium; Cum boni, & mali eadem faciunt, eademq; patiuntur, non factis, & pœni., sed causis vtique discernendi sunt. Et infra. Si semper esset laudabile, persecutionem pati, sufficeret, Domino dicere, [*Beati qui persecutionem patiun-*

XIX Chrysost. hom. 15. 1.Pet.4. Augustin. Idem.

tur

tur] nec adderet propter iuſtitiam. Item ſi ſemper eſſet culpabile, perſecutionem facere, nõ ſcriptum eſſet in ſanctis libris, detrahentem proximo ſuo occultè hunc perſequebar. Aliquando ergo, & qui eam patitur iuſtus eſt, & qui eam facit, iuſtus eſt. In his ergo omnibus ſolum debet attendi, quis pro veritate, quis pro iniquitate patiatur, quis nocendi aut emendandi cauſſa alium perſequatur: quia ergo non ſemper bonum eſt, perſecutionem pati, ſed ſolum tunc eſt bonum eam pati, quando quis magis vult eam pati, quàm ſi Chriſtum negaret, & veritatem, & iuſtitiam deſereret: vel veritatẽ quando dici deberet, taceret; vt oſtendat, quando perſecutionem pati, ſit bonum, dicit, quod tunc eſt hoc, quando ſic perſequemur, ſicut perſecuti fuerunt Prophetas. Vnde Chryſoſtomus ad hanc intẽtionem, hanc partem continuans dicit in homiliario. Ne æſtimetis (ait) quòd mala aliqua docentes, & noxia ſancientes, hæc patiemini, vel quando malorum dogmatum exiſtentes magiſtri ab eis perſequimini. Non enim malitiæ eorum qui audiunt, ſunt cauſſa inſidiarum, & periculorum veſtrorum, ſicut ſimilia anteriori tempore facta fuerunt; neque enim Prophetas iniquitatis, & Deo contrarię mẽtis incuſantes, hos quidẽ lapidabant, hos autẽ malis innumeris obruebant, hos autẽ in multis malis circũmittebant, ſed quia eos reprehẽdebant, quia veritatẽ eis annunciabãt.

Pſal. 100.

Chryſoſt. hom. 15.

SVMMARIVM.

Ponitur tertia continuatio, & aſſignatur cauſſa, quare Deus ſuos amicos propter eum perſecutionem patientes, in præſenti vita addictis perſecutionibus non liberat, cum tamẽ ſi vellet eos liberare poſſet.

XXX TErtiò poteſt ſic continuari, & exponi. Cum Deus ſit omnipotens, & ſuos ſanctos diligat, videtur quod ab inſidijs, & violentijs malignantium eos cuſtodire deberet; iuxta illud Pſal. Cuſtodit Dominus omnes diligentes ſe; & clamauerunt iuſti, & Dominus exaudiuit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos. Et tamẽ modo loquens Apoſtolis ſuis dicit. Quod maledicerentur & exprobrarẽtur, & perſecutionem ab hominibus paterentur propter eum; propter quod videtur, quod eos non diligeret, cum tot, & tantis malis eos exponeret; & tamẽ, nec liberationẽ à dictis malis, dum in præſenti vita eſſent, eis permitteret. Cui obiectioni, quaſi reſpondis ipſe Chriſtus dicit. [*Quod ſic perſecuti ſunt Prophetas;*] quaſi diceret; & ſi non liberem vos in præſenti vita à tot malis, & perſecutionibus, mirari non debetis; cũ nec Prophetæ qui ante vos fuerunt, à perſecutionibus peruerſorum fuerint liberati, dum in præſenti vita fuerunt; & tamen propter hoc non fuerunt à Deo derelicti, nec odio habiti: immo quantò magis fuerunt perſecutionem paſſi, tantò magis fuerunt à Deo dilecti, & ſpirituali conſolatione lætificati, iuxta illud Pſal. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lętificauerunt animam meam. Quod exponens Caſsiodorus dicit. Multa quidem ſunt vulnera, ſed ſufficiens omnino medicina, quando ſecũdum dolores aſperos, conſolatoria dicit veniſſe remedia. Nam, quod ait. In corde meo: ſuas ſignificat ſaluberrimas cogitationes, in quibus cum retributiones æternas mente reuolueret, mala temporalia ſine dubitatione deſpexit, & confortatus, inde ſumeret remedium, vnde ſe ſperabat venire ad Chriſtum; Ipſæ ſunt conſolationes, quæ lætificant animas, quamuis corpora videantur afflicta. Dicendo autem Apoſtolis, [*ſic perſecuti ſunt Prophetas, qui fuerunt ante vos,*] remouet ab eis efficaciter opinionem, ne ſe crederent à Deo derelictos, vel odio habitos, cum perſecutionem paterentur. Si enim Prophetæ veteris teſtamenti, in quo præmia temporalia pro operibus virtutum promittebãtur, bona opera agentes, mala pœnalia paſsi ſunt; & tamen nec ipſi ſe derelictos à Deo eſtimauerunt, nec alij crediderũt, eos eſſe à Deo propter hoc derelictos; quanto magis Sancti noui teſtamenti, quibus præmium cęleſte promittitur non ſe reputant, nec ab alijs creditur eſſe à Deo derelictos, vel odio habitos, cum tribulationes patiuntur in præſenti? Hoc enim ad Sanctorum bonum pertinet, vt nullam, vel modicam partem prędmij debiti pro bonis operibus in præſenti vita recipiant; vt cumulatius, & complectius totum ſuum præmiũ recipiant in futuro: modicum enim de præmio habito in prędſenti, multum diminuit de præmio quod habẽdum eſt in futuro: propter quod Deus Sanctos ſuos, quos copioſè remunerare vult in futuro, multa mala pati permittit in prędſenti; & malis, quos non vult remunerare de aliquibus bonis operibus in futuro, bona dat temporalia in præſenti. Dicente Auguſtino de ciuitate Dei cap. 15. Quibus Deus non erat daturus vitam æternam cum Sanctis Angelis ſuis in ciuitate ſua cęleſti, ſi nec eis terrenam gloriam, & im-

Pſal. 93.

Caſſiod.

Auguſt.

perium

perium concederet, non redderetur merces bonis artibus eorum, ideſt virtutibus, quibus ad tantam gloriam peruenire nitebãtur, propter quod vt reciperẽt ſuam mercedem in præſenti honorati ſunt in omnibus ferè gentibus; Imperij ſui leges impoſuerunt multis gentibus: Hodieq; litteris, & hiſtoria glorioſi ſunt penè in omnibus gentibus; Non eſt quod de ſummi, & veri Dei iuſtitia conquerãtur, perceperunt.n.mercedem ſuam, merces autẽ Sanctorum, & hæe opprobria ſuſtinẽtium pro veritate Dei longè alia eſt; illa enim Ciuitas ſempiterna eſt, vbi nullus oritur; ibi eſt vera, & plena felicitas. Quia ergò Sancti Apoſtoli hîc nihil, vel parũ de præmio conſecuti, ſed exprobrati, maledicti, & perſecutionem paſsi ſunt: Iccirco magnam gloriam in cælo conſecuti ſunt, prouidente Domino eis de perſecutionibus in præſenti; vt eos copioſius remuneraret in futuro. Vnde Theſſalonicenſibus perſecutionem paſsis, lætanter dicebat Apoſtolis 1. ad Theſſa. 2. Vos imitatores facti eſtis fratres Eccleſiarum Dei, quæ ſunt in Iudæa in Chriſto Iesù quia eadem paſsi eſtis, & vos à contribulibus veſtris, ſicut & ipſi à Iudæis, qui & Dominum Ieſum occiderũt, & Prophetas, & vos perſecuti ſunt. Et ad hanc intẽtionem hanc partem continuans, & exponens Chryſoſtom. in homilia dicit. Quoniam perſecutionem pati, hoc eis prodeſt, & facit præclaros, non dixit, quoniam mala quidem dicent, & perſequẽtur, ego autem prohibeo hoc. Et infra. Ne aliquis dicat, quare non reſiſtis, neq; præcludis ora perſequentium, & illîc mercedem das, poſuit Prophetas, monſtrans, quod nec illîc reſtitit Deus. Si autem illo tunc ante oculos erant retributiones, & tamẽ Prophetas à futuris retributionibus confortauit, multò magis nunc cum vehementior facta eſt ſpes futurorum, & maior Prophetia à futuris retributionibus confortantur.

1.Theſſa.

Chryſoſt. hom.15.

Idem,

SVMMARIVM.

Quare Dominus Apoſtolos inducens ad tolerandum perſecutiones malorum hominum ſibi illatas propter Chriſtum, facit mentionem de Prophetis, qui fuerunt ante ipſos, & aſſignantur quatuor cauſſæ.

XXXI PEr hoc autem, quod dicit, [*quod ſic perſecuti ſunt Prophetas, qui fuerunt ante vos.*] Primò inſinuat, quòd ſancti Prophetæ propter iuſtitiam, ac Chriſtum paſsi ſunt; ſicut, & Sancti Apoſtoli poſtea paſsi fuerunt; Arguens ex hoc omnes hæreticos; qui Prophetis veteris teſtamenti detrahunt, vt fuerunt Manichæi; Licet enim alijs ſacramẽtis & obſeruationibus Chriſtum coluerint; tamen eandem fidem habuerunt, quã Sancti Apoſtoli, & ſuccedentes Sancti; & propter eam defendendam interfecti fuerũt. Dicente Stephano Act. 7. Quem prophetarum nõ ſunt perſecuti Patres veſtri? & occiderunt eos, qui prænunciabant de aduentu Iuſti, cuius vos nunc proditores, & homicidæ fuiſtis. Secundò inſinuat, quòd & Sancti Apoſtoli Prophetæ fuerunt, cũ dicit perſecuti ſunt Prophetas, q̃ fuerunt ante vos. Vnde Chryſoſt. hîc in hom. dicit [*quòd cum dixit Prophetas qui fuerunt ante vos*] monſtrat & ipſos Prophetas iam factos. Et Apoſtolus ad Ephe. 3. dicit de ſe, & aliis Apoſtolis; Quod aliis generationibus nõ eſt agnitũ filiis hominum; ſicuti nũc reuelatum eſt Sanctis Apoſtolis eius, & Prophetis in ſpiritu. Et infra 23. dicit Dñs. Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & ſapientes, & ſcribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis. Vnde dicit Interlinearis ſuper illud. Occidetis vt Paulum; crucifixegis vt Petrũ; & flagellabitis, vt Apoſtolos in actibus Apoſtolorum. Et Hylarius ibi dicit: quòd per Prophetas, Sapiẽtes, & Scribas, intelligit Apoſtolos, qui sũt Prophetæ, propter futurorum reuelationem: ſapientes, de Chriſti cognitione: ſcribæ, de legis intelligentia. Sic autem eos Prophetas vocans, eos multum animat, ad æquanimiter, & lætanter perſecutiones tolerandas, cum ex hoc, ſibi & nomen, & meritũ priorum Prophetarum, videantur acquirere, qui Prophetę apud eos in magno honore habebantur. Tertiò ex hoc inſinuat, quòd ipſe Chriſtus in nullo minor eſt Deo Patre: Nam ſicut Deus Pater in veteri teſtamẽto habuit Prophetas, qui paſsi ſunt perſecutionẽ propter ipſum, ita & Chriſtus habuit Prophetas in nouo teſtamento, quí duriſsimas perſecutiones ſunt paſsi propter ipſum. Vnde Chryſoſt. hîc in hom. dicit. Et dicendo hæc, ſuam dignitatem enigmaticè inſinuat, & ad genitorem honoris coæqualitatem, quemadmodum enim illi propter Patrem (ait) ita & vos propter me patiemini, iuxta illud Ioan. 5. Omnes honorificent filium, ſicut honorificant Patrem. Quartò oſtenditur per hoc, quòd omnes Sancti tam veteris, quæ noui teſtamenti ab iniquis perſecutionem paſsi ſunt, dicente Apoſtolo 2. ad Timot. 3. Omnes, qui piè volunt viuere in Chriſto Iesù, perſecutiones patiuntur. Vbi dicit Gloſſa. Omnes qui piè volunt, ideſt religiosè, & iuſtè viuere in

Actu.7.

Chryſoſt. hom.15.

Epheſ.3.

Matt.23.

Gloſſ.

Hylar.

Chryſoſt. hom.15.

Ioan.5.

2.Tim.3.

Gloſ.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Christo, qui venit pati, patienter in corde, vel in corpore, à diabolo, vel à malis hominibus, vel à suis concupiscentijs, vel pro dolore patientium persecutionē hoc semper sit. Et infra. Quid enim sit persequetur vita bonorum, quàm vita iniquorum? non modò, cum cogit imitari quod displicet, sed & cum cogit dolere quod videt; quia impius coram iusto viuens impiè, & si non obligat non consentientem, cruciat tamen sentientem, iuxta illud Psal. Vidi præuaricantes, & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt. Quamuis enim aliqui sancti corporales persecutiones passi non sint, tamen mentales, & alias passi fuerunt persecutiones, propter quod cum quis bona opera agēs, & rectè credens persecutiones patitur, signum est, quòd iustus est.

Psal. 118.

Tractatus sequens protenditur vsque ibi. (Vos estis lux mundi,) *& habet in se 24. capitula.*

SVMMARIVM.

Primum ponitur diuisio, & ostenditur, qualem correctionem debent exercere prælati ad subiectos, mediam scilicet inter austeram, & dulcem.

I Vos estis Sal terræ &c.] Vbi postquam ostendit Euāgelista, quòd animi fortitudinē debent habere illi, qui alios debent corrigere, quia nec propter persecutionem, nec propter iniurias, & opprobria debent desistere à malignorum correctione: Vult ostendere cuiusmodi correctionem debent exercere, scilicet mediam inter austeram, & dulcem; quia talis correctio plus prodest, quàm nimis dulcis, vel amara; Quemadmodum Samaritanus vulnerato appropiās infudit oleum, & vinum Luc. 10. Quod exponens Gregorius 20. lib. Mor. cap. 8. dicit. Disciplina, vel misericordia multum destituitur, si vna sine altera teneatur, sed circa subditos inesse rectoribus debet, & iustè consolans misericordia, & piè sęuiens disciplina. Hinc est, quod semiuiui in illius, qui à Samaritano in stabulum ductus est vulneribus, & vinū adhibetur & oleum, vt per vinum mordeantur vulnera, & per oleum foueantur; quatenus vnusquisque, qui sanandis vulneribus præest, in vino morsum districtionis adhibeat, in oleo molliciem pietatis; per vinum mordentur

Gregor.

F putrida, per oleum sanāda foueantur. Miscenda est ergo lenitas cum seueritate, faciendumque quoddam ex vtraque temperamentū vt nec multa asperitate exulcerentur subditi; neq; nimia benignitate soluantur. Et infra. Sit itaque amor, sed non emolliens: sit rigor, sed non exasperās: sit zelus, sed non immoderatè sæuiēs: sit pietas, sed non plusquā expediat parcens. Huiusmodi aut correctio media inter austeram, & dulcem significatur per Sal; quod & saporem, & condimentū omnibus cibis præstat, & putredinem & vermes à carnibus mortuis sua austeritate arcet, & prohibet. Vnde sup. illud Mar. 9. Habete in vobis Sal, & pacem habete inter vos; dicit Hieronymus. Vt Sal correctionis amor proximi temperet, & dilectionem proximi Sal iustitiæ condiat. Et hæc pars habet tres partes, quia primò ostendit cuiusmodi correctionem debeat exercere aliorum Rectores, ad hoc vt sint vtiles: & secundò ostēdit, quod si hęc non habeāt, sunt inutiles: & tertiò quod sicut nociui, & inutiles sunt abijciendi: secūda ibi, [*quod si Sal euanuerit,*] & tertia [*ad nihilum valet vltra, &c.*]

Idem.

Hiero.

G

H

SVMMARIVM.

Ponitur prima continuatio, & expositio, quare Apostoli Sal terræ dicti sunt: quia per correctionem putredinem peccatorum hominum mundialium sanauerunt, & peccatorum vermes in eis occiderunt.

I Dicit ergo primò. [*Vos estis Sal terræ,*] & potest continuari primò ad partem præcedentem sic. Quia enim dictum est, quod ipsi boni existentes, maledictiones, opprobria, & persecutiones haberēt pati ab hominibus, ne super hoc mirētur, quia pro beneficijs hominibus collatis, ab eis mala recipere haberent; & ne propter huiusmodi mala desisterent à reprehensione, & correctione hominum peruersorum. Iccirco dicit eis, [*quod sunt Sal terræ.*] Quando enim iam in aliquo membro putridò animalis, vermes incipiūt scaturire, Sal vel aliquod aliud austerū infunditur, vt vermes occidātur, quibus interfectis, membrum putrescens sanetur, & licet Sale, vel alio austero immisso animal doleat, & irritetur contra immittentē, & eū persequatur si poterit; tamen non propter hoc medicus debet desistere immittendo Sal, & alia austera in vulnus, quousque animal sanetur interfectis vermibus, & vulnere sanato. Vnde, quia humanum genus putridum erat, & corruptum per pecca-

I

K

L

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Psal. 37. tum, iuxta illud Psal. Putruerunt, & corruptæ sunt cycatrices meæ, à facie insipientiæ meæ, & Iob 30. Nocte os meum perforatur doloribus, & qui me comedunt, non dormiunt: & Apostoli spirituales medici effecti, Sal correctionis, & increpationis immiserũt in vulneribus per peccatum putridis hominum, iccirco homines eos persecuti sunt, & opprobrijs, & maledictis eos affecerunt. Sed quia medici erant, & curam hominum acceperãt, non destiterunt ab eorum correctione, ne omnino Sal inutile esset. Vnde Chrysost. hanc partem continuans in homel. dicit; Ne enim audientes, cum exprobrauerint, & persecuti fuerint, & dixerint, omne malum aduersum vos, formident in medium prodire, dicit. [*Vos estis Sal terræ,*] quasi dicat, Non vos maledicta hominum audiẽtes oportet trepidare, qa salis opus est mordere, & contristari molles; quare necessariò accusatio sequetur nihil vobis nocens; sed & testans vestræ soliditati, & ibidem æstimetis ad cõtingentes agones trahi. [*Vos estis Sal terræ.*] Nam non solum estis magistri, sed & terribiles, quia non blandientes, sed stipticitatem immittẽtes tanquam Sal aliorum estis.

Iob 30.

Chrysost. hom. 15.

SVMMARIVM.

Ponitur secunda continuatio, & expositio, & ostenditur, quare Apostoli aduenientе Spiritui sancto in die Pentecostes immutati fuerunt quodammodo in alteram qualitatem, quia à fluxibilitate, & inconstantia aquea conuersi fuerunt in solidam, & constantem Salis naturam, & ideo ex tunc potuerunt non dissolui, nec fluere, positi in igne tribulationũ, sicut Sal non dissoluitur, sed saltat in igne positum.

III VEl etiam potest continuari, sic; Quia cum multa dura, & aspera eis præmissa sint, sicut maledictiones, opprobria, & persecutiones, ne dubitarẽt quomodo prædicta sustinere possent, eos animãs ad tolerantiã, & ostendens, quod fortes erãt ad talia toleranda dixit. [*Vos estis Sal terræ.*] Sal enim ex aqua salsa per calorem Solis, & commotionem venti generatur. Dicente Remigio hîc, Sal per aquam, & ardorem Solis, & flatum venti ex altera in alteram naturam, & qualitatem commutatur: & Sancti Apostoli de communi aqua humanæ naturæ assumpti, iuxta illud Psal. Misit de summo, & accepit me, & assumpsit me de aquis multis; per calorem Solis, ideſt per Christi doctrinam, & per flatum Spiritus sancti in die Pentecostes, quando factus est sonus, tãquam aduenientis spiritus vehemẽtis, consolidati fuerũt à fluxibilitate, & mutabilitate humanæ mentis, abiecta passione timoris, vt iam propter nullum terrorem humanum desisterent à prædicatione Euangelij, & hominum correctione; quia erant Sal separati à delectabilium mundialium fluxibilitate, & erant apti ad hoc, vt positi in igne tribulationis non dissoluerentur mente, sed saltarent de tribulatione Mundi ad Cœlum: quemadmodum Sal saltat de igne, & in aqua dissoluitur. Vnde longè existẽtes ab aqua carnalis voluptatis, persecutiones hominum modicum curauerũt. Vnde quasi causſam reddens, quòd persecutiones tolerare possent dixit. [*Vos estis Sal terræ,*] quasi dicat. Iccirco in tribulationibus non deficietis, quia ego vos Sal effeci per meam prædicationẽ, & Spiritus sancti largitionem; & loquitur de futuro, vt de præsenti. Ante enim quàm eis Sanctus spiritus daretur in die Pentecostes, non erant Sal, quod posset poni in igne tribulationis, cum tẽpore passionis relicto eo omnes fugerunt; & ad interrogationẽ Ancillæ Petrus Dominum negauit; & clausæ erant fores eorum, propter metum Iudæorum; sed & tunc quando eorum fluxibilitas per ventum Sancti spiritus fuit in Sal conuersa, iam non timẽt, nec verẽtur poni in igne tribulationum; quia certi erant, quòd nec tribulatio, nec angustia, nec persecutio, nec fames, nec nuditas, nec periculum, nec gladius poterat eos separare à charitate Dei. Vnde Bernard. primo serm. de Pentecost. dicit. Mutationem illam dexteræ excelsi manifestè declarat Principis Apostolorum, prius quidem inter Ancillæ verba formido, postmodum inter Principum verbera fortitudo. Et Eccl. 43. de tale immutatione dicitur. Gelu sicut Sal effundet super terram, & dum gelauerit fiet tamquam cacumina tribuli. Vnde hîc continuans hãc partem Remigius dicit. Quia dixerat Dominus superius Discipulis suis, quòd pro veritate, & confessione nominis sui multa essent passuri: ideo, vt eos subleuaret, & cõsolaretur, subiunxit dicens. [*Vos estis Sal terræ,*] ac si diceret; Illi persequuntur vos, sed nolite timere, quia Sal terræ estis; Sal quippè per aquam, & ardorem Solis, & flatum venti ex altera in alteram naturam, & qualitatem cõmutatur: Sic Sancti Apostoli, & omnes Apostolici viri per aquam sacri baptismatis, & ardorem Solis, ideſt fidei, & dilectionis Christi, & flatum venti, ideſt Spiritus Sancti donum, ex terrena, & carnali generatio-

Remig.

Psal. 17.

Bernar.

Eccl. 43.

Remig.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

ne in cœlestem, & spiritualem commutati sunt; & sunt facti Sal non dissolubile per ignem tribulationum, propterquòd exponi poterant, contra persecutiones, & maledictiones hominum mundanorum.

SVMMARIVM.

Ponitur tertia continuatio, & ostenditur, quòd illi, qui alios corrigere, & docere debent, prius in se, debent esse perfecti, antequam perfectionem alijs infundant.

IIII VEl etiam potest cõtinuari ad omnes beatitudines præcedẽtes. Circa quòd attendendum quòd aliorum magister, & rector prius debet esse in se perfectus, quàm alios ad perfectionẽ ducat; dicente Bernardo super Cantica serm. 18. Si quod tuum est spargis, & perdis, & prius quàm infundaris semiplenus festines effundere, contra legem aras in primogenito bouis, & ouis primogenitum tondis. Quamobrẽ si sapis, concham te exhibebis, non canalem. Hic siquidem penè simul & recipit, & refundit: illa vero donec impleatur expectat, & sic quod super abundat sine suo damno communicat, sciens maledictum, qui partem suam facit deteriorẽ. Et infra. Tu fac similiter. Implere prius, & sic curato effundere. Benigna, & prudẽs charitas affluere consueuit, non effluere; vult abundare sibi, vt possit in omnibus; seruat sibi quantum sufficiat, vt nulli deficiat; per adeptionem verò præcedentium beatitudinũ, homo in se perfectꝰ efficitur, quibus adeptis potest, & debet alios ad perfectionem perducere. Vnde Bernard. in prædicto serm. dicit. Si munere gratiæ exterioris perfusum te sentis, quo & ipse in alios refundere possis, & ad quod erogandum accepisti, vis retinere rem profectò proximi retinẽs tibi; Verbi causſa, Si plurimis cum sis virtutibus forisque nihilominus donis scientiæ, & eloquentiæ adornatus, metu forte, aut segnitię aliquid minus discreta humilitate verbum bonum, quod posset prodesse multis, inutili immo & damnabili ligas silentio, certe es maledictus, quia frumenta abscondis in populis. Vnde quia Apostoli pleni erant donis cœlestibus, & scientia sapida, quia Sal erant effecti, eis præcipitur, quòd alios instruãt, & saliant sermonibus prædicationis sanctæ, iuxta illud Apostol. ad Colossens. 4. Sermo vester semper in gratia Sale sit conditus, vt sciatis, quomodo oporteat vos vnicuique respondere. Et hoc modo hanc partem continuans Chrys. in homi. dicit. Vide post quanta mãdata hæc posuit, nec enim simpliciter hæc posuit; sed manifestans, quòd non potest, qui non omnibus illis præparatus est, ad hos exire Agones, propterea de priore semper sequentis viã faciens mandati, catenam nobis quandam auream subtexuit. Qui enim humilis, mitis, lugens, iustus, misericos, mundus corde, & pacificus fuerit, ad pericula erit præparatus, & non turbabitur audiens mala, & patiens multa pernicioſa; quibus bonis plenus, sal terræ est, quia non pro vita, quę est secundum se ipsum, sed pro vniuerso orbe sermo ei debet esse. Et infra. Propterea ab ipsis Apostolis has virtutes inquirit, quę maxime ad multorum salutem sunt necessariæ, & vtiles. Mitis enim & mansuetus, misericors, & iustus non in se ipsum concludit hæc rectè facta solum, sed & in aliorum vtilitatem bonos hos sic emanare præparat fontes. Et in expositione dicit idem. Doctor omnibus virtutibus debet esse ornatus. Et Infra. Si Doctor omnibus præcedentibus virtutibus fuerit ornatus, tunc est quasi optimum sal, & totus de illo populus ostenditur magis videndo eum, quàm audiendo. Nam prima doctrina est, videre bonum, secunda autem audire.

SVMMARIVM.

Quòd Apostoli dicti sunt Sal, quia scripturam noui testamenti, & suam prædicationem sapiendo nomine Iesu resperserunt: & quia vetus testamentum, quod in se videbatur insulsum, & non sapidum secundum litteralem sensum, spiritualiter intelligendum esse docuerũt.

QVibus visis, videndum est, quare Apostoli Sal vocantur. Circa quod primo videda est salis natura, & deinde eius efficacia. Sal autem fit ex aqua salsa in aliquo loco concluſa virtute caloris solaris, vel ignis, & flatu venti coagulata. Vt dictum fuit supra per Remig. Sed efficacia salis est condire cibaria, non permittere defluere bulliẽtia, desiccare humida, preseruare à corruptione, & verme, salire de igne; per se sumptum nociuum esse, & terram infecundam reddere. Apostoli autem de amaritudine generis humani à domino segregati, iuxta illud Psal. Congregans sicut in vtre aquas maris; doctrina Christi, & vento Spiritus Sancti facti sunt firmi, & coagulati, vt sal possent dici. Vnde iste est Dauid, & filij eius, qui habẽt pactum salis. 1. Paralip. 13. sed doctrina eorum fuit sapida, quia fuit de Christo: & ideo gratia, & veritate fuit plena; dicente Apost. Non iudicaui me scire aliquid in-

Bernar.
Idem.
Idem.
Coloss. 4.
Chrysost. hom. 15.
Idem, hom.
Remig.
Psal. 32.
1. Par. 13.
1. Cor. 2.

ter vos, nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum, 1. ad Cor. 12. Quæ Christi prædicatio sapida est, quia omnis scriptura, in qua nomen Christi Iesu non est positum, Bernar. insipida est, dicente Bernar. super Cantica serm. 15. Aridus est omnis animæ cibus, si hoc oleo non infunditur. Insipidus est, si non hoc sale conditur. Si scribas non sapit mihi, nisi sonuerit, ibi Iesus. Iesus mel in ore, in aure melos, in corde iubilus. Nec solum ex hoc, quòd nomine Iesus, ideſt scriptura noui testamenti conditi sunt, Sal sunt dicti, sed etiam, quia intellectũ carnalem veteris legis insulsum, Gregor. intellectu spirituali nouæ legis condierunt, dicente Greg. 7. lib. super Iob. cap. 5. Exponens illud Iob 6. Aut poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum? In lege Sal littera est intelligentiæ, virtus occulta; Quisquis ergo obsequijs carnalibus intentus, hanc intelligere spiritualiter noluit, quid aliud nisi insulsum cibũ comedit? Sed hoc in cibo sal veritas misit, cum latere in lege saporem occultæ intelligentiæ docuit, dicens: Habete sal in vobis, & pacem habete inter vos. Marc. 9. Marc. 9. quod præcipuè Apostoli fecerunt, qui legem veterem spiritualiter intelligere docuerunt, dicẽte Apost. ad Rom. 7. Rom. 7. Scimus, quòd lex spiritualis est, ego autem carnalis sum venundatus sub peccato: vbi dicit Glo. Glossa. Lex Moysi spiritualis dicitur, quia in ea sunt, quæ Dei sunt, & quia spiritualiter intelligenda est, sine qua intelligentia spirituali quam Christus, & Apostoli docuerunt, omnino lex est insulsa, nec cõdimento salis est sapida. Vnde, & populo veteris testamenti, qui legem carnaliter intelligebat dictum est, Ezech. 16. Ezech. 16. In aqua nõ es lota in salutẽ, nec sale salita, nec inuoluta pannis. Quod exponens Hieronymus 4. lib. super Ezech. dicit: Ieruſalem, quæ de malis præsentibus nata est, nihil saporis, nihil diligentię consecuta est, qui autem renascuntur in Christo dicitur ad eos. [*Vos estis sal terræ.*] Et vulgo sapientes salsi, & stulti vocantur insulsi. Sic ergo propter primam proprietatem salis, Apostoli Sal dicti sunt.

SVMMARIVM.

Quòd Apostoli dicti sunt Sal, quia quantumcunque fuerunt eleuati per contemplationis altitudinem, cum alijs donis virtutum super alios fideles, tamen charitate intra Ecclesiæ gremium se tenuerunt, vt non defluerent, sicut sal retinet aquam bullientem, ne de olla exeat.

A SEd quia sal non solum condit cibos, sed etiam ebullitionem retinet intra ollam, quia sale apposito in olla bulliente, nõ permittit aquam effundi extra ollam; Iccirco etiam Apostoli Sal sunt dicti, quia docuerũt, quòd nullus propter vitæ eminentiam, vel scientiæ, deberet sic se extollere, quod olla exeat Ecclesię. vnde & Apostolus quibusdam se super alios extollentibus dicebat. Noli altu sapere, sed time, alioquin excideris, ad Roman. 11. & de se Rom. 11. dicebat. Siue mente excedimus Deo, siue sobrij sumus vobis, charitas Christi vrget B nos. 2. ad Corint. 5. Quod exponens Gloſ- 2. Cor. 5. sa dicit. Excedens mente Apostolus omnẽ Gloſ. humanam fragilitatem habitabat corde in quadam ineffabili contemplatione, vbi audiuit ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui. Vbi si semper permanere vellet, non se leuaret: quid autem fecit? descendit, & non ingratus ei à quo accepit, altiora dimittens propter infirmos, non contẽpsit inferiora, sed eis se contẽperauit. Vnde quemadmodũ sale posito in C aqua bulliente, nõ permittit aquã dilabi, sed quę ascenderat, descẽdi: Ita sancti quãtucunq; eleuati eminentia vitæ, vel scientiæ, quoniam condiuntur charitate, & si ascendunt per contemplationem, & descendunt per proximi compassionẽ, tamẽ numquam dilabuntur per vanitatem ab Ecclesiastica vnitate, quia cõstringuntur, & retinentur charitate. Vnde & Apostol. 1. Cor. 8. 1. ad Corin. 8. dicit: Scimus, quoniam omnes scientiam habemus. Scientia inflat, Gloſſ. charitas verò ædificat. Vbi dicit Glo. Non D valet scientia quę facit nos superbire contra ignaros, & scindit vnitatem; scientia enim si sola est, inflat, ideſt in superbiam tollit; Charitas verò quę non inflatur ædificat infirmos, quæ dimittit quod eis obesse potest, & ideo eam habete; Addite ergo scientiæ charitatem, & vtilis erit scientia. Vnde hanc salis proprietatem exponens Greg. in Pastorali dicit. Qui loqui sa- Gregor. pienter incipit; magnopere metuat ne eius eloquio audientium vnitas confundatur, ne dum sapiens videri desiderat, E vnitatis compagem abscindat; sed qui se constringit vinculo dilectionis ad proximum, hic salem habet.

SVMMARIVM.

Quòd Apostoli sunt dicti Sal, quia sua doctrina desiccauerunt fluxibilitatem hominum, quam habebant ad peccata carnalia, sicut sal desiccat corpora fluida.

VI.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

VII Hieron. SAl etiam deficcat corpora fluida, vnde & Hieron. super Ezech. lib. 4. exponẽs illud. Nec sale salita: dicit. Tenera infantium corpora dum adhuc vteri calorem retinent, & primo vagitu laboriosæ vitæ testantur exordia, solent ab obstetricibus sale contingi, ne ficciora sint, & restringantur: Doctrina autem Apostolica homines fluidos peccatis carnalibus deficcat, & restringit, cum castitatem, & castigationem carnis, ac restrictionem alimentorum præcipit; dicente Apost. ad Col. 3. Coloss. 3. Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immũditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam, quæ est simulacrorum seruitus, in quibus & vos ambulastis aliquãdo cum viueretis in illis. vnde & Remig. hîc dicit. Remig. Natura salis hæc est, exiccat humores, aufert fętorem, vermes non finit procreari; Sic nimirum cęlestis sapientia exiccat humores carnalium delectationum, aufert fętorem malæ conuersationis, & extinguit vermes libidinosę cogitationis. vnde hoc est sal, quod in omni victima Domini præceptum est offerri, quia nullũ bonum opus est (vt dicit Gregorius) sine castitate. Greger. Vnde super illud Mar. 9. Omnis sale salietur victima, dicit Hieron. Hoc sale salitur victima dum corruptio sanguinis, custodia putredinis, & mater vermium hîc cõprimitur. Et Beda ibi dicit. Fętor vermiũ de corruptione solet nasci carnis, & sanguinis, ideoq; caro recens sale conditur, vt exsiccato humore sanguineo vermescere nequeat, & eodem modo pœnitentiæ auctoritate deficcatur corruptio fœtoris luxuriæ, quæ corruptio ex corruptione carnis, & sanguinis contingit.

SVMMARIVM.

Quòd Apostoli dicti sunt Sal, quia eorum prædicatio de fide Christi recepta per credentes, à corruptione, & verme tam corporis, quàm animæ liberat, & reddit incorruptioni: sicut sal prohibet corpora mortuorum corrumpi, & dissolui, & cohibet ne vermescant.

VIII NEc solum sal corpora fluida deficcat, sed etiam à corruptione præseruat. Quamuis enim sancti morte corporis dilabentur, & incinerentur, tamen quia doctrina Euangelica sunt eorum animæ salitæ ad vitam incorruptibilem conseruantur, dicente Domino Ioan. 11. Ioan. 11. Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet; & omnis qui viuit, & credit in me non morietur in ęternum. Et Apost. ad Rom. 8. dicit. Rom. 8. Si spiritus eius, qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum eius in vobis. Fides enim Christi, quam Apostoli docuerunt non permittet corpora nostra perpetuò esse in corruptione, sed in nouissimo die suscitabit ipsa Christus ad vitam incorruptam, immortalem, & impassibilẽ, nec permittet quòd vermis æternus suos fideles corrodat, cũ eorum corpora non sint cadauera, quibus ignis, & vermis debetur, vt patet Isa. vlt. Vnde, & hic Hylar. hanc salis proprietatem exponens dicit: Quòd Apostolorum officium ipsius salis natura monstrabit; hæc enim incorruptionẽ corporibus quibus fuerit aspersum impartitur; Apostoli autem sunt rerum cœlestium prædicatores, & æternitatis fatores. Meritò ergo sal vocantur, quia per virtutẽ doctrinæ, quasi salientes ęternitati corpora seruant, vnde & propter incorruptionẽ, quam sal mortuis corporibus confert, dicitur Tobiæ 6. Hylar. Tob. 6. Cętera salierunt: quę sufficerẽt eis, quousque peruenirent in Rages ciuitatẽ Medorum: Et quòd sal huiusmodi occidat vermem conscientiæ, dicit hîc Remigius. Remig. Nihilominus extinguit illum vermẽ perpetuum de quo dicitur Isa. vl. Vermis eorum non morietur. Isa. vlt.

SVMMARIVM.

Quòd doctrina Apostolica dicta est Sal, quia potest seruare illum, qui recipit eam in statu gratię, licet non possit illum, qui cecidit à statu gratiæ per peccatum, ad statum incorruptum iustitiæ perducere, quia hoc solius est diuinæ gratiæ.

IX NEc solum prędicatio Apostolica conseruat corpora à corruptione perpetua, sed & in præsenti præseruat ne animæ perperam putrescant; Salis enim natura est (vt dicit Chrys.) quòd carnes sanas, & incorruptas, in suo statu conseruet, sed putridas carnes & infirmas non potest meliorare; sed si ab aliquo fuerint ad sanitatem, & incorruptionem perductæ potest eas in tali statu conseruare, & eodem modo doctrina Apostolorum conseruat animas sanctas à peccato, in statu incorruptionis. Si quis dictam doctrinam voluerit cõseruare, Dei suppositio adiutorio fit; qđ necessarium est non solum ad egrediendũ de peccato, sed ad perseuerandũ in bono. Chrysost. hom. 10. Vnde Innocent. Papa in quadam Epistola ad Concilium Carthaginense dicit. Adiutorio quotidiano Dei nos egere negare non possumus; Hoc enim seu benè viuimus precamur vt melius, sanctiusq; viua- Innocẽt. Papa.

mus,

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

mus, seù prauè sentientes à bonis auertimur, vt ad rectã redeamus viam, eius auxilio plus egemus. Et infra. Quotidiana præstat ille remedia, quibus nisi freti, confisíque nitamur, nullatenus humanos vincere poterimus errores. Necesse enim est, vt quo auxiliante vincimus, eo iterum nõ adiuuante vincamur, quo adiutorio diuino supposito si secũdum Apostolicam doctrinam viuamus nõ corrumpemur vitijs, & peccatis. Vnde & Apost. 1. ad Cor. 15. loquens de Euangelio quod prędicauerat dicit. Notum vobis facio fratres Euangelium quod prędicaui vobis, quod & accepistis, in quo & statis, per quod & saluamini. Vbi dicit Glos. super illud statis. Per Euangelium stare datur vobis, qui sine eo caditis; Et idem Apostolus monens fideles dicebat, idest ad Corint. vlt. Vigilate, state in fide. Ex quibus patet quòd doctrina Apostolica conseruat animas sanas ne per peccatum putrefiant; sed quando iam per peccatum animæ putridæ sunt, licet per doctrinam Apostolicam excitentur, vt à putredine surgant; tamen nisi Deus interius curet peccati ægritudinem, non potest homo surgere à peccati corruptione, iuxta illud Apost. ad Ephes. 5. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Et Ionæ 2. dicitur: Subleuabis de corruptione vitam meã Domine Deus meus. Dominus enim solus soluit compeditos, Dominus illuminat cæcos, Dominus erigit elisos. Vbi dicit Cassiod. Soluit Christus compeditos, quia absoluit ab omnibus vitijs, quibus mens nostra quasi quibusdam funibus alligatur; Nam sicut ligat Diabolus, qui peccata connectit: ita soluit Christus, qui delicta dimittit: Dominus illuminat cæcos, &c. omnes vitiosi sunt cæci: quia peccatorum obscuritatibus implicantur. Sed istos solus ille illuminat, qui in Euãgelio luto facto perunxit oculos; & contenebratum hominẽ ad gaudium perfectæ sanitatis adduxit. Quia ergo Apostolica doctrina potest incorruptos per peccatum custodire cũ Dei adiutorio ne cadant, & nõ potest per peccatum putridos per se sanare, vel custodire ne amplius putrescãt; sed hæc Dei gratia est, iccirco Apostolica doctrina Sal vocatur, quia sana conseruat, & putrida non curat. Vnde & Chrysost. in hom. hîc dicit: [*Vos estis sal terræ.*] Quid ergo putrefacta ipsi emendantur? nequaquam: Neq; enim possibile est eis, quæ corrupta iam sunt sal prodesse; non vtiq; hæc faciebant, sed renouata prius, & à fætore illo eruta, & tradita eis tunc saliebant detinentes, & obseruantes à nouitate hæc quæ à dominatore acceperũt. Eripi enim à putrefactione peccatorum, Christi directio est; non reuerti autẽ rursus ad ipsam, studij, & fatigationis horum opus erat. Et in expositione dicit idem. Salis opus est rem in eo statu tenere, in quo inuenerit eam, vt ad deterius mutari eam non sinat, ad melius autem perducere nõ potest: vtputa tenet carnem ne putrescat, putridam autem nõ potest tenere incorruptam: Sic & Apostoli cæteriq; Doctores sal quidem sunt populi Christiani, iam cognoscentis Deum, seruantes eum in ipsa agnitione Dei, & sanctitate.

Idem. — Glos. — 1. Cor. 15. — 1. Cor. vlt. — Eph. 5. — Ion. 2. — Psal. 145. — Cassiod. — Chrysost. hom. 15. — Idem hom. 10.

SVMMARIVM.

Quòd Apostoli dicti sunt Sal, quia positi in igne tribulationis non fluxerunt, vt Christum negarent; sed constantes steterunt, quia affectu & desiderio eorum animus in cœlestibus erat, & ideo ab hominibus malis non fuerunt conculcati, quia superiores eis effecti erant.

SAl etiam in igne proiectum crepitat, vel etiam saltat, dicente August. 21. de Ciuitat. Dei, cap. 5. Agrigentinum Siciliæ salem perhibẽt cum admotus fuerit igni, velut in aqua fluescere, cũ vero ipsi aquæ velut in igne crepitare; cuius cõtrarium accidit in alio sale, quia in aqua defluit, in igne crepitat, vel salit. Sancti autem Apostoli in igne tribulationis positi non defecerunt, nec cesserunt; Sed de tribulatione ad regnum cœlorum saltauerunt, & ignem iracundiæ persecutorum deuicerunt. Vnde & de Sanctis loquens Apost. ad Hebr. 11. dicit: Obturauerunt ora Leonum, extinxerunt impetum ignis, & effugauerunt aciem gladij. Et in Psal. dicitur voce martyrum. Transiuimus per ignem, & aquã, & eduxisti nos in refrigerium. vnde & Aug. 21. de Ciui. Dei, c. 26. dicit: Persecutiones Ecclesiæ quibus martyres coronati sunt, & quas patiuntur quicũq; Christiani, probãt vtraq; ędificia velut ignis, & alia cõsumunt cum ipsis ædificatoribus, si Christũ in eis non inueniunt fundamẽtũ. Si autem bona opera, non cõsumunt ipsa, sed purificãt ipsa, quia talia sunt quæ debent manere in æternum. Vnde & idem August. in 1. lib. de serm. Domini in monte dicit, quòd illi qui non cedunt persecutoribus non conculcantur ab hominibus; quia non sunt inferiores eis, sed superiores cum corde iam saltauerunt in cœlo. Vnde dicit. Non calcatur ab hominibus qui patitur persecutionem, sed qui persecutionem timendo infatuatur. Calcari enim non potest nisi inferior, sed inferior

X August. — Hebr. 11. — Psal. 65. — August. — Idem.

non

non est, qui quamuis corpore multa in terra sustineat, corde tamen fixus est in cœlo. Quod non propter aliud contingit, nisi quia non defluunt in tribulationibus, sed eas propter cœlorum regnum, in quo eorum mens per desiderium saltauit libēter sustinent, vt illūc veniant realiter, vbi iam sunt per desiderium mentaliter. Vnde & in Psal. vox martyrum est. Propter te mortificamur tota die. Sed vt dicit Apostolus ad Rom. 8. In his diebus superamus propter eum qui dilexit nos. Quia, vt dicit Augustin. in quodam serm. de martyribus. Minus carni tribulatio ad præsens inflicta dominatur, dura mentis iucunditas futura blanditur, ac dura pœna cū gloria pensatur dum cum breui angustia lętitia eterna confertur. Fortiter excipit patientia quod imponitur, dum iam intra se possidet cōscientia quod speratur; & hoc graue euenit, vt pene ad animam non perueniant, dum spiritus in desideria retributionis ascendit. Et super illud. In his omnibus superamus, dicit Glos. In his omnibus, scilicet tribulationibus, tormentisq; positi superamus; idest superiores efficimur; & hoc non propter nos, sed propter eum qui dilexit nos, cuius beneficium superat prędicta. Sicut enim sal infatuatum, idest Christiani persecutionibus cædentes conculcantur vt inferiores, ita sancti verum sal existētes in igne tribulationum positi sursum saltant, vt non possint ab hominibus malignantibus conculcari.

Psal. 44. Rom. 8. August. Glos.

SVMMARIVM.

Quòd Euangelica doctrina, & Apostolica, dicta est Sal; quia si Catholicè, & vt Ecclesia accepit ab Apostolis, & apostolicis viris exponatur, magnum condimentum sapientiæ præstat, sicut sal commixtum cum alijs cibis ipsos condit, & sapidos reddit; Si vero per se, vt iacet & absq; isto intellectu ecclesiastico accipiatur magnum nocumentum præstat, quia in multos errores incidere facit, sicut sal per se sumptum in cibum nociuum est corpori.

XI

SAl etiam per se sumptum in cibum, nō delectat gustantem, quod tamen cum alijs commixtum delectat gustum, alia sapida faciens quæ ex se insipida essent; & doctrina Apostolica si per se accipiatur propter difficultatem eius non sapit, immo frequenter est causa erroris. Vnde & aliqui discipuli Dominum loquentem de Sacramento corporis, & sanguinis sui audientes, dicebant. Ioann. 6. Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Quod exponens Chrysost. super Ioā. hom. 4ō. dicit: Durus est, idest difficilē susceptibilis, superexcedens eorum imbecillitatem. Et Petrus in 2. Epist. loquens de doctrina Pauli dicit. Carissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut & in omnibus Epistolis loquens in eis de his, in quibus sunt quędā difficilia intellectu, quæ indocti, atq; instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas ad suam ipsorum perditionem. Vnde quia in scriptura noui testamenti multa sunt difficilia intellectu, homines mente corrupti, & suum spiritum sequentes, volentes esse magistri aliorum, & docere illa, quæ non didicerant, in diuersos errores prolapsi sunt, scripturam exponentes contra illum sensum quem Ecclesia accipit ab Apostolis, eorumq; successoribus; qui diuinam scripturam ab Apostolis didicerūt, & ipsi adiuti Spiritu Sancto multa declarauerunt. Vnde contra illos, qui aliter intelligūt scripturam, quàm sancta Ecclesia intelligit, dicitur Ezech. 47. Omnis anima viuens quæ serpit, quocunque venerit torrens, viuet; in littoribus autem eius, & in paludibus non sanabuntur, quia in salinas dabuntur. Quod exponens Hiero. 14. lib. super Ezech. dicit: Aquæ istæ doctrinam Euangelicam significant, quæ si egrediantur de limine templi Domini, & Apostolicam teneant disciplinam, tumulos fabuli, idest steriles prius, & infertiles faciunt esse frugiferos, & omnia sana atq; deserta ita irrigant, vt exprimant in se fontis Iericho sacramentum quem Heliseus, Euangelico & Apostolico sale curauit, in tantum, vt vbi prius sterilitas sua erat, & mors, ibi esset vberitas, & vita. Et infra. Quod autem sequitur in litoribus eius, & in paludibus, siue in his quæ extra littora egrediuntur aquæ non sanabuntur; illud latenter ostendit quòd in Noe arca qui non fuerit, pereat regnante diluuio, & quos iste fluuius non attigerit, non suscipiant sanitatem, sed in salinas (inquit) dabuntur, iuxta illud, quòd in Euangelio scriptum est. Bonum est sal, quod si infatuatū fuerit in nihil est vtile, vt in perpetuum frugibus careant, & virore; quod & Vrbs post ruinam sale conspersa demonstrat. Ex quo planè patet quòd illi qui scripturam intelligunt, aliter quàm sancta Ecclesia intelligit, in salinas descendunt, quia nec vitam, nec salutē per scripturam percipiunt, sed mortem, & damnationem. Quemadmodum qui sal solum comedit non consequitur delectationem, nec corporis salutem; immo indelectationem, & infirmitatem incurrit, vnde Chrysost. super Marcum exponens illud.

Ioan. 6. Chrys. hom. 4. 2. Pet. Ezech. Hiero. Idem.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Chryſoſt. Bonum eſt ſal, dicit. Sunt tales ſal habentes qui, ſcilicet habent gratiæ plenitudinem, vt Doctores Catholici; & ſunt tales ſal non habentes, quia etiamſi ſint pacifici ſunt ſal inſulſum; cuiuſmodi ſunt hæretici. Vt ad hoc quòd quis efficiatur Doctor vtilis, oportet quòd inſtruatur qualiter ſcripturam ſanctam Catholicè intelligat, ne inſulſus fiat dum ſcripturam vult intelligere illo modo, quo intelligenda non eſt, dicente Hieron. in epiſt. ad Paulinum, cap. 6. Hæc à me perſcripta ſunt breuitèr, vt intelligeres te in ſcripturis ſanctis ſine præuio, & monſtrante ſemitam non poſſe ingredi. Et infra. Sola ſcripturarum ars eſt, quam ſibi omnes paſſim vendicant. Scribim⁹ indocti, doctiq; poemata paſſim. Et infra. Si forte aliqui ad ſcripturas ſanctas poſt ſeculares literas venerint, & ſermone compoſito aurem populi mulſerint quicquid dixerint, legem deputant, nec ſcire dignãtur quid Prophetæ, quid Apoſtoli ſenſerint, ſed ad ſenſum ſuũ incõgrua aptant teſtimonia, quaſi grande ſit, & non vitioſiſſimum dicendi genus, deprauare ſententias, & ad voluntatem ſuam ſcripturam trahere repugnantem; & illud idẽ ſatis declarat in Epiſtola ad Deomonem. Et idem declarat Auguſt. in Prologo libri de doctrina Chriſtiana.

Hieron.

Idem Auguſt.

SVMMARIVM.

Quòd doctrina Apoſtolica dicitur Sal, quia fæcunditatem vitiorum terræ malæ, ideſt conſcientiæ hominum peruerſæ, dura reprehenſione ſterilem facit, ſicut & ſal terras fæcundas ſteriles reddit.

XII SAl etiam in terra proiectum, terræ fertilitatem aufert. Vnde & in lib. Iudicum, cap. 9. legitur: Quòd Abimelech interfectis habitatoribus Sichem, & ipſa deſtructa ſal in ea diſperſit, vt omnino eam infructiferam redderet. Et in Pſal. dicitur. Quòd poſuit terrã fructiferam in ſalſuginem à malitiâ habitantium in ea. Quod exponens Caſſiodor. dicit: Humor ſalſus fructibus probatur aduerſus, quia vbicunque dominatus fuerit, gratiam fæcunditatis intercipit. Sed quia fertilitas terræ poteſt eſſe, & ſi plantas vtiles proferat, & etiam ſi nocias, iuxta illud Apoſtoli ad Hebr. 6. Terra. n. ſæpe veniente ſuper ſe bibens imbrem, & germinans herbã opportunam illis à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo, proferens autem ſpinas, & tribulos reproba eſt, & maledicto proxima. Quod exponens Glo. dicit: Terra bona accipit benedictionem, ſed terra

Iudic. 9.

Pſal. 106.

Caſſiod.

Hebr. 6.

Gloſ.

F in apertum vt videatur proferens ſpinas, ideſt peccata quæ pungunt, ac tribulos, ideſt grauiora peccata quæ acutius pungunt; ideſt mens vitio ſuo ad mala fæcunda, reproba eſt, ideſt reprobata à Deo. Ideo quando ſic mens ad malum fæcunda eſt, ſalienda eſt ſale Apoſtolico, arguendo, & increpando, & corripiendo, vt à tali fecunditate ſterilis fiat, quia peſſima eſt talis fertilitas, & optima ſterilitas. Vnde, & de tali fertilitate mala, dicitur Hiere. 48. Fertilis fuit Moab ab adoleſcentia ſua, & G requieuit in fecibus ſuis. Et Apoſt. 2. ad Timoth. 3. dicit de fæcunditate malorum hominum. Mali homines & ſeductores, proficiunt in peius, errantes, & in errorẽ mittentes; & quia huiuſmodi fertilitas eſt mala, & pernicioſa, ideo agendum eſt, vt talis terra ſterilis fiat, quod fit ſale Apoſtolico, dicente Paulo 2. ad Timot. 2. Seruum Domini non oportet litigare, ſed mã ſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem, cum modeſtia corripientem eos, qui reſiſtunt veritati, ne quãdo Deus illis det H pœnitentiam ad cognoſcendam veritatẽ, & reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur. Et ad Titum 1. dicit idem Apoſt. Increpa illos durè vt ſani ſint in fide. Quia per duram increpationem, & aſperam, talis fæcunditas ad malum conſumitur, quæ dura correctio ſal vocatur. Vnde & Sophonias loquens de Moab qui fertilis erat in malò (vt dictum eſt) per Hieremiam dicitur Sopho. 2. Moab, vt Sódoma erit, ſiccitas ſpinarum, & acerui ſalis, & deſertum vſque in æternum. Et Glo. ſuper illud Luc. 14. Bonum eſt ſal, dicit. Sal I ſterilem facit terram. Vnde ira victorum deſtructas Vrbes ſale ſeminabat, ne in eis germen oriretur, quia Apoſtoli deſtructo peccati regno, germen uitiorum compeſcunt.

Heremiæ 48.

2. Tim. 3.

Idem 2.

Titum 1.

Soph. 2.

Gloſ. Luc. 14.

SVMMARIVM.

Ponitur Epilogus omnium præcedentium proprietatum ſalis, vt doctrina Apoſtolica, & Apoſtoli ſali comparentur.

K

XIII EX quibus omnibus patet quare Sal Apoſtoli ſint uocati, quia ſcilicet ipſi de mari ſeculi ſegregati per Chriſti doctrinam, & flatum Spiritus Sancti, ſunt cõſolidati, vt nullis tentationibus cæderẽt. Et quia eorum correctio fuit media inter aſperam, & leuem; & quia per eorum doctrinam vanitas extollentiæ humani ingenij eſt inter Eccleſiæ unitatem reſtricta; & quia inclinatio, & fluxibilitas carnaliũ hominum ad peccata eſt deſiccata; & quia

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

per eorum doctrinam immortalitas corporum humanorum est monstrata: & etiã quia per ipsam vermis animæ occiditur; & quia etiam in igne tribulationum positi, de ipso exuntes in cælum saltauerunt: & quia etiam eorum scripturæ nisi sensu Ecclesiastico exponantur, nociuæ sunt; & quia etiam radices peccatorum in corde humano per eorum prædicationem occidũtur, propter quod rectè sal vocati sunt,
Luc. 14. de quo sale dicitur Luc. 14. Bonum est sal.

SVMMARIVM.

Ostenditur cuius terræ Apostoli sal dicantur, quia scilicet sunt hominum terrenorum terrena amantium, & in concupiscentijs terrenis putrefactorum.

XIIII Sed cuius rei sint sal ostenditur cum dicit [*terræ*] idest hominum terrenorum,
Remig. qui terram amando, terra vocãtur, vt Remigius hîc dicit. Homines enim qui terrena diligunt cum terrenis desiderijs putrescunt; hoc enim proprium est amoris, H
vt conformet, & assimilet amantem rei
Dionys. amatæ, vt dicit Dionys. 4. de diui. nomin. Et quia omnia terrena sunt corruptibilia & quotidie corrumpuntur; iccirco homines terreni, qui ipsa diligũt corrupti mente sunt. Vnde Gen. 6. Scriptura loquens de
Genes. 6. peccato luxuriæ hominum terrenorũ dicit. Corrupta est terra coram Deo, & repleta est iniquitate. Et Apost. loquens de
2. Tim. 6. hæreticis, & superbis 1. ad Timoth. 6. dicit. Quòd sunt mente corrupti. tE idem
2. Tim. 3. Timoth. 3. Homines (inquit) corrupti I
mente, reprobi circa fidem. Et in
Psal. 13. Psal. dicitur de impijs. Corrupti sunt, & abhominabiles facti sunt in studijs suis. Et quia terreni homines per desideria terrena om
Genes. 6. nes corruperant viam suam, iuxta illud Genes. 6. Omnis quippe caro corruperat viam suam. Iccirco veniens Dominus, Sal fecit Apostolos, vt sanaretur natura humana à Christo per eius prædicationem, mortem, & sacramenta per eum instituta; per eos saliretur natura humana ne postea putresceret per peccatum, translata ab K
amore terreno ad amorem cælestem, vt sicut cœlestia sunt incorruptibilia, ita & homines diuina, & cœlestia diligentes incorruptibiles essent. Vnde & Apostolus
2. Cor. 4. loquens fidelibus 2. ad Corint. 4. dicit: Licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est renouatur de die in diem. Vnde, & Chrysostomus
Chrysost. hom. 15. ad hanc intentionẽ hæc exponens in hom. hic dicit. In dicendo [*Vos estis sal terræ,*] monstrat stultam factam vniuersam naturam humanam, vel putrefactam à peccatis.

SVMMARIVM.

Quare Apostoli dicuntur simpliciter Sal terræ, & non alicuius partis terræ, sed totius.

Est tamen intelligendum, quòd non determinando partem terræ cuius sal esse deberent Apostoli, sed indeterminatè ponendo terram, ostendit quòd doctrina Apostolica ad totam terram venire debebat, nec debebat includi infra terminos vnius populi, sicut fuerat inclusa lex Moysi de qua dicitur Deuteron. 4. Quæ est alia
Deut. 4. gens sic inclyta, vt habeat cerimonias, iustaque iudicia, & vniuersam legem, quam ego proponã hodie ante oculos vestros? sed debebat ad omnes fines terræ protendi. Vnde & infra 24. dicitur. Prædicabitur
Matt. 24. hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus: Et in
Psal. Psal. dictum est de Apostolis. In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Vbi dicit Cassiod.
Cassiod. Terram hîc hominem debemus accipere, qui audire possit, & credere. Sic ergo quia doctrina Apostolica non debebat includi infra vnam gentem, sed toti mundo debebat prædicari ideo indeterminatè dicitur. [*Vos estis sal terræ.*] Vnde Chrysost. ad hanc intentionem hæc exponens dicit.
Chrysost. hom. 15. Pro vniuerso orbe sermo erit vobis, neq; enim ad duas ciuitates, & decem, & viginti, neque ad vnam gentem vos mitto, quemadmodum Prophetas, sed ad terrã, & mare, & orbem vniuersum, & hunc male dispositum.

SVMMARIVM.

Quòd per hoc quòd Apostoli sal terræ vocantur, ostenditur quòd ipsi potentiores, & maiores fuerunt Prophetis veteris testamenti, quia ad plures conuertendos missi sunt, & maiori constantia, & fortitudine indiguerunt, & quia sapientiores eis fuerunt.

XVI Et ex hoc, vt ibidem dicit, ostendit eos esse maiores Prophetis in doctrina. Quantò enim plures Doctor instruit, tantò plurium magister efficitur. Vnde dicit
Chrysost. hom. 15. Chrys. Vide qualiter paulatim monstrat, & Prophetis eos esse meliores; non enim Palestinæ esse magistros ait, sed & terræ vniuersæ. Nec solum ex hoc sunt meliores Prophetis, quia plures docuerũt, sed quia etiam maiorem animi fortitudinem ne à prædicando cessarent oportuit eos habe-

re,

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

re, cum toto mundo repugnante, nouam religionem introducere haberent. Et manifestum est, quòd maiora odia insurgunt inter homines propter cõtrarias religiones, quàm propter quodcunque aliud. Vnde & infra 24. eis dicitur. Eritis odio omnibus hominibus propter nomẽ meũ. Quod odium tunc maximè crescit, quando prima religio, vel potius superstitio est condescensiua hominibus vitiosis. Secunda autem est grauis, & aspera non solum vitiosis, sed etiam illis qui in virtute perfecti esse videbantur: Quod accidit, quando Euangelium in quo sunt multa excelsa mandata, & naturam humanam excedentia, fuit prædicatum hominibus Deos falsos colentibus, qui fomentum complendi sua peruersa desideria habebant, vitamque Deorum suorum sceleratissimam quos colebant, prædicabant, vt satis declarat August. 2. de Ciuit. Dei, per totum. Fuit etiam Euangelium Iudæis prędicatum, qui de sua iustitia plurimum confidebant, & ad prædicationem Euangelij odiosè se habebant; quia in Euangelio dicebatur, quòd Iudæi Christum interfecerant, qui eorum Saluator prædictus fuerat per legem, & Prophetas. Vnde & Apost. 1. ad Cor. 1. dicit: Nos prædicamus Christum crucifixum, Iudeis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam. Vnde cũ odiosa omnibus hominibus prædicarent, necesse fuit quòd haberent magnam animi fortitudinem, ne à prędicando propter hominum odia cessarent. Vnde & Chrys. secundam caussam assignans quàm meliores fuerint Apostoli Prophetis; dicit. Quia non solum illos ponit mediocres Magistros, sed seueros atq; terribiles. Hoc. n. est mirabile, quòd non blandientes, neq; curã imponentes, sed stipticitatem immittẽtes tanquam sal, ita amabiles facti sunt omnibus. Et August. 22. de Ciu. Dei, c. 6. dicit: A Christo Deo non solum colendo, verum etiam confitendo tãtã per orbẽ terræ martyrum multitudiné metus reuocare nõ potuit, non blanditiæ nullæ, promissio nulla demouit, sed nec facultatum violẽta subtractio, nec accerbitas vniuersarum variarumq; pœnarum, & ipsius mortis, quæ plus cæteris formidatur. Nec solum ex istis meliores facti sunt Prophetis, sed etiam quia altiora reuelata sunt eis, vt in Psal. dicit; Super senes. n. intellexerũt. Vbi dicit Cassiod. Melius intellexit populus nouus, quàm senior ille Iudaicus. Vnde & hîc dicit Chrysost. Propterea non tantummodo vos volo esse sal, scilicet sapiẽtes, sed etiam, & alios facere tales; Eos autem qui tales sunt, multum

Matt. 24.

August.

1. Cor. 1.

Chrysost. hom. 15.

August.

Psal. 118. Cassiod.

Chrysost.

A

B

C

D

E

oportet prudẽtes esse, in quibus aliorum periclitatur salus, & tantam eis superabundantiam esse virtutis, ut & alijs tradant vtilitatem. Sic ergo ex hoc quòd dicit eos sal terræ, ostẽdit eos esse Doctores totius orbis; & quòd meliores Prophetis erant futuri: tum quia plures populos debebant docere; tum quia maiorem animi fortitudinẽ habere debebant; tum etiam quia magis instructi esse debebant; propter quod sal terræ dicti sunt. Vnde, & Hierony. hîc dicit. Apostoli sal terræ appellantur, quia per illos vniuersum hominum conditur genus.

Hieron.

SVMMARIVM.

Quòd Apostoli dicti sunt Sal terræ, quia per eorum doctrinam, & sacramenta, quæ ministrauerunt, inclinatio ad malum quæ prouenit ex fomite fuit restricta; & etiam ex eo vocantur sal terræ, quia eorũ doctrina solum profecit hominibus existentibus in præsenti vita super terram non defunctis iam, nec Angelis bonis, vel malis, qui vel sunt confirmati, vel obstinati.

XVII

VEl etiam sal terræ vocantur, quia restringentes fluxum peccatorum, qui nascitur ex corruptione originalis peccati per sacramentorũ collationem, terram, idest corda hominum existẽtia in terra fœcunda ad bona opera peragenda reddiderunt, quod significatum fuit per illud quod habetur 4. Regum cap. 2. Dixerunt viri Hierico ad Heliseum: Ecce habitatio ciuitatis huius optima est, sed aquæ pessimæ, & terra sterilis. At ille ait: Afferte mihi vas nouum, & mittite in illud sal: quod cum attulissent, egressus ad fontem aquarum misit in illum sal, & ait. Sanaui aquas has, & non erit in eis vltra mors, vel sterilitas; Ibi enim propter aquæ amaritudinẽ bona terra sterilis reddebatur; & propter peccati originalis corruptionẽ homo non potest facere, nisi sanetur fructu operationis bonæ; qui sanatur per sal positum in vase nouo, idest per Christi doctrinam, & sacramenta quæ Apostoli prædicauerunt, & ministrarunt, quibus vetus homo noster, qui corrumpitur per desideria erroris, renouatur spiritu mentis suæ, ad Ephes. 4. Per hoc etiam quòd dicit Apostolos esse sal terræ ostendit, quòd doctrina Apostolica solum proficit hominibus in carne manentibus; quia iam tunc mortuis prodesse non poterat, nec Angelis eorum libero arbitrio confirmato in bono, vel obstinato in malo; propter quod pœnitere non possunt, nec mutari de bono

4. Reg. 2.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

in malum, vel è contra. Vnde & Apoc.14. dicitur. Vidi alterum Angelum (per quem signatur ordo prædicantium) volantē per medium cęli; habentem Euangelium æternum, vt euangelizaret sedentibus super terram, & super omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum.

Apoc.14.

SVMMARIVM.

Quòd Doctor superbia inflatus, illud qđ scit sibi attribuens, & non Deo; & ille etiam qui gratiam prædicationis, quam accepit à Deo, vt populos doceret, non vult suis subiectis impendere; & ille qui vanitatem sui sensus sequens, falsa & erronea confingit circa illa quæ sunt fidei & morum, dicitur esse sal euanescens.

XVIII SEquitur. [*Quòd si sal euanuerit in quo salietur?*] Vbi ostendit quòd si Apostoli, & Doctores salis proprietates non habuerunt, inutiles sibi & alijs sunt. Quemadmodum sal dum in sua natura manet ad multa vtile est, quando verò suam naturam deserit, omnino inutile est, & abiectum: Sic etiam Doctor dum suam doctrinam pluribus communicat vtilis est sibi, & alijs; dum autem doctrinam sapientię dimittens, alijs negocijs sæcularibus se implicat, nec sibi, nec alijs vtilis est. Vnde Apost. 2. ad Timoth. 2. loquens doctoribus, dicit: Labora sicut bonus miles Christi. Nemo militans Deo, implicat se negocijs sæcularibus. Hoc autem dicit secundum Chrysost. vt eos propter humanā fragilitatem quā habebant, sollicitos reddat ad suum officium debitè & sollicitè exequendum: nemo enim quantuncunq; perfectus si deses fiat, non est quin totam suam perfectionem amittat. Vnde & Apostol. 2. ad Timoth. 4. dicit. Dum venio attende lectioni, & exhortationi, & doctrinæ, noli negligere gratiam quæ in te est. Vbi dicit Gloss. Attende lectioni, vt scripturam intelligas: & post lectionem attende exhortationi, iam volentium addiscere: & doctrinæ nescientium; quod facere debes, quia ad hoc constitutus es: & noli negligere gratiam episcopatus. Et infra. Attende tibi, & doctrinæ, insta in illis hoc enim faciens, & te ipsum saluum facies, & eos qui te audiunt. Et sicut ille qui intendit lectioni, & doctrinæ est Pastor vtilis, & sibi & alijs, ita & ille qui dimittit lectionem, & doctrinā omnino inutilis est; & Væ damnationis æternæ est ei: iuxta illud 1. ad Corint. 9. Si euangelizauero non est mihi gloria; necessitas enim mihi incumbit: Væ enim mihi est si non euangelizauero. Et ad hoc attendens dicit. [*Quod si sal euanuerit in quo salietur?*] ideſt si Doctor non prædicauerit, ad nihilum vtilis erit, quia nec sibi, nec alijs proficiet, cum nec ipse saliatur sale lectionis, nec populus ei subiectus sale doctrinæ. Sed quia Doctor lectionem & doctrinam diuinorum potest dimittere ex tribus causis, scilicet, vel propter humanam gloriam quam affectat, per quam contemnit legere, & docere diuinam scripturam, vel propter commodum, vel incommodum rerum temporalium habendum, vel fugiendum, vel etiam propter suas delectationes adimplendas, iccirco hîc ponūtur tres literæ, scilicet, si sal euanuerit, si sal infatuatum fuerit: Et in Marco ponitur: Si sal insulsum fuerit. Tunc enim sal euanescit quando de sua scientia Doctor presumens se super se extollit, non attribuens Deo scientiam, quam sibi dedit, & proximum contemnens, non illi vult communicare, quod accepit, & in vanitate sui sensus se extollens, fingit multa, quæ ignorat confingens multos errores: Vnde de prima euanitione loquens Apost. ad Rom. 1. dicit de philosophis. Cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Huiusmodi autem homines qui totam scientiam quam habent sibi tribuunt; & sicut si eam à se haberent non in Deo, sed in se ipsis gloriantur: incorrigibiles sunt, superbia enim eorum & præsumptio non patitur, quòd ab aliquo emendentur. Vnde & Bernar. loquens de præsumpt. in lib. de 12. gradibus humilitatis, cap. 7. dicit. Qui alios se præcellere putat, quomodo nō plus de se quàm de alijs præsumat? Et infra. Quomodo culpā suā cōfitebitur, qui nec esse putat, nec putari culpabilis patitur? Vnde, & de talibus qui in suo sensu euanescunt, loquens Apostolus 2. ad Timoth. 3. dicit: Hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem, sed vltra non proficient. Insipiētia enim eorum manifesta erit omnibus. Ille etiam qui instructus est diuina sapientia, & sic est sal effectus, & tamē vilipendens proximum, non vult nec curat instruere ipsum, est sal euanescens, nullam vtilitatem alicui præbens: & sibi etiam inutilis existens, qui talentum scientiæ acceptum à Domino in sudario recōdens sub terra sepelit; de quo habetur infra 25. quòd qui vnum talētum acceperat abiens fodit in terra, & abscondit pecuniam Domini sui. Vbi dicit Origenes, Si quem vi-

Apoc.14. Gloss. 2.Tim.4. 2.Tim.4. 1.Cor.9. Chrysost. 2.Tim.2. Rom.1. Bernar. 2.Tim.3. Matth.25. Origenes

deris

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

deris qui virtutem habet docendi, & animabus proficiendi, & hanc virtutem occultat, quamuis habeat religionem conuersationis; tamen non dubites dicere, quòd talentum quod accepit abscondit, cui Dominus virtute suæ diuinitatis potest auferre sufficientiam, quia ea pigrius est vsus. Et Augustin. 22. lib. contra Faustum cap. 39. dicit. Duo sunt genera principũ, qui non rectè operabantur in plebe, vnum eorum, qui oberrant; alterum eorum qui nihil proderant; nec sunt amplius quàm duo genera hominum inutilia generi humano, vnum nocentium; alterum præstare nolentium, si quid boni habent in hac præsenti vita perdentium tanquã in terra fundentium. Vnde & Iob 11. dicitur. Vir vanus in superbiam erigitur, & tanquam pullum onagri se liberum natum putat. Et in Psal. dicitur cõtra quosdam. Vanum est vobis ante lucem surgere, surgite post quam sederitis, qui manducatis panem doloris. Vbi dicit Cassiodorus. Loquitur ad Doctores, vt efficacius populi corrigãtur. Qui enim constitutus est aliorum magister in vanum accipit animam suam, & in dolo iurat proximo suo, qui eum non docet, & corrigit, quando opportunitas se offert; quod qui non faciunt sunt sal euanescens, ideſt vanum, & inutile. Vanũ enim dicitur, quod aptum natum est esse, vel fieri causſa alterius, cum non includit illud cuius causſa erat aptum natum, vt dicitur 2. Physic. Et quia Doctor & prælatus ad hoc constituitur, vt subiectos bonos efficiat, & malos corrigat; iccirco si ille Doctor vel prælatus, qui debet, & potest suis subiectis vtilis esse per doctrinam, & suum regimen non vult curare de ipsis, vanus & euanescẽs Doctor & Prelatus est. Vnde & de eo dici potest illud Zacha. 11. O pastor, & idolum derelinquẽs gregem; gladius super brachium eius, & super oculum dextrum eius; brachium eius ariditate siccabitur, & oculus dexter eius tenebrescens obscurabitur. Et è contra. Pastor qui intendit doctrinæ, & correctioni subiectorum, sal vtile multum est, complens illud Apost. 1. ad Corin. 9. Cum liber essem ex omnibus omnium me seruum feci, vt plures lucrifacerem: & cap. 10. Ego per omnia omnibus placeo, nõ quærens quod mihi vtile est, sed qđ multis vt salui fiant. Ille etiam qui instructus est multum in scriptura, & non vult sequi sensum scripturæ, sed vult scripturã ducere ad sensum suum, fingẽs multa vana, falsa, & erronea; & illa, vel ipse apud se tenet, vel alios docet, est sal euanescens. De quibus loquens Petrus 2. Epist. 2. dicit. Superbia enim vanitatis loquentes pelliciunt in desiderijs carnis luxuriæ eos, qui paulũ effugiunt. Et Apost. 1. ad Timot. 1. Quidam aberrantes conuersi sunt in vaniloquium, volentes legis esse Doctores, non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Omnes autem prædicti, siue in sua sapientia confidentes, eam sibi attribuendo non Deo, siue nolentes suis subiectis impertiri doctrinam, vel correctionẽ quam acceperũt, siue scripturam sanctam per hæresim corrumpentes, sunt sal euanescens per superbiam; quæ origo est istarum vanitatum, qui vix, vel nunquam à sua vanitate reuocantur. Vnde de talibus dicitur Hierem. 2. Ambulauerunt post vanitatem, & vani facti sunt. Et 4. Reg. 17. Secuti sunt vanitates, & vanè egerunt. Qui enim multum præsumit de sua sententia non faciliter deducitur ad credendum sententiam contrariam, & maximè quando talis est qui vult, & potest defendere suam sententiam falsam. Vnde Prouerb. 17. dicitur. Expedit magis Vrsæ occurrere raptis fetibus, quàm fatuo confidenti sibi in stultitia sua. Vnde quia tales de se plurimum præsumentes, non faciliter quando lapsi sunt corriguntur, iccirco Dominus dicit, [*Quod si sal euanuerit*] ideſt si Doctor superbia inflatus euanescerit [*in quo salietur?*] ideſt quomodo poterit per doctrinam aliquando emendari cum non velit doceri, sed suas vanitates alijs manifestare? Et hoc modo hanc partem exponens hîc Hieron. dicit. Si Doctor errauerit, quo alio doctore emendabitur? & Beda super Lucam exponẽs illud, Si sal euanuerit in quo condietur? 14. dicit, Si quis semel condimento veritatis illuminatus ad Apostasiam redierit, quo alio doctore corrigetur? quasi dicat nullo, vel non faciliter.

Aug. — 2. Tim. 1. — Hiere. 2. — 4. Reg. 17. — Iob 11. — Psal. 126. — Cassiod. — Prou. 17. — Aristot. — Hiero. — Beda. — Zach. 11. — 1. Cor. 9. — Idem 10. — 2. Pet. 2.

SVMMARIVM.

Quòd ille Doctor dicitur esse sal infatuatum, qui scripturam diuinam intelligens per quam corrigere poterat, & emendare delinquentes subiectos, timore, vel cupiditate mundanorum superatus, adulationibus, & blanditijs magnatum, vel aliorum studet.

XIX

SI vero sit talis litera [*Quod si sal infatuatum fuerit in quo salietur?*] tunc est sensus. Quòd si Doctor, qui iam sal erat factus fuerit fatuus in quo salietur? ideſt quomodo emendabitur? vel alij quomodo emendabuntur per eum? Dicitur autem Doctor esse infatuatus, quando vel propter timorem mundanum, vel propter cupiditatem

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

piditatem mundanorum, dimittit veritatem quam nouit: dicente Auguſt. 1. lib. de
Auguſt. ſerm: Domini in monte. Oſtendit fatuos eſſe iudicandos, qui temporalium bonorum, vel copiam ſectantes, vel inopiam metuentes amittunt æterna, quæ nec dari poſſunt ab hominibus, nec auferri. Fatui enim eſt pro vilioribus meliora dare, & pro ijs quæ auferri poſſunt illa dare, quæ auferri non poſſunt. Vnde quicunq; Doctor qui propter timorem mũdanum, vel propter rerum temporalium copiam habendam dimittit, vel tacet, quando locus, & tempus eſt, loqui veritatem, vel eam negat, vel etiam contra conſcientiam impijs fauet; vel eis adulatur, ſal infatuatũ eſt. Vnde & Iſaias dicit ſe eſſe pollutum labijs, quia veritatem tacuit populo peccatori. Iſa. 6, vbi dicit Hieron. 3. lib. ſuper
Iſa. 6. Hieron. Iſaiam. Væ mihi quia tacui, & audacter Oziam Regem non corripui, ideo labia mea immũda ſunt, & laudes Domini cum Angelis cantare non audeo. Et contra quoſdam prophetas, qui propter cupiditatem, mendacium populo prædicabant,
Hier. 6. dicitur Hierem. 6. A minori vſque ad maiorem omnes auaritiæ ſtudent, & à Propheta vſq; ad ſacerdotem cuncti faciunt dolum; & curabant contritionem populi mei cum ignominia, dicentes. Pax, pax,
Ezech. 13. pax, & non erat pax. Et Ezech. 13. dicitur. Væ qui conſumunt puluillos ſub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis ad capiendũ animas. Et infra. Violabant me ad populum meũ propter pugillum hordei, & fragmen panis, vt interficerent animas, quæ non moriuntur, & viuificarent animas, qnæ non viuunt. Quod idem exponens 4. lib. ſuper
Idem. Ezech. dicit. Væ ijs doctrinis, quæ requiẽ pollicentes, omnem ætatem, ſexumq; decipiunt, vt capiant animas miſerorum, & contaminant me ad populum meum; dum credor diligere voluptatẽ, & ſanctos decipiunt, & ad mortem trahunt, & peccatores vanis promiſſionibus viuificare con
Idem. tendunt. Et idem etiam exponens illud Ezech. in eodem capitulo poſitum. Liniebant Prophetæ abſqne temperamento: dicit; Quòd Septuaginta interpretati ſunt, quòd liniunt eum abſque ſale; vt quomodo cibus abſque ſale nullum ſaporem habet, ita & iſtorum doctrina qui propter timorem mundanum, vel cupiditatem terrenorum veritatem tacent, vel diuitibus adulantur, nullam firmitatem, nullumque ſaporem cœleſtem habent; quia Doctor factus eſt ſal fatuum. Vnde & Hieron. ſuper
Idem. Matth. dicit, quòd ſal inſulſum, vel fatuum eſt, qui amat Principatum, & increpare

F non audet; non audet quidem ne offendat diuitem peccatorem, nõ audet vt acquirat eius fauorem, non audet vt accumulet ſibi bona temporalia. Vnde & de talibus dicitur Micheæ 3. Prophetę ſeducunt populum meum, & mordent dentibus ſuis, & prædicant pacem, & ſi quis non dederit in ore eorum quippiam, ſanctificãt ſuper eum prælium. Vnde & Apoſt. ad Gal. 3. dicit. Sic ſtulti eſtis, vt cum ſpiritu cæperitis, nunc carne conſumamini. Vbi dicit Gloſſ. Ordo eſt vt à carnalibus ad ſpiritualia ſurgamus, non à ſpiritualibus ad
G carnalia cadamus, & qui hunc ordinem peruertit, ſtultus eſt, quia non æſtimat res ſecundum earum valorem, pręponens carnalia ſpiritualibus, & non temporalia eternis; ſed ordinat vt ad finem bona ſpiritualia ad temporalia. Vnde & Auguſt. in 3. libro de libero arbitrio circa finem dicit. Quòd ſtultitia eſt rerum appetendarum, vitandarumque, non quælibet, ſed vitioſa ignorantia: & ſtultitia tunc eſt plurimum
H vitioſa, quando eſt affectata; dicente eodem 1. lib. Retractationum cap. 13. Stultitia magnum vitium eſt. Et ſuper illud Pſ. Noluit intelligere, vt bene ageret, dicit Caſsiodorus. Cum dicit noluit intelligere vt bene ageret, illos ſignificat qui ab aliqua parte ſapientiæ igniculum perceperunt, & à vero intellectu ſuo vitio declinantes peruerſis ſe erroribus polluerunt. Nam imprudentię plerumq; venia datur, voluntario vero maleficio ſemper vltio iuſta ſuccedit. Quando ergo Doctor inſtructus per ſcripturam, & ſal effectus qui
I multis vtilis eſſe poterat, & fructuoſus, cupiditate rerum temporalium habendarum, vel moleſtiarum temporalium fugiendarum timore, vel cupiditate ductus non audet corrigere delinquentes, nec inſtruere ignorantes, ſed vt placeat magnatibus incipit adulationibus, & blanditijs deſeruire; tunc efficitur ſal infatuatum; quia vt ſtultus, & fatuus ſcientèr pręponit carnalia ſpiritualibus, & terrena cœleſtibus: vnde iam non ſolum inutilis eſt, immo etiam plurimum nociuus; quia ſimplices ſcientes eum eſſe inſtructum in le-
K ge Dei, videntes eum cupidum terrenorum, & fauoris, & gloriæ humanæ auidũ, ad conſimilia peragenda informantur, iuxta illud Apoſt. 1. ad Corint. 8. Si quis videret eum qui habet ſcientiam in idolio recumbentem, nonne conſcientia eius cum ſit infirma ædificabitur ad manducandum idolothyta? & peribit infirmus in tua conſcientia frater propter quem Chriſtus mortuus eſt. Vnde & de tali Doctore, qui propter cupiditatem terrenorum

Mich. 3. Gala. 3. Glo. Auguſt. Idem. Pſal. 35. Caſſiod. 1. Cor. 8.

doctri-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

doctrinam correctiuam dimittit, dicitur
Eccl.21. Eccleſiaſt. 21. Cor fatui, quaſi vas confractum, & omnem ſapientiam nō tenebit, & tanquam domus æſtimata ſic fatuo ſapientia, & ſcientia inſenſati inenarrabilia verba. Et de adulatione fatuorū dicitur eodem
Idem 20. lib. cap. 20. Fatuo non erit amicus, & non erit gratia in bonis illius, qui enim edunt panem illius, falſæ linguæ ſunt. Quando autem ſic Doctor eſt infatuatus, nullo modo, vel vix corrigi poteſt, quia videtur ſibi quòd ſapientior ſit inter omnes: iuxta illud Prouer. 26. Sapientior ſibi
Prou.26. piger videtur ſeptem viris loquentibus
Ibidem. ſententias. Et capite eodem. Vidiſti hominem ſapientē ſibi videri? magis illo ſpem habebit ſtultus. Facilius enim ſtultus, vel omnino ignorans eruditur ad bonū, quàm ille ſtultus, qui ſibi ſapiens eſſe videtur. Quod attendens Dominus dicit. [*Quòd ſi ſal infatuatum fuerit in quo ſalietur?*] ideſt ſi Doctor, vel rector cupiditate terrenorum fuerit infatuatus, quomodo poterit emēdari? Vnde & Gloſſa hîc dicit. Si vos per
Gloſ. quos condiendi ſunt alij aduerſis vel proſperis ceſſeritis, per quos à vobis error auferetur, cum vos Deus tollere fatuitatem alijs elegerit? Doctor enim qui retro vadit, nec ipſe fructum ferre, nec alios valet excolere.

SVMMARIVM.

Quòd ille Doctor dicitur eſſe ſal inſulſum, qui delectationibus carnalibus ſuperatus, bonam vitam, quam prius habuerat deſerit, & peccatis carnalibus ſeruit; qui nec ſe, nec alios per ſuam doctrinam correctiuam ſalire poteſt.

XX SI vero ſit iſta litera [*Quòd ſi ſal inſulſum fuerit, in quo ſalietur?*] tunc eſt ſenſus. Si Doctor putridus per carnalia peccata fuerit, in quo ſaliet? ideſt quomodo emēdabitur? Quaſi dicat quòd nō poteſt fieri, uel non faciliter. Sicut enim ſalis ſtipticitate, uel ſalſedine carnes, quæ aliter putrefierent incorruptæ ſeruantur, & illa quæ ex ſe erant inſipida per ſalis ſalſedinem condiuntur, dum in ſua natura manet; ſic quando ſal ſuam naturam amittit, quod fit ſalſedinem amittendo, nec præſeruat à corruptione illud cui immittitur, nec cibū condire poteſt, nullo etiam alio eius inſipiditas condiri poteſt, quia cum ipſum ſit condimentum aliorum, alia non poſſunt ipſum ſal condire, quando inſulſum eſt effectum, & eodem modo quando Doctor per uitia carnis effectus eſt inſulſus, & inſipidus à ſapore ſapientiæ cœleſtis, non poteſt populum à corruptione, & putredine peccatorum carnalium cohibere, nec etiam ſermo eius eſt gratia conditus; ipſe etiam non poteſt per alium Doctorem ad priſtinam naturā ſpiritualis ſalſedinis reuocari, quia ſale alia condiuntur, ipſum autem alio non conditur. Vnde Hieronym. in Epiſtola ad
Hiero. Nepotianum dicit. Non confundant opera ſermonem tuum, ne cum in Eccleſia loqueris tacitus quilibet reſpondeat: Cur ergo hæc quæ dicis ipſe non facis? Delicatus magiſter eſt, qui pleno ventre de ieiunijs diſputat. Et in Epiſt. ad Ruſticum
Idem. dicit idē. Accuſamus ſæpe quod facimus, & cōtra noſmetipſos deſerti in noſtra uitia inuehimur. Et Chryſoſt. in 3. lib. de di
Chryſoſt. 3. lib. de dignit. ſacer. gnitate ſacerdotali cap. 16. dicit. A natura ipſa compertum eſt, ut regentium mores uulgus imitetur, & quaſi in imagine, ita in uita præſidentium intendens ſtudeat illorum quantum poteſt fieri ſimillimum; quod cū ita ſit quomodo tumens ſacerdos comprimit alienos tumores? Et
Idem. infra. Errores Pontificum abſcondi non poſſunt, etiam exigua eorum ſceleriter innoteſcunt; & per apparentes motus, quaſi nudas animas ſuas ſiſtunt oculis intuentium. Horum igitur ut uirtutes multos ſæpe ad ſimile ſtudium prouocant; ita etiam uicia ignauos alios circa ſanctitatis ſtudium reddiderunt; propter quod oportet omnifarie animam eius reſplendere decore, ut ſimul & lætificare, & illuminare poſſit ſpiritus contuentium: Delicta quippe uilium perſonarum ſicut in tenebris acta, ſolos eos à quibus ſunt commiſſa mortificant; uiri autem conſpicui, & in multorum notitiam poſiti, peccatū omnibus cōmuniter nocet, propter quod ignobilium delicta etiam ſi prodantur, neminem grauiori uulnere ſauciabunt. Qui uerò ſunt in uertice honoris poſiti & in populi uerſantur oculis; & ſi modicis præueniantur delictis, alijs grandia uidebuntur; Et infra. Si paruā aliqua deſpexerit, atque neglexerit, nihil ei ante acta
Idem. probitas ſuffragatur, ut poſſit accuſatorū ora ſubfugere, ſed obumbrat uniuerſam eius conuerſationem delictum illud exiguum. Quia ergo vita Doctoris eſt exemplar vitæ ſubditorum, & eius vita omnibus innoteſcit, & propter ſuum ſtatum, modicum delictum eius grande reputatur, & eius prædicatio vitæ eius comparatur, vt ex predictis patet; iccirco ſi malæ vitæ eſt, omnibus nocet, & quantumcumq; rectè prædicet, eius prædicatio à vulgo contemnitur, nec ei creditur, cum eius rectam prædicationem vita peruerſa maculet. Vnde & Caſſiod. exponens illud

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Cassiod. 49. Psal. Peccatori autem dixit Deus quare tu enarras iustitias meas, &c. dicit. Qui corde indurati sunt, & à scelerum suorũ prauitate non desinunt, prohibentur Domini narrare iustitias: idest vel communi sermone aliquid de illa maiestate proferre, quia os debet esse iustum, quod iustitias Domini narrare præsumit. Et quia Doctor condit in bonis operibus subiectos, & putrefactionem peccatorum prohibet in subiectis, tam per conuersationis suæ exẽplum, quàm etiam per loquelam, quia (vt dicit Hiero. in Epist. ad Fabiolã.) tanta debet esse scientia, & eruditio Pontificis Dei, vt egressus eius & regressus, incessus, & motus, & vniuersa eius vocalia sint; veritatem mente concipiat: & toto eam habitu resonet & ornatu; vt quicquid agit, quicquid loquitur, sit doctrina populorum: Ideo si eius vita est immunda, & turpis loquela, cum ex cordis abundantia os loquatur, & si benè loqueretur, tamen ei non crederetur; non sapidos per virtutes facit subditos, sed putridos per peccatum reddit, quia factus est sal insulsum. Vnde & Hilarius hîc dicit. Si Doctores insulsi nil saliant, & ipsi sensu accepti saporis amisso, viuificare corrupta non possunt, redduntur inutiles. Et Chrysost. hîc in homiliario dicit. Volo vos esse non solum sapientes, sed & alios facere tales; Alij enim & si multotiens cadunt, possunt potiri venia, magister autem si hæc patiatur, omni priuatus est excusatione; & vltimum dat supplicium; quia multum oportet prudentes esse, & superabundantiam virtutis habere illos: in quibus aliorum salus periclitatur. Nec solum populi non condiuntur, nec à putredine coercentur, quando eorum Doctor effectus est sal insulsum, sed etiam putredo peccatorum Doctoris talis non potest saliri, cum ipse videat, & cognoscat se malum agere, & tamen non vult desistere, effectus statua salis respiciens retro ad peccata carnalia, à quibus exire debuit. Luc. 17. Vnde & Luc. 17. dicit Dominus Apostolis. Gen. 19. Memores estote vxoris Lot, quæ versa est in statuam salis. Genes. 19. Et Beda exponens illud Lucæ 14. Si autem sal euanuerit, dicit. Si quis semel condimento veritatis illuminatus ad apostasiam redierit, quo alio Doctore corrigetur? Et infra. Idem. Qui post agnitionem veritatis retrorsum redit, nec ipse fructum boni operis ferræ, nec alios excolere valet. Non solum autem nec à se, nec ab alio corrigi talis Doctor potest, quia credere non vult, nec intelligere vt benè agat, sed & quotidie plus in se ipso putrescit cum multas occasiones peccatorum habens, non retineatur ab aliquo, quin omnia sua desideria compleat. Vnde & Thren. 4. dicitur contra quosdam Doctores. Filij Sion inclyti, & amicti auro primo: quomodo reputati sunt in vasa testea opus manuum figuli? Et infra. Qui vescebantur voluptuosè interierunt in vijs, qui nutriebantur in croceis amplexati sunt stercora. Sic ergo quia à tali Doctore insulso non potest condiri populus, nec à putredine peccatorum præseruari, & ipse in se est insulsus & putridus, iccirco bene Dominus dicit. [*Quod si sal insulsum fuerit, in quo salietur?*] Quia tali Doctore, nec saliri populus potest, nec ipsemet à se, vel ab alio condiri faciliter potest. Vnde Hieron. hîc dicit. Si Doctor errauerit, quo alio Doctore emendabitur? Et interlinearis Si Doctor erraue rit, p quẽ infirmus populus confirmabit?

Hieron. Hilar. Chrysost. hom. 15. Luc. 17. Gen. 19. Beda. Idem. Thren. 4. Ibidem. Hieron. Glos.

SVMMARIVM.

Quòd quamuis difficile sit quòd Doctor, vel euanescens per superbiam, vel infatuatus per terrenorum cupiditatem, vel insulsus per immundam vitam emendetur, & vtilis fiat & sibi, & alijs, tamen non est hoc impossibile apud Deum, qui eum potest per suam gratiam ad hoc reducere, vt sal vtile fiat.

HOc autem Domini dictũ de Doctore euanescente, infatuato, & insulso, non significat impossibilitatem, sed difficultatem; quantumcunque enim in vita præsenti Doctor sit euanescens per superbiam, vel fatuus per terrenorum inordinatam cupiditatem, vel insulsus per vitam lubricam, potest Dei gratia adiutus reuerti ad bonum, & scientia vti ad vtilitatem suam, & Ecclesiæ. Vnde & Episcopo Ecclesiæ Laodiceæ dicitur Apocaly. 3. Tu dicis quòd diues sum, & locupletatus, & nullius egeo; & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus? Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum, vt locuplex fias, & vestimentis albis induaris, vt non appareat confusio nuditatis tuæ, & collyrio inunge oculos tuos, vt videas. Sed quia difficilè est quòd talis Doctor corrigatur, ideo ponitur quòd impossibile esset. quemadmodum, & infra 19. de diuite dicitur. Apud hòmines impossibile est diuitem saluari, apud Deum autem omnia possibilia sunt.

Apoc. 3. Matth. 19. Beda.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

SVMMARIVM.

Quòd Doctores, & Episcopi qui euanescunt per vanam gloriam: & fatui qui terrena lucra sectantes, vsq; ad apostasiam à fide perueniunt: & insulsi per apertam luxuriam, qui se emendare nolunt de statu suo; & de Ecclesiæ sunt emittendi ne alios corrumpant, cum & sibi, & alijs sint inutiles & nociui.

XXII ET quia dixerat quòd talis Doctor difficile corrigitur, ideo vt ostendat qualis sit dum in isto statu manet, & quid de eo fieri debeat vt corrigatur, vel si sit incorrigibilis vt euitetur, subdit. [*Ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.*] Et potest esse duplex sensus: primò quòd vt res inutilis omnino abijciatur à docendi officio; quèadmodum & sal quando salsedinem suam amittit proijciendum est extra, sicut inutile omnino, cum nec in se aliquid ualeat, nec si alicui coniungatur ei prodesse possit, sed solum obesse. Aliqua enim sunt, quæ & si in se sint inutilia, tamen alteri coniuncta utilia sunt; quemadmodum aqua turpis & fætida quæ in domo est inutilis, proiecta in terra extra, ut in agro, eam fructificare facit; Et quemadmodum fimus & stercora quæ in domo sunt inutilia: Et in agro proiecta magnam utilitatē afferunt: unde & licet in se sint uilia, tamen extra proiecta utilia sunt; propter quod nō possunt propriè dici ad nihilum ualentia. Sed sal quando saporem salsedinis amisit, & in se est inutile, & si alteri coniungatur, inutile ipsum reddit; cum & herbas si ibi sunt interficiat, & pro tempore subsequenti terram infructiferam reddat; propter quod quando tale sal foras proijcitur, in loco sterili iactat, ut ab hominibus conculcetur. Vnde quod hîc Dominus dicit. [*Ad nihilum valet vltra nisi vt mittatur extra, & cōculcetur ab hominibus.*] tale est ac si diceret. Quòd tale sal euanescens fatuum, uel insulsum omnino inutile est; quia nec sibi, nec alijs prodest; & propter hoc nō restat aliud qd fiat de eo, nisi ut proijciat in tali loco, ubi ab hominibus conculcetur, ut sicut sibi est inutile, ita alijs inutile reddatur. Et hunc sensum uidetur ponere Lucas cum dicit. [*Si sal euanuerit, in quo condietur?*] neque in terra, neque in sterquilinio utile est, sed foras mittatur. Quod exponens Beda dicit. Sal, cum ad condiendos cibos carnesq; siccandas ualere desierit, nullo iam usui aptum erit: neque enim in terram utile est, cuius iniectu germinare prohibetur, neque in sterquilinium agriculturæ profuturum; Et tunc non esset sensus quòd postquā tale sal proiectum esset extra, quòd aliquid ualeret in se, uel utilitatem alicui afferret; sed esset sensus quòd sicut omnino res inutilis abijciendum esset, ut nec sibi, nec alijs nocere posset; Et secundum hoc diceretur quòd Doctor euanescens per superbiam, uel infatuatus per cupiditatem terrenam, uel insulsus per immunditiam; quia omnino nihil ualet, expellendus esset ab Ecclesia, quia nec in suo gradu debet permitti stare cum ceciderit à salsedine diuinæ sapientiæ, nec communibus fidelibus est associādus, ne eos corrumpat, & germina bonorum operum in eis mortificet; Propter quod & Ecclesia hæreticos, qui sunt euanescentes per superbiam post primam & secundam monitionem de Ecclesia proijcit, uel etiam morti tradit, iuxta illud Apostoli ad Titum 3. Hæreticum hominem post unam, & secundam correctionem deuitā; sciens quia subuersus est qui eiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus. Quod exponens Hieron. super Epistolam ad Titum dicit. Qui semel, bisq; correctus audito errore suo non uult corrigi, errare æstimat corrigentem: & econtrario se ad pugnas, & iurgia uerborum parans eum uult lucrifacere à quo docetur: propterea à semetipso dicitur esse damnatus, quia fornicator, adulter, homicida, & cæteri uitiosi per Sacerdotes de Ecclesia propelluntur; hæretici autem in se ipsos sententiam ferunt suo arbitrio de Ecclesia recedentes, quę recessio propriæ conscientiæ uidetur esse damnatio. Ad quod insinuandum Dominus non dicit, quòd tales Doctores euanescentes de Ecclesia expellantur, sed dicit quòd mittantur, quod potest dici de illo qui per se recedit, uel cadit. Vnde Diabolus Domino dixit supra 4. Mitte te deorsum. Et hoc modo hæc exponit hîc Remigius dicens. Postquam Doctor erranerit in Ecclesia, non debet in pristina dignitate permanere, sed repellendus est ab Ecclesia, & conculcandus ab hominibus. Et infra. Hæreticus aut Doctor qui errat in Ecclesia, quasi putridum & uile stercus ab omnibus est cōculcandus, & manifestè à societate Ecclesiæ expellendus. Vnde & Apostolus 2. ad Timoth. 2. dicit de Hæreticis, quòd multum proficiunt ad impietatem, & sermo eorum ut cancer serpit: idest à paruo errore ad maius paulatim tendit, quæ sana sunt corrumpendo, & ad impietatem trahendo, & ab uno ad plures corrumpendos procedendo, propter quod vt sibi, &

Titum 3. Hieron. Matt. 4. Remig. Idem. 2. Tim. 2. Beda.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

alijs inutiles, & nociui extra mittendi sunt, vt viles & despecti, ac etiam plurimum nociui. Non enim lupi sunt includendi cum ouibus, sed ab ouile arcendi quantò magis possibile est, vt oues securè & pacificè possint infra ouile ecclesiæ remanere. Propter idem etiam Ecclesia à se expellit apostatas à fide, qui propter cupiditatẽ terrenarũ rerũ, vel timorẽ mundanũ, fidẽ Christi deserũt, & in Christo blasphemi fiunt; Quemadmodũ & Iudas cupiditate ductus pecuniæ, Dominũ vendidit; & Iudæis prodidit; qui cũ accepisset bucellã de manu Christi, exiuit cõtinuò vt dr Ioan. 13. Vbi dicit Origenes. Exijt nõ solũ, recedẽdo de domo in qua cœnabatur, sed omnino egressus est à Iesu. Et de presbyteris qui sacrificant idolis dicitur cap. 1. Concilij Ancyran. 1. Presbyteros qui immolauerũt, offerre, aut sermonem ad populum facere, aut aliquibus sacerdotalibus officijs fungi non liceat. Vnde & Remig. hîc dicit. Quicunque causſa timoris, aut cupiditatis negat veritatem, sal infatuatum est; & iste omnino expellendus est à societate fidelium; & conculcandus ab hominibus, velut Iudas proditor, qui cupiditate Dominum vẽdidit; ideoq; repulsus est à societate Apostolorum, & conculcandus est ab omnibus, ideſt spretus, & despectus. Et Glossa super illud Marc. 9. Si sal insulsum fuerit, dicit: Si quis semel condimentis veritatis refectus ad apostasiam redierit, quo alio Doctore corrigetur, qui eam quam gustauit sapientiam, vel aduersis territus, vel prosperis illectus respuit? & in hoc Iudam & socios eius significare creditur, qui philargiria corruptus, & Apostolatũ perdere, & Dominum tradere non dubitauit. Et Chrysost. super Ioan. homil. 71. loquens de Iuda dicit. Donec fuit collegij non audebat insilire in eum Diabolus, sed extra oppugnabat, postquã vero palàm factus est, licenter iam irrupit, neque inemẽdabilis erat in aliorum numero tolerandus, ideo iam eijcitur quem mox Diabolus comprehendit. Vnde Apostolus 1. ad Tim. 6. loquens de auaritia dicit. Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. Vbi super illud errauerunt à fide dicit Glossa. Quòd appetentes cupiditatẽ sunt omnino Christum deserentes, & inseruerũt se doloribus multis. Hoc constat in auaris, qui tantò plures solicitudinum cruciatus sustinẽt, quò amplius desiderant; tu autem homo Dei hæc fuge: Nihil enim tam asperum, tamq; pernicioſum, quàm si vir ecclesiasticus maximè qui sublimem tenet locum, diuitijs huius seculi studeat; quia non solum sibi ipsi, sed & eteris obest. Et de Demas dicit idem 2. ad Timot. 4. Demas me reliquit, diligens hoc seculum. Propter hoc etiam Doctores insulsi & putridi per carnis luxuriam de ecclesia expelluntur; qualiter Nicolaus aduena Antiochenus, qui electus, & factus fuerat Diaconus: de numero discipulorum & diaconorum fuit expulsus, quia carnis luxuriam etiã ad extranea s dixit licitam esse. De quo dicitur 24. q. vlt. Quidam Heretici Nicolaitæ dicti à Nicolao Diacono ecclesiæ Hierosolymorũ, qui cum Stephano & cæteris constitutus est à Petro, qui propter pulchritudinẽ suæ vxoris relinquens eam dixit, quòd qui vellet ea vteretur, & sic versa est in stuprũ talis consuetudo, vt inuicẽ coniugia commutarẽtur. Quos Ioan. in Apo. improbat dicens. Sed hoc habes quòd odisti facta Nicolaitarũ. Nicolaitæ dicti sunt à Nicolao, q vnus fuit ex septẽ Diaconis qui cũ Stephano in ministeriũ viduarum deputati fuerãt, & ab eo occasionẽ sui erroris sumpserũt. Ille nãque cũ ab Apostolis increparetur de zelotypia vxoris, vt se de hoc purgaret, vxorẽ in publicũ produxit, dicẽs, vt qui vellet ea vteretur, ostẽdẽs ex hoc se nõ esse adeo zelotypũ vt ipsi impingebatur. Ex quo facto, alij occasionẽ sumẽtes crediderũt, hoc licitũ esse, vt quisque qua vellet femina vteretur. Vnde cõmẽdatur Episcopus Ephesi, quia oderat facta Nicolaitarũ, & reprehenditur Episcopus Pergami, quia vt habebat tenẽtes doctrinã Balaã, qui docebat Balach mittere scandalũ corã filijs Israel edere & fornicari, ita & ipse habebat tenẽtes doctrinã Nicolaitarũ; Apoc. 2. Cũ ergo laudetur Episcopus qui oderat Nicolaitas, & reprehẽdatur ille qui eos habebat, & à se nõ expellebat, manifestũ est q tales putridi per luxuriã sunt expellẽdi de ecclesia, si se corrigere nolũt, quia facti sunt sal insulsum. Vnde & Apostolus loquẽs de viduis adolescẽtibus, quæ per ecclesiam non debẽt sustentari, dicit 1. ad Timot. 5. Adolescentiores autem viduas deuita, cum enim luxuriatæ fuerint in Christo nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerũt, similiter autem & ociosè discurrunt circuire domos; & non solum ociosæ, sed & verbosæ, & curiosæ, loquentes, quæ non oportet. Vnde & filij Heli, qui dormiebant cum mulieribus, quæ excubabant ad ostium Tabernaculi, de sacerdotio ipsi, & eorũ posteritas expulsi sunt pro magna parte, vt patet 1. Reg. 2. Et Neemias imprecatur contra sacerdotes

Ioan. 13. Orig.
Conc. Ancyranũ.
Remig.
Mar. 9. Glos.
Chrysost. hom. 71.
1. Tim. 6.
Glos.
2. Tim.
Apoc.
Apoc.
1. Tim.
1. Reg. 2.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

qui per luxuriam alienigenarum polluuntur sacerdotium dicens. Neemie vlt. Recordare domine Deus meus aduersus eos qui polluunt sacerdotium, & ius sacerdotale, & leuiticum. Vnde & hîc dicit Gloſſa. Sal infatuatum mittatur foras ab officio docendi, & conculcetur ideſt irrideatur ab hominibus carnalibus, dũ vita eius contemnitur; Nihil autem ſic contemptibilem reddit apud etiam carnales homines Doctorem, ſicut quando vita eius eſt manifeſtè immunda. Vnde & Apoſtolus caſtigat corpus ſuum, & in ſeruitutem redigit, ne forte alijs prædicans reprobus efficeretur ipſe 1. ad Corint. 9. Quod exponens Hieron. in epiſtola ad Ruſticum dicit. Vas electionis in cuius pectore Chriſtus reſonabat: macerat corpus ſuum: & ſubiecit ſeruituti, & tamen cernit naturalem carnis ardorem ſuæ repugnare ſententiæ; & tu te arbitraris abſque lapſu & vulnere poſſe tranſire, niſi omni cuſtodia ſeruaueris cor tuum? Et ad Oceanum dicit idem. Quomodo alterum reprehẽdet, cum ipſe qui accepit poteſtatẽ vt doceat, ſit reprehenſibilis? Ex epiſcopo gradu cæteri clericorum condiſcũt, quomodo debeãt viuere. Et infra. Præcipue illud reor attentius tibi eſſe cauendum, quia prima tentamẽta clericorũ, fœminarum frequenter acceſſus ſunt. Iſte ſexus reprehẽſibiles exhibet clericos; Quid tibi re vera cum fœminis: qui ad altare cum Domino fabulares? Te cuncti in publico, te in agro ruſtici aratores ac vinitores quotidie grauiter lacerabunt: ſi contra diſpoſitum fidei cum fœminis habitare contendis? Et infra. Licet coram Deo rectè incedas, tamen cum genus fœminarum à te non amputatur, das reprehendentibus te locum, ipſe te detrahentium morſibus tradidiſti, ſi Agapetarum conſortia non dimiſeris. Ex quibus omnibus patet, quòd Doctor factus ſal euaneſcens, vel fatuum, vel inſulſum, cum ad nihil ſit vtilis, non reſtat niſi vt proijciatur de eccleſia ſi incorrigibilis ſit; & eiectus in tali loco ponatur vbi nec ſibi, nec alijs nocere poſsit, & vt vilis, & abhominabilis ab omnibus habeatur; quia miſſus foras conculcari debet ab hominibus, non autem conculcatur aliquid niſi vile & abiectum, & ad nullum vſum aptum. Vnde & de ſuperbis dicitur Iſa. 28. Pedibus conculcabitur corona ſuperbiæ ebriorum Effraim. Et de auaris dicitur Abacuch 3. In fremitu conculcabis terram. Et de luxurioſis Ezech. 15. Vidi te conculcari in ſanguine tuo. Et Eccl. 9. Omnis mulier quæ eſt fornicaria, quaſi ſtercus in via conculcabitur.

Gloſ. — Iſa. 28. — Abac. 3. — Ezech. 15. — Eccl. 9.

A

SVMMARIVM.

Quòd Doctores & Epiſcopi qui facti ſunt ſal euanescens, fatuum, vel inſulſum: dum ſpes aliqua habetur de correctione eorum, ad tempus deijciendi ſunt de ſtatu ſuo, & ad peragendam pœnitentiæ humilitatem alicubi excludendi, vel includendi, vt ſic vel rubore, & confuſione ad ſtatum virtutis reducantur, ad quem ſi appareat eos eſſe reuerſos, ad priſtinum ſtatum poſſunt reaſſumi.

B Secundò poteſt exponi ſic. Quòd ſal euanescens, fatuum, & inſulſum ad nihil valet in ſe, ſed vt poſsit ad ſuam naturam reuerti, non reſtat niſi vt mittatur foras ad ſolem, & inter pedes fricetur, & moueatur, vt ſic ad ſuam naturam, & ſalſedinem poſsit reduci. Hoc enim fieri ſolet quando ſal iniectum in carnibus recentibus per dulcedinem carnium virtutem ſalſedinis amittit, quòd proijcitur ad ſolem, vt ab illa humiditate carnium & dulcedine deſiccetur, & ad priſtinam ſalſedinem reducatur, & ſi non totaliter, tamen ſecundum poſsibile. Et tunc eſſet ſenſus. C Quòd Doctor qui ſi per ſuperbiam euanuerit, vel per auariciam infatuatus fuerit, vel per luxuriam factus fuerit inſulſus, debet ad tempus deijci à ſuo honore, & ſtatu ad pœnitentiã peragendam, quam ſi humiliter, & patienter ſuſtinuerit, ad priſtinum ſtatum & honorem reducẽdus erit. Sic enim Petrus timore mortis infatuatus, poſtquã egreſſus foras fleuit amare, reſtitutus fuit ad priſtinum gradum, D & dignitatẽm, vt Apoſtolorum Princeps, & caput eſſet; Sic etiam Dauid factus inſulſus per luxuriam, per pœnitentiam reſtitutus fuit ad proprijam dignitatẽ Regalem, & Prophetical̃. Sic Manaſſes euanescens vſque ad idolatriam, & prophetarum perſecutionem, reſtitutus fuit per pœnitentiam ad Regnum. Sunt enim multi qui non attendunt ſuos defectus dum ſtant in ſuo honore, qui poſtquam deiecti ſunt, & contempti, ad ſe reuertentes pœnitentiam agunt, & ſe ipſos recognoſcũt, E & tantum ſe humiliant, quòd digni reddũtur vt ad priſtinum ſtatum reducantur. Vnde Nabucdonoſor poſtquam ſe recognouit, ad ſuum regnum reſtitutus eſt. Daniel 4. Et filius luxurioſus poſtquam ſe recognouit indutus eſt ſtola prima, & annulus datus eſt in manu eius, & calciamenta in pedibus. Et poſtquã ſpinis ſepta eſt via mulieris adulteræ, & ſequens ſuos amatores eos comprehendere nõ potuit, dixit. Reuertar ad virum meum priorem quia mihi bene tunc erat magis, quàm

XXIII

Matt. 26. — 2. Reg. 12. — 2. Paralip. 33. — Dan. 4. — Luc. 15.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Oseæ 2. nunc, Oseæ 2. Ad quod insinuandum Dominus dicit, [*quòd sal infatuatum ad nihil valet nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.*] vt sic vel pœna ad se ipsos conuersi seipsos recognoscant. Vnde & Augustin. August. in libro de correptione & gratia cap. 15. dicit. Corripiantur à præpositis suis subditi fratres correptionibus de charitate venientibus, pro culparum diuersitate, diuersis, vel minoribus, vel amplioribus; quia & ipsa quæ damnatio nominatur, quam fecit Episcopale iudicium, qua pœna in Ecclesia nulla maior est, potest si Deus voluerit, in correptionem saluberrimã cedere, atque proficere. Neque enim scimus quid contingat sequenti die: an ante finem huius vitæ de aliquo desperandum est, aut contradici Deo potest, ne recipiat & det pœnitentiam, & accepto sacrificio spiritus contribulati, cordisque contriti, à reatu (quãuis iustę damnationis) absoluat, damnatumq; ipse non damnet. Pastoralis tamen necessitas habet ne per plures serpant dira contagia, separare ab ouibus sanis morbidam, ab illo cui nihil est impossibile, ipsa forsitan separatione sanandum. Et in Regula dicit idem. Si conuictus vindictam ferre recusauerit, Idem. etiam si ipse non abscesserit de vestra societate proijciatur; Non enim hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestifera plurimos perdat. Et quia ex ipsa missione extra, corriguntur multi, quemadmodum Corinthus per Apostolum traditus Sathanæ in interitũ carnis, 1. Cor. 5. 1. ad Corint. 5. correctus fuit, vt patet 2. 2. Cor. 2. ad Corint. 2. Iccirco Doctores manifestè mali mittendi sunt extra, vt pœniteant de commissis, & post condignã pœnitentiam sunt ad pristinum statum reducendi, nisi fortè talia commiserint quæ perpetuò habeãt eos excludere ab officio sacerdotali: vel nisi propter scandalum infirmorum dimitterentur; vel nisi propter pristinam malam consuetudinẽ timeretur ne in posterum sicut canis ad proprium vomitum reuerteretur; quia tunc non deberent reduci ad pristinum statum, sed soluni inter communes fideles permanere deberent: vt satis hæc possunt haberi per multa capitula posita distin. 50. quæ tota est de ista materia. Sic ergo secũdum hoc diceretur quòd sal insulsum, euanescens, & fatuum, ad nihil valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus; vt sic ex tali pœna ad se conuersi pœniteant, vel si pœnitere nolũt, ecclesiam sua putredine non corrumpant. Vt enim dicit Hiero. in epistola ad Matrem & Filiam, Putridæ carnes, ferro curantur, & cauterio. Venena Hieron. F serpentino curantur antidoto. Vel ad minus, vt eius pœna visa cæteri se custodiãt, ne in consimilia cadant. Vnde super illud Iob 41. Cum sublatus fuerit, timebũt Angeli, & territi purgabuntur. dicit Grego. moral. 34. lib. cap. 7. Cunctorum opifex Deus, scit ad bonorum custodiam etiam bene vti mala actione reproborum; lapsus enim cadentium vertitur in profectũ manentium; & vnde punita est culpa superbientium, inde humilibus Angelis & inuenta, & solidata sunt augmenta meritorum. Sancti enim Angeli dum in istis naturæ suæ dãna conspiciunt, in se ipsis iàm cautius, robustiusque consistunt. Et Cassiodo. exponens illud Psal. Manus suas lauabit in sanguine peccatoris, dicit. Cum sanguis peccatoris effunditur, manus, id-est actus iusti viri corrigũtur; Impio enim pereunte, commonetur innoxius cautius se diligentiusq; tractare: iuxta illud Iob 41. Iob 41. Grego. Psal. 57. Cassiod. G Prouer. Stulto pereunte sapiẽs astutior erit. Et si quando sal fatuũ foras mittitur non valet ad aliud nisi vt corrigatur, vel ne Ecclesiæ corpus corrumpat, vel iusti visa eius pœna in bono firmius perfectiusq; H persistant.

Tractatus sequens protenditur vsque ibi. (Non potest abscondi ciuitas supra montem posita,) *& continet in se 24. capitula. Ponitur diuisio, Capitulum primum.* I

DIVISIO.

Vos estis lux mundi.] Vbi postquã ostendit Dominus, quòd Doctores & populi rectores debẽt virilitèr, & intrepidè suos subiectos corripere, & corrigere, vult ostendere quòd debẽt eos instruere, & informare. Vnde & hîc dicit Glo. Apostoli depulsis vitijs, deducũt ad lucem fidei, & cognitionis; & tria facit. Quia primò ostendit quòd debent alios instruere, & informare: & secundò ostendit de quibus subiectos habent docere: & tertiò eis præcipit quòd vt docebunt alios, sic ipsi debeãt viuere vt eorum doctrina per eorum opera comprobetur. Secunda ibi. [*Nolite putare quoniam veni soluere legem.*] Tertia ibi. [*Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis.*] Prima adhuc habet tres partes, quia primò ostendit quòd Apostoli in se habebant sufficientiam scientiæ, & cognitionis diuinæ ad mundum illuminãdum: secundò ostendit quòd hanc scientiam & I Glos. K

cogni-

cognitionem abſcondere non poterant nec debebant; & tertiò ex hoc inducit profectum ſubiectorum pertingentem ad Dei gloriam: Secunda ibi. [*Non poteſt ciuitas abſcondi,*] Tertia ibi. [*Sic luceat lux veſtra coram hominibus.*]

SVMMARIVM.

Ponitur prima continuatio, & expoſitio, & oſtenditur quòd Doctor & Rector prius debet à ſubiectis ſenſum animalem, & vitioſam vitam per correctionem expellere, quàm poſſit de diuinis, & virtutibus eos vtiliter informare.

II

DIcit ergo primò. [*Vos eſtis lux mundi*] & poteſt continuari primò ſic ad illud quod dictum eſt. [*Vos eſtis Sal terræ.*] Ad Doctorem enim & Rectorem pertinet quòd prius à ſubiectis mala deſideria & peruerſa opera eradicet & extinguat; quàm eos inſtruat de celeſtibus rebus, & virtutibus; quia anima mundi delectabilibus inuiſcata, non poteſt ſe eleuare ad intelligendum diuina, iuxta illud Apoſtoli 1. ad Corint. 2. Animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei; ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere quia ſpiritualiter examinatur. Vbi dicit Glo. Animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei, vt partum Virginis: & reſurrectionem; nihil enim extimat fieri poſſe niſi quod nouit. Dicitur autem homo animalis, vel habens vitam animalis, vel animi ſenſu: Vitam autem animalis dicitur habere homo, qui fertur diſſoluta laſciuia animæ ſuæ, quam inter naturaliter ordinis metas ſpiritus rector non continet; eo quòd ipſe ſpiritus Deo ſe regendum non ſubijcit; Animi vero ſenſu dicitur homo animalis, qui de Deo iuxta corporum phantaſiam, vel legis litteram; vel rationem philoſophicam iudicat. Quare autem animalis homo non percipiat ea, quæ ſunt Dei, ſubdit; ſtultitia enim eſt illi ſecundum humanum eius ſenſum illud, quod vere de Deo dicitur; & ideo non poteſt intelligere ſpiritualia, quia ſpiritualia examinantur, & comprobantur à ſpirituali homine, & ideo quia ipſe animalis eſt non poteſt ipſa intelligere. Qui autem loquitur cum aliquo qui verba eius intelligere non poteſt, ſuos ſermones perdit, iuxta illud Eccl. 22. Qui narrat verbum non audienti, quaſi, qui excitat dormientem de graui ſomno. Cum dormiente loquitur qui narrat ſtulto ſapientiam. Et non ſolum qui homini animali de diuinis narrat diuina perdit ſermones ſuos; ſed etiam ille, qui vicioſo homini loquitur de virtutibus, ſuum tempus perdit; quia omnino talis virtutum pulchritudinem non agnoſcit, ſed ſolum bonum reputat ſua peruerſa deſideria adimplere; Vnde Prouer. 18. dicitur. Non recipit ſtultus verba prudentiæ, niſi ea dixeris, quæ verſantur in corde eius. Quia ergo animali homini & ſtulto, verba de Deo, vel de virtutibus ſi dicantur non proſunt, dum in ſua animalitate & ſtultitia perſiſtit, iccirco eius ſtultitia & animalitas primò eſt ſale increpationis occidenda, quàm verba de diuinis & de virtutibus ſint ei prædicanda: iuxta illud Hiere. 4. Nouate vobis nouale, & nolite ſerere ſuper ſpinas. Quod Dominus attendens, primò vocat Apoſtolos [*ſal terræ,*] vt vitia & ſtultitiam hominum animalium conſumant, & condiant: & deinde dicit. [*Vos eſtis lux mundi,*] vt homines de diuinis & virtutibus inſtruant. Vnde & Glo. hîc dicit. Prius ſal quàm lux, quia prius vita quàm doctrina; vita ducit ad ſcientiam veritatis, qui enim Deum timet ſcientia non caret. Et Chryſoſt. hîc in homil. dicit. Prius fuit ſal, nûc lux, vt diſcas quàm magna ſit ſtipticorum ſiue adſtringentium & per accidens calorem excitandum verborum vtilitas, & honeſtæ doctrinæ profectum; etenim ſtringit & non dimittit effluí, & videre facit ad virtutem auxiliũ porrigens.

1. Cor. 2. — Glo. — Eccl. 22. — Prou. 18. — Hiere. 4. — Glo. — Chryſoſt. hom. 15.

SVMMARIVM.

Ponitur ſecunda cõtinuatio, & oſtenditur, quòd gentes ante Apoſtolorum prædicationẽ erant malis vitijs corruptæ, & in fidei cæcitate; à quibus primò erant remouendæ putredines peccatorum, vt ſic lumen fidei poſſent percipere.

III

SEcundò poteſt continuari ſecundum Remigium; quia cum homines ante Chriſti aduentum duplici incõmodo tenerentur; quia ſcilicet erant putridi per peccata mortalia, & cæci per peccatum infidelitatis, iuxta illud Pſal. Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ, & dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum & ipſum non eſt mecum. Et Apoſtolus loquẽs de gentibus ad Ephe. 4. dicit. Gentes ambulant in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati à via Dei per ignorantiam, quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis ipſorum, qui deſperantes, ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ. Et Bernar. in ſermone de Aſcenſione Domini dicit. Intellectus no-

Remig. — Pſal. 37. — Epheſ. 4. — Bernar.

ſter

fter turbatus erat, ne dicam cæcatus: affectus inquinatus erat, & multum inquinatus; iccirco vtrique incommodo hominum Christus volés prouidere fecit Apostolos sal, vt putredinis vitiorum medici essent; fecit eos etiam lucem, vt corda hominum, quæ per infidelitatem in tenebris erant, ad lucem fidei, & veritatis reducerent. Vnde postquam eos sal vocauit, vocat lucem; quia nec fides sine operibus proficit ad salutem, nec aliquod opus bonum esse potest meritorium sine fide. Sed quia dum anima manet inuoluta in putredine peccatorum, non potest erigi ad lumen fidei claræ percipiendum, iccirco primò Apostoli sal dicúntur, & postea lux. Remig. Vnde & hîc Remig. dicit. Quia corda gentilium erant infatuata, insipida, & amara, erant etiam tenebris infidelitatis & ignorantiæ obcęcata, & obfuscata; iccirco indigebant gustu, & sale cęlestis sapientiæ, & etiam veræ fidei luce, propter quod Apostoli ad gẽtes missi, sal, & lux à Christo sunt effecti.

SVMMARIVM.

Ponitur tertia cõtinuatio, & expositio, & ostenditur quòd ad bonum Sacerdotem & Rectorem populi Christiani duo pertinent; scilicet vitæ sanctitas, & scientiæ diuinæ claritas; quorum si alterum desit, non potest implere debitè suum officium.

IIII. TErtiò potest continuari attendendo propriam perfectionem, quæ in Doctore esse debet. Ad hoc enim quòd Prælatus & Doctor sit perfectus, & vtilis sibi, & alijs, duo requiruntur; scilicet vitæ sanctitas, & scientiæ diuinæ claritas; quia sine scientia non posset alios de diuinis instruere, nec hæreticos confutare, nec illa quæ agit circa diuina intelligere. Sine vero sanctitate vitæ plus deædificaret exemplo, quàm posset ædificare verbo, & plus haberet Deum offendere, quàm placare; & esset sic cymbalum tinniens, aut sonãs; quia & si alios instrueret, se ipsum condemnaret; propter quod hæc duo simul iuncta, scilicet vita sancta, & doctrina abúdans diuina, perfectum efficiunt sacerdotem; dicente Hilario 8. de Trinit. cap. 11. Mylar. Ita enim quæ propria disciplinæ, ac morum sunt, ad sacerdotij meritum vtilia sunt. Si etiam hæc quæ ad docendæ, ac tuendę fidei scientiam necessaria sunt, inter reliqua non deerunt. Quia non statim boni, atque vtilis Sacerdotis est, aut tantummodo innocenter agere, aut tantummodo scienter prædicare; cum & innocẽs sibi tantum proficiat, nisi doctus sit; & doctus sine doctrinæ sit auctoritate, nisi innocens sit; sed perfectus ecclesię Princeps oportet vt perfectus sit maximarum virtutum bonis; vt & vita eius ornetur docendo, & doctrina viuendo. Et quia Apostoli, Doctores, & Principes Ecclesiæ esse debebant, ictirco docentur quòd sint sal propter vitæ sanctitatem; vt eorum conuersationem videntes populi in moribus optimis condiantur. Vnde & Petrus loquens de sanctitate vitæ, quam christianæ mulieres habere debent, dicit in epistola prima cap. 3. Si qui non credunt verbo per mulierum conuersationem sine verbo lucrifiant, considerantes in timore sanctam conuersationem vestram. Docétur etiam quòd sint lux illuminati claritate diuinæ scientiæ, & alios illuminantes per doctrinam; vt sic sint perfecti Ecclesiæ Principes, & Sacerdotes. Et hoc modo hanc partem continuans Chrysost. in expositione dicit. Bona conuersatio Sacerdotis sine verbo tenet quidem sanctos in sanctitate per suum exemplum, adducere autẽ ignorantem ad sciẽtiam veritatis non potest. Item; verbum Sacerdotis adducere ignorantem ad scientiam veritatis, & sine conuersatione bona potest; tenére autem in fide, vel sanctitate, absque conuersatione bona non potest, magis autem scãdalizat. Ergo propter bonam conuersationẽ suam Sacerdotes sunt sal, quoniã bona conuersatio Sacerdotum condimentum populi est: propter verbum autem doctrinæ lux; quoniam verbum ignorantium lumẽ est; prius autem vocauit eos sal, postea lux, quia per bonam conuersationem ascenditur sine dubio ad scientiam; per scientiam autem nescio si ad bonam conuersationem omnimode veniatur.

SVMMARIVM.

Ponitur quarta continuatio, & ostenditur quòd Apostoli debebant esse sal, & lux, respectu populorum Iudæorum & Gentium; quos ad fidei Christi vnitatem vocare debebant, & specialiter debebant esse sal propter Iudæos, & propter Gentiles lux.

QVartò potest continuari secundum eundem Chrysost. si attendantur populi, quibus Apostoli prædicare debebãt. Ecclesia enim ex Iudeis & Gentibus conuenientibus in lapidem angularem Christum est constructa; Iudei autem instructi per legem, erant lumine scientię & cognitionis diuinæ illuminati; sed quia lex licet illuminaret ad scientiam, non tamen

gratiam

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

gratiam conferebat: iccirco putridi, & insulsi erant per malam vitam, propter quod sale apostolico indigebant; Vnde & Apost. ad Rom. 2. loquens contra Iudæos, qui de scientia legis gloriabantur, dicit. Si tu Iudæus cognominaris, & requiescis in lege, & gloriaris in Deo, & nosti voluntatem eius, & probas vtiliora instructus per legem; confidis te ipsum ducem esse cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiæ & veritatis in lege. Qui ergo alium doces, te ipsum non doces? Qui prædicas non furandum, furaris? Qui dicis non mechandum, mecharis? Qui abominaris idola, sacrilegium facis? Qui gloriaris in lege, per præuaricationem legis Deum inhonoras? Quia ergo Iudæi illuminati erant per legem sed corrupti per peccata, sale apostolico indigebant. Gentiles vero qui legem non acceperant, in tenebris ignorantiæ erant, licet eorum aliqui corruptam vitam non haberent, dicente Apostolo cap. eodem. Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt; eiusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex; qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Et quia gentes erant obtenebratæ quantum ad Dei cognitionem, iccirco luce indigebant; sed quia prius erant vocandi Iudæi ad fidem, quàm gentes; ideo prius Apostoli sunt vocati sal propter Iudæos cõdiendos, quàm lux propter gentes illuminãdas. Vnde & Paulus Actu. 13. loquens Iudæis dicit. Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce cõuertimur ad gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus. Posui te in lucem gentibus, vt sis in salutem vsque ad extremũ terræ. Et hoc modo hanc partem continuans Chrysost. dicit. Propter Iudæos priores Apostoli dicti sunt sal, non adducentes eos ad sciẽtiam Dei, sed condientes eos in ipsa scientia: lux autem propter gentes in secundo loco vocatas.

Rom. 2.

Idem.

Actu. 13.

Isa. 49.

Chrysost. hom. 10.

SVMMARIVM.

Ponitur quinta continuatio, & expositio, & ostenditur, quòd ad officium Sacerdotis pertinet & fideles facere perseuerare in fide, propter quod sal vocantur; & infideles perducere ad Dei cognitionem: propter quod lux dicuntur. Et quia principalior intentio eius debet esse, vt fideles in fide permaneant, quàm quòd infideles ad fidem conuertantur; iccirco prius dicuntur sal, & postea lux.

QVintò potest continuari secundum eundem Chrysostomum sic. Rector enim & Sacerdos ad duo debẽt respicere. Primò vt fidelis populus in fide quam accepit permaneat; & secundò, vt infidelis ad fidem veniat. Quemadmodum & in natura videmus, quòd non solum est natura sollicita vt res de nõ esse ad esse producãtur; sed etiã vt res quæ iã sunt in esse conseruentur, & magis vt in esse cõseruẽtur, q̃ vt generẽtur; cũ generatio sit in naturalibus non ob aliud, nisi vt quæ non poterãt cõseruari in esse indiuiduali, saltẽ conseruẽtur ĩ esse specifico, vt patet ex Arist. pluribus in locis. Et quia salis proprietas est vt rẽ teneat in suo statu in quo eã inuenit, lucis aũt proprietas est, vt tenebras fuget, & illustret: iccirco quãdo sacerdos tenet populum fidelem in fide quam iam accepit, sal dicitur. Sed quando infideles & tenebrosos ad fidem perducit, infidelitatis tenebras fugando, lux vocatur. Et quia prior debet esse intentio & voluntas vt fideles teneantur in fide, quàm vt infideles conuertãtur ad fidem, iccirco prius Apostoli dicti sunt sal quàm lux. Vnde & hĩc Chrysost. dicit. Salis opus est rem in eo statu tenere, in quo inuenerit eam; vt ad deterius eam mutari non sinat: lucis autem opus est ipsas soluere tenebras, & ea quæ fuerant in tenebris illustrare; Sic & Apostoli, cæteriq́ue Doctores sal quidem sunt populi Christiani iam cognoscentis Deum, seruantes eum in ipsa cognitione Dei & sanctitate: lux autẽ sunt gentium, perducentes eas ad scientiæ lumen. Vel sunt lux eorum, qui fortè in Ecclesia ceciderũt in tenebras peccatorum. Et prius vocauit eos sal, postea autẽ lux; quia prioris loci est seruare quos habes; secundi autem vocare, quos non habes. Vnde & Apostolus loquens gentibus conuersis ad fidẽ, dicit ad Ephe. 5. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino; vt filij lucis ambulate; fructus enim lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate.

VI

Aristot.

Chrysost. hom. 10.

Ephes. 5.

SVMMARIVM.

Ponitur sexta continuatio, & ostenditur, quòd homines perfecti in scientia & virtute, quamuis à malis hominibus quæratur eorum gloria obfuscari per maledicta, & opprobria, ac persecutiones; hoc tamen fieri nequit, immo per talia clariores redduntur.

SExtò potest continuari ad illa, quæ dicta sunt supra. Quia enim audire opprobria, & maledictiones, pati ab homi-

VII

nibus

nibus perſecutiones, non videntur poſſe reddere hominem clarum, & luminoſæ famę; ſed magis abiectum & vilem, iuxta
Pſal.21. illud Pſal. Factus ſum opprobrium hominum & abiectio plebis. Omnes videntes me, deriſerunt me; Iccirco ne Apoſtoli timentes hominum infamiam & deſpectionem, nollent Chriſti Euangelium prædicare, animans eos ad Euangelium prædicandum, & ad non timendum opprobria, maledictiones, & perſecutiones; dicit, [*quòd ſunt lux mundi*] quaſi dicat eis. Quantumcumque homines mundi ueſtram famam & gloriam conentur obſcurare, tamen hoc facere non poterunt; immo quantò plus vos conabuntur obſcurare, tantò magis vos glorioſos reddent; hoc enim lucis proprium eſt, quòd ſordidari non poteſt; immo etiam aliquando in loco ſordido exiſtens clarior redditur, ſicut patet de radio Solis reſplendente in aqua, vel in cloaca, in quibus maius lumẽ videtur, quàm in locis omnibus alijs. Vnde & Chryſ. hîc in homil. dicit. Quoniam
Chryſoſt. hom. 15. dixit eos pati perſecutiones, & maledictiones, & inſidias, & prælia; vt non æſtiment quòd hæc eos obſtruere poſſent, confortans eos, ait, quòd non ſolum non latebunt, ſed & illuminabunt orbem terrarum vniuerſum, & propter hoc erunt præclari, & inſignes. Et alibi dicit idem.
Idem. Vitam ſole præclariorem habentes, & virtuti inſidentes, & ſi orbis terrarum dixerit mala; tunc omnibus erimus magis zelotes; Si autem in malitia vixerimus, & ſi nullus ſit, qui accuſet, omnibus ſumus miſeriores. Cum enim magna fuerit virtus, impoſſibile eſt eam latere, & ſi multum velit ille qui reprehendit obumbrare; & ſic eos inducit ad viriliter permanendum in virtute, & non ad deſerendum eam propter hominum carnalium
Auguſt. opprobria, & maledictiones. Vnde & Auguſtinus in quodam ſerm. de Sancto Vincentio dicit Tentamenta accerbioris pugnæ, illuſtriora ſunt ornamenta victoriæ; & vbi caro laborioſius vincit, glorioſius anima conſecratur.

SVMMARIVM.

Diſtinguitur de luce, vt oſtendatur, cuiuſmodi lux Apoſtoli fuerint.

VIII QVo ſuppoſito intelligẽdum eſt, quòd lux in ſcriptura legitur eſſe, & ſpiritualis, & corporalis; de qua habetur Gen.
Geneſ.1. Fiat lux, & facta eſt lux. Et hæc ſpiritualis lux dupliciter accipitur. Quia vel eſt lux increata: & tũc lux nõ eſt qualitas, ſed eſt diuina ſubſtantia, de qua dr̃ Ioan. 1. Erat lux vera, quę illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et 1. Ioan. 1. Deus lux eſt, & tenebrę in eo nõ ſunt vllę. Et tũc lux in Græco ponitur cũ articulo: dicente Theophilo ſuper Ioã. ſuper illud, Non erat ille lux. Si ſanctorum aliquem lucem volumus dicere, ponemus lucẽ abſq; articulo, vt ſi interrogatus fueris; Vtrum Ioannes eſt lux ſine articulo ſecurè concedas; Si vero cum articulo, nõ concedas. Non enim Ioannes eſt ipſa lux principalior, ſed lux dicitur ſecundum participationem, quia lucem habet à vero lumine. Alio modo lux ſpiritualis eſt creata, quæ lux nihil aliud eſt niſi ſcientiæ, & cognitionis infuſio: & gratiæ, & donorum ſpiritualium acceptio. Vnde Origenes in
Origen. homil. In principio erat uerbum; dicit. Sciendum eſt quòd lux hominum, uel etiã ſpiritualium creaturarum, nomẽ eſt duarum ſpiritualium rerum, ſicut & tenebrę. Dicimus enim hominem lucem, potẽtem opera lucis perficere. Et etiam cognoſcere, quaſi illuſtratum lumine ſciẽtiæ. Vnde & Apoſtolus loquens de luce bonorum operum ad Epheſ. 5. dicit. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino;
Eph. 5. Vt filij lucis ambulate; fructus enim lucis eſt in omni bonitate, & iuſtitia, & ueritate. Et idem loquens de luce ſapientiæ
Eadem. in eadem Epiſt. c. 1. dicit. Det uobis Deus ſpiritum ſapiẽtię, & reuelationis in agnitionem eius, illuminatos oculos cordis ueſtri, ut ſciatis quæ ſit ſpes uocationis noſtræ. Cum ergo Apoſtoli hîc lux uocentur, non intelligitur quòd ſint lux mundi corporalis, nec quòd ſint lux, quæ Deus eſt; ſed dicuntur lux, quia & illuminati lumine ſcientiæ diuinæ, & quia repleti donis cœleſtis gratiæ fuerunt. Vnde Auguſt.
Auguſt. 1. parte ſuper Ioan. ſer 2. dicit. Homo illuminatus dicitur lux, ſed uera lux eſt illa quæ illuminat. Nam & oculi noſtri dicuntur luminaria, & tamen aut niſi per noctem lucerna accẽdatur, aut per diem ſol exeat, lumina iſta ſine cauſſa patent. Sic ergo & Ioannes lux erat, ſed nõ uera lux, quia per eum non illuminantur tenebrę, ſed illuminatione factus erat lux. Et ſer.
Idem. 3. dicit idem. Videamus & tunc intelligimus quid ſit lux hominum. Non diſtat homo à pecore niſi intellectu; Si ergo homo eſt melior pecore, quia habet mentem qua intelligat, lux hominum eſt lux mentium, lux mentium ſupra mentes eſt, & excedit omnes mentes. Vnde & hîc dicit
Gloſſ. Interlinearis; [*Vos eſtis lux mundi,*] percipientes à Chriſto lucem veritatis, per quos omnes alij illuminantur; quia qui-

cumque

cumque eorum illuminati sunt, mundanis lucem fidei & scientiæ, debent ministrare. Ex quibus patet cuiusmodi lux Apostoli sint vocati, quia non lux corporalis, nec lux increata spiritualis, sed lux creata spiritualis, habentes intellectum illuminatum lumine fidei, & cognitionis diuinorum: & affectum lumine gratiæ & donorum. In cuius signum in die Pentecostes, acceperũt in linguis igneis Spiritum Sanctum, qui eos illuminauit ad scientiã, & inflammauit ad gratiam. Vnde Bernar. Bernar. 2. serm. de Pentecostes dicit. Spiritus Sanctus super Apostolos in igne apparuit, propter lucem pariter & ardorem; Quos enim repleuerit, & spiritu feruere, & veritatem cognoscere facit.

SVMMARIVM.

Ponuntur vndecim proprietates lucis corporalis, vt ex eis manuducatur homo, ad cognoscendam lucem spiritualem, & eius proprietates & operationes.

IX DIcuntur autem Apostoli lux spiritualis, propter prædicta duo. Ad cuius euidentiam attendendum est, quòd cum spiritualia per corporalia cognoscantur, proprietates lucis spiritualis, per proprietates lucis corporalis intelliguntur. Sũt autem proprietates lucis corporalis, inter alias iste. Quòd à luminoso corpore lux emissa nõ corrumpit ipsum, nec in aliquo diminuit eius substantiam vel qualitatẽ, quæ est lux; quamuis enim sol corporalis totum mundum illuminet, tamen non propter hoc corrumpitur, nec eius luminositas in aliquo detrimẽtum patitur. Secundo, lux diaphanum per omnes partes pertransiens, non ipsum perforat vel scindit, sed solum perficit. Tertio, lux in diaphano solum permanet ad præsentiam corporis luminosi, quo abscedente nec ipsa lux, nec aliquid eius permanet, nec ad momentum in corpore diaphano. Quarto, lux emissa à corpore luminoso, simul & subitò se facit in toto corpore diaphano, & replet totum hemisperium in instanti. Quinto, lux à nullo contrario corrumpi potest, quia contrarium nõ habet, nec fedari ab aliquo quantumcumq; immundo. Sexto, ipsa lux ex sua natura habet calefacere, & germinare facere viuentia. Septimo, quia quantumcumq; videatur multiplicata in se, tamen semper manet vna. Octauo, ipsa est qualitas prima primi corporis, qua per se primum corpus agit omnia quæ hîc fiunt eius virtute. Nono, ipsa lux se & omnia alia ostendit, pulcrificat, & proprios decores auget, & splendescere facit: cum ipsa sit origo, & principium omnium colorum. Decimo, ipsa lux tenebras dissoluit, & fugat. Vndecimo, ipsa lux omnia sentientia ipsa lætificat.

SVMMARIVM.

Quòd Apostoli sunt dicti lux, primò ex eo quòd illuminantes totum mundum in scientia fidei & morum, ipsi corrupti non fuerunt per superbiam; nec eorum bonitas, ex eo quòd eam alijs communicauerunt fuit in aliquo diminuta, immo plurimum aucta.

X QVæ proprietates omnes, spiritualiter fuerunt in Apostolis & Doctoribus sanctis, propter quod rectè à Domino lux fuerunt vocati. Fuerunt enim Apostoli totum mundum illuminantes in scientia, & in opere bono, & tamen hæc illuminatio non eos corrupit, nec minus eos luminosos reddidit: Hoc enim proprium est scientiæ, cui est adiuncta charitas, quæ & si omnes doceat, per superbiam docentem non inflat, & ita non corrumpit, & omnibus prodesse cupit, & tamen detrimenta sui nullo modo suscipit, immo & continuè crescit. Qui enim spiritualibus donis acceptis, bene scit vti ad sui & aliorũ profectum, dignus est vt ei dona spiritualia maiora conferantur: Sicut & ille qui donis spiritualibus non vult vti ad aliorum profectum, & de dictis donis superbit, iustum est vt ei dona spiritualia auferantur, quia & eĩ nocent cum propter ipsa superbiat, & nulli alij prosunt quia ipsa non cõmunicat secundum quod Dominus declarat infra 25. de seruis, qui duplicata talenta Domino reportauerunt: & de seruo inutili, qui talentũ in terra abscondit; Vbi dicitur quòd habenti decem talenta, datum fuit talentum inutilis serui. Vbi dicit Chrysost. Qui gratiam sermonis & doctrinæ ad proficiendum habet, non vtens ea, gratiam perdit: qui autem studium adhibet amplius attrahit donum. Vnde & Augustinus loquens de Apost. 5. de Ciuit. Dei cap. 14. dicit. Inter maledicta, & opprobria, inter grauissimas persecutiones, crudelesq; pœnas, non sunt deterriti à prædicatione salutis humanæ, tanto fremitu offensionis humanæ: & quod eos diuina facientes atq; dicentes, diuineq; viuentes, debellatis quodammodo cordibus duris, atque introducta pace iustitiæ, ingens in Ecclesia Christi gloria consecuta est: non in ea tanquam in virtutis suę fine quieuerunt, sed eam quoque ipsam ad Dei glo-

Matt. 25.

Chrysost. hom. 79.

Augustin.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

riam referentes, cuius gratia tales erant; Isto quoque fomite eos quos consulebant ad amorem illius, à quo & ipsi tales fierent, accendebant. Nam ne propter humanam gloriam boni essent, docuerat eos magister eorum, & ne minus prodessent latendo quòd boni erant, demonstrans quo fine innotescere deberent, dixit eis. [*Luceant opera vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est.*] Vnde & Apostolus
1.Thess.2. de se, & de alijs, loquens 1.ad Thessal.2. dicit. Introitus noster ad vos non fuit inanis, sed fiduciam habuimus loqui ad vos Euangelium Dei in multa sollicitudine: neque aliquando fuimus in sermone adulationis, neq; in occasione auaritiæ, neq; quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab alijs. Et ipse de se loquens ad
Rom.15. Rom.15. dicit. Habeo gloriam in Christo Iesu ad Deum: non enim audeo loqui aliquid eorum quæ per me non efficit Christus in obedientiam gentium verbo, & factis, in virtute signorum, & prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti, ita vt ab Ierusalem per circuitum, vsque ad Illiricum repleuerim Euãgelium Christi. Quia ergo Apostoli totum mundum illuminantes in cognitione Dei, & opere bono non sunt corrupti per vanam gloriam, nec vitam, nec scientiam perdiderunt, sed continuè in eis profecerunt: Iccirco bene lux sunt vocati. Vnde & de illis potest dici illud
Sap.6. Sap.6. Non abscondam à vobis sacramenta Dei, sed ab initio natiuitatis inuestigato, & ponam in lucem scientiam illius, & non præterito veritatem.

SVMMARIVM:

Secundò dicti sunt lux quia eorum doctrina recepta in cordibus auditorum, non eos scidit per diuersos errores, sed adunauit in cognitione veritatis: nec eos corrupit diuersis immunditijs vitiorum, sed eos purificauit à sorditie peccatorum, sicut lux corporalis recepta in diaphano non scindit ipsum, nec sordidat, vel corrumpit, sed purificat & emundat: cuius contrarium doctrina philosophica fecit.

XI SEcundò Apostoli dicti sunt lux, quia hominum corda, quę sunt luminis spiritualis receptiua non corruperunt per falsam doctrinam, vel sciderunt per diuersas sectas errorum, sed ipsorum intellectũ & affectum perfecerunt scientia veritatis, & ad vnitatem eos redegerunt: qui prius per diuersos errores à se dissentiebant. Vnde & Apost.
1.Thess.2. 1.ad Thessal.2. dicit. Exhortatio nostra non de errore, neq; de immunditia, neque in dolo, sed sicut probati sumus à Deo, vt crederetur nobis Euangelium: ita loquimur non quasi hominibus placentes, sed Deo qui probat corda nostra. Et
1.Cor.4. 1.ad Corin.1 dicit idem. Obsecro vos fratres per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis scismata: Sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadẽ scientia. Ante enim Apostolicam prædicationem humana doctrina de errore & immunditia, & dolositate erat; De errore quidem, quia non rectè æstimabatur de Deo; de immunditia, quia peccata carnalia quasi pro lege habebantur: de dolo, quia nullus sincerè veritatem quam sciebat, docebat, & in humanis contractibus alter alterum decipiebat; Propter quod & scismata, & diuisiones inter homines erant, quibusdam dicentibus hoc, quibusdam verò non hoc, sed aliud affirmantibus; dicente Chrys. super Ioã. ho. 1. Chrysol.
Inter Philosophos namq; Platonici & Pythagoræi nonnulla inuestigare contendẽtes; Neq; enim aliorum recordandum est, qui in huiusmodi disputationibus perriculi reperiuntur; hi etiam qui apud eos in admirationẽ deuenerunt, & illius scientię habiti sunt principes, hi maximè sunt, qui & Respublicas, & leges condiderunt, in quibus longè magis quàm pueri sunt deridendi; Mulieres enim omnibus communes faciebãt, & alia derisibilia promulgantes, ita vitam suam omnẽ consumpserunt. Et hæc quò ad moralia. Sed quò ad scientialia subdit; Vt autem de anima, doctrinam aliquam afferrent, nihil turpitudinis reliquerunt: Quippe qui, mures, culices, & arbores hominum animas fieri, & Deum ipsam animam esse, & alia quædam huiusmodi turpissimè dixerunt: Et non solum hoc est accusatione dignum, sed quamplurimus eorum sermo Euripus est; Sicut enim qui in Euripo sunt, hûc illûc iactantur, itidem hi nunquã sibi constant, vtpotè incerta & fragili sententia omnia loquẽtes: Et infra; De inuisibilibus multo errauerunt errore, de ineffabilibus disputare volentes: Et quemadmodum cæci & ebrij in ipso errore se inuicem cõscinderunt, & non solum sibi inuicem, sed & sibi ipsis multotiens & de eisdẽ semper trãspositi. Ex quibus patet quòd philosophorũ doctrina fuit de errore quo ad speculabilia; de immunditia quo ad moralia: & de dolositate quo ad humana commertia: & non solum hoc, immo & sibi inuicem, & quandoq; sibimet fuerunt contrarij, non potentes in falsitate imaginata persistere. Idem.
Vnde & Aug. 18. de Ciu. Dei cap. 41. dicit.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Auguſt. In multitudine philoſophorũ qui labore ẽt litterario monimenta ſuorum dogmatũ reliquerunt, facilè quis inueniet, inter quos cuncta quæ ſenſere conueniant: & narratis diuerſis rebus in quibus diſſenſerunt, dicit. Ciuitas diaboli paſſim & ſine vllo iudicio confuſeq; habuit in gremio ſuo tot controuerſias hominum diſſidentium, non de agris, & domibus, vel quacunque pecuniariâ ratione, ſed de ijs rebus, quibus aut miſerè viuitur, aut beatè. Vbi & ſi aliqua vera dicebantur, eadem licentia dicebantur & falſa prorſus, vt nõ fruſtra talis ciuitas myſticum vocabulum Babylonis acciperet: Babylon quippe interpretatur confuſio. Et quia doctrina philoſophorum mentes hominum per errorẽ & immunditiam corrumpebat, multas etiam contrarietates habebat, ideo luci non poterat comparari: ſed Apoſtolorum doctrina non eſt de errore, vel immunditia, nec contrarietatem aliquam in ſe habet. Vnde & idem Chryſoſt. in dicta hom. dicit. Piſcator Ioannes omnia ſine fallacia loquitur, & ſicut in petra ſtans nuſquã circumuertitur. In ipſis enim penetralibus intrare dignus effectus, & omnium dominatorũ in ſe ipſo loquentẽ habens, nil humanum paſſus eſt: ita enim nobis excelſa dogmata, & conuerſationem optimam, & philoſophiam venit portans: qualem decet eum qui ab ipſis loquitur ſancti Spiritus theſauris. Et Auguſt. in prędicto lib. de Ciui. &c. dicit. Illi Iſraelitæ quibus credita ſunt eloquia Dei, nullo modo pſeudo prophetas cum veris prophetis paritate licentiæ confuderunt, ſed concordes inter ſe, atq; in nullo diſſentientes, ſacrarum literarum ab eis agnoſcebantur & tenebuntur auctores: Et ideo eorum doctrina rectè lux eſt vocata, quia mẽtes hominum ipſam recipientium nõ corrupit, ſordidauit, vel ſcidit, ſed perfecit & illuſtrauit: quemadmodum lux corporalis facit in corpore diaphano. Vnde & de ſapientia eorum dicitur Sap. 7. Luci compara. inuenitur prior. Illi enim ſuccedit nox, ſapientiam autem nõ vincit malitia. Attingit autem à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.

Chryſoſt. hom. 1.

Sap. 7.

SVMMARIVM.

Quòd Apoſtoli tertiò dicti ſunt lux, quia Dei gratia & ſapientiæ lumen, quod in eis fuit, continuè propter præſentiam Spiritus ſancti, qui manebat in eis, continuata fuerunt; à quo ſi diſceſſiſſent obtenebrati fuiſſent, ſicut & lux manet in diaphano ſolum ad præſentiam corporis luminoſi.

A TErtio Apoſtoli dicti ſunt lux, quia quemadmodum lux exiſtens in corpore diaphano, non manet niſi ad præſentiam corporis luminoſi: Sic nec eorum charitas & diuina ſapientia, vel prophetia, qua illuſtrabantur eorum mentes, non manebunt in eis niſi ad præſentiam Spiritus ſancti qui loquebatur in eis: & ſapientiam diuinam inſpirabat, & charitatem eorum mentibus infundebat. Quia, vt dicit Auguſt. lib. de natura & gratia, cap. 26. XII

B Ipſe Deus & cum per mediatorem Dei & hominũ hominem Ieſum Chriſtũ, vel ſpiritualiter ſanet ægrum, vel viuificet mortuum, ideſt, iuſtificet impium, cũ ad perfectam ſanitatem, ad perfectam vitam, iuſtitiamq́ue perduxerit, non deſerit ſi non deſeratur, vt piè ſemper, iuſteq; viuatur: Sicut enim oculus corporis etiam pleniſſimè ſanus niſi candore lucis ad intus non poteſt cernere; Sic etiam homo perfectiſſimè iuſtificatus, niſi æterna luce diuinitus adiuuetur, rectè non poteſt viuere. Auguſt.

C Et, vt dicit Gloſſ. ad Hebr. 1. ſuper illud Portanſque omnia. Creatoris omnipotentia cauſſa eſt ſubſiſtendi omni creaturæ, quæ virtus ſi ab eis, quæ condidit regendis aliquando ceſſaret, ſimul omnium rerum ſpecies & natura concideret. Et ſuper illud Dionyſ. 1. cap. cœleſt. hierarch. Omnis luminum proceſſio in nos optimè ac largè proueniens. Iterum vt vnifica virtus reſtituens nos replet, & conuertit ad congregantis patris vnitatem, & deificam ſimplicitatem, dicit Hugo. Lux inuiſibilis in ſe procedens in nos & exiens ad Gloſſ. Dionyſ. Hugo.

D manifeſtationem vacuos inuenit, & inanes à vero bono: & infundens ſe nobis, replet nos ſecundum vniuſcuiuſque noſtram virtutem & capacitatem; & cum repleuerit, conuertit nos vt non diſſidamus à patre, ſed in eadem ſimilitudine & imagine reſpiciamus ad ipſum. Ex quibus clarè patet quòd dona diuinæ ſapientiæ & gratiæ, tàm diu in nobis manẽt, quàm diu Deus noſtram mẽtem illuminat, & noſtra mens ad ipſum eſt conuerſa: Sicut & lux tàmdiu manet in aere, quàmdiu nullũ eſt

E obſtaculum impediens aſpectum Solis illuminantis ad ipſum aerem illuminatum. Vnde & quando Chriſtus nõ reſpexit Petrum, ſtatim cecidit in peccati tenebroſitatem, & poſtea quãdo Dominus eum reſpexit, fugatis tenebris peccati, illuſtratus à Chriſto ad lumen iuſtitiæ redijt. Vnde Ambr. 9. lib. ſuper Luc. cap. 22. dicit. Denique Ieſus reſpicit. Negauit primò Petrus, & non fleuit, quia non reſpexerat Ieſus: negauit ſecundò, non fleuit quia adhuc non reſpexerat Dominus: negauit Ambroſ.

tertiò, respexit Iesus, & ille amarissimè fleuit. Respice Domine Iesu, vt sciamus nostrum deflere peccatum, lauare delictum. Et Leo 9. ser. de Passione Domini dicit. Dominus Iesus qui intra pontificale cõsiliũ solo corpore tenebatur, trepidatione Discipuli foras positi diuino vidit intuitu; & pauentis animi mox vt respexit erexit, & in fletus pœnitudinis incitauit. Et Apostolus de se, & alijs dicit. Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra à Deo est 2. ad Corint. 3. Quia ergo nec in statu virtutis, nec in diuinorum cognitione manserũt Apostoli, nisi tamdiu, quamdiu fuerũt illuminati à Christo, donis sapiẽtiæ, & gratiæ; Ideo rectè lux sunt dicti, quæ non manet in diaphano, nisi ad præsentiam corporis luminosi. Vnde & Ioan. 11. dicit, Quamdiu sum in mundo lux sum mundi.

Leo.

2. Cor. 3.

Ioan. 11.

SVMMARIVM.

Quartò dicti sunt Apostoli lux, quia infra breue temporis spatium, totum mundum, Christi doctrina repleuerunt; sicut lux subitò totum emysperum illuminat, & circumquaque se diffundit.

XIII QVartò Apostoli dicti sunt lux, quia quemadmodum lux emissa à Sole, totum emysperum in istanti replet, & circumquaque diffunditur: Sic Apostoli à Christo illuminati totũ mundum, subitò, & infra modicum tempus Christi Euangelio repleuerũt: In omnem terram enim exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Vnde valde velocitèr sermo Christi per prædicationem eorum cucurrit, propter quod, & Chrysostom. hîc dicit in homil. Intelligite quàm magna promittit Apostolis, qui neque in regione propria cogniti erant, & tamẽ terra & mare eos cognoscerẽt, & ad fines orbis terrarum veniret eorum fama, imò nõ fama; sed beneficij energia, id est, actus; nec enim fama ferens vbique manifestos eos fecit, sed demonstratio ipsa quæ est per opera, quemadmodum enim alati effecti, radio validius in terram vniuersam cucurrerunt, seminantes pietatis lumen. Vnde de istis potest dici quòd habetur Abacuch 3. Sol, & Luna steterunt in habitaculo suo, in luce sagittarũ tuarũ ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ. Et de domino cuius radij Apostoli fuerunt, dicitur Malachiæ 4. Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius. Isti enim sunt qui vt nubes volant, & quasi columbę ad fenestras suas. Isa. 60. Et Paulus de se dicit, Ab Hierusalem per circuitum vsque ad Illiricum repleui Euãgelium Christi. Dati sunt enim in lucem gentium, vt sint salus Christi, vsque ad extremum terræ.

Psal. 18.

Chrysost. hom. 15.

Abac. 3.

Malac. 4.

Isa. 60.

Rom. 15.

SVMMARIVM.

Quintò Apostoli dicti sunt lux, quia nec ipsi potuerunt corrumpi, vt veritatem, quam sciebant non prædicarent, nec defędari per criminationes, vel tormenta, nec eorum doctrina potuit corrumpi, nec fędari; sicut lux non corrumpitur, ab aliquo, nec fędatur.

QVintò dicti sunt lux, quia quemadmodum lux, non potest corrumpi, nec fędari ab aliquo: ita nec Apostoli, vel eorum doctrina potuit corrumpi, nec defędari ab aliquo. Imò quantò magis homines conati fuerunt ad corrumpendum eos, vt desisterent à prædicatione Christi, & defędare eos, per diuersa genera tormentorum, & criminationum: tantò magis firmi fuerunt, & constantes ad prædicandũ nomẽ Christi, & clari redditi sunt per persecutiones, quas pro domino protulerunt. Vnde & Apostolus dicit: quòd illa quæ contra eum facta fuerant ad profectum venerunt Euãgelij: ita, vt vincula eius manifesta fierent in Christo in omni prætorio, & in cęteris omnibus: ita, vt plures de fratribus in domino, confidentes in vinculis meis (ait) ábũdãtius auderent sine timore verbũ Dei loqui; ad Philip. 1. Et mors Petri, dicitur Dei clarificatio. Ioan. vlt. Doctrina etiam eorum, qua illuminati fuerunt, corrumpi non potuit, nec fędari, nec etiam includi, quantumcunque homines ad hoc fuerunt conati; sed semper, quãtò magis fuit attemptata, tantò magis permansit integra, sana, clara, & semper fuit magis diffusa. Dicente Hylario 7. de Trinitate. Magna vis est veritatis, quæ cum per se intelligi non possit, per ea tamen ipsa quæ ei aduersantur, elucet. Vt in natura sua immobilis manẽs, firmitatem naturæ suæ quotidie, dum attemptatur acquirat: hoc etenim Ecclesiæ proprium est, vt tunc vincat, cum laeditur: tunc intelligatur, cũ arguitur: tunc obtineat, cum deterritur. Et August. lib. de vera religione cap. 6. Catholica Ecclesia per totum orbem validè, lateq; diffusa, omnibus errantibus vtitur ad profectus suos: Vtitur enim gentibus ad materiam operationis suæ: hæreticis ad probationem doctrinæ suæ; sciſmaticis, ad documentum stabilitatis suæ: Iudęis ad com

Philip. 1.

Ioan. vlt.

Hylar.

August.

parationem

paratione pulchritudinis sue. Et 18. lib. de ciuitate Dei, cap. 51. dicit idem. Inimici omnes Ecclesiæ quolibet errore cęcentur, vel malitia deprauentur: si accipiant potestatem corporaliter affligendi, exercent eius patientiam: si tantummodo malè sentiendo aduersentur, exercęt eius sapientiam: vt autem etiam inimici diligantur, exercent eius beneuolentiam, aut etiã beneficętiã, siue suasibili doctrina cũ eis agatur, siue terribili doctrina vel disciplina. Ac per hoc Diabolus princeps impiæ ciuitatis, nihil ei nocere permittitur. Idem. 2. Tim. 2. Vnde & Apostolus 2. ad Timot. 2. dicit, ꝙ verbũ Dei non est alligatũ. Et Sapiętiæ 7. Sap. 7. dr̃ de sapiętia. Sapientia emanatio quędã est claritatis omnipotętis Dei syncera, & ideo nihil inquinatũ in illã incurrit. Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius. Et Chrysost. hic dicit in hom. Chrysost. hom. 15. Non poterunt accusationes obumbrare vestram claritatem, si vos fueritis cum diligentia manentes, vel viuentes. Et infra. Idem. Nihil ita insignem hominem facit, vt virtutis demõstratio: quemadmodum enim radijs circumamictus ita clarus lucet, vt non in terra cãdores emittit, sed supra ip sum cęlum etiã proprio fulgore radiabit.

SVMMARIVM.

Sextò Apostoli dicti sunt lux, quia calore spirituali, idest charitate, homines frigidos per iniquitatem accenderunt, ad Dei & Christi dilectionem, & bonorum operum fructificationem, sicut lux solis calefaciendo germinare ↪ plantas facit, & fructus proferre ↪.

XV Sextò Apostoli dicti sunt lux, quia quẽadmodum lux cęlestis causat in his inferioribus calorem, & germinare facit virentia: ita prædicatio Apostolorum causauit in hominibus mundi per malitiam frigidis, spiritualem amorem, quo calefacti, incipiunt virtutum germina producere, qui priùs steriles erãt in omni bono opere. De impijs enim dicitur Eccl. 43. Eccl. 43. Frigidus ventus Aquilo flauit, & gelauit crystallus ab aquis. Et Iere. 6. dicitur. Sicut Iere. 6. frigidam facit Cisterna aquam suam, sic frigidam fecit malitiam suam. Contra hanc frigiditatem malitiæ, verbum Domini, quod est lucerna, & lumen, vt dicitur in Psal. per Apostolos prædicatum calefaciendo dissoluit, iuxta illud Psal. Mittit crystallum suam sicut bucellas, ante faciem frigoris eius quis sustinebit? Emittet verbum suum, & liquefaciet ea, flabit spiritus eius, & fluent aquæ. Quod exponens Cassiodorus dicit. Obstinati peccatores crystallo meritò comparãtur, qui algore perfidiæ constricti, per dies singulos congelescunt; sed veniente verbo, nulla obscuritas, nullum frigus, nec ipsa quoque duritia desperari debet, nam non est qui se abscondat à calore eius. Nam spiritu eius quasi austrino flatu duritia periculosi frigoris euanescit, dum acerui scelerum dissoluti, in humilitatis gratiam tabida colla deponunt, & in liquores saluberrimos aducti, spiritualis beneficij fluenta perfundunt: Sic factum est de persecutore Saulo: Sic fit hodie de plurimis, vt qui modò sunt obstinata volũtate sicci; postea fiãt fluxu prędicationis irrigui. Vnde & Saulus, qui frigidus erat per malitiam, obstinatè persequens sanctos; quãdo conuerti debuit, eũ lux de cęlo circumfulsit. vt patet Act. 9. Vt sic eius frigiditas malitiæ per lucem donorum cęlestium calefacta, dissolueretur: Quemadmodũ enim Sole abscedente à Zenyt capitis nostri, frigus multiplicatur, & plantę quasi incipiũt emori; & cum reuertitur calor dissoluens congelata, & in aere multiplicatur, plantas quasi reuiuiscere, & plaudere facit; Sic verbo domini, quo illuminati fuerũt Apostoli abscedente, homines frigidi per malitiam fiunt, & steriles in bonis operibus: & adueniente verbo Dei, incipiunt calefieri, & in bonis operibus abundare. Et de hac lucis proprietate potest accipi quod habetur 2. Macha. 1. Tempus affluit 2. Mach. 1. quo sol refulsit, qui erat prius in nubilo, & accẽsus est ignis magnus, ita, vt omnes mirarentur.

Cassiod. Psal. 18. Act. 9.

SVMMARIVM.

Septimò Apostoli dicti sunt lux, quia licet haberent diuersas gratias, tamen à radice Spiritus sancti à quo acceperant, vnum erant; & vnum inter se & Deum erant per charitatis amorem, & per vnius Sancti spiritus participationem: qui eos vnum corpus Christi effecit, sicut lux licet multiplicetur in radijs, & in diuersis susceptibilibus diuersa operetur, tamen in Sole vna est, & omnia in quibus insidet, facit esse vnum in claritate ↪.

XVI Septimò Apostoli dicũtur lux, quia sicut lux solaris est vna, licet per diuersos radios multiplicetur, dicẽte Hugone super primum cap. cęlestis Ierar. In eo lumine vnũ sumus, & est vnitas in vna similitudine, in vno lumine, in vna claritate, & vnum illuminans, & lucens lumen: Sic & diuinum lumen Apostolorum mẽtibus illapsum, vnum in se fuit, & vnum eos fe-

Hugo.

cit,

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

cit, quo ad intelligendum diuina & amandum ipsa: licet in eis propria dona, & distincta causauerit. Quia vt dicit Apostolus 1. ad Corint. 12. Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatē; alij quidē per spiritū datur sermo sapientię, alij sermo scientię, & sic de alijs distinctis donis, quæ in diuersis, diuersa sunt, vt enim ibi dicit Glos. Non omnia dona sua Deus vni tribuit, sed in omnibus omnia operatur, vt quod non habet quis in se, habeat in alio, & sic maneat charitas, & humilitas: si enim humilis es, & amas vnitatē, tibi habet quisquis in illa habet aliquid: tolle inuidiā, & tuū est, qđ habeo: liuor separat, charitas iūgit, sic inhumano corpore oculus solus videt, sed non sibi soli. Licet ergo, sint diuersa dona in Sanctis, tamē non propter hoc est, quia inter se sint vnum, quia Spiritus sanctus vnus existens, eos inter se vnit, & Deo Patri, & Filio, cū quibus ipse vnū est vnit, vt iam non sint multi; sed vnum. Cuius vnionis causam assignans Apostolus prædicto cap. dicit. Omnes nos in vno spiritu, in vnū corpus baptizati sumus, siue Iudei, siue Gentiles, siue serui, siue liberi, & oēs in vno spiritu potati sumus. Vbi dicit Glos. Ostendit quomodo corpus Christi vnum sit, ideſt quomodo omnes fideles vnum sint, per hoc enim vnum sumus, licet simus diuersi conditione, quòd baptizati, ideſt abluti in vno spiritu, ducti sumus in vnum corpus, vt quemadmodum totum corpus hominis, vna anima vegetatur, & facit quòd omnia sint vnum corpus, ita vnus spiritus, facit omnia, vnum scilicet in mēbris corporis Christi: & etiam per hoc sumus vnum corpus; quia sumus potati in acceptione diuersorum donorum Spiritus sancti, in vno Spiritu qui omnia dona ad vnum efficiendum dirigit: Vnde & Dominus de hoc patrem rogauit Ioan. 17. Vnum sint, sicut & nos vnum sumus, ego in eis, & tu in me vt sint consummati in vnum. Quod exponens Hilarius 8. de Trinitate dicit. Fidem teneo, atque causam vnitatis accipio; sed nondum apprehendo rationem, quia vnum omnes sumus, quia & in Christo pater, & Christus in nobis est: & quia in Christo pater, & Christus in nobis est, vnum Deū qui vera lux est in se habuerunt, & inter se, & Deum vnum lumen fuerunt: licet in quolibet eorū aliter hoc lumen operaretur; quemadmodum, & solares radij licet propter diuersa susceptibilia, sint diuersi, & diuersa operentur indiuersis, tamen in sole vnum sunt, & vnum faciūt illa, quibus insident in claritate, propter quod recte lux sunt vocati. Vnde Augustin. in principio Psal. 11. dicit. Veritas vna est, qua illustrantur animæ; sed quia multæ sunt animæ in ipsis, multæ veritates dici possunt, sicut ab vna facie multæ in speculis imagines apparent. Et Sap. 7. dicitur de sapiētia, quæ est lux spiritualis animarū. Cum sit vna, omnia potest, & in se permanens innouat omnia, & per nationes in animas sanctas se transfert: amicos Dei, & Prophetas constituit.

SVMMARIVM.

Octauò Apostoli dicti sunt lux, quia mediantibus ipsis, per eorum ministerium totus mundus illuminatus est, & bona opera est operatus, sicut sol mediantibus radijs suis, mundum inferiorem illuminat, & germinare facit.

OCtauò dicti sunt Apostoli lux, quia per ipsos, Christus totum mundum illuminauit, & ad virtutē, & omne opus bonum perduxit, sicut & corpus cęleste mediante lumine agit, quicquid agit in istis inferioribus. Vnde & Remig. hic dicit. Dominus dicitur lux, & sol, & Apostoli eius lux mundi vocantur, quia sicut sol radios suos dirigit ad expellendas tenebras: ita Dominus Apostolos suos misit ad effugandas tenebras infidelitatis de cordibus humani generis. Vnde Dominus lucernam Apostolorum accendit, vt dragmam perditam humani generis inueniret: & euertit domum, ideſt mentes hominum mundanorum, per prædicationem eorum, quousque inuenti fuerint, & restituti ipsi Deo, à quo per peccatum recesserant. Vnde & Christus rogat patrem pro Apostolis dicens. Non pro eis rogo rātum, sed pro eis qui credituri sunt per verbum eorū in me. Quod exponēs Glossa dicit. Per verbum eorum, ideſt Apostolorum, credituri sunt in me vsque ad finem mundi, vel iam credunt vbicunque sunt. Et alia Glos. ibi dicit. Per verbum eorum, ideſt per verbum Euangelij, quod eorum est, non quòd per eos tantū fit prædicatū: sed & per Paulum, & alios quoslibet, sed quia eis primò, & principaliter cōmissum fit ad prædicandum. Vnde & illi sunt illi, quibus Dominus dixit Io. 15. In hoc clarificatus est pater meus, vt plurimum fructum afferatis, & efficiamini mei discipuli. Et quia per eorum prædicationem mundus est conuersus ad Christum, & omnia bona quæ sunt in omnibus, à Christo mediantibus ipsis accepit; iccirco benè radij, & lux Christi sunt dicti. Vnde Eccl. 43. dicitur. Sol tripliciter exurens

montes, radios igneos exufians,& refulgens, excęcat oculos: Chriſti enim Euangelium primò fuit inſpiratum Chriſti diſcipulis, vt per eos alij illuminarentur, di- 2.Cor.4. cente Apoſtolo 2.ad Corint.4. Deus,qui dixit de tenebris lumen ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris; quia ſe qui eſt lumen, nobis infudit, vt illuminemus alios per ſcientiam, ideſt de ſcientia Dei; & ſi omnes per iſtos radios illuminati nō fuerunt,non fuit eorum culpa,nec Euangelij, ſed eorum peruerſitas fuit cauſa, quod Chriſti Euangelium, non illuxit in cordibus eorum, dicente Apoſtolo, præ- Idem. dicto cap. Si opertum eſt Euangelium noſtrum in ijs qui pereunt, eſt opertum, in quibus Deus huius ſęculi excęcauit mentes infidelium, vt nō fulgeat illuminatio Euangelii gloriæ Chriſti. Et Damaſcenus Damaſc. 4.lib.cap.4.dicit. Pauci,nudi,pauperes,& illiterati, perſecuti, verberati, mortificati, crucifixum carne, & mortuum prædicantes,ſapientibus,& potentibus præualuerunt, ſequebatur enim eos crucifixi omnipotens virtus.

SVMMARIVM.

Nonò Apoſtoli dicti ſunt lux, quia per eos legis veteris obſcuritas & tenebroſitas eſt clarificata, vt poſſet oſtendere pulchritudinē ſuam: ſicut luce adueniente tenebræ noctis, in qua omnes colores confuſi ſunt, nec ſuam claritatem oſtendere poſſunt, ſuam pulchritudinem manifeſtant virtute ipſius luminis.

XVIII NOnò dicti ſunt lux quia ſe & alia oſtēderunt, & omnia pulchra reddiderunt,& proprios colores eorum oſtenderunt: quemadmodū & lux ſe & alia oſtendit, & pulchritudines proprias rerū aliarum oſtendere facit, dicente Maximo in Pſal.21. expoſitione Pſal. 21. Reſoluta caligi- Maxi. num cęcitate, rebus cunctis facies quædam ac lumen infunditur adueniente hora matutina: & cum veluti ſub vna materie tenebrarum mundus in confuſione iacuerat, interueniente matutino diuerſarum ſpecierum, varietates diſtinguuntur; hoc eſt, cum omnia cęca fuerint, oculi omniū reparātur. Ante enim prædicationem Apoſtolorum tenebræ erant ſuper faciem legis, & velamen poſitum ſuper Moyſi legem, vt dicit Apoſtolus 2.Cor.3. Propter 2.Cor.3. quod pulchritudinem ſpiritualem quam lex habebat, non poterat demōſtrare, immo & ſi aliquibus fuit demonſtrata ſicut Moyſi, quod ſignificat claritas vultus eius, tamen aliis non poterat eam exprimere, quia eam capere non valebāt, in tenebris mente manentes; propter quod & velamen in faciem Moyſi, quādo ad populum egrediebatur, poſitum fuit, vt patet Exo. 34. Sed adueniente Domino qui lux eſt, & ſcripturas Diſcipulis aperiēte, quando aperuit eis ſenſum poſt reſurrectionem vt intelligerent ſcripturas, vt patet Luc. vltimo, dicta tenebroſitas diſceſſit, & lex Moyſi ſuum proprium colorem oſtendit. Vnde & Apoſtolus ad Hębreos 10. Legem veterem cōparat vmbræ, legem vero nouam imagini: Quia (vt ibi dicit Gloſſa) vt in pictura yſquequo ponat quis colores vmbra quędam eſt, linearum enim pertractio vmbra quædam eſt non imago, cum vero flores ipſorum colorum quis impoſuerit, tunc imago efficitur. Et quia lex vetus vmbra quædam erat, obſcurè diuina manifeſtans, vt imago efficeretur, indiguit quòd lumine Euangelii formaretur & illuſtraretur, vt ſuam pulchritudinem haberet, ac etiam oſtenderet, quod factum fuit per illuminationem Apoſtolorum, qui legem veterē illuminauerunt. Vnde & Apoſtolus 2.ad Timo. 1. loquens de Euangelio dicit. Quòd gratia Dei manifeſtata eſt per illuminationē Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui deſtruxit quidem mortem, illuminauit autem vitam & incorruptionem per Euangeliū in quo poſitus ſum ego prædicator & Apoſtolus & magiſter gentium. Et Maximus in ſer. ſuper Pſal. 21. dicit. Apoſtolus inquit lex ſpiritualis, eſt & ſpiritualibus ſpiritualia comparāda ſunt, ſolem hic ſolem iuſtitiæ arbitror deſignari, hoc eſt Dominum Ieſum Chriſtum, qui nobis ignorantiæ tenebris & peccatorum cęcitate ſubmerſis, cœleſtis doctrinæ ſuæ lumen infudit; & quos non habebamus oculos cordis inſeruit, & velut radios quoſdam Apoſtolos ſuos miſit, qui nos de nocte teterrima liberarēt, & præceptis ſimplicioribus erudirent: quo capaciores efficeremur cœleſtiū ſecretorū. Vnde & 2.Reg.23. dicitur de huiuſmodi luce. Sicut lux aurorę oriēte ſole mane abſque nubibus rutilat, & ſicut pluuiis germinat herbas de terra. 2.Reg.23.

Exo. 34. Luc. vlt. Heb.10. Gloſ. 2.Timo.1. Maxi.

SVMMARIVM.

Decimò Apoſtoli dicti ſunt lux, quia denſiſſimas tenebras infidelitatis & idolatriæ, in quibus homines mundi fuerant, ſua prædicatione fugauerūt: ſicut lux ſolis adueniens, denſiſſimas tenebras noctis fugat, & aerem claro lumine illuſtrat.

XIX DEcimò Apoſtoli dicti ſunt lux, quia ſicut lux tenebras diſſoluit & fugat,

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

sic per prædicationem Apostolorum, infidelitatis tenebræ, ab hominum cordibus fugatę. Ante eorũ enim prædicationẽ, per totũ mũdum tenebræ erant, super faciem abysi, ideſt infidelitas ſuper hominũ corda; quando deſerto creatore, adorabatur & ſeruiebatur creaturæ: qua tenebroſitate mentis, nulla maior excogitari poteſt, cum creatura nobiliſsima, rebus inferioribus ſe, vel à ſe factis, ſe per ſeruitutem ſubijciebat. Vnde & Apoſtolus Rom. 1. Rom. 1. dicit. Obſcuratum eſt inſipiẽs cor eorum, & dicẽtes ſe eſſe ſapiẽtes, ſtulti facti ſunt: & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium; Vbi dicit Gloſ. Gloſ. Ecce quomodo obcęcatum eſt cor illorum, vt videlicet maieſtatẽ inuiſibilis Dei, quẽ ex creaturis agnouerant, non in hominẽ, ſed (quod peius eſt & inexcuſabile crimen) in ſimilitudine, hoc eſt in ſimulachris hominũ immutarent, vt forma ideſt figura corruptibilis hominis, Deus vocetur ab eis. Quanta hebetudo, quãta ſtultitia eſt eorum, apud quos plus poteſt imago, quàm veritas, & potẽtiores ſunt mortui quàm viui? Hæ autem tam denſæ tenebrę humanæ mẽtis, per lumen Apoſtolorum fugatę ſunt, quia ſeminata & publicata per eos veri Dei natura, vbique idolatria eſt deſtructa, quod nunquam facere potuit, cuiuſcunque alterius prædicatio: cum & viuente Moyſe populus vitulum fecerit, & Exo. 32. 3. Reg. 11. Salomone regnãte templa idolis fuerint fabricata: Et Philoſophi qui cognoſcebãt tantam veſaniam populi, & in ſcholis hæc docebant, idolaq; in tẽplis adorabant; ſed Apoſtolis prædicantibus, idola corruerũt & iam non ſunt non ſolum apud chriſtianos, ſed nec etiam apud gentes. Vnde & Damaſ. Damaſcenus 4. lib. cap. 4. dicit. Quòd Chriſtus, ad Dei cognitionem nos vocãs, & erudiens per obedientiam & humilitatem luctari aduerſus tyrannum docuit, denique dęmoniorũ cerimonię delubra, & templa idolorum deſtruuntur, Dei cognitio plãtatur, trinitas, quæ homouſion, ideſt conſubſtantialis & increabilis deitas veneratur, vnus Deus verus, cõditor vniuerſorum & Dominus cognoſcitur. Et Auguſt. Auguſt. 18. de ciuitate Dei cap. 50. dicit. Per ipſos Apoſtolos, & poſt eorũ obitum per poſteros eorum, inter horrendas perſecutiones & varios cruciatus, ac funera martyrum, prædicatum eſt toto orbe terrarum Euangelium: vt populi gentiũ credentes in Chriſtũ, ſanguinem martyrum, quẽ diabolico furore fuderũt venerarent: ipſiq; reges, quorũ legibus vaſtabatur Ecclesia, eius nomini ſalubriter ſubderẽtur: quod de terra crudeliter auferre conati ſunt, & falſos Deos inciperent perſequi, quorum cauſa, cultores veri Dei fuerant atrociter perſecuti. Vnde & Apoſtolus ad hoc ſe miſſum eſſe à Chriſto dicit, vt aberrore tam horrendo, conuerterentur homines ad veram lucem, Actu. 26. Actu. 26. Ad hoc apparui tibi, vt conſtituam te miniſtrum aperire oculos gentium, vt conuertantur de tenebris ad lucem, & de poteſtate Sathanæ ad Deum. Et Remigius hîc dicit. Remig. Sicut ſol radios ſuos dirigit ad expellendas tenebras noctis, ita Dominus Apoſtolos ſuos miſit, ad effugandas tenebras infidelitatis generis humani. Et Gloſ. hîc dicit, Lux tenebras diſſoluit, & poſtea illuſtrat. Sic Apoſtoli depulſis vitijs, deducunt ad lucem fidei, & cognitionis Dei. Gloſ.

SVMMARIVM.

Vndecimò Apoſtoli dicti ſunt lux, quia eorum doctrina, omnis boni lętitia ſpirituali ſunt repleti ſicut lux lætificat oculos ſanos.

VLtimò Apoſtoli lux ſunt dicti, quia ſicut lux omnia ſentientia lætificat, ſic etiã eorum doctrina omnes rẽcti corde, & ſapientes ſunt lætificati: Quemadmodum & Simeon tenens lumen (quod Chriſtus eſt) inter brachia, lætus dixit. Cant. Simeo. Nunc dimittis ſeruum tuum in pace; quia viderunt oculi mei ſalutare tuum: lumen ad reuelationem gentiũ. Antequam enim Chriſtus in mundo clareſceret, nõ gaudio ſed triſtitia Sancti repleti erant, dicentes illud Thobię 5. Thob. 5. Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cœli non video? Sed cum Apoſtoli Chriſti doctrinam inceperunt prędicare, totũ mundum quò ad ſanctos gaudio repleuerũt, iuxtà illud Prouer. 15. Prou. 15. Lux oculorum lætificat animam. Quia ergo prædictæ lucis corporalis proprietates, ſpiritualiter in Apoſtolis reperiuntur: iccirco rectè Apoſtoli lux à Domino ſunt vocati.

SVMMARIVM.

Diſtinguitur de multiplici acceptione mundi, vt oſtẽdatur cuius mũdi Apoſtoli dicti ſint lux.

SEd cuius rei ſint lux, oſtendit cum dixit. [*Vos eſtis lux mundi.*] Per mundum autem poteſt intelligi, vel tota creatura corporalis, quæ mundi nomine nuncupatur, & hoc modo ſol corporalis lux mũdi vocatur, quia ſua luce totum corporalem mũdum illuminat, & ſic Apoſtoli non vocantur

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

cantur lux mundi, dicente Auguſt. 1. lib. de ſermo. Domini in monte. Quomodo dixit eos ſuperius Sal terræ, ſic nũc dixit eos lumen mũdi: nam neque ſuperius iſta terra accipienda eſt, quam pedibus corporeis calcamus, ſed homines qui in terra habitant; & hunc mundum, non cœlum & terrã, ſed homines qui ſunt in mundo, vel diligunt mundum oportet intelligi, quibus illuminandis Apoſtoli miſsi ſunt. Sic ergo per mundũ intelliguntur vel homines omnes generaliter mundi, vel ſolum dilectores mundi, vel iuſti qui de mundo ſunt electi. Vnde Gloſ. hîc dicit. Nomine mundi vel vniuerſi homines, vel qui ſunt de mundo electi accipiũtur. Vnde de prima acceptione mundi habetur Marci vlt. Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euãgelium omni creaturæ. De ſecunda acceptione mundi habetur Ioan. 15. Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit: ſed quia de mũdo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. De tertia dicitur Ioan. 6. Panis quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita; Et Ioan. 3. Sic Deus dilexit mũdum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitã ęternam.

Auguſt. Gloſ. Marc. vlt. Ioan. 15. Idem 6. Idem 3.

SVMMARIVM.

Quòd ſi mundus accipiatur generaliter pro omnibus hominibus mundi, tunc Apoſtoli dicti ſunt lux mundi, quia doctrina eorum per eos, & eorum ſucceſsores, ad omnes homines mundi peruenit, vel peruenta eſt: propter quod oportuit, quòd eorum doctrina eſſet clara, & inexpugnabilis.

XXII

CVm ergo mundus accipiatur pro vniuerſitate omnium hominum, vel pro omnibus dilectoribus mundi, vel pro ſanctis electis de mundo, vtroq; modo poteſt exponi quod dicitur. [*Vos eſtis lux mundi.*] Si enim accipiatur mundus pro toto genere hominum, tunc eſt ſenſus, quòd Apoſtoli fuerunt illuminatores in fide & moribus omnium hominum: quia vel eorum prædicatio peruenit ab ore eorum ad omnes gentes, vel peruenit eorum doctrina per eorum ſucceſſores ad omnes gentes, vel peruenta eſt, vnde & infra Dominus dicit. Prędicabitur hoc Euãgelium regni, in vniuerſo orbe, in teſtimoniũ omnibus gentibus, & tunc veniet conſummatio. Vnde Augu. in Epiſt. ad Heſychium dicit. Quod putat tua venerabilitas iã per vniuerſum mundum Euangelium per Apoſtolos prædicatum, non ita eſſe certis documentis probaui. Sunt enim apud nos, (hoc eſt in Aphrica) innumérabiles gẽtes, in quibus nondum eſſe prædicatum Euangelium ex ijs qui ducuntur inde captiui, & Romanorũ ſeruitijs iam miſcẽtur, quotidie nobis addiſcere in promptu eſt. Et infra. In quibus igitur gentibus nondũ eſt Eccleſia, oportet vt ſit, nõ vt omnes qui ibi fuerint credãt, ſed vt aliqui de omnibus. Quia ergo vel per Apoſtolos, vel per illos qui doctrinam Chriſti acceperunt ab eis, Euangelium Chriſti per totum mundum eſt prædicatum, vel prædicabitur in futurum: iccirco Apoſtoli lux ſunt mundi vocati, quia non docuerunt vnam ciuitatem, ſed totius mundi Doctores & illuminatores facti ſunt; propter quod lux mundi ſimpliciter vocantur: & hoc modo exponit hîc mundum Chryſoſt. in hom. dicens. Deinde ad aliud excelſius eos ducit exemplum dicendo [*Vos eſtis lux mundi.*] Rurſus mũdi, nõ gentis vnius, neq; viginti ciuitatũ, ſed orbis vniuerſi; & lux intellectualis, radijsq; Solis hęc multo melior. Et infra. Intellige quã magna promittit ijs qui neque in regione propria cogniti erãt, quoniam terra & mare eos cognoſcet, & ad fines orbis terrarum fama eorum perueniet. Ex hoc autem Apoſtolorum multum excellentia magiſterij commẽdatur: tãtò enim magiſter eſt dignior & melior, quantò ad plures eius doctrina peruenit; Bonum enim ſui diffuſiuum eſt, & quanto ad plures diffundi poteſt tanto maius bonum eſt. Quia ergo doctrina eorum non fuit coangustata ad paucos, ſed ſe diffudit ad omnes: iccirco maxima excellentia doctrinæ in eis eſſe ſignificatur; Non enim vt Moyſes & Prophetę ad vnum populum docendum miſſi ſunt, ſed totum mundum docuerunt; neq; vt Philoſophi paucos diſcipulos pro diſcipulis habuerunt. Vnde Damaſcen. lib. 4. cap. 4. dicit. Non enim vt per Moyſen populum vnum ex Aegypto, & Pharaonis ſeruitute mare diuidens ſaluauit, ſed magis humanitatem omnem, ex corruptione mortis, & amara tyrannide peccati exemit. Non violentia ducens ad virtutem, non terra ſuffodiens, igne cõburens, aut lapidare præcipiens peccantes, ſed manſuetudine, & magnanimitate, hominibus ſuadens diligere virtutem, & pro illa certare in laboribus, & delectari. Et Chryſ. ho. 1. ſup Io. dicit. Syri & Aegyptij, Indi, & Perſæ, Aethiopes, & infinitæ aliæ gentes in ſuã tranſmutantes linguã, ea, quæ ab iſto piſcatore, ſcilicet Ioanne, introducta ſunt dogmata, didicerunt homines barbari philoſophari. Vnde theatrum factum eſt eĩ omnis orbis terrarum,

A B C D E

Idem. Chryſoſt. hom. 15. Idem. Dionyſ. Damaſc. Chryſoſt. hom. 1.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

neque caligine aliqua occultabat ſuam doctrinam ſicut faciebant philoſophi, ſed ea dogmata, quæ ſunt huius piſcatoris, ſolis radiis, ſunt manifeſtiora. Ex hoc etiam patet hanc doctrinam eſſe clariſsimam, quia omnibus hominibus proponi debebat, quam homines nõ intellexiſſent communitèr omnes, niſi clara & manifeſta fuiſſet: cum multi inter homines ſint rudes, & tardi ingenij, ac in neceſsitatibus vitæ occupati. Propter quod & idem Idem. Chryſoſt. in prædicto loco dicit. Abijciens ſathanicam infirmitatem, & lęſionem quæ erat ex caligine & tenebroſitate ſcripturarum veterum, tantam in ſuis verbis immiſcuit facilitatẽ, vt non ſolum viris prudentibus, ſed & mulieribus, & iuuenibus ſint omnia quæ dicuntur manifeſta. Ea enim & vera eſſe & vtilia audituris omnibus confirmauit; quod omnia poſt illum ſecula teſtimonia perhibent. Vniuerſum namque ad ſe orbem attraxit. Cum enim ipſa ſit propoſita omnibus hominibus, inter quos multi valdè ſapiẽtes erãt, & clarè & manifeſtè fuerit propoſita, cum illi ſapientes viderent dictam doctrinam eſſe aduerſam doctrinę ipſorum, ſuum conatũ fecerunt vt eam impugnarent, quam tamen expugnare non potuerũt; Eſt enim hominis prudentis prudẽtia huius mũdi, quòd ſi videt ſuam doctrinã eſſe expugnabilẽ, quòd vel paucis, (quos præcipuè ſcit eſſe eiuſdem opinionis) eam reuelet; vel ſi timet quòd eius doctrina ad multos perueniat, obſcuritatibus, & dubijs locutionibus eam inuoluat, vt vel non intelligatur, vel ſi intelligatur, per ambiguitatem ſenſuum ab vno ſic dicatur, & ab alio aliter, ſicut ſatis patet in libris philoſophiæ. Sed quando doctrina omnibus proponitur, & in ſe eſt clara, & manifeſta, & non poteſt ab aliquo expugnari, ſignũ eſt euidẽs quòd doctrina illa, nullam falſitatem Idem. habet admixtam. Vnde & Chryſoſto. vbi ſupra dicit. Diuinę & cęleſtes ſunt doctrinæ hæ, quæ per diuinam animã ad nos venerunt: non enim ſonitum verborum, neque dictionis facetum, neque nominum & verborum ornatum, & expoſitionẽ hîc ſuperfluam & inutilem videbimus; ſed fortitudinem inexpugnabilem & diuinã, & dogmatum ſacrorum immachinabilem virtutem, & infinitorum bonorum exhibitionem. Quia ergo hæc doctrina Apoſtolorum fuit omnibus hominibus propoſita, & in ſe clara & manifeſta, & inexpugnabilis in ſe ipſa: manifeſtum eſt quòd Apoſtoli eam habentes & docẽtes, lux totius mundi dici potuerunt. Vnde Coloſſ. 1. & Apoſtolus ad Coloſſ. 1. dicit. Audiſtis F in verbo veritatis Euãgelii à nobis, quod peruenit ad vos, ſicut & vniuerſo mũdo, & fructificat & creſcit.

SVMMARIVM.

Quòd ſi mundus accipiatur pro mundi dilectoribus; ſic eſt ſenſus, quòd ſi huiuſmodi dilectores perſeuerare voluiſſent vſque in finem, in tali mundi dilectione, lux doctrinæ apoſtolicæ eos excęcauit; ſed ſi voluerunt reſipiſcere à mundi amore, lux doctrinæ apoſtolicæ eos illuminauit: & ſic Apoſtoli dicti ſunt lux huiuſmodi mundi.

G

SI verò mundus accipiatur pro hominibus dilectoribus mũdi, tunc eſt ſenſus. [*Vos eſtis lux mundi*] ideſt, vos eſtis illuminatores hominum mundialium, qui ſcilicet mũdum diligunt. Circa quod attendendum, quòd mundi dilectores ſunt in duplici differentia, quia quidam ſunt H qui perſeuerant in mundi dilectione, de quibus dicitur 1. Ioan. 2. Si quis diligit mundum non eſt charitas patris in eo: & hi tales mundi dilectores licet lumen doctrinę apoſtolicę audiãt, & intellectu percipiant quãdoque, tamẽ quia affectu contradicũt, tali lumine illuminari non dicuntur, immo magis propriè dicuntur excęcari. Vnde & de dilectoribus mundi dicitur Ioan. 1. In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit. Quod exponens Auguſt. prima I parte ſuper Ioan. ſer. 2. dicit. Mundus eum non cognouit. Cœlum, terra, mare, & omnia quæ in eis ſunt, mundus dicitur. Iterum alia ſignificatione dilectores mundi, mundus dicuntur; Hîc autem cum dicitur: Mundus eum non cognouit. Num enim cœli non agnouerũt creatorem, aut angeli non cognouerũt creatorem ſuum, aut non cognouerũt creatorem ſuum ſydera, quẽ confitẽtur dęmonia? Omnia vndique teſtimoniũ de eo perhibuerũt. Sed qui non cognouerũt? qui amãdo mundũ K dicti ſunt mundus: Amando enim habitamus corde: amãdo igitur hunc, appellari meruerunt, quod ille dĩ vbi habitabant. Sic ergo mundi dilectores hanc lucẽ apoſtolicam non cognouerunt, ſed magis hac luce excęcati ſunt. Vnde & Ioan. 12. cauſa excęcationis & indurationis Iudęorum redditur; quia dilexerunt gloriam magis hominum, quàm Dei. Et Dominus Ioan. 9. dicit. Quòd ipſe venit in iudicium in hunc mundum, vt qui non vident, videãt, & qui vident, cæci fiant. Quod exponens

XXII

1. Ioan. 2.

Idem.

Auguſt.

Ioan. 12.

Idem.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Auguſt. Auguſt. prima parte ſuper Ioan. ſer. 44. dicit. Qui ſe putant videre & medicum non quærunt, in ſua cecitate permanent. Sic ergo mundi dilectores, qui volunt in tali dilectione permanere, non illuminantur apoſtolico lumine, ſed excecãtur, hoc requirente eorum peruerſitate. Vnde & Apoſtolus aſſignans cauſam quare aliqui à fide ſuſcepta ceciderunt, dicit quòd cauſa huius fuit, mũdi dilectio 2. ad Timo. 3.

2. Tim. 3. Hoc autem ſcito quòd in nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, & erũt homines ſeipſos amantes: & cap. 4. dicit.

Ibidem 4. Demas me dereliquit, diligens hoc ſeculum. Sed alii ſunt dilectores mundi, non quòd tunc quando credunt & percipiunt lumen apoſtolicum, ſint mũdi dilectores, ſed quia prius fuerunt, & horum ſunt lumen Apoſtoli, cum per eorum prædicationem multi tales, ad fidem Chriſti cõuerſi fuerint. Vnde & Actu. 19. dicitur.

Actu. 19. Quòd multi ex eis qui fuerãt curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerũt eos coràm omnibus: & niſi de dilectoribus mũdi fieri poſſent dilectores Dei, non

1. Ioan. 2. diceret Ioan. Nolite diligere mundum: nec Apoſtolus præciperet 1. ad Timot. 6.

1. Tim. 6. Diuitibus huius ſeculi præcipe, non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo, qui preſtat nobis omnia ad fruendum. Quod exponens

Gloſ. Gloſſa dicit. Ne viderentur diuites omnino abiecti, determinat quòd licet cupidi incidant in laqueũ diaboli, tamen non ſunt penitus abijciendi diuites, ſed præcipiendum eſt eis quòd ſint ſpirituales diuites, & abundent in operibus bonis, & non ſuperbiãt de diuitijs, nec ſuam ſpem ponant in eis. Licet enim confidentem in diuitijs impoſsibile ſit ſaluari, ſicut nec Camelus poteſt per foramẽ acus tranſire: tamẽ quia poſsibile eſt quòd illi qui prius confidebant in diuitijs, poſtea non confidant; iccirco tales illuminari per doctrinam apoſtolicã poſſunt: Quemadmodum

Luc. 19. Zacheus fuit illuminatus à Chriſto Luc. 19. & Cornelius Centurio ad prędicationem

Actu. 10. Petri baptizatus fuit, Actu. 10. & multi alij conuerſi fuerunt ad fidem Chriſti, qui hoc ſeculum dilexerant. Vnde &

Ephe. 5. Apoſtolus ad Epheſ. 5. credentibus qui prius fuerant amatores mundi, dicit. Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, vt filij lucis ambulate. Sic ergo multi qui prius fuerunt mundi dilectores, conuerſi ad Chriſtum fuerũt per prædicationem Apoſtolorum, & fuerunt illuminati per eos: quibus & Apoſtolus

Philip. 2. ad Philip. 2. dicit. Quòd erant in medio nationis prauæ & peruerſæ, & lucebant A inter iniquos, ſicut luminaria in mundo verbum vitæ continentes.

SVMMARIVM.

Quòd ſi mundus accipiatur pro electis hominibus, qui de mundo ſunt electi ad ſalutem, Apoſtoli dicti ſunt lux huiuſmodi mundi, quia per ſacramenta & doctrinam in fide eos erudierunt, & per ſacramenta diuinam gratiam miniſterialiter eis contulerunt.

B SEd ſi mundus accipiatur tertiò modo, pro illis ſcilicet qui ſunt, vel fuerunt de mundo electi, manifeſtum eſt quòd omnes illi fuerunt illuminati per Apoſtolos, vel eorum ſucceſſores; & hoc vel quo ad ſacramẽtum illuminationis ſecundũ Dionyſium, vel quo ad doctrinã & ſacramenta, per quę factum eſt quòd à dilectoribus mundi ſegregati fuerũt, & verbum Euangelij receperunt. Vnde & Ioan. dicitur.

Ioan. 17. Manifeſtaui nomen tuũ hominibus, quos dediſti mihi de mundo. Quod exponens

C Auguſt. parte ſecunda ſuper Ioan. tract. 96. dicit. Quid eſt quos dediſti mihi de

Auguſt. mundo? Dictum eſt enim de illis, quòd non eſſent de mundo, ſed hoc eis regeneratio præſtitit non generatio, quibus nomen illud quo Deus pater vocatur manifeſtum fuit: Nam quòd Deus dicitur, vniuerſæ creaturæ, & omnibus gentibus antequam in Chriſtum crederent, non omnimodo potuit eſſe incognitũ; Hæc enim eſt vis veræ diuinitatis, vt creaturæ rationali iam ratione vtenti, non poſsit omnino ac penitus abſcõdi, exceptis enim paucis in quibus natura nimiũ deprauata eſt,

D vniuerſum genus humanum Deum mũdi huius fatetur authorẽ. In hoc ergo quòd fecit hunc mundum, cœlo terraq; conſpicuã, & antequã imbuerentur in fide Chriſti, notus omnibus gentibus erat Deus: In hoc autem quòd non eſt ininiuriis ſuis, & cum Dijs falſis colẽdus, notus in iudea Deus: In hoc verò quòd pater eſt huius Chriſti per quem tollit peccata mundi, hoc nomen eius prius erat occultum omnibus, ſed nũc manifeſtauit hoc Chriſtus,

E & hoc hominibus quos ei pater de mũdo dedit. Et vt dicit Auguſt. eadem parte tracta. 97. Mundum vult intelligi qui viuunt

Idem 1 ſecundum concupiſcentiam mũdi, & non ſunt in ea ſorte gratię, vt ab illo eligantur ex mundo. Et 1. Ioan. 4. dicitur. Ipſi de

1. Ioan. 8. mundo ſunt, ideo de mundo loquuntur, & mundus eos audit; nos ex Deo ſumus: Qui nouit Deum audit nos, qui non eſt ex Deo non audit nos. Sic ergo Apoſtoli dicti ſunt lux mundi vel quia non vni po-

XXIIII

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

pulo vel genti dati ſunt Doctores, ſed omnibus gentibus: vel quia de dilectoribus mundi fecerunt dilectores Dei, vel quia eorum prædicatio & doctrina in ſolis electis de mundo, ſuam virtutē & efficaciam habuerit, & eos in Dei cognitione & amore illuminauit; licet autem tātum lumen in deſpectis & terrenis corporibus continerent, deſpiciendi tamen non erant, quia magnam vtilitatē hominibus prębuerūt. Vnde & Apoſtolus de ſe & alijs Apoſtolis loquens 2. ad Corint. 4. dicit. Quòd Deus 2. Cor. 4. illuxit in cordibus noſtris, ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei, in facie Chriſti Ieſu: habemus autem theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, vt ſublimitas ſit virtutis Dei & non ex nobis. Quod exponēs Gloſ. dicit. Deus illuxit nobis ad illuminationem ſcientię ſecundum iſtum theſaurum, ideſt ſcientiam iſtam quā alios docemus, habemus in vaſis fictilibus, ideſt in corporibus fragilibus: theſaurū dicit ſacramētū Dei quod fidelibus erogatur, perfidis abſcōditur. Et ideo in talibus vaſis theſaurū huiuſmodi habemus, vt tota altitudo Dei videatur eſſe nō noſtra. Et Hilarius hīc dicit. Natura eſt luminis, vt quacunque circunferatur, lucem emittat, illatumq; ędibus tenebras interimat, luce dominante. Igitur mundus extra cognitionē Dei poſitus, obſcurè tenebatur ignorantię tenebris, cui per Apoſtolos ſcientiæ lumen inuehitur, & cognitio Dei claret: & de paruis eorum corpuſculis quocunque inceſſerint, lux tenebris miniſtratur.

Tractatus ſequens protenditur vſque ibi. (Sic luceat lux veſtra coram hominibus, &c.) *& continet 36. capitula.*

SVMMARIVM.

Ponitur diuiſio, & continuatio prima, & oſtenditur quomodo verū ſit quòd Sancti & Apoſtoli à Deo inſpirati, non poſſint non loqui illa quæ alijs hominibus dicenda & docenda à Deo acceperunt. Capitulum primum.

I

Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita.] Vbi oſtendit quòd ex quo ſic erant illuminati, quòd totum mundum lumine ſcientiæ poterant illuminare, quòd non poterant nec debebant hanc ſciētiam abſcondere. Et duo facit, ſecundum duo exempla quæ ad hæc inducit. Secunda ibi.

F [*Neque accendunt lucernam*] Dicit ergo q lumē ſciētiæ diuinę quo illuminati erāt, non poterant abſcondere nec debebant: quemadmodum nec ciuitas ſupra montē abſcondi, vel occultari poteſt. Sapientia enim abſcondita. & theſaurus inuiſus inutilia ſunt omnino, & melior eſt homo qui abſcondit inſipiētiam ſuam, quàm homo qui abſcondit ſapiētiam ſuam, vt dicitur Eccle. 20. Vnde & Chryſoſtom. hīc dicit: Quemadmodum ciuitatem ſupra mōtem poſitam abſcondi operoſum eſt, ita prædicationē fileri & tacere eſt impoſsibile. Et poteſt primò ſic cōtinuari. Quia enim docere alium ex voluntate docentis procedit, quia ſi vult docet, ſi non vult non docet; vt oſtēdat quòd ſua doctrina quam in eis poſuit, propter quod ſunt dicti lux, non poteſt per eorum voluntatem latere, ſed oportet quòd ipſam doctrinam prædicent: iccirco dicit [*quòd non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita*] Hoc enim modo & Hieremias volens reticere verbum domini, non potuit, dicente eo. Factus eſt mihi ſermo Domini, in opprobrium & in deriſum, & dixi: Non recordabor eius, neque loquar vltra in nomine illius; & factus eſt i corde meo quaſi ignis exęſtuās, clauſusq; in oſsibus, & defeci ferre non ſuſtinens. Et Eliu de ſe dicit. Plenus ſum enim ſermonibus, & coarctat me ſpiritus vteri mei: en venter meus, quaſi muſtum abſque ſpiraculo, quod lagunculas nouas diſrumpit. Quod non contingit ex hoc quòd homines à Deo inſpirati non poſſint non loqui: quemadmodum arreptitij velint, nolintq; loquūtur; Quia vt dicitur 1. Corint. 14. Spiritus Prophetarum, Prophetis ſubiectus eſt: quod exponens Glo. dicit. Spiritus Prophetarum ſubiectus eſt Prophetis, vt quando volunt, loqui poſſint, & quando volunt, tacere poſsint, & non cogit eos, vt phytonicos clamare, vel aliqua ſubticere. Et ſic ex eo quòd tales occaſiones loquēdi Deus prępparat ſanctis ab eos inſpiratis, quod iudicat nullo modo eſſe tacēdū, loquūtur; Vnde Greg. 23. lib. moral. cap. 5. dicit. Sancti viri plerunque dum conſpiciunt quòd iniquorum facinora ipſis tacentibus, & non corripientibus creſcunt, vim quandam ſpiritus ſuſtinent, vt in locutionem apertæ correptionis erumpant. Inflammantur quippe corda iuſtorum, cum non correpta creſcere conſpiciunt acta malorum; eorumq; culpæ ſe participes credunt, quos in iniquitate creſcere ſilendo permittunt. Sic igitur quia occaſiones multas Apoſtoli habuerunt loquendi Dei verbum, videntes omnes homines mūdi in errore & in ini-

quitate

Ecclus. 20. Chryſoſt. hom. 15.

Hieron. 20.

Iob 32.

1. Cor. 14. Gloſ.

Greg.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

quitate persistere: iccirco non potuerunt non loqui, quemadmodum nec ciuitas supra montem posita potest abscondi. Vnde Petrus & Ioannes dixerunt. Non possumus quæ vidimus & audiuimus, non loqui: Et de Paulo dicitur. Paulus cũ Athenis expectaret, incitabatur spiritus eius in ipso, videns idolatriæ deditam ciuitatem; disputabat igitur in synagoga cum Iudeis & colentibus.

Act. 4.

Ibidem 17

SVMMARIVM.

Ponitur secunda continuatio & expositio, & ostenditur quòd Doctores Ecclesiæ debent habere probitatem vitæ, quia eorum vita, siue sit bona, siue mala, non potest latere, sicut nec ciuitas posita supra montem.

II

VEl etiam potest continuari ad illud quòd dictum est. [*Vos estis lux mundi*] Quia cum vita perfecta sacerdotis (vt supra dictum fuit) consistat in recta doctrina, & operatione sancta, ne crederẽt Apostoli, quòd eis sufficeret si recta prædicarent, quia vocati fuerant lux mundi, dicit quòd hoc non sufficeret eis, nisi sanctè viuerent; propter quod eis nunc dicit [*Non potest abscondi &c.*] Illi enim qui dati sunt illuminatores omnium hominũ, non possunt suam vitam malam si eam ducunt, abscondere, dicente Chrysost. 3. lib. de dignitate sacerdotali. Errores pontificum abscondi non possunt, sed etiam exigua eorum celeriter innotescunt, & per apparentes motus, quasi nudas animas suas discernuntur oculis intuẽtium. Quia ergo homines sublimes in sanctis maximè quãdo populis præficiuntur, suam vitam malam abscondere non possunt, sed eorum vita facilè ad oculos omniũ subiectorum peruenit, quos postea non libẽter audiũt, quia cuius vita despicitur restat, vt & prędicatio contemnatur; Iccirco volens Dominus Apostolos ad vitæ probitatem inducere, dicit, quòd suam vitã abscondere non possunt, quia sunt ciuitas non in infimo, vel valle, vel in campestribus posita, sed sunt ciuitas posita in mõtem, quæ abscondi non potest. Vnde & Chrysost. hoc modo continuans hanc partem, dicit hæc in homil. Per hoc eos in rectitudinem ducit vitæ, erudiẽs sollicitos esse ceu in oculis omnium positos, & in medio orbis terrarum theatro certantes: ne hoc vtique noueritis, ait, quòd hîc sedemus nunc, & in paruula anguli particula sumus. Ita enim eritis manifesti omnibus, sicut ciuitas supra verticem montis posita.

Chrysost.

Gregor.

Chrysost. hom. 15.

A

B

D

E

SVMMARIVM.

Ponitur tertia cõtinuatio, & expositio, & ostenditur, quòd Apostoli etiam si vellent non poterant abscondi, quia super mõtem altissimum Christum, stabiliti erant: nec timere persecutiones hominum debebant, quia super montem firmissimum, & inexpugnabilem constituti erant.

III

VEl etiã potest continuari ad id, quod dictum fuit supra, quòd persecutiones & opprobria propter Christi prædicationẽ, tolerare debebant, ne enim propter talia se absconderent, & prædicare nollent, dicit quòd non propter hoc dimittãt, quia in tali statu eos ponet, quòd nec se abscondere poterunt, nec suos persecutores rationabiliter timere debebũt: quia sunt Ciuitas posita suprà montem: quemadmodum enim Ciuitas posita supra mõtem, si se abscõdere niteretur, nihil proficeret, sed magis derisioni subiaceret: quemadmodum & Petrus in passione Domini, volens se abscõdere, non potuit, cum ei per circumstantes dictũ fuit, Verè tù ex illis es: nam & loquela tua manifestum te facit. Et hic continuat hanc partem Hieronymus hæc dicẽs. Ne Apostoli abscondantur ob metum, sed tota libertate se prodant, docet eos fiduciàm prædicandi: Ciuitas enim posita supra montem, non habet timere rationabiliter de hostium incursu, quia situs loci, quasi per se defendit Ciuitatem. Vnde & Iudith 7. dicitur. Filij Israel non in lancea, nec in sagitta confidunt: sed montes defendunt illos, & muniũt illos colles, in præcipitio constituti. Et Glo. hîc dicit. Propalamini, ne vos abscondatis, non enim est facultas subterfugiendi, vel clàm aliquid faciẽdi; & ideo subditos misericorditer intus consilio regite, & extra contra aduersarios, pro iustitia pugnando defendite. Quia ergo Apostoli, erant Ciuitas posita supra montem, non poterant se abscondere propter persecutiones, nec debebant: & quia erant in firmissima petra constituti, timere non habebant. Vnde & Chryso. in homil. hîc dicit. Quoniam dixit persecutiones, & maledictiones, insidias, & prælia, vt non æstimẽt, quòd eos hæc obstruere potuerint, confortans eos ait, quòd non solum non latebunt, sed etiam illuminabunt orbem terrarum vniuersum. Vel etiam secũdum eundem Chrysostomum. Quamuis ipsi Apostoli latere vellent, non possent; quia cũ essent fundati supra montem, qui Christus est, qui mõs vniuersam terram replet, vt dicitur, Daniel 2. Et est

Hieron.

Iudith 7.

Glos.

Chrysost. hom. 15.

Idem ho. 10.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Isa. 2. mons in vertice mõtium eleuatum super colles Isa. 2. non permittẽtur latere propter eminentiam montis, in quo ipsi fundati erant. Ciuitas enim vel ædificium facta supra altum montem, omnino latere non possunt, quia mons manifestat ipsa: Vnde & Apostoli, licet essent humiles, & plebei, & quasi super terram non apparentes: tamen quia super montem Christum fundati erant, latere non potuerunt, Christo eos manifestante toti mundo. Vnde & Gamabyel Actu. 5. dicit: Si ex hominibus est consilium hoc, aut opus dissoluetur, si vero ex Deo est, non poteritis dissoluere, ne forte, & Deo repugnare videamini: Quia ergo Apostoli dicere in corde suo potuissent: quomodo tu dicis quòd nos, qui sumus simplices, & abiecti, possumus illuminare totum mundũ, cum nec nos ipsos manifestare, & claros facere possimus? Dominus respondens eorum dubitationi dicit. Quòd quia fundati sunt supra ipsum, qui est mons magnus replens vniuersam terram; ideo ipsos manifestos, & claros faciet eius altitudo, supra quam fundati sunt, & non eorum sublimitas, vel altitudo Gnanus enim supra caput Gigantis existẽs, à multis, & à longè videri potest, qui si in terra staret, videri non posset, nisi à paucis: Vnde & hoc sciens, Zaccheus qui volebat Christum videre, & non poterat præ turba, quia pusillus erat: præcurrẽs ascendit arborẽ Siccomorum, vt videret Iesum: Et hoc modo hanc partem continuans Chrysost. dicit.

Chrysost. hom. 10. Ciuitas supra montem posita, etiã si ipsa voluerit esse velata, mons ipse, qui portat eam, facit eam omnibus manifesta: Sic & Apostoli, & Sacerdotes, qui fundati sunt in Christo monte excelso, non possunt esse absconditi, & si voluerint se abscondere, Christus ipse manifestat eos, qui eos baiulat.

SVMMARIVM.

Quæ conditiones requirantur ad hoc vt ciuitas sit bona, & firma.

IIII Quo viso, est intelligendum, propter quod Apostoli, Ciuitas supra montem posita dicuntur: Circa quod attendendum, quòd, vt dicit Cassiodorus super illud Psalm. Ieruſalem, quæ ædificatur, vt ciuitas. Cum omnis ciuitas, dicatur à ciuibus; verius tamen illa Ciuitas dicitur, quæ vnanimes ciues continere monstratur; non enim vnitas ambientium murorum, facit esse vnam ciuitatem; sed vnitas morum, & concors voluntas ciuium. Sic ergo ad hoc, quòd sit aliqua hominum multitudo ciuitas, primò requiritur quòd sit eorũ concors voluntas. Secundò, quòd multi possent concordari in malo, talis multitudo in malo concordans, non posset dici propriè Ciuitas, quia non ad bonum, sed ad malum vniti essent: Ciuitas est enim multitudo ciuiũ congregata ad per se sufficientiã vitæ, quæ vitę sufficiẽtia, non est, nisi in vita virtuosa, vt satis declarat Arist. 3. Polit. Vitæ enim sufficientia duo includit, vt scilicet nihil desit eorum, quæ sunt necessaria corpori, & omnia adsint, quæ spectant ad virtutes animæ habendas, vel recuperandas. Vnde & 1. Polit. dicitur: Hominibus proprium est, solum boni, & mali, iusti, & iniusti, & aliorum sensum habere; horum autem cõmunicatio facit domum, & ciuitatem. Tertiò requiritur ad hoc quòd aliqua multitudo faciat ciuitatem, quòd quilibet existens in ea opera sua alteri cõmunicet, vt ex omnibus operibus, omnium simul vita sufficiens habeatur; & quòd deficit vni, per alterum fiat, vt sic se mutuò iuuẽt; quemadmodum membra vnius corporis se iuuant, & suã opera sibi inuicem, communicant, quemadmodum oculus videt pede, ne offendatur: & pes graditur oculo, vt ad rem pulchrã, quam videre desiderat pertingat: non enim soli fabri, vel soli cementarij, vel factores pannorũ sunt necessarij in ciuitate: sed oportet adesse omnes artifices, vt quilibet apponens partem sui artificij, ad commune bonum ciuitatis, ciuitatem faciãt omnes simul perfectam: vt satis declaratur 3. Politic. & Eccl. 38. Postquam determinauit de aratoribus, de fabris lignarijs, de fabris ferrarijs, de figulis, subdit. Omnes hi in manibus suis sperauerunt, & vnusquisque in arte sua sapiens est, sine ijs omnibus, non ædificatur Ciuitas. Quartò, in omni Ciuitate oportet, quòd sit vnus principans, qui habeat curã, & solicitudinem de bono communi: quia cum singuli de Ciuitate per se intendant ad bonum proprium, nisi aliquis esset, qui bonum cuilibet ordinaret ad bonum cõmune, ciuitas perfecta non esset. Multitudo enim principatuum in Ciuitate non est bona; vt dicitur 12. Metha. Propter quod vnus debet esse princeps, & Ezech. 37. dicitur. Pastor vnus erit omnium eorum. Sed quia non sufficerent prædicta, nisi etiam Ciuitas se contra hostes defendere posset, Iccirco sunt aliqui necessarij, qui rempublicam contra hostes defendant, vt milites, qui ad hoc sunt ordinati, vt contra hostes reipublicę pugnent. Sunt etiam præpara-

Cassiod. Psal. 121.

Aristot. Idem. Idem. Eccl. 38. Aristot. Ezech. 37.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

tiones ad pugnam faciẽdæ, vt sunt muri, aquæ, fossata, & cętera similia. Vnde & in Polit. dicitur, Quòd ad bellicas munitionis oportet bonum esse exitú Ciuitatis, aduersarijs autem difficilè adibilem, & difficilè comprehensibilem: & ibi etiã determinatur de muris Ciuitatis, & militibus. Vnde & in Psal. fortitudo situs Ciuitatis Ieruſalẽ describitur, vbi dicitur. Qui confidunt in Domino sicut mons Sion, non commouebitur in æternum, qui habitat in Ieruſalem. Montes in circuitu eius: Vbi dicit Cassiodorus. Ieruſalẽ ista, quamuis, & in monte sit circũiectis montibus in medio constituta: quæ celsis cacuminibus velut quædam area circuitur. Et Canticorum sic dicitur. Sicut turris Dauid collum tuũ, quæ ædificata es cum propugnaculis. Mille clipei pẽdent ex ea, omnis armatura fortium. Sic ergo Ciuitas est ciuium vnitas per concordiam voluntatum ad bonum coadunata, in qua, quilibet iuuat aliũ, & ab alio adiuuatur, quã regit vnus, & contra hostes talis communitas est munita, vt sic, & in se contineat omnia bona necessaria, & contra hostes sit munita. Vnde Glos. hîc dicit. Subditos misericorditèr intus cõsilio regite, & extra contra aduersarios, pro iustitia pugnando defendite.

Aristot. Pſal. 124. Cassiod. Cant. 4. Glos.

SVMMARIVM.

Quòd prima conditio bonæ Ciuitatis, quæ est concordia voluntatum ad bonum, inuenta est in Apostolis, qui per bonum charitatis vnanimes inter se fuerunt.

V

IN Apostolis autem conditiones reperiuntur spiritualitèr bonæ Ciuitatis; propter quod rectè Ciuitas sunt vocati: fuerunt enim vnanimes. Vnde super eis simul consedentibus Spiritus sanctus venit: dicente Augustino in quodam sermone, exponente illud Act. 2. Erant omnes pariter in eodem loco. Quàm pulchra est fratres caritatis cõiunctio, quæ paratum cor semper exhibet Deo, inuenit eos in concordia charitatis, & collustrauit eos, mundans ab omni iniquitate. Aduenit ignis diuinus, non comburens, sed illuminans; non consumens, sed lucens; inuenit cordium receptacula munda, & tribuit eis charismatum dona. Vnde & in Psal de hac ciuitate dicitur. Ieruſalem quę ędificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipsum. Vnde & Act. 1. Apostolis numeratis, dicitur, Quòd reuersi sunt Ieruſalem, & erant omnes perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Iesu, & fratribus eius. Et cap. 2. dicitur, Quòd erant quotidie perdurantes vnanimiter in templo. Volebant enim Domini præceptum obseruare, qui eis dixerat. Hæc mando vobis vt diligatis inuicem, Ioan. 15. & Ioan. 13. In hoc cognoscent omnes quia Discipuli mei eritis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Quod exponens Augustinus secunda parte super Ioan. ser. 11. dicit. Tanquam diceret. Alia munera mea habent vobiscum etiam non mei: non solum naturam, vitam, sensum, rationem, eam salutem, quæ hominibus, pecoribusq; cõmunis est: Verum etiam, linguas, sacramenta, prophetiam, fidem, scientiam, distributionem rerum suarum pauperibus, & traditionem corporis sui vt ardeant: sed quoniam charitatem non habent, vt cymbala concrepantia nihil sunt, nihil eis prodest. Non ergo in illis quamuis bonis muneribus meis, quæ habere possunt etiam non Discipuli mei, sed in hoc cognoscent omnes quia Discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem: Et quia Apostoli vnanimes per charitatem fuerunt inter se, & alios: Iccirco sunt ciuitas, & domus, de quibus dicitur in Psalm. Ecce quàm bonum, & quam iucundum, habitare fratres in vnum.

Idem 2. Ioan. 15. Idem 13. Augustin. Pſal. 132.

SVMMARIVM.

Quòd Apostolis conuenit secunda conditio Ciuitatis bonæ, quæ est quòd multi homines conueniant in ea, non ad malum, sed ad bonum peragendum.

VI

SEcundò dicuntur Ciuitas Apostoli, quia eorum concordia, & vnitas, non ad malum, sed ad bonum tendebat: non enim erat talis eorum vnitas, qualis erat Corinthiorum, de quibus dicitur 1. ad Corint. 11. Non in melius, sed in deterius conuenitis; primum quidem conuenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos: Et infra. Cõueniẽtibus vobis in vnum, iam nõ est dominicam cęnam mãducare. Nõ enim omnis vnitas, & pax bona est; cum & mali inter se conueniãt, vt deterius viuant. Vnde & in Psal. dicitur de iniquis. Veruntamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris, vt decipiant de vanitate in idipsum. Et Prouerb. 1. dicuntur inter se impii dicere. Veni nobiscum, insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem frustra, deglutiamus eum sicut infernus viuentẽ, & integrum quasi descendentem in lacum; omnẽ substantiam prę-

1. Cor. 11. Pſal. 61. Prou. 1.

cioſam

cioſam reperiemus, implebimus domus noſtras ſpoliis, ſortem mitte nobiſcũ, marſupium vnum ſit omnium noſtrum. Sed Apoſtoli, non ad malum, ſed ad bonũ ſunt adunati. Vnde & Actu. 4. dicitur. Quòd multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna, nec quiſquam eorum quæ poſsidebat aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia. Et cap. 5. dicitur de eis, quod erant omnes vnanimiter in porticu Salomonis. Cęterorum autem nemo audebat coniungere ſe illis: ſed magnificabat eos populus: Et propter hoc, quia in bono ad bonum conueniebant, ciuitas ſunt vocati, de qua dicitur Hier. 31. cap. Benedicat tibi Dominus pulchritudo iuſtitiæ mons ſanctus: & habitabunt in eo Iudas, & omnes ciuitates eius, ſimul agricolæ, & minantes greges. Et Apoſtolus ad Ephe. 2. dicit. Iam non eſtis hoſpites, & aduenæ, ſed eſtis Ciues Sanctorum, & domeſtici Dei.

Actu. 4. Idem. Hier. 31. Ephe. 4.

F G H

SVMMARIVM.

Quòd tertia conditio bonæ Ciuitatis, quæ eſt vt ſibi mutuò Ciues ſua opera communicent, conuenit Apoſtolis: quia idem opus omnes fecerunt, ſcilicet idem Euangelium prædicando, & ad Chriſtum populos conuertendo; licet in diuerſis mundi partibus ſeparatim exiſtentes, dictum opus fecerint.

VII

TErtiò dicti ſunt Ciuitas, quia ſe iunauerunt ad mundi cõuerſionem, collaborantes Euangelio Chriſti, vt totũ mundum Chriſto coniungerent, & vnum corpus facerent omnes homines in Chriſto, 2. ad Corint. 10. Et idem Apoſt. ad Gal. 2. dicit. Cũ vidiſſent, quod creditũ eſt mihi Euangeliũ præputij, ſicut & Petro circũciſionis, qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatũ circunciſionis, operatus eſt & mihi inter gentes; & cum cognouiſſent gratiã quæ data eſt mihi: Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ eſſe, dexteras dederunt mihi, & Barnabæ ſocietatis, vt nos in gentes, ipſi autem in circunciſionẽ, tãtum vt pauperum memores eſſemus. Et ita ſine omnium diſſenſione (vt dicit Gloſſ.) Apoſtoli partiti ſunt ſuam prædicationem, vt omnes homines ſimul ducerent ad fidem Chriſti: quia ſi vnus voluiſſet omnibus hominibus prędicare non ſuffeciſſet; & ideo in corpore ſe ſeparauerũt, corde tamẽ coniuncti, vt Ciuitatẽ Eccleſiæ ex omnibus hominibus cõſtruerent, idem prædicans vnus quod alter. Vnde de eis poterit dici illud Prouer. 18. Frater, qui adiuuatur à fratre, quaſi Ciuitas firma, & iudicia quaſi vectes vrbiũ. Vnde & Gloſſ. ſuper illud ad Galat. 2. Contuli cum illis Euangelium quod prædico in gentibus, dicit. Apoſtolus Paulus poſt Chriſti aſcenſionem de cœlo vocatus; ſi non Apoſtolis communicaret, & cum eis Euangelium non conferret, quod eiuſdem ſocietatis eſſe apparet, & illi non crederent; ſed cum cognouiſſent eum, hoc annunciantem, quod illi, & in eorum communione & vnitate viuentem, accedentibus etiam per eum talibus ſignis, qualia & illi operabantur, ita eum Domino commẽdante, auctoritatem meruit, vt verba illius ſic audiãtur in Eccleſia, tanquam in illo Chriſtus (ſicut ipſe veriſſimè dixit) locutus audiatur. Quia ergo omnes Apoſtoli eandem doctrinam prædicabant, licet in diuerſis locis, & regionibus docentes: non ſibi populos acquirentes ſed Chriſto, iccirco opera ſua, ſibi mutuò communicabant, & Chriſto populos adunabant, quod erat omnium eorum commune opus.

2. Cor. 10. Galat. 2. Gloſſ. Prou. 18. I K Gloſ.

SVMMARIVM.

Quòd quarta conditio bonæ Ciuitatis quæ eſt, quòd habeat vnum Dominum, & Principem à quo regatur, conuenit Apoſtolis, qui vnum Dominum Ieſum Chriſtum habuerunt, rectorem & magiſtrum.

VIII

QVartò dicti ſunt Ciuitas, quia ab vno domino & principe, gubernati & recti fuerunt: quemadmodum & Ciuitas benè recta ab vno Domino gubernatur; vnde & infra dicitur de eis. Vos autem nolite vocari Rabbi, vnus eſt enim magiſter veſter, omnes autem vos fratres eſtis: & patrem nolite vobis vocare ſuper terram, vnus eſt enim pater veſter qui in cœlis eſt. Nec vocemini magiſtri, quia magiſter veſter vnus eſt Chriſtus. Vnde & Apoſtolus dicebat. Non noſmetipſos prædicamus, ſed Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum: nos autẽ ſeruos veſtros per ipſum. Vnde quia à Chriſto fuerunt recti & gubernati, propter hoc Ciuitas ſunt vocati; de qua Ciuitate dicitur Ezech. vlt. Nomẽ Ciuitatis ex illa die, Dominus ibidem.

Matth. 23. 1. Cor. 4. Ezech. vlt.

SVMMARIVM.

Quòd quinta conditio bonæ Ciuitatis quæ eſt ſitus firmitas, & murorum ac turrium munitio conuenit Apoſtolis, qui fuerunt fundati ſupra firmam petram Chriſtum; & fuerunt muri, fideles populos concludentes, & turres, fideles populos defendentes.

Quintò,

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

IX

QVintò dicti sunt Ciuitas, quia fuerũt fortes in fide, & inexpugnabiles, totum populum Christianum sicut muri cõcludentes, & ab hostium in cursibus defendentes; & vt turres, ex quibus iacula contra omnes hostes fidei Christianę proiecta sunt: per quæ inimici sunt conuicti & superati. Sunt etiam portæ per quas omnes fideles Ecclesiam intrant, vt meritò possit dici de eis. Fundamenta eius in montibus sanctis, diligit Dominus portas Syon super omnia tabernacula Iacob: Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei. Vnde & Chrysost. hîc dicit. Quæ est hæc Ciuitas? Ecclesia sanctorum; turris illius sunt Prophetæ; portæ autem eius sunt Apostoli; muri vero illius sunt Sacerdotes, cæteriq; Doctores. Vnde & Cassiodorus exponens illud Psalmi Fundamenta eius in montibus sanctis dicit. In montibus sanctis significat Apostolos & Prophetas, qui soliditate fidei, & excellentiæ sanctitatis mõtes vocantur, in quibus est vera Dei Ecclesia cõstituta: cuius portę duodecim Apostolos significant, quorum sancta prædicatio fidelibus æterni regis palatia reseruauit. Vnde & Apocal. dicitur, Quòd murus Ciuitatis est habens fundamenta duodecim, & in ipsis nomina duodecim Apostolorum & agni. Ex quibus omnibus patet quare sancti Apostoli dicti sint Ciuitas.

Psal. 86. Chrysost. hom. 10. Psal. 86. Cassiod. Apoc. 21.

SVMMARIVM.

Quòd mons super quem Apostoli positi fuerunt, uel accipitur pro Christo, uel pro alta iustitia, uel pro sublimi & firma diuina doctrina, quę omnia in Apostolis fuerunt.

X

SEd hæc ciuitas est posita supra montẽ, id est supra Christum, qui est mons magnos replens vniuersam terram, mons in vertice montium. Vel etiam mons iste supra quem Apostoli sunt fundati, est magna iustitia, & perfecta, dicente eis Domino. [*Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum Cælorum.*] de quibus montibus dicitur Iustitia tua sicut montes Dei. Quod exponẽs Cassiodorus dicit. Iustitiam Dei beatos Apostolos, qui capaces domini iustitiæ deuotis sensibus extiterunt, quos merito montibus comparauit: quoniam summæ veritatis lumẽ in ipsis primordijs hauriẽtes, humilibus populis, sanctis prędicationibus infuderunt: Sicut montes qui Sole orto radios nouæ lucis excipiũt, & ad conualles terrarum refusa claritate transmittunt. Et super illud Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis, dicit idem. Montes æterni prædicatores sunt, qui verè montes æterni, quia perpetua & incõmutabili sublimitate confestunt. Terreni enim montes temporales & inanimati sunt, illi munere Domini semper sapiẽtes norunt esse perpetui, sed illuminare Dominum dixit per mõtes æternos, quia ipse Prophetis atq; Apostolis dedit quòd per totum mundum prædicatione sancta vulgatum est. Et super illud, Præparans montes in virtute tua, dicit idem. Præparatos montes, Apostolos per allegoriam decentèr accipimus, qui ad verbum prædicationis electi sunt, fortitudinem habentes fidei, & altitudinem sanctitatis: humiles conuersatione, sed multò celsi. Hos Deus præparauit in virtute sua; vnde & vnus eorum dixit. Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Quã iustitiam habentes abscondi non potuerunt: Sicut enim multum iniquus abscondi non potest, ita & multum iustus latere nõ potest. Vnde & August. 1. lib. de serm. Domini in monte dicit. Non potest Ciuitas abscõdi supra montem posita, idest fundata super insignem magnamque iustitiam, quam significat ipse mons, in quo disputat dominus. Vnde & de Domino qui mons magnus erat, dicitur, Quòd ingressus domũ neminem voluit scire, & non potuit latere. Et Chrysost. hîc dicit, Quòd si multa sit in te virtus, & copiosus sit tibi ignis, & lux ineffabilis virtutis, cum tanta fuerit virtus, impossibile est eam latere. Vel etiã mons eorum doctrina dicitur, propter soliditatem, & eminentiam quam in se habet. Mons enim inter terræ partes & eminet, & solidior est, cum (vt in pluribus) vel totaliter, vel intrinsecus sit lapideus, & scientia diuina eminet super omnes sciẽtias, iuxta illud, In omni terra steti, & in omni populo, & in omni gente, primatum tenui, & omnium excellentium & humilium colla propria virtute calcaui. Et alibi dicitur de sapientia, Quòd misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem, & ad menia ciuitatis. Ipsa etiam tota solida est, & insuperabilis; quia & licèt videatur posse superari in superficie, tamen quando subtilitèr attenditur, & veritas inuestigatur, manifestè inuenitur eius soliditas, quam nec philosophi, nec persecutores, nec hæretici infringere potuerunt. Super hunc autem montem Apostoli fundati fuerunt, iuxta illud, Plantabis eos in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es Domine. & alibi dicitur Ascendent Saluatores in mõtem Syon iudicare mõtem Esau. Quando autem scientia de se est alta & superari non potest, nõ

Infra. Psal. 35. Cassiod. Psal. 75. Cassiod. Psal 64. Cassiod. Matth. 19. August. Marc. 7. Chrysost. hom. 15. Eccl. 24. Prou. 9. Exo. 15. Abdiæ 1.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

debet propter soliditatē, nec potest propter sublimitatem: & hoc modo exponēs montem Interlinearis dicit. Per montem soliditas Apostolicæ doctrinæ intelligitur, quam celari non licet.

Glos.

SVMMARIVM.

Ponitur prima continuatio iſtius dicti Domini; Neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio: & oſtenditur quòd periculoſum & damnabile eſt illis qui acceperunt donum ſcientiæ, & virtutem, per ſermonem niſi alios doceant, & per exempla bonæ vitæ ad exercitium bonorum operum inducant: quia niſi hoc facerent abſconderēt lucernam ſub modio.

XI

Neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo ſunt.] Vbi ponit aliam ſimilitudinem, vel exemplum ad inducendum eos, vt Chriſti doctrinam non abſcondant. Vnde & Chryſoſt. in homil. hæc dicit. Nunc per alteram comparationem vult oſtendere, quare ſanctos ſuos ipſe Chriſtus manifeſtat, & nō ſinit eos eſſe abſconſos, quia qui accendunt lucernam, non ideo ipſi accendunt, vt ponant eam ſub modio. Et poteſt cōtinuari ad id quod ſuperius Dominus dixerat. [*Vos eſtis lux mundi.*] Quia enim homines multum illuminati in claritate diuinæ cognitionis, quandoq; nolunt ſuam doctrinam alijs cōmunicare, ſed eam in ſe & apud ſe retinere, dicentes illud Prouer. Habeto aquas tuas ſolus, nec ſint alieni participes tui; Iccirco vt oſtendat quòd illi qui ſunt illuminati non debent lumen ipſum infra ſe occultare, ſed omnibus, quantum in eis eſt, communicare, ſubdit, quod [*Non accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio,*] ideſt, non ideo Deus dat ſcientiæ ſuæ claritatem alicui, vt eam infra ſe abſcondat & contineat, ſed vt eam communicet & expandat, quia aliter quaſi fruſtra & ſine cauſa illi claritatem ſcientiæ Deus daret. Cum enim inter dona Dei quæ dantur alicui, non ſolum ad perfectionem eius, ſed & aliorum vtilitatem ſit donum ſciētiæ, dicente Apoſtolo: Vnicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem (ſupple ſecūdum Glo.) Eccleſiæ: & poſtea ſubditur, donum ſcientiæ: iccirco qui hoc donum, quod ex ſe eſt ordinatum ad Eccleſiæ vtilitatem, vult abſcondere vel celare, cōtra rationem dicti doni facit, & etiam contra intentionem donatoris. Vnde & Auguſt. 22. lib. contra Fauſtum cap. 56. dicit. Plerique bono ingenio præditi, ſtudioq; flagrantes: quamuis idonei regendis populis eſſe poſsint, tamen vitant propter turbulētas occupationes, & in doctrinæ ociū toto pectore tanquam in ſpecioſę Rachelis feruntur amplexum, ſed quia bonum eſt, vt etiam hæc vita latius innoteſcens, popularem gloriam mereatur: iniuſtum eſt autem vt eam conſequatur, ſi amatorem ſuum adminiſtrandis eccleſiaſticis curis aptum & idoneū, in ocio detinet, nec gubernationi communis vtilitatis impertit: Propterea Liæ ſorori ſuę dicit. Parum eſt tibi, quòd virum meum accepiſti, inſuper & mandragoras filii mei vis accipere? quaſi dicat: Parum eſt quòd homines ad laborem rerum gerēdarum, neceſſarios in ocio detinet vita ſtudiorum, inſuper & laudem popularem requirit; ſed ſi vis vtrunque habere, fac vt qui virtute laborioſa regimini populorum accommodati ſunt, etiam ſi ſcientiæ vacare delegerant, ſuſcipiant experientiam tentationum, curarumq; ſarcinam pro vtilitate cōmuni, ne ipſa doctrina ſapientiæ, cui vacare ſtatuerunt, blaſphemetur. Sic ergo qui vtilis poteſt eſſe multis, & præfert vtilitati multorum ſuum proprium ociū, nec vult Eccleſiam per doctrinam & vitam illuſtrare, ſed ſe abſcondere, lucerna ſub modio eſt, quæ ad nihilum vtilis eſt: & Dei (quātum in eo eſt) fruſtratur intentionem, qui eum ad hoc illuminauerat, vt eius luce cæteri illuminarentur. Vnde & hīc dicit Remigius. Sicut nēmo accēndit lucernam, vt ponat eam ſub modio, ſed ſuper candelabrū, vt luceat omnibus qui in domo Dei ſunt; ſic & ego non elegi vos, vt ſal terræ ſitis, & lux mundi, & ciuitas poſita ſupra montem, vt occultemini, ſed vt omnibus manifeſtemini, quatenus veſtro exemplo, & doctrina plurimi erudiantur. Magnum enim inſtat illis periculum, qui lucernam ponunt ſub modio, qui ligatis manibus & pedibus mittētur in tenebras exteriores; ſicut & inutilis ſeruus, qui acceptum talentum Domini, non fodit ad menſam, ſed abſcondidit in terra, vel ligauit in ſudario. Vnde & Bernardus 18. ſer. ſuper Cantica dicit. Spiritus ſanctus gemine cuiuſdam operationis ſuę, experimentū nobis demōſtrat. Vnius quidem qua nos primò intra nos virtutibus ſolidat ad ſalutem, alterius verò qua foris quoque muneribus ornat ad lucrum. Illas nobis, hæc noſtris accipimus: verbi gratia, fides, ſpes, charitas nobis propterea dātur (quia abſque his ſalui eſſe non poſſumus) porrò ſcientiæ ſeu ſapientiæ ſermo, gratia curationis, prophetia, ſimiliaque quibus carere cum integritate etiam ſalutis proprię poſſumus, expendenda in ſalutē proximorum

Prou. 5.

1. Cor. 12.

Auguſt.

Remig.

Bern.

ximorum proculdubio donantur; sanè cauẽdum est in his, aut dare quod nobis accepimus: aut quod erogandum accepimus, retinere. Rem profectò proximi retines tibi, si (verbi caussa) plenus virtutibus cum sis, foris̃q; nihilominus donis scientiæ, & eloquentiæ adornatus, metu fortè, aut segnitie, aut minus discreta humilitate, verbum bonũ, quod posset prodesse multis, inutili immo & damnabili ligas silentio, certè maledictus quòd frumenta abscondis in populis; & Glos. hîc
Glos. dicit. Domesticis exemplis docet ne celent lucem verbi sibi cõmissam. Non enim accendunt lumen, idest, non ideo data est doctrina prædicationis, vt celent eam & subiiciant seruituti corporis, dum aliquẽ timent, sed accensa est lucerna, vt corpus suum ministerio Dei subiiciant, & per vocem cæteraq; corporis officia, lux excellentior cæteris appareat.

SVMMARIVM.

Ponitur secunda continuatio, & expositio, & ostenditur quòd si dono scientiæ quod quis accipit ad alios docendum, non velit vti, perdit scientiam; sicut lucerna posita sub modio in quo aer exterior subingredi non potest, extinguitur per se ipsam consumpto aere, qui infra modium euersum continetur.

XII VEl etiã potest continuari ad id quod dictum est: [*Vos estis lux mundi.*] Propter quod soliciti esse debetis ne lumen, quod estis extinguatur, quod fieret si sub modio poneretur. Lucerna enim sub modio posita, non solum inutilis est cum modius oculos non habeat ad videndum, & lumen abscondat ne ab habẽtibus oculis videatur aliquid, sed etiã lucerna sic sub modio posita, per se ipsam extinguitur, consumpto aere per ignem lucernæ, qui infra modium continebatur: quemadmodum candela accensa, in amphora posita cuius orificium est in aqua, vt aer nouus nõ possit subingredi, citius extinguitur, quàm aqua perueniat ad candelæ ignem: & eodem modo consumpto aere per lumen lucernæ, quod erat inclusum sub modio, si alter aer non possit subingredi, lucerna extinguitur, & sic non solu est inutile ponere lucernã sub modio, sed etiam est causa extinctionis lucernæ. Et eodem modo qui scientiam, qua possunt multi erudi, abscondunt sub silentio, non solum reddunt eam inutilem, sed etiã destruunt eam; Propter inconsiderare enim sciẽtia, quantũcunque perfecta, perditur & obliuioni traditur; communiter enim non ita attentè homines solent considerare sicut quãdo alios habent docere, vel alios consulere. Vnde & Bernardus in primo libro ad Eugenium dicit. Quòd consideratio mentem de qua oritur, purificat, regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat, & ordinat; Postremo diuinarum pariter & humanarum rerum scientiam confert. Hæc est quæ vera inuestigat, verisimilia examinat, ficta & fucata explorat; Propter quod contingit, quòd homines instructi dum alios docere nolunt, nec eis consimilium præbere, non curantes vacare studio, scientiam quam prius acquisiuerant amittũt, ipsa scientia deficiente in eis: Quemadmodum enim habitus ex actibus generatur, ita per cessationem actuum, corrumpitur & deficit in se ipso. Vnde ad hanc intentionẽ continuans Chrysost. in hom. hæc dicit. Ego, inquit, accendi lucernam vestram, manere autem eam ardentem vestri sit studij: quod nõ fit aliter nisi quando lucerna super candelabrum ponitur; & idem dicit super Marcum. Si meditationes, aut recordationes, quæ nutriunt lumen scientię in illis, in quibus lucerna talis accenditur, negligantur, mox horum scientia extinguitur.

Bernar. Chrysost. hom. 15. Idem.

SVMMARIVM.

Ponitur tertia continuatio & expositio, & ostenditur, quòd Christi doctrina Apostolis data non debebat abscondi per eos, sed debebat manifestari toti mundo: quia erat vtilis & necessaria toti humano generi.

XIII VEl etiam potest cõtinuari ad id quòd dictum est [*Vos estis lux mundi.*] secundum Chrysost. Apostoli enim sunt lux dicti, quia scientia diuinorum per Christum sunt instructi. Hæc autem scientia non est talis quòd abscõdi debeat cum sit vtilis & necessaria ad salutem toti mũdo; propter quod licet paucis Apostolis fuerit inspirata per Christum & tradita; non fuit tamẽ eis inspirata, vt ipsi intra se eam retinerent, sed vt eam omnibus manifestarent. Et hoc est quod dicit [*Non accendunt lucernam*] idest, Pater & Filius & Spiritus sanctus non inspirauerunt diuinam scientiam Apostolis, vt eam in illis quasi sub modio occultarent, sed accenderunt eam, vt super cãdelabrum, idest, vt palam & manifestè eã omnibus hominibus annũdicarent. Vnde & Chryso. super Marcum dicit. Hoc dictũ est non vt doctrina Christi manifesta maneat occulta tanquam sub modio posita, sed vt dignis manifestaret.

Chrysost.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Glos. Luc. 8. Et Glo. super illud Luc. Nemo accendens lucernam dicit. Ostendit per eosdem Apostolos aliquando etiam cæteris idem mysterium esse reuelandum, & omnes, qui domum Dei essent intraturi, flamine fidei illustrandos: quasi dicat. Vobis pando mysteria, in vobis accendo lumen fidei: vos autem hanc eandem lucem alijs pandite, nec timore carnalium incommodorum eũ abscondite. Vnde & Petrus loquens de Prophetis, dicit. Quòd eis reuelatum est Christi mysterium quia non sibimetipsis, vobis autem ministrabant ea quæ nunc nunciata sunt vobis. 1. Pet. 1.

F

G

SVMMARIVM.

Ponitur quarta continuatio & ostenditur, quòd propter commoda vel incommoda terrena habenda vel vitanda, non debet ille qui diuina scientia est instructus, abscondere diuinam scientiam, quia tunc poneret lucernam sub modio, ideſt, commoda vel incommoda terrena præponeret doctrinæ Christi.

H

XIIII Vel etiam potest cõtinuari ad id quod superius dicebatur, quòd persecutiones & odia propter Christi prædicationem tolerare debebatur. Vnde ne timentes incommoda temporalia, vel curantes, vel cupientes acquirere bona terrena, cessarent à prædicatione veritatis & doctrinæ Christi, dicit, quòd [*Non accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio*] ideſt, non ideo sunt illuminati Apostoli, vt propter commodum, vel incommodum temporalium, prędicationem veritatis abscondant. Per modium enim, qui est mensura aridorum (in liquidis enim scriptura non solet vti nomine modij) intelligitur terrenorũ affectio. Vt enim dicit Hieron. circa principium 14. lib. super Ezech. chorus habet triginta modios, & in vtraq; mensura, hoc est, tàm aridarum quàm liquidarum tenet principium, & decima pars chori in his modijs mensurata, appellatur Ephim, ideſt, tres modij; & decima pars chori in speciebus liquidis vocatur Bathus; ephi autem (vt dicit ibidem) dicitur ad mensuram partium, verbi gratia tritici, ordei, leguminum. Ex quibus patet quòd modius est mensura rerum aridarũ, & per consequens significat bona terrena: Vocauit enim Deus aridam terram. Vnde qui propter commodum, vel incommodũ temporalium habendum vel fugiendum, occultat veritatis prædicationem, lucernam sub modio ponit, quod nullo modo fieri debet. Vnde & August. 1. lib. de serm. Domini in monte dicit. Hoc est ponere lucernam sub modio, superiora facere commoda corporis quàm prædicationem veritatis; vt ideo quisq; veritatem non prædicet, dum timet ne aliquid in rebus corporalibus molestiæ patiatur. Vnde & Paulus hoc à se remouens dicit. Vincula & tribulationes me manent Hierosolymis, sed nihil horum vereor: nec facio animam meam præciosiorem quàm me, dummodo consumem cursum meum, & ministerium verbi quod accepi à Domino Iesu, testificari Euangelium gratiæ Dei. Hieron. Aug. Act. 20.

I

K

SVMMARIVM.

Ponitur quinta continuatio & expositio, & ostenditur, quòd boni magistri est clarè & apertè docere diuinam scientiam suis subiectis, nec eam velare, vel abscondere.

XV Vel etiam potest cõtinuari ad id quod dictum est [*Vos estis lux mundi*] quod sit quasi expositio proprietatum lucis. Cũ enim de ratione lucis sit, quòd se & alia manifestet, per hoc quòd dictum immediatè est. [*Non potest Ciuitas abscondi supra montem posita*] declaratur prima lucis proprietas, quia se per se manifestat: quemadmodum Ciuitas supra montem posita. Sed per hoc quod hîc dicitur, [*Non accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio*] ostenditur secunda lucis proprietas, quia scilicet alia manifestat & clara facit, & etiam lucida: & tunc esset sensus. Non sufficit quòd vos sitis lux mũdi, & vos manifestetis, & claros antè hominum oculos vos ostendatis, nisi laboretis & operam detis, quòd alijs vestri similes in claritate reddantur. Hoc enim boni magistri est, quòd operam det & laboret ad hoc, quòd eius discipuli perueniant ad scientiæ claritatem, in qua ipse est, vel etiam in maiori; & si non peruenerint, quòd doleat & tristetur; dicẽte Chrysost. super Ioan. hom. 12. Licet consolationem habentes hanc quòd secundum laborem nostrum proprium, & non secũdum rerum finem mercedem recipiemus, tamen si non proficimus subiectis gemimus: quemadmodum & agricolæ si terra nihil dignum attulerit, iuxta quantitatem afflictionis, sudoris, & laboris; flent, occultantur & verecundantur. Hæc enim Doctoris est compassio, hæc est patris procuratio: inconueniens enim est filios habentem stolidos nole aliorum vocari patrem, sed illorũ qui ab eo progeniti sunt: discipulos vero sibi cõmissos alios ex alijs transmutare semper: & nunc quidem horum, rursus verò illorum perfistentiam rapere, & ad nullum familiariter di-

Chrys. hom. 12.

sponi.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

sponi. Quia enim multi sunt Doctores, illuminati quidem in se multum, & volentes hoc esse omnibus notum, quemadmodum Ciuitas posita supra montem, & tamen alios clarè docere nolunt, sed suam doctrinam occultant, nolentes quòd eorum discipuli ad tãtam perueniant scientiam ad quantam peruenerunt ipsi: iccirco ne Apostoli tales sint, eis præcipitur quòd lucernã, ideſt, scientiam non abscondant, vel occultent; sed ad hoc laborẽt, vt omnes existẽtes in domo Ecclesiæ sint instructi & illuminati quemadmodũ & ipsi. Vnde & Moyses reprehendens Iosue, quia ei displicebat, quòd Eldad & Meldad prophetabant in castris, dicit ei. Quid æmularis pro me? quis tribuat, vt omnis populus prophetet, & det eis spiritũ suum? Et Paulus dicit. Opto apud Deum, & in modico non tantum te, sed & omnes, qui audiunt hodie tales fieri, qualis ego sum. Vnde & Theophilatus sup illud Lucę 11. Nemo accendit lucernam, & in abscondito ponit neq; sub modio; Sapiens(ait)iam ingressus est cognitionem, qui verò addiscit adhuc ambulat: oportet autem eos qui habent intellectum, & notitiam, & alijs declarare.

Num. 11.
Actu. 26.
Theophi.

SVMMARIVM.

Ponitur sexta continuatio & expositio, & ostenditur, quòd lumen quod Christus est, in Apostolis habitans, non debebat abscondi in eis: nec solum in vna gente, vel populo eius claritas prædicari, sed per totum mundũ, per Apostolos & alios Discipulos propalari.

XVI

VEl etiã potest continuari ad id quòd supra dictum est. [*Vos estis lux mundi*] quia ex hoc Apostoli erãt lux mũdi, quia in se verum lumẽ, quod illuminat omnem hominem continebant, quod quidem lumen Christus est; qui quidem homo fieri voluit cum Deus esset, vt mundum totum illuminaret: ipse autem Christus homo factus, lucerna dictus est, quia lucerna est lumen absconditum in testa, quia diuinitas in Christo latebat in carne: quæ lucerna non venit in mundum, nec fuit accensa vt absconderetur in paucis hominibus eius claritas, sed vt toti mũdo manifestaretur, iuxta illud. Parum est vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & feces Israel conuertendas. Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremũ terræ: ideo lumen Christi non erat abscondendum infra duodecim Apostolos, nec inter populum Iudæorum, sed ad totum mundum peruenire debebat. Vnde & Glo. hîc

Isa. 49.
Glos.

dicit. Christus lucernam accendit, dum testam humanæ naturæ flamma suæ diuinitatis impleuit, quam nec credentibus abscondit, nec modio, ideſt, mẽsura legis, vel intra vnius gentis terminos inclusit. Et tunc etiam sensus est. Ego qui sum lucerna mundi non veni, vt abscondar, sed vt vbique manifester, hanc autem manifestationẽ per vos fieri volo: propter quod præcipio, quòd non ponatis me sub modio, sed super candelabrum, ideſt, ad notitiam omnium hominum me producite.

SVMMARIVM.

Quòd ad hoc vt aliquis in candelabro Ecclesiæ ponatur ad illuminandum & docẽdum alios, oportet quòd sit & lumine diuinæ scientiæ illustratus, & amore diuino accensus, & inflammatus: quorum si alterum desit, non expedit ei, quòd super tale cãdelabrum ponatur.

XVII

QVibus visis, intelligendum est circa literam quòd diuinorum cognitio, vel etiam Christus non vocatur lucerna simpliciter, sed lucerna accensa. Potest enim esse lucerna quæ tamen non luceat, neque accensa sit: quemadmodum oculus hominis in tenebris, est lucerna, quia habet lucem incorporatam, quæ tamen non lucet in tenebris, nec etiam est accensa; Sic etiam aliqui sunt lucerna quæ lucet, tamen quia non ardet non dicuntur lucerna accensa; Vnde & fatuæ virgines ornant lampades, & tamẽ dicunt quòd lampades earum extinguuntur: & sic ad hoc quòd sit lucerna accensa duo requirũtur, scilicet quòd luceat, & ardeat. Vnde & Bernar. exponens illud, Ioannes erat lucerna ardens & lucens, dicit in sermone de natiuitate Sancti Ioannis Baptistæ. Est enim tantum lucere vanum, tantum ardere parum: ardere & lucere perfectum; Diuina autem scriptura non solum illuminat intellectum ad cognitionem, sed etiam ancendit affectum ad charitatis feruorem, iuxta illud. Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis; quod in aliis scientiis non est: Sic enim aliæ scientiæ illuminant intellectum, quòd non inflammãt affectum, propter quod licet possent dici lucerna, tamẽ propriè non possunt dici lucerna accensa. Vnde dicitur de impiis. Nonne lux impii extinguetur, nec splendebit flamma eius ignis? Lux obtenebrescet in tabernaculo illius: & lucerna quæ est super eum, extinguetur: sed de iustis dicitur: Non extinguetur in nocte lucerna eius; Et ex hoc quòd Apostoli talis lucerna fuerunt, quæ

Ioan. 5. Bernar.
Psal. 38.
Iob 18.
Prou. vlt.

ardebat

ardebat & lucebat, nullo vento tentationis, nullo frigore persecutionis extingui, vel tepescere potuerũt, sed semper accensi permanserunt. Vnde & Bernard. in prædicto serm. dicit. Deus feruorem ab omnibus exigit, splendorem vero non ita; Cæterum singulariter Apostolis, & Apostolicis viris dicitur: [*Luceat lux vestra coram hominibus*,] nimirum tamquam accensis, & vehementer accensis, & quibus non timeatur à flatu quolibet, aut impulsione ventorum. Vnde qui solum sunt per diuinam scripturam lucerna illuminati, scilicet per cognitionem, & non sunt accensi per charitatis feruorem, non sunt exponendi flatibus humanæ laudis, vel vento tentationis, sed sunt abscondendi ad tempus, quousque spiritu ferueant, ne si exponerentur, lumen quod in eis est subita aura laudis humanæ extingueretur. Sed illi qui & sunt illuminati per scientiam, & accensi per amorem, non sunt abscondendi, sed super candelabrum ponendi, quia non est timendum quòd extinguantur cupiditate, vel timore mundano. Vnde dicitur de Apollo quòd erat vir eloquens, potẽs in scripturis: hic erat edoctus viam Domini, & feruens spiritu loquebatur, & docebat diligenter ea quæ sunt Iesu. Ad quod Dominus attendens nõ dixit quòd lucerna non esset abscondenda, sed dixit quòd non erat abscondenda lucerna accẽsa: Sicut enim non illuminatus lumine scientiæ diuinæ, non potest alios illuminare, sic etiam nõ feruens in diuino amore, non potest alios feruidos facere, nec etiam sibi ipsi prodesse; Propter quod si alterum horum desit, non debet in loco eminenti constitui, sed abscondi: Sed quando homo est lumine diuinæ scientiæ illustratus, & diuino amore accensus, quia sibi & alijs multum prodesse potest, non est abscondendus, sed super candelabrum Ecclesiæ erigendus, iuxta illud. Qui timent Dominum, inuenient iudicium iustum, & iustitias quasi lumen accendent. Vnde Hylar. 8. de Trin. dicit. Ita enim quę propria disciplinæ ac morum sunt, ad sacerdotij meritum vtilia sunt, si hæc etiam quæ ad docendæ ac tuendæ fidei scientiam necessaria sunt, inter reliqua nõ deerunt. Quia non statim boni atq; vtilis sacerdotis est, aut tantummodo innocẽter agere, tantummodo scienter prædicare; cum & innocens sibi tantum proficiat, nisi doctus sit, & doctus sine doctrinę auctoritate sit, nisi innocens sit. Vnde & Apostoli quamdiu non fuerunt spiritu feruentes, licet à Christo illuminati fuissent per scientiam, non fuerunt expositi ad prædicandum toti mundo, sed dictum est eis. Sedete in Ciuitate quousque induamini virtute ex alto: sed postquam Spiritum sanctum in linguarum ignearum specie susceperunt, nõ se absconderunt, sed sicut accensi & illuminati, totum mundum illuminauerunt scientia diuina, & ardere fecerunt amore diuino. Vnde Augustin. in quoddam serm. de Pentec. dicit. Apostoli, qui antè verbis deterrebantur, nunc pœnis & cruciatibus roborantur, & Christum Dominum iam vocibus & moribus confitentur, ac dilectionis magnitudinem sanguinis effusione testantur, vt calefacti, & accensi mero dominicæ charitatis. Et Bernard. 1. serm. de Pentecost. dicit. Venit super Discipulos Spiritus sanctus in linguis igneis, vt linguis omnium gentium verba ignea loquerentur, & legem igneam linguæ igneæ prædicarent. Ex quibus clarè patet quòd ad hoc quòd aliquis super candelabrum Ecclesię ponatur, duo necessariò requirũtur, scilicet vt sit lucerna illuminata lumine diuinæ agnitionis, & vt sit accensa igne diuini amoris: quibus existentibus, non debet abscondi sed propalari. Ad quod attendens Dominus vtramque ponit, scilicet lucernam & accensam.

Bernar. Act. 18. Eccl. 32. Hylar. Luc. 12. Augustin. Bernar.

SVMMARIVM.

Ponuntur quatuor proprietates lucernæ corporalis, quæ spiritualiter Apostolis conuenerunt, & ideo Apostoli lucernæ sunt dicti.

APostoli autem, & alij sancti lumine diuinæ scientiæ illuminati, dicti sunt lucernæ. Primò, quia lucerna non habet à se lumen, sed ab alio mutuat, tamen lumen receptum ab aliquo, alijs rebus communicat: & eodem modo quia diuinorũ cognitio non inest homini à se & per se, sed ipsam habet à Deo, iuxta illud Docet hominem scientiam, dicente Hilario 1. de Trinit. Ad æternę Trinitatis contemplandam indulgentiam humana mens deficit. Et Augustinus 11. de Ciuitate Dei cap. 3. dicit. Scriptura canonica eminentissimæ authoritatis est, cui fidem adhibemus de ijs rebus quas ignorare non expedit, nec per nos ipsos nosce idonei sumus: iccirco benè humanus intellectus diuina scientia illuminatus, lucerna vocatur, iuxta illud: Tu illuminas lucernã meam, domine Deus meus illumina tenebras meas. Vbi dicit Augustin. in Originali. Non est lumen nostrum ex nobis, sed tu illuminas lucernã meam domine. Et Cassiodorus exponẽs illud quod dicitur Domino dicit. Quoniam tu lucernam meam illu-

Psal. 95. Hylar. Augustin. Psal. 17. Augustin. Cassiod.

minas,

minas, ideſt, Ioannem Baptiſtam, & cæteros Apoſtolos, vel eos qui cæleſti lumine radiare noſcũtur. Illumina tenebras meas, hoc eſt, per eos reliqua membra credentium, quæ adhuc in carnis obſcuritate verſantur. Et Auguſt. prima parte & ſermone primo ſuper Ioan. dicit. Ioannes inſpiratus à Deo, ſed tamen homo; quia inſpiratus, dixit aliquid, ſi nõ inſpiratus eſſet, dixiſſet nihil; quia verò homo inſpiratus, non totum quod eſt dixit, ſed quod potuit homo dixit. Et ſermo. 2. dicit. Ioannes Baptiſta erat lux, ſed non vera lux, quia per eum non illuminantur tenebræ, ſed illuminatione factus eſt lux: niſi autẽ illuminaretur, tenebræ erat. Sic ergo quia Apoſtoli & alij Sancti diuinorum cognitionem non à ſe, ſed à Deo, qui eſt vera lux, habuerunt; iccirco lucernæ vocãtur. Secundò vocantur lucernę, quia cum oculus infirmus non poſsit per ſe, & immediatè reſpicere lucis ſolis in ſuo fonte claritatem, & ſi hoc facere conaretur nec lucem illam videret, nec alia quæ videre poſſet niſi hoc feciſſet, poſtea videre poteſt; dicente Hilario 10. de Trinitate. Sol ita videndus eſt, vt poſsit videri; tãtusq; excipiendus eſt lumine, quãtus admittitur: ne ſi plus velimus ſpectare, minus quoque quàm poſſumus conſequamur. Si autem non in ſuo fonte, ſed in aliquo obſcurè eam videat, videre eam delectabiliter poteſt: propter quod oculus ſaucius poteſt videre ſolis claritatem, vel intra, vel in nube, & luminis ignei claritatem in lucerna. Et quia homines mundi propter debilitatem intellectus eorum, quæ prouenit ex peccato non poterant lumen cognitionis diuinę recipere in ſua claritate: iccirco diuina cognitio tradita fuit Apoſtolis, qui vt homines erant obſcuri: vt ſic ſcientia diuinorũ, in eorum mentibus obſcuris exiſtens, faceret eos lucernam aliorum mentibus hominum cõtemperatam, vt infirmi lumen diuinum in eis, & per eos poſſent videre: & iccirco Apoſtoli lucernæ vocantur, quia per luminis obſcuritatem facti ſunt proportionabiles oculis infirmis aliorum hominum. Vnde dicit Apoſtolus. Sitis ſine reprehenſione in medio nationis prauæ, & peruerſæ, inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo, verbum vitæ continẽtes. Et Auguſt. parte prima ſuper Ioan. dicit. Veniebat lux vera ad mentes infirmas, ad corda saucia, ad animæ aciem lippientis: & vnde poſſet talis anima videre quod perfectum eſt? & reſpondens ſubdit. Quomodo plerunque fit, vt in aliquo corpore radiato cognoſcatur ortus eſſe ſol, quem oculis videre non poſſumus, quia & quis ſaucios habẽt oculos, idonei ſunt videre parietem illuminatum, & illuſtratum à ſole, vel montem, vel arborem, aut aliquid huiuſmodi; & in alio illuſtrato demonſtratur illis ortus ſol, cui videndo adhuc minus idoneã aciem gerunt: ſic omnes illi, ad quos Chriſtus venit, minus idonei erãt eum videre: Iccirco radiauit Ioannem, & per illum radiatum cognitus eſt ille, qui illuminat & illuſtrat. Et eodem modo ſcientia diuina, quaſi obumbrata in mentibus Apoſtolorum, facta eſt proportionalis mẽtibus infirmorum: propter quod rectè Apoſtoli lucerna ſunt dicti; de quibus lucernis poteſt accipi id, quod habetur Iob. Splendebat lucerna eius ſuper caput meum, & ad lumen eius ambulabam in tenebris. Tertiò Apoſtoli dicti ſunt lucerna, quia mundum totum in nocte infidelitatis, & peccatorum tenebris conſtitutum, ſua prędicatione illuminauerũt; Lucerna enim adhibetur ad fugandas, & illuſtrandas noctium tenebras. Vnde Caſsiodorus exponens illud Pſalmi: Lucerna pedibus meis verbum tuum, dicit. Sciens propheta huius ſeculi noctem diuerſis offenſionibus irretitam, vt alibi laqueos, alibi ſcopulos, alibi cõtineat profundiſsimas vaſtitates; pedibus ſuis lucere verbum Domini teſtatur, ne abſentia veri luminis incidat in ruinam, quam per ſuam prouidentiam vitare nõ poterat. Sed hîc verbum illud debet intelligi, quod per ſcripturas ſanctas prophetarum ore ſeminatũ eſt: quod benè appellauit lucernam, quæ humanis vſibus data eſt ad debellandæ noctis profundiſsimam cęcitatem; ſicut & Petrus dicit. Habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui benè facitis, attendentes quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco; & de qua Paulo dicitur. Nunc ego mitto te aperire oculos eorum, vt conuertantur de tenebris ad lucem, & de poteſtate Satanæ ad Deum; & 2. Paralip. dicitur, Eſt apud nos candelabrum aureũ, & lucernæ eius, vt accendantur ſemper ad veſperã. Quartò Apoſtoli dicti ſunt lucernæ, quia per humilitatis cuſtodiam ſeruauerunt, & cuſtodierunt ne lumen diuinæ cognitionis, quod in eis accẽſum erat, extingueretur. Lumen enim lucernæ panno, vel cornu, vel alia re tranſparenti, & ſolida circundatur, ne flatu ventorum, vel irruptione imbrium extinguatur: Et eodem modo niſi donum ſcientiæ per humilitatem cuſtodiatur, facilè per ventum ſuperbiæ, vel humiditatem luxuriæ extinguitur. Vnde & Apoſtolus de ſe & alijs Apoſtolis loquens, dicit. Deus qui dixit de tenebris

Auguſt. Idem. Iob 29. Pſal. 118. Hilar. Caſſiod. 2. Pet. 1. Actu. 26. 2. Par. 13. Philip. 2. Auguſt.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

lumen ſplendeſcere, illuxit in cordibus
2.Cor.4. noſtris ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei, in faciem Chriſti Ieſu. Habemus autem theſaurum iſtum in vaſis fictilibus,
Gloſ. vt ſublimitas ſit virtutis Dei, & non ex nobis; Quod exponens Glo. dicit. Theſaurum iſtum, ideſt, ſcientiam iſtam, quam alios docemus, habemus in vaſis fictilibus, ideſt, in corporibus fragilibus, vt ſublimitas ſit virtutis Dei, & non ex nobis, ideſt, vt tota altitudo Dei eſſe videatur, & non noſtra; & è contra de ſuperbis di-
Iob 21. citur. Quoties lucerna impiorum extinguetur? & ibidem dicitur de eodem. Lux
Idem 18. obtenebreſcet in tabernaculo eius; & lucerna quæ ſuper eum eſt, extinguetur. Sic ergo quia Apoſtoli non à ſe, ſed à Deo fuerunt illuminati de cognitione diuinorũ; & dicta cognitio, vt fuit in eis obumbrata, fuit proportionalis oculis ſaucijs hominum mundanorum, & ad noctis infidelitatis tenebras fugandas venerunt, & magna humilitate hunc theſaurum ſcientiæ abſconderunt, & cooperuerunt: Iccirco rectè lucerna ſunt vocati, quia conceptum lumen mentis in anima emicans, quo inter ſe illuſtrarentur, habuerunt: quemadmodum & lucerna infra ſe lumen habet, quo illuſtretur, & ex ea lux egreditur, qua circumſtantia irradientur, vt dicit
Lucæ 12. Theophi. exponẽs illud [*Lucernę ardentes.*]

SVMMARIVM.

Quòd Apoſtoli dicti ſunt lucerna accenſa, quia nec aduerſis, nec proſperis huius mundi ceſſit eorum feruens charitas, quam habebant ad Deum: quæ lucerna fuit accenſa per totam Trinitatem.

XIX SEd huiuſmodi lucernæ ſunt accenſæ flamma charitatis, quæ extingui proſperitatibus, vel aduerſitatibus huius mũdi nullo modo potuerũt, quia vt dicitur,
Cant. 8. Lampades eius, lampades ignis, atq; flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruẽt
Rom. 8. illam: & Apoſtol. dicit. Certus ſum enim quòd neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neq; altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Propter quod rectè lucerna accenſa dicti ſunt: Quam lucernã, Dei ſapientia, ideſt, Chriſtus in eis abſcon-
Luc. 15. dit, iuxta illud Mulier accendit lucernã, & euertit domum, & quærit diligenter drachmam, donec inueniat. Accendit etiã

F eam Pater & Spiritus ſanctus, quia opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa. Vnde & hic dicit Chryſ. in expoſi. Qui ſunt accenſores lucernæ? Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Quæ eſt illa lucerna? verbum diuinum, de quo dictum eſt lucerna pedibus meis verbum tuum.

Chryſoſt. Pſal.

SVMMARIVM.

G *Quòd lucerna accenſa non debet poni ſub modio, & oſtenditur quid ſignificet modius euerſatus, & quas habeat proprietates.*

XX HAec autem lucerna accenſa non debet poni *ſub modio*] Modius autem, vt dicit Hiero. 14. lib. ſuper Ezechiel, eſt menſura aridorum, vt tritici, ordei, & leguminum, quæ menſura eſt tertia pars Ethy: quæ menſura accipitur in aridis, & Ethy eſt decima pars chori, ita quòd in menſura vocata chorus ſunt triginta modij, & decem menſuræ vocatæ Ethy, vt ibidem ſatis declaratur. Sed hîc per modium non
H aliud intelligitur niſi quædam menſura concaua, quæ ſi euerſa fuerit, & lucerna fuerit poſita in ea, vel ſubtus eam, omnino inutilis redditur, iuxta illud. Sapientia abſconſa, & theſaurus inuiſus, quæ vtilitas in vtriſque? Modius autem euerſatus, ſub quo lucerna poni non debet, habet fundum ſuperius, & concauum inferius: lumen etiam poſitum ſubtus modium extra non diffunditur, ſed infra modium totaliter includitur, nec permittitur ſe diffundere, ſed infra modium reflectitur.
I Modius etiam euerſatus non eſt aptus ad motum, qui lateralitèr ſituatus facilis eſt ad motum, vtpote circularis figuræ: perdit etiam, dum ſic ſtat, capacitatem ſuam, qui dum rectè ſtabat, capax rerum menſuratarum erat; Per quæ omnia ſignificantur nocumenta, & mala, quæ ſequitur lucerna accenſa ſub modio poſita, & ſapientia abſconſa; Propter quod lucerna non debet poni ſub modio, nec ſapientia abſcondi.

Hieron. Eccli.

SVMMARIVM.

K *Quòd tunc primò lucerna ponitur ſub modio, quando bona corporis præferuntur bonis animæ: vt ſi quis dimittat prædicare veritatem, ne offendat illum, à quo ſperat commoda corporis habere; vel alicui aduletur, vt temporale commodum ab eo aſſequatur: vel ſi propter humanam gloriam acquirendam, vel commoda temporalia habenda quis prædicet, & non propter Deum, vel proximorum ſalutem.*

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

XXI PRimò enim modius euersatus fundum habet superius, & concauum inferius, per quæ significatur quòd talis homo suũ corpus præfert animæ suæ, quia partem inferiorem sui ponit superius, & partem superiorem inferius. Propter duo enim, malè & peruersè homines sapientes suam abscondunt sapientiam, scilicet, vel propter commoda corporis acquirenda, vel propter pœnas corporis vitandas, vel alia commoda corporis acquirenda: quemadmodum Balaam, de quo dicitur. Secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amauit: Sed propter incommoda corporis vitanda verbum Domini voluit tacere Hieremias, sed non potuit: iuxta illud, Factus est mihi sermo Domini in opprobrium & in derisum tota die, & dixi. Non recordabor eius, & non loquar vltra in nomine illius. Et factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis, & defeci, ferre non sustinẽs. Et ad Baruch dicitur eodem lib. Dixisti, Væ mihi misero, quoniam addidit Dominus dolorem dolori meo: Laboraui in gemitu meo, & requiem non inueni. Et Augustin. has duas causas simul ponens 1. de Ciuit. Dei cap. 9. dicit. Plerunque à peruersis hominibus docendis, & admonendis, aliquando etiam obiurgandis, & corripiendis malè dissimulatur; vel cum laboris piget, vel cum os eorum coràm verecundamur offendere; vel cum earum inimicitias deuitamus, ne impediant, & noceant in istis tẽporalibus rebus: siue quas adipisci adhuc appetit nostra cupiditas, siue quas amittere formidat nostra infirmitas. Quod faciẽtes, corpus suum præferunt animę, & superius ipsum cõstituunt, cũ propter eius commoda acquirenda, vel incommoda euitanda, prædicare, docere, obiurgare, corripere, & arguere malos homines non audeant: immo (quod deterius est) vt à malis diuitibus pecunias extorqueant, vel vt eorum fauorem acquirant, eis adulantur, & eorum laudãt malitiam, iuxta illud, Laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, & iniquus benedicitur; & Augustin. 1. de Trin. in principio dicit. Laudator dum errat confirmat errorem, & adulatum illicit in errorem: Iccirco lucernam, ideſt, sapientiam sub modio ponunt, ideſt, si docent vel prædicant, hoc non faciunt nisi propter honores, diuitias, vel fauores humanos consequendos: & si tacent, hoc non faciunt nisi propter timorem, ne inhonorentur, depauperentur, vituperẽtur à malis hominibus, quos corrigere & arguere deberent: de quibus dicit Apostolus. Huiusmodi Christo Domino non seruiunt, sed suo ventri: & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium. Vbi dicit Gloss. Quòd huiusmodi homines alijs adulantur, alijs detrahunt, vt possint suum ventrem implere: & compositis verbis suam traditionem commendant, vt simplicium corda decipiant; & hoc mõdo exponit Augustinus lucernã positam sub modio 1. lib. de serm. Domini in monte, dicens. Hoc est ponere lucernam sub modio, superiora facere corporis commoda, quàm prædicationem veritãtis: vt ideo quisque veritatem non prædicet, dum timet ne aliquid in rebus corporalibus molestiæ patiatur. Et infra. Sub modio lucernam ponit, quisquis dum lucem doctrinæ bonæ commodis temporalibus obscurat, & tegit; & Remigius hîc dicit. Quicunq; lucem sanctæ prædicationis occultat propter lucra terrena: Similiter qui curam carnis præfert sanctæ prædicationi, & ideo prædicat vt aliquid accipiat, lucernam sub modio ponit. Quatuor enim modis præfertur corpus, vel bona eius animæ illustratæ diuina sapientia; vel dum timet amittere bona terrena quæ possidet, prædicare manifestè non audet, timens offendere peccatorem: vel dum laborem & fatigationem studij & prædicationis fugiens, non vult insistere lectioni & doctrinæ, magis appetens quietem corporis sui quàm proximorum salutem: vel dum terrena appetẽs exquirit modos placendi diuitibus, vt ab eis commoda temporalia accipiat non audens offendere eos, nec loqui eis nisi placentia: vel licet prædicet, arguat, corripiat, & cætera talia faciat, quæ sunt ad aliorum instructionem, tamen hoc non facit nisi propter hominum laudem. Et è contra Apostolus docens Timotheum, dicit. Attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ: attende tibi & doctrinæ; & hæc contra pigritiam. Et ad Titum dicit idem. Argue cum omni Imperio, nemo te contemnat: & hoc quantum ad reprehensionem malorum; & de duobus vltimis dicit idem de se & alijs Apostolis. Neque aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis; neque in occasione auaritiæ, Deus testis est; neque quærentes ab hominibus gloriam, neque à nobis, neque ab alijs. Quocunque autem modo prędictorum commoda corporis doctrinæ veritatis præferantur, inferius modij ponitur superius, & sic lucerna sub modio poni dicitur, quia tunc modius est euersatus.

1. Pet. 2. Hiere. 20 Idem 45. Augustin. Psal. 9. Augustin. Rom. 16. Gloss. Augustin. Remig. 1. Tim. 4. Titum 2. 1. Thess. 2.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

SVMMARIVM.

Secundò ille ponit lucernam sub modio, qui lumine diuinæ scientiæ illustratus, quo alios docere posset, docere non vult, sed intra se suam scientiam retinere: & ille etiam qui alios docere volens, sic enigmatibus, & ambiguis locutionibus suam doctrinam velat, quòd vix à nullo, vel à paucis etiam cum magna difficultate intelligi potest.

XXII SEcundò, quando lucerna posita est sub modo, nō potest radios suos extra modium diffundere, sed intra modium reflectuntur; per quod significantur sapientes homines, qui alios nolunt instruere, sed ipsi intra se (quantum in eis est) omnino scientiam suam volunt includere, incurrentes illam maledictionem quæ ponitur Prou. 11. Prouer. 11. Qui abscondit frumenta sua maledicetur in populis: Sicut è contra seruus fidelis & prudens dat cibum in tempore familiæ sibi cōmissæ. Quod quidem Matt. 24. magnum crimen est, cum illud retinetur inclusum, quod ex sua natura ad multa se diffundit, & tamen propter talem diffusionem nihil perdit ille, in quo est principium diffusionis. Non enim mirum est si illa bona, quæ per communicationem diminuuntur in illo qui ipsa communicat, infra se vult retinere, ne per communicationem talia bona postea non habeat, vel minus habeat, cuiusmodi bona sunt multa corporalia, vt pecunia, animalia, vestes, victualia, & cætera talia: Sed magnæ improbitatis est, quod illud homo velit sibi retinere, quod multis cōmunicatum, non minus immo magis in ipso perficitur & abundat: cuiusmodi bonum est scientiæ lumen, quod multis communicatum non diminuitur in communicāte, immo & augetur; propter quod rectè talis inuidus, qui scientiam suam alijs cōmunicare non vult, maledictus est, vtpotè quia lucernam ponit sub modio, totam scilicet sciētiam quam habet intra se abscondens, nec alijs ipsam cōmunicare volens. Vnde & Theophi. hoc exponens Lucæ 11. dicit. Ad hoc Theophi. intellectū à Deo accipimus, vt super candelabrum poneremus, & vt alij qui ingrediuntur, lumen videant: Sapiens quidem, iam ingressus est: qui verò addiscit adhuc ambulat: vnde oportet nos vti intellectu ad diuinorum notitiā, & alijs declarare. Et Chrysost. homil. 2. super Ioannem ponens differentiam inter doctrinam philosophorum, & Apostolorum, dicit. Ioānes vno solo studet, vt orbis discat quid vtilium, & quid eorū quæ possunt eum transferre ad regnum cœlorum: propterea neque caligine aliqua, & tenebrositate occultauit suam doctrinam, sicut faciebant philosophi, eis quæ intus recondita erant malis, eam quæ in dicendo est incertitudinem velut quoddam velum præponentes, sed dogmata Ioannis ipsorum solariorum radiorum sunt manifestissima: ideoq; ad omnes qui secundum orbem terram sunt homines expansa sunt, quia abijciēs satanicam hanc omnem infirmitatem, & lesionem, tantam in verbis suis immisit facilitatem, vt non solum viris prudentibus, sed & mulieribus, & iuuenibus sunt omnia quæ dicūtur, manifesta. Ex quibus patet quòd abscondere sciētiam suā intra se est pernitiosum, sicut qui lucernā ponit sub modio, quia tunc nisi concauitatem modij illustrare potest: quæ abscōsio fit, vel cum sapiens nullum omnino vult docere, vel cū docet sic, scilicet per enigmata, vel per verba amibugua, suam doctrinam aliis velando obtenebrat, in tantum, quòd vix, vel nunquā intelligi etiam à sapientibus rectè possit, quod magnum dispendium est, nisi propter necessitatem hoc fiat, ne sanctū canibus detur, vel margaritæ proijciantur ante porcos.

SVMMARIVM.

Quòd licet periculosum sit omni homini habenti lumen diuinæ scientiæ illud abscondere, & sibi ipsi vacare: tamen maximum periculum est illis, qui ad hoc in Ecclesia positi sunt, vt alios doceant, & tamen illos docere nolunt.

XXIII LIcet autem magnum crimen incurrat quicunque sic lucernam in eo accensam abscondit, tamen maius crimen incurrit ille, qui positus est ad alios illuminandos, si eos docere non vult; vel quia studio proprio vacare intendit; vel quia salutē proximi non aspirat, propter quod de eo instruendo non curat. Vnde Augu. in quoddam sermone de ordinatione sua dicit. Ad istam securitatē officiosissimam August. nemo me vinceret: nihil est melius, nihil dulcius, quàm diuinū scrutati, nullo strepente, thesaurum, dulce est, bonum est: Sed prædicare, arguere, corripere, ædificare, pro vnoquoque satagere, magnum pondus, magnus labor; quis nō refugeret illum laborem nisi terreret Euangelium? Et in sermone de pastoribus dicit idem. Videtis quā sic tacere periculosum, quia Idem. cum subiectus negligēs moritur, non admonente illo qui ad hoc est præpositus, & speculator, vt admoneret, & subiectus iustè morietur, & præpositus iustè damnabitur.

bitur. Sic ergo cum Apoſtoli eſſent, vt lucerna, niſi alios inſtruerent & docerent, quaſi ponẽtes lucernam ſub modio, & intendes ſibi ipſis placere, & ſe ſolos ædificáre, damnationẽ ſibi iuſtè acquiſiuiſſent, 1.Cor.9. iuxta illud: Væ mihi eſt ſi non euangelizauero, neceſsitas enim mihi incumbit. Gloſ. Vnde & Glo. hîc dicit. Domeſticis exemplis docet ne celent lucem verbi ſibi commiſſam: quia non ideo data eſt doctrina prædicationis, vt eam celent, ſed vt corpus ſuum miniſterio Dei ſubiiciãr, vt per vocem, & cætera corporis officia, lux diuinæ ſapientiæ excellentior cęteris appareat. Vnde & de communicatione ſciẽtiæ Eccl. 29. ſub nomine pecuniæ dicitur. Perde pecuniam propter fratrem, & amicum, & non abſcondas illam ſub lapide in perditionẽ. Idem 30. Et ibidem dicitur. Bona abſcondita in ore clauſo quaſi appoſitiones epularũ circum poſitæ ſepulchro. Quod exponens Gloſ. Gloſ. dicit. Contra eos loquitur, qui talentum verbi abſcondunt: quorum ſcientia viuentibus inutilis eſt, ſicut epulæ mortuis.

SVMMARIVM.

Quòd licet lex vetus, & prophetia veteris teſtamenti fuerit clauſa per multas figuras, & coarctata infra vnum populum, & ſi potuerit dici, quòd erat lucerna poſita ſub modio: tamen Euangelium Chriſti, & ſcriptura noui teſtamenti non fuit clauſa talibus figuris, nec coarctata ad vnum populum, ſed toti mundo propalata: propter quod non eſt lucerna poſita ſub modio.

XXIIII ET quia ſcientia diuina in veteri teſtamento fuit abſcondita per multa velamina figurarum: vnde & Moyſes velamen habebat in facie, quando ad populos loquebatur, quia rudis populus lumen clarum diuinæ legis non poterat intueri: fuit etiam clauſa, quia vno populo, & genti fuit tradita, quia tunc notus in Iudęa Pſal.75. Deus erat, & in Iſrael magnum nomen eius; Euangelium autem traditum fuit clarè, & lucidè, & toti mundo mãdatum fuit prædicari: ideo non fuit nec abſconditum, nec clauſum; iuxta illud: In manifeſtatione veritatis commendantes noſmetipſos, ad omnem conſcientiam hominum coram Deo. Quòd ſi etiam opertum 2.Cor.4. eſt Euangeliũ noſtrum, in iis qui pereunt eſt opertum: in quibus Deus huius ſeculi excęcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illuminatio Euãgelii gloriæ Chriſti. Gloſ. Quod exponens Gloſ. dicit. Manifeſtè in nobis videtur veritas: & ſi increduli non vident ſplẽdorem veritatis, hoc fit ex eorum demerito perfidiæ obcęcantis illos qui pereunt: Iccirco vt diſtinguat Dominus Euangelium à lege dicit, quòd lucerna Euangelii non eſt tegenda modio per velamina figurarũ, nec ponenda ſub modio, vt coarctetur ſub terminis vnius populi, vel gentis, quibus lex tecta & operta fuit. Vnde & de ſanctis animabus dicitur. Duæ pennæ tegebant corpora eorum. Et Ezech.1. ad hanc intentionem exponit hoc Gloſ. Gloſ. dicens. Lucernam Chriſtus accẽdit, quam nec credentibus abſcondit, nec modio, id eſt, menſura legis, vel terminis vnius gentis incluſit. Et Ambroſius lib.7. ſuper Lucam cap. 14. dicit. Nemo fidem ſub lege Ambro. conſtituat, lex enim *intra menſuram* eſt, vltra menſuram gratia: lex obumbrat, gratia clarificat: & ideo nemo fidem ſuam intra menſuram legis includat, ſed ad Eccleſiam conferat. Et propter hanc differentiam legis, & Euangelii prophetæ veteris teſtamenti dicitur. Vade Daniel: quia Dan. 12. clauſi ſunt, ſignatiq; ſermones vſque ad præfinitum tempus. Et Iſa. Claudet oculos veſtros, ꝓphetas & principes veſtros, Iſa. 29. qui vident viſiones operiet. Et erit vobis viſio omniũ ſicut verba libri ſignati. Sed in nouo teſtamento liber clauſus ſeptem Apoc.5. ſigillis, apertus eſt per agnum, & mandatum eſt prophetę Ioanni ne librum ſignaret, vel clauderet; quia lex erat operta, & clauſa, ſed Euangelium eſt apertum, & propalatum: propter quod non ſub modio, ſed ſuper candelabrum eſt ponẽdum: Idem vlt. Ad idem etiam tendit tertia proprietas lucernæ poſitæ ſub modio: quia ſicut modius ſic euerſatus immobilis eſt, quando autẽ ad latus eſt poſitus mobilis eſt, propter figurę circularis aptitudinem ad motum; ſic etiam lux diuinæ legis tempore veteris legis immobilis fuit, quia ſolum vnum populum Iudęorum inſtruxit. Vnde & Moyſes de ipſa lege Iudęorum populum laudans, dicit. Quæ eſt alia gens Deut.4. ſic inclita, vt habeat cerimonias, & iudicia, & vniuerſam legem, quam ego proponã hodie antè oculos veſtros? Et Prouer. dicitur Iudęis. Habeto aquas tuas ſo- Prou.5. lus, nec ſint alieni participes tui. Sed lex noua volubilis & apta ad motũ fuit, quia per totum mundum rotauit, iuxta illud, Vox tonitrui tui in rota. Illuxerunt coruſcationes tuæ orbi terræ. Quod exponens Caſſiodor. dicit. In rota orbem terrarum Caſſiod. debemus accipere, qui in ſpeciem rotæ abſoluta rotunditate concluditur. In rota ergo, ideſt, in mundo vox tonitrui eius egreſſa eſt, quando Chriſti prædicatores circulum totius orbis, verbis tonantibus impleuerunt: & tunc illuxerunt coruſca-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

tiones, ideſt, diuina præcepta veritatis lumine radiantia, quæ tenebras hominum per totum mundum ſalutari illuminatione fugarunt; Quemadmodum enim ſi lucerna in rota quæ voluitur, & diſcurrit, poneretur, omnia loca, per quæ rota diſcurreret, illuſtraret, vt patet de luminaribus cœli, ſic etiam Euangelium Chriſti poſitum in Apoſtolis, qui fuerunt rotæ volubiles per mundum, totum ipſum ſua claritate illuſtrarunt; de quibus rotis dicitur, Rotas iſtas vocauit volubiles, audiente me.

Ezech.10.

SVMMARIVM.

Quòd ſicut modius euerſatus, quod in ſe continebat extra ſe proiecit, & aliud (cum ſic eſt) non recipit; ſic habentes lumen diuinæ ſcientię, & poſtea ſolis terrenis commodis inhiant, & perdunt lumen ſcientiæ quod acceperant, & aliud lumen diuinæ cognitionis de nouo non recipiunt: modius euerſatus, iuxta quartam proprietatem modij euerſati, meritò denuncupari poßunt.

XXV

QVartò, modius euerſatus, de illo, quod intus habebat, nihil retinet, nec quando ſic ſtat aliud recipere poteſt, cuius tamen contrarium contingit dum manet rectus: Et eodem modo prædicatores vel ſapiẽtes dum eorum mens eſt aperta, & directa ad Deum, à quo omne bonum deſcendit, quia pater luminum eſt, quotidie in ſapientia, & intelligentia creſcunt, iuxta illud, Audiens ſapiens, ſapientior erit, & intelligens gubernacula poſſidebit. Et Apoſtolus, Non iam quod acceperim vt perfectus ſim, ſequor autem ſi quo modo comprehendam, in quo comprehenſus ſum: Sed dum eorum mens ad terrena deflectitur, ſcientiam quam habebant amittunt; & pro tũc nullum cœleſte ſecretum percipiunt; Terrena enim inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem. Vnde Gregor. 18. lib. moral. cap. 34. dicit de Moyſe. Hinc Moyſes cum ſupernæ cõtemplationis gloriam quæreret, tranſiens, dixit. Videbo hanc viſionem. Niſi enim greſſum cordis à ſeculi amore remouiſſet, nequaquam intelligere ſuperna potuiſſet. Et Boet. 4. de conſolat. proſa 4. dicit. Nequeunt homines oculos tenebris aſſuetos habentes, ad lucem perſpicuę veritatis attollere. Similesq; veſpertilionibus ſunt, quorũ iutuitum nox illuminat, dies cæcat: propter quod tales digni ſunt perdere quod acceperũt, & nõ ſunt apti recipere donum cœleſtis ſcientiæ, quia non ſunt modij erecti: Vnde & infra dicitur, Quòd habenti dabitur, & abundabit, & ei qui non habet, & quòd videtur habere, auferetur ab eo. Quod exponens Gloſſ. dicit. Multi cum ſint ſapientes naturaliter, & habeant acumen ingenij, ſi fuerint negligentes, & deſidia bonum naturæ corruperint; perdunt bonum naturæ, & premium quod eis fuerat repromiſſum. Et Chryſoſt. dicit. Qui gratiam ſermonis, & doctrinæ ad proficiendum habet, non vtens ea, gratiam perdit; qui autem ſtudium adhibet, amplius attrahit donum. Et hoc modo hanc partem exponens Chryſoſt. dicit, Quòd homines mundiales reuerſantur in terram, & aſpiciunt eam quaſi modius, qui verbum Dei ſub ſe tenet abſconditum, vt nec ipſis proſit, nec alijs. Vt ergo nec timore mundano, nec cupiditate mundanorum verbum Dei celetur, vel propter vanam gloriam prædicetur; ne etiam verbum diuinum propter laborem prædicationis retineatur, vel propter inuidiam tegatur, vel abſcondatur: vt etiam non aliquibus, ſed omnibus pandatur, & manifeſtetur, & vt per cogitationes, & curas mundiales non obtenebretur: iccirco præcipitur ne lucerna ponatur ſub modio. Vnde Marci 4. dicitur. Nunquid venit lucerna, vt ſub modio ponatur, aut ſub lecto? Et Luc. 8. Nemo lucernam accendens, operit eam vaſe, aut ſubtus lectum ponit.

Iacob.1. Prouer.1. Philip.3. Sap.9. Gregor. Boet. Matt.5. Glo. Chryſoſt. Idem. Mar.4. Luc.8.

SVMMARIVM.

Quòd corpus humanum, & vires animæ, ac membra noſtra dicuntur eſſe candelabrum, ſuper quod debet poni lucerna diuini ſermonis, quando nec corpus, nec vita noſtra plus diligitur, quàm prædicatio verbi diuini: nec etiam fatigatio membrorum timetur tantum, quòd propter hæc prædicatio verbi diuini dimittatur.

XXVI

ET quia lucerna ſub modio poni non debet, vel abſcondi, vult oſtendere ſuper quo poni debet, [*Quia ſuper candelabrum*] quod quidem candelabrum propter contrarias conditiones ad modium, multipliciter exponi poteſt. Et primò quidẽ, vt per candelabrum humanum corpus & omnia eius commoda intelligantur; cui, & q̃bus, veritatis doctrina preponi debet & illa huic ſupponi, ita quòd ſi neceſſe ſit, vel corpus perdere, vel damna, vituperia, afflictionesq; ſuſtinere, quàm veritatẽ deſerere, magis omnia exponantur, quàm veritas relinquatur; iuxta illud quod dicebat Apoſtolus. Vincula, & tribulationes me manent Hieroſolymis: ſed nihil horum vereor; nec facio animam meam

Act.20.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

preciosiorem quàm me, dummodo consummem cursum meum, & ministerium verbi, quod accepi à Domino Iesu, testificari Euangelium gratiæ Dei. Et Augustin. in quoddã sermone de martyribus dicit. Blanditur hic mundus pollicendo honores, diuitias, voluptates; Minatur hic mũdus, in tendendo dolores, egestates, humilitates. Sed vbi talis articulus tentationis acciderit, vt duo veniant in tentationem, diuitiæ & iustitia, vt non possis habere vtrumque? si inseris manum ad iustitiam pereunt diuitiæ, si autem miseris manum ad diuitias, necesse est vt amittas iustitiã. Modò pugna sicut martyres fecerunt, qui propter amorem iustitiæ vicerunt persecutionem, famem, sitim, ægestatem, ignominiam, ad extremum timorem mortis hostem nouissimum, quod pro tanto fecerunt, quia prætulerunt charitatem Dei mundo: propter quod lucernam, idest, verbum diuinum super cãdelabrum, idest super corpus suum posuerunt, dicentes illud Apostoli. Quis nos separabit à charitate Christi, tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an persecutio, an periculum, an gladius? Et infra. In omnibus his superamus, propter eũ qui dilexit nos. Vbi dicit Gloss. In omnibus tribulationibus, tormentisq; positi superamus, idest, superiores efficimur, & hoc non propter nos, sed propter eum qui dilexit nos, cuius beneficium superat prædicta: Quæ superatio non esset, nisi super candelabrum, idest, supra corpus amor Dei, & veritas ac iustitia posita essent. Dicitur autem corpus nostrum candelabrum, quia est animę humanæ (quæ lux dicitur) instrumentum, & quasi sustentamentum, & etiam eidem animæ proportionatum: quæ semper per naturam ad superiora est erecta, & rectæ figuræ est, vt superius sui sit ad superius mundi; Vnde & Exodi dicitur, Quòd cãdelabrum stabit cum lucernis suis. Et hoc modo exponens candelabrum Augustin. 1. libro de sermone Domini in monte, dicit. Super candelabrum lucernam ponit, qui corpus suum ministerio Dei subijcit, vt superior sit prædicatio veritatis, & inferior seruitus corporis: cum per ipsam corporis seruitutem, excellentior luceat doctrina, quæ per officia corporalia, idest, per vocem, & linguam, & cæteros corporis motus, & bonis operibus insinuatur etiã discentibus. Et Rabanus super 4. lib. exponens illud, Et candelabra aurea quinq; ad dexteram, & quinq; ad sinistram, dicit. Candelabra ista sancti sunt omnes, qui sua corda, & corpora feruidis Domini mandatis humili semper intentione supponunt. Quisquis enim in nullo propriam sequi curat voluntatem, sed in omnibus, q̃ scriptura sancta dicit, attendit, eiusq; se subijcere mãdatis, ac eius satagit auscultare promissa, quasi candelabrum domus Dei aureum, aureas eius gestat lucernas: quia casta corporis sui membra, castas mentis cogitationes ad faciẽda quæ Deus iubet, supponere contendit: Et hoc tàm fixa intentione, quàm candelabrum necesse est firmiter ad superna erectum, impositas sibi lucernas nõ solum absque ruina, sed etiam absque vlla status sui motione seruare. Tunc ergo lucerna super candelabrum ponitur, quia corpus, & anima diuinæ legi subijcitur. Quando etiam corpus & animus prompti sunt ad sufferendum omne incommodum, & laborem propter verbum Dei prædicandũ: & quando etiam in prædicatione verbi Dei, solus Dei honor, & vtilitas spiritualis proximorum, & non propria gloria, vel honor prædicantium attenditur; & in tali opere firmiter cor hominis fixum manet, vt sic candelabrum lucernam super se habeat, lucernamq; portet; quę lucerna corã Deo radiet, & fixis pedibus candelabrum immobile stet: de quo candelabro dicitur, Lucerna splendens super candelabrum sanctum, & species faciei super ætatem stabilem. Eccl. 26.

SVMMARIVM.

Quòd secundò lucerna super candelabrum poni dicitur; quando Euangelica doctrina, & lex vetus per Doctores clarè, & apertè, ac sine velamine docetur.

XXVII

SEcundò per lucernam positam super cãdelabrum intelligitur clara, & aperta doctrina, quę omnibus ex sui conditione, & natura, se patefecit; non obumbrata figuris, non velata similitudine, vel obscurata methaforicis, vel ambiguis locutionibus; vt sit talis doctrina, illius conditionis, qualis describitur in Isa. Audiẽt in die illa surdi verba libri, & de tenebris, & caligine oculi cęcorum videbunt, & scient errantes spiritu intellectum, & musitantes discent legem: Et Abacuch dicitur. Scribe visum, & explana eum super tabulas, vt percurrat qui legerit eũ; Quẽadmodum enim lucerna posita super candelabrum, non impeditur aliquo obstaculo, totam illuminare domum: Sic talis clara doctrina non impeditur aliquo nubilo obscuritatis, quin omnes tàm simplices, quàm doctos illuminet: cuiusmodi doctrina est Euãgelium positum in ore Apostolorum, Isa. 29. Abac. 2.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

lorum, & Doctorum, qui ipsum clarè, & lucidè omnibus gentibus exposuerunt, iuxta illud: Nihil opertum quod non reueletur, neque absconditum, quod non sciatur. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate super tecta. Quod exponens Remigius dicit. His verbis promisit Dominus Discipulis suis, quòd per eos essent reuelanda omnia occulta mysteria, quæ sub velamine literæ legis latebant. Et nõ solum hæc Dei cognitio, & profundum doctrinæ Euangelicę secretum, lumine prædicationis Apostolicæ erat reuelandum, sed etiam occulta veteris legis, per eos erant manifestanda, quia ipsi illa plenius, & perfectius quàm Prophetæ intellexerunt, & etiam posita in effectu viderunt; Vnde & Apostolus de se dicebat. Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc in gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à seculis in Deo. Et hoc modo lucernam ponere super cãdelabrum, non est aliud nisi euãgelicam doctrinam, (quæ lux est) ponere in corde, & ore Doctoris, qui clarè, & lucidè, obscuritatem diuinæ legis exponat, & clarificet; & omnibus tàm simplicibus, quàm doctis sua expositione clarè eam indicet, & propalet. Et hoc modo exponens candelabrum Chrysost. in homil. hîc dicit. Liberam propalationem, quæ est ab ipsis, expetit dicens. [*Neque accẽdunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum.*] Et in expositione dicit. Omnis ecclesiasticus vir habens verbum Dei, dicitur candelabrum. De quo candelabro potest exponi, quod habetur Paralipo. Est apud nos candelabrum aureum, & lucerna eius, vt accendatur semper ad vesperam.

Matt. 10. Remig. Ephe. 3. Chrysost. hom. 18. Idem ho. 10. 2. Par. 13.

SVMMARIVM.

Quòd lucerna Euangelica, idest, Christi doctrina non in synagogis Iudæorum, non in conuenticulis hæreticorum, non in ruinis scismaticorum, sed in Ecclesia, & super Ecclesiam poni debet; quæ est tertia proprietas lucernæ positæ super candelabrum: per quod candelabrum Ecclesia Christi intelligitur.

XXVIII ET quia Euangelium est luminosius, & clarius lege veteri, & omni alia scriptura: hinc solum debet esse in Ecclesia, & non in synagogis Iudæorum, vel in templis paganorum: & lucerna Euangelij non debet poni nisi super Ecclesiã, vt per Euangelium gubernetur, dirigatur, ac etiam illustretur. Vnde & Glo. hîc dicit: Quòd super candelabrum lucerna posuit Christus, idest, super Ecclesiam fidem suæ incarnationis affixit. Vnde & Leuitic. dicitur: Præcipe filijs Israel, vt afferant tibi oleum de oliuis purissimum, ac lucidum, ad concremandas lucernas iugiter extra velum testimonij in tabernaculo fęderis, ponetq; eas Aaron à vespere vsque ad mane coram Domino, super candelabrum mundissimum ponetur semper in conspectu Domini. Licet enim Euangelium prędicari possit, & exponi extra Ecclesiã per hæreticos, vel infideles; tamen non illuminat, sed obscurat extra Ecclesiam prædicatum: Quia, vt dicitur, Qui maledicit patri suo, & matri, extinguetur lumen eius in tenebris. Vnde Augustinus in Epistola contra Faustum, dicit. Ego euangelio non crederem, nisi me catholicæ Ecclesiæ commoneret auctoritas, in qua tanta nominis christiani clarissima vincula hominem tenent credentem, etiam si propter nostræ intelligentiæ tarditatem, vel vitæ meritum, veritas nondum se apertissimè ostendat. Et infra. Ego catholicam fidem profiteor, & per illam me ad certam scientiam venire pręsumo. Et Ambrosius super Lucam lib. 7. cap. 14. dicit. Ecclesia, quæ est candelabrum in illo altissimo omnium locata monte, hoc est, in Christo, non potest tenebris mundi huius abscondi, sed fulgens candore lucis ęternę, luce nos gratię spiritualis illuminat; ideo nemo fidem suam intra mensuram legis includat, sed ad Ecclesiam conferat.

Glos. Leuit. 24. Prou. 20. Augus. Idem. Ambr.

SVMMARIVM.

Quòd Doctores prompti, & voluntarij ad Christi Euangelium prædicandum vbique, dicuntur candelabra, super quæ debet poni lumen diuinæ cognitionis: quod vbique diffundere cupiunt, significati per candelabrum veteris legis, in quo erãt cyphi, & sphęrulæ, & hastile, omnia rotunda, vel sphęrica.

XXIX TErtiò per lucernam positã super candelabrũ intelligitur promptitudo, & voluntas Doctorum ad publicandum, & diffundendum ad omnes homines Euangelium. Cãdelabrum enim veteris legis, (de quo habetur Exodi) totũ erat, vel pro maiori parte, compactum ex sperис vel rotundis figuris, quæ figuræ maximè sunt aptæ ad motum. Super hastile enim candelabri, quod de ferro (secundum Iosephum) vel de auro erat (secundum alios) erant calami aurei quatuor in recto hastili: qui quidem calami rotundi erant, &

Exod. 25.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

in fine calamorum erat grosities rotunda per modum cyphi, ita quòd duo calami coniuncti faciebant talem figuram cyphi: qui cyphus dicitur cupa cum cooperiorio, quę etiam quasi sphericæ figuræ erat, & circa cupam predictam, vel in medio calamorum erat sphera aurea, & eodē modo factum erat in sex brachijs, quæ de hastili egrediebantur. Ex quibus clare patet quòd opus candelabri ex spheris, & circulis pro maiori parte cōstabat. Et eodem modo Doctores, qui verbum Dei super se baiulant, debēt esse mobiles ad motum, vt plures instruant, & omnibus (quantum in eis est) proficiant; Sicuti Paulus fuit, qui de se loquens, dicit, Ab Hierusalem per circuitum, vsque ad Illyricum repleuerim Euangelium Christi. Et hoc modo exponens calamos, cyphos, & spherulas candelabri aurei, quod erat in tabernaculo, Glos. super illud In quo erat candelabrum luminis, dicit. Candelabra aurea sunt fideles, quia sapientia lucent. Et infra. Prima pars hastilium erat quasi calami aurei, post erāt cyphi, inde spherulæ aureæ; tandem lilia. Calami sunt sancti, qui in humidis diuini fontis nutriti sunt, & concaui ad recipiendum, & ad suffundendum liquorem gratiæ alijs. Etiam ipsi sunt cyphi, dum alijs propinant quod biberunt, sapientiam scilicet & scientiam Dei. Inde spherulæ, ideſt, rotūdi, perfecti, & volubiles contra prospera, & aduersa, quos nihil detinet donec veniant ad lilia iucunditatis æternæ; qui non habent tumoris angulum, nec elationis superciliū, interque candelabra Christus debet habitare, iuxta illud. Conuersus vidi septem candelabra aurea, & in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis vestitum podere. Et Exodi dicitur de huiusmodi candelabro Facies & candelabrum ductile de auro mundissimo, hastile eius, & calamos, cyphos, & spherulas, ac lilia ex ipso procedentia.

Rom. 18.

Glos. Heb. 9.

Apoc. 1.

Exod. 25.

A pientes esse statim desinerent: Quemadmodū si sol desineret esse in hemysperio, statim lumen eius desineret esse in diaphano, dicente Augu. 11. de ciuitate Dei cap. 11. Non inconuenienter dicitur sic illuminari animam incorpoream luce simplicis sapientiæ Dei, sicut illuminatur aeris corpus luce corporea, & sic aer tenebrescit luce destitutus: Nam nihil aliud sunt quæ dicuntur locorum quorumq; corporalium tenebræ, quàm aer carens luce, ita tenebrescere animam, sapientiæ luce priuatam. Et cap. 9. dicit idem. Vnigenitum Dei filium, qui est incommutabilis sapientię Dei, dicimus Angelos illuminare, quia lumen illud, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, vt sit lux, non in se ipso, sed in Deo, illuminat omnem Angelum mundum, à quo si auertitur Angelus, fit immundus. Sic sunt omnes qui vocantur immundi spiritus, nec iam lux in Domino, sed in se ipsis tenebrę priuati participatione lucis æternæ. Ex quibus clarè patet, quòd oportet animā sapientis, diuina scientia continuè illustrari à sapientia increata, ne si talis illustratio deficeret, non lux, sed tenebræ essent: propter quod oportet quòd se exhibeat receptibilem diuini luminis, quod significatur per lucernam positam super candelabrum, quæ patula est, & apta superius ad recipiēdum, & lumen, & liquorem, ex quo lumine possit foueri sicut est oleum: Et eodem modo anima sapientis debet se parare, vt continuè illuminetur à Deo, & se concauam præbere, vt oleum gratiæ in se possit recipere: quo oleo, & scientia foueatur, & quo lumine gratia, & charitas illustretur; & sit in eo charitas prudens, vt caueat nociua, & scientia feruens ne fiat scientia, vt cimbalum tinniens; dicente Bernar. super Cantica ser. 49. Importabilis absque scientia est zelus; vbi enim vehemens emulatio, ibi maximè discretio necessaria est, quæ est ordinatio charitatis. Semper quidem zelus minus efficax absque scientia, minus vtilis inuenitur: plerunque autē, & pernitiosus valde sentitur. Quò igitur zelus feruidior, ac vehementior spiritus, & ardentior charitas, eò vigilantiori opus est sciētia, quæ zelum supprimat, spiritum temperet, ordinet charitatem. Discretio quippe omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit, & decotem, & perpetuitatem. Est ergo discretio non tàm virtus, quàm quędam moderatrix, & auriga virtutum, ordinatrixq; affectuum, & motiū doctrix. Tolle hanc, & virtus vitium erit, ipsaq; affectio naturalis in turbatione magis con-

Augustin.

Idem.

Bernar.

SVMMARIVM.

Quòd tunc lucerna ponitur super candelabrum, quando anima Doctoris diuinæ scientia est illustrata, & vncta oleo diuinæ charitatis, ac patula ad recipiendum à Deo sapientiam, & charitatem, à quo sunt, & fuerunt in nobis huiusmodi dona.

XXX

QVartò, per lucernam super candelabrum positam intelligitur sapientia Doctorum, quæ continuè descendit in anima eorum ab ipso patre luminum: cuius fluxus si vel ad momentum deficeret, sa-

uertetur,

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

uertetur, exterminiumq́; naturæ. Et ser. 20. Tunc est amor rationalis, cum in omnibus quæ oportet de Christo sentiri, fidei ratio ita firma tenetur, vt ab Ecclesiastici sensus puritate, nulla verisimilitudine, nulla hæretica, seu diabolica circunuentione, aliquatenus deuietur. Itemq́;, cum in propria conuersatione illa cautela seruatur, vt discretionis meta nulla superstitione vel lenitate spiritus quasi seruentiori vehementia excedatur. Et super illud 1. ad Corint. 8. Scientia inflat, charitas verò ædificat, dicit Glos. Scientia si sola est, inflat, idest, in superbiam tollit, charitas verò quæ non inflatur, ædificat: & ideo eam habete non inflantem scientiam. Addite ergo scientiæ charitatem, & vtilis erit scientia. Per se enim inutilis est scientia, cum charitate vtilis est: per se inflat in superbiã: vt in Demonibus, qui Greco nomine à scientia sic sunt nominati, in quibus scientia est sine charitate. Ex quibus clarè patet, quòd quemadmodum lucerna super candelabrum posita, est olei, vel pinguedinis susceptiua, quo lumẽ eius fouetur ne extinguatur, & luminis contentiua ne oleum vel pinguedo sine causa in ipsa ponantur: Sic anima Doctoris debet esse plena oleo charitatis quod à Deo suscipitur, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritũ sanctum qui datus est nobis: & illustrata scientię lumine, vt charitas per scientiam dirigatur, & scientia per charitatem bona & vtilis reddatur. Vnde & lampades virginum fatuarum extinctæ sunt, quia oleũ non habebant. Et sub specie mulieris litigiosæ, dicitur de scientia sine charitate. Qui retinet litigiosam mulierẽ quasi qui ventum teneat, & oleum dexteræ suæ euacuat. Propter quod, quia nec oleum sine lumine, nec lumen sine oleo potest lucernã continuam, & durantem facere, præcipitur quod vtrunque adsit. Præcipe (dixit Dominus) filijs Israel, vt afferant tibi oleũ de oliuis purissimum, & lucidum, ad concremandum lucernas iugiter coram Domino. Sed quia nec scientia nec charitas possunt in lumine perseuerare, nisi dum homo permanet ad Deũ in recto aspectu, vt à quo ista in homine facta sunt, ab eo conseruentur; ideo nec oleum, nec lumen eius possunt durare, vel custodiri si lucerna euertatur, sed solum dum rectè situatur, respiciens ad superna, & non euersa ad inferiora. Vt enim dicitur, Omne datum optimum, & omne donum perfectũ desursum est, descendens à patre luminũ: & alibi distinguens inter sapientiam cœlestem, & terrenam, dicit. Non est ista sapientia de sursum descẽdens, sed terrena, animalis, diabolica: quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, & fructibus bonis. Quas duas proprietates debet habere Doctor Ecclesię, vt scilicet sit illustratus lumine diuinæ scientiæ, & feruidus igne charitatis diuinæ: & hoc non à se, sed à Deo existimet se habere: & non solum à principio, sed etiam continuè, vt non sibi, sed Deo tribuat quod accepit, & accipit, dicens illud Psal. Domine in voluntate tua pręstitisti decori meo virtutẽ. Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus: Quæ omnia significãtur per lucernam positam super candelabrum. De quo potest accipi quod dicitur. Vidi, & ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius super caput ipsius, & septem lucernæ eius super illud, & septem infusoria lucernis quæ erant super caput illius, & duæ olyuæ super illud, vna à dextris lampadis, & vna à sinistris eius. Et de perfectione prædicatorum, qui debent prædicare temporibus Antechristi, dicitur. Hi sunt duæ olyuæ, & duo candelabra aurea lucentia in conspectu Dei terræ stantes. Tunc ergo lucerna super cãdelabrum ponitur, quando prædicator suum corpus periculis, & laboribus propter Euangelium supponit, non intendens de sua prædicatione lucra terrena consequi, sed solũ gloriam sempiternam, honorem Dei, & spiritualem vtilitatem proximi. Quando etiam clarè, & lucidè scripturam Dei diluciat, & exponit, non attendens Iudaicis fabulis, vel superstitionibus Paganorum, vel altercationibus Philosophorum, sed solum Ecclesiasticis expositionibus: Non ad paucos instruendos laborans, sed omnes (quantum in eo est) instruere volens, currens, & circumiens vt omnibus eius doctrina proficere possit; Quæ omnia fieri non possunt, nisi sit illustratus lumine diuinæ scientiæ, & abundet oleo diuinæ charitatis: quæ omnia non à se, sed à Deo recognoscat se accepisse, & continuè accipere: vt cor habeat directum ad Deum, à quo omne bonum descendit in animam eius.

Idem. — Idem.

1. Cor. 8. Glos. — Psal. 4.

Zach. 4.

Apoc.

Rom. 5.

Matt. 25.

Prou. 27.

Leuit. 24.

Iacob. 1.

SVMMARIVM.

Quòd Christus dicitur lucerna posita super candelabrum, idest, super totam Ecclesiam, vt eã illuminaret, & accenderet lumine diuinæ cognitionis, & diuini amoris. Et quod crux Christi est candelabrum, in quo Christus suspensus totum mundum illuminauit.

Verum

XXXI

VErum est tamen, quòd Glossa alias duas expositiones tangit de lucerna posita super candelabrum. Per lucernam enim intelligitur ipse Christus, qui lumen suæ diuinitatis abscondit in testa nostræ humanitatis, vt sic lucerna dici posset, quę est lumen inclusum in testa: Quæ quidem lucerna, ideſt, Christus non debebat poni sub modio legis, vt intra vnum populum, vel gentem lux doctrinæ eius includeretur; Sed super candelabrum, ideſt, super totam Ecclesiam, ex omnibus gentibus congregatam: vel super totum mundum, iuxta illud, Parum est vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & feces Israel conuertendas: Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Vnde & in Apocalyp. dicitur. Vidi filium hominis (ideſt Christum) in medio septem candelabrorum aureorum, ideſt omnium Ecclesiarum. Et hoc modo exponit hanc partem Glo. dicens. Christus lucernam accendit, dum testam humanæ naturæ flamma suæ diuinitatis impleuit: quam nec credentibus abscondit, nec modio aut mensura legis, vel termini vnius gentis inclusit, sed super candelabrum, (ideſt Ecclesiam) fidem suæ incarnationis affixit. Vel secundum Hilaryum hîc per candelabrum intelligitur crux Christi, in qua Christus leuatus, totum mundum illuminauit. Vnde dicit, Lucerna Christi ponitur in candelabro, ideſt, in ligno per passionem suspensa, quæ lumen æternum, est in Ecclesia habitantibus præbitura. Vnde de cruce loquens Chrysost. in quoddam serm. de Paraſceue, dicit. Hæc crux innumerabilium bonorum nobis extitit causa: hæc nos de erroribus liberauit: hęc nos sedentes in tenebris illuminauit: hæc nos à diabolo expugnatore defendit: hæc nos reconciliauit Deo, & alienatos restituit in domesticos, de longinquis proximos fecit, de peregrinis reddidit ciues. Hæc est enim inimicitiarum interemptio, pacis firmamentum, & omnium nobis bonorum thesaurus. Et infra. Crux fulgebit obscuritatis luminaribus cęli, delapsisque syderibus sola radiabit, vt discas quoniam crux est, & luna lucidior, & sole præclarior: quorum splendorem, diuini luminis illustrata fulgore, superabit. Vt sic rectè crux candelabrum luminis possit dici, quã diabolus toto conatu, de Dei Ecclesia intendit remouere; vt habetur 1. Machabæorum sub figura regis Antiochi, vbi dicitur; quòd Rex Antiochus intrauit in sanctificationem cum superbia, & accepit altare aureum, & candelabrum luminis, & vniuersa vasa eius, & comminuit omnia.

Isa. 49.

Apoc. 1.

Glos.

Hylar.

Chrysost.

Ibidem.

1. Mach. 1.

SVMMARIVM.

Quare Christi doctrina omnibus hominibus, etiã illis qui credere nolunt, prædicanda est: assignantur tres rationes.

SEd ad quid, vel propter quid lucerna est ponenda super candelabrum, & non sub modio abscondenda, declarat Dominus, subdens [*Vt luceat omnibus qui in domo sunt*] ideſt, qui in mũdo sunt. Et sic domus accipitur pro mũdo, ideſt, pro hominibus mundi. Circa quod attendendum, quòd Dei beneficia, & dona, quantò ad plures se diffundunt, tantò sunt preciosiora: & hoc maximè quando sic sunt multorum, quòd non propter hoc minus sunt singulorum. Vnde & terrenæ diuitiæ, quæ si sint vnius, desint esse alterius: angustę, inopesq; sunt dictæ; dicente Boet. 2. de consola. prosa 5. O angustas, inopesque diuitias, quas nec habere totas pluribus licet, & ad quemlibet sine cæterorum paupertate non veniunt: Sed illa Dei dona, quæ multis simul communicari possunt, & tamen in quo eorum plena & perfecta sunt, non sunt bona angusta, sed plena, & larga, propter quod magis sunt diuina. Vnde & 1. Ethicor. dicitur, Quòd amabilius quod vni soli, melius verò quod genti, & ciuitatibus. Huiusmodi autem donum Dei, est lux etiam corporalis, sed magis spiritualis: Corporalis enim lux in multis oculis resplendens, vel etiam in toto diaphano, in nullo in se diminuitur, & quilibet oculus sanus existens, dictam lucem participans, æque perfectè illam participat, si multi oculi sint eam participantes, sicut si solus vnus oculus ipsam participaret: Sicut patet de lumine solis in toto mũdo, & de lumine candelæ in domo: Sed lux spiritualis (scilicet doctrina) non solum non diminuitur in docente, quãdo ipsa multis communicatur, sed etiam augetur; propter quod non debet includi, nec vni, vel paucis communicari, sed magis omnibus qui eã sunt digni suscipere: propter quod dicitur à sapiente de se ipso. Sapientiam sine fictione didici, & sine inuidia communico, & honestatem illius non abscondo. Infinitus enim thesaurus est hominibus. Et Apostolus loquens de gratia, & Christi eruditione ad Titum, dicit. Apparuit gratia Dei saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos. Quia ergo lux diuinæ doctrinæ accensa in Doctoribus, non debet esse particularis, vel partialis, sed omnibus debet præponi: iccirco Dominus dicit, [*quòd talis lux debet poni super*

XXXII

Boet.

Aristot.

Sap. 7.

Titum 2.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

candelabrum, vt omnibus luceat.] Vnde & Marci vltimo dicitur Apoſtolis à Domino. Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euãgelium omni creaturæ. Quod etiam fieri debet, quia cum incertum ſit homini docenti quis auditorum doctrinę acquieſcet, & quis non, cum frequenter non acquieſcant illi, de quibus magis videretur, & acquieſcant illi, de quibus minus videretur, iuxta illud: Renuerunt accipere diſciplinam, indurauerunt facies ſuas ſupra petram, & noluerunt reuerti. Ego autem dixi, forſitan pauperes ſunt, & ſtulti, ignorantes viam Domini, iudicium Dei ſui. Ibo igitur ad optimates, & loquar eis. Ipſi enim cognouerunt viam Domini, & iudicium Dei ſui. Et ecce hi magis ſimul confregerunt iugum, ruperunt vincula. Iccirco omnibus Dei doctrina proponenda eſt, vt illi eam percipiant, quorum Deus tanget corda, ſine cuius gratia fruſtra Doctor laborat, vt ſic non propter incredulos via credẽdi auferatur credere volentibus: propter quod omnibus proponenda eſt. Vnde & in Actibus dicitur quòd ad prædicationem Pauli crediderunt quotquot præordinati erant ad vitam æternam. Diſſeminabatur autem verbum Domini per vniuerſam regionẽ. Iudæi autem excitauerũt perſecutionẽ in Paulum, & Barnabam, & eiecerunt eos de finibus ſuis. Vnde ſicut omni tẽpore prædicandũ eſt, dũ dubitatur de aliquo an ſit receptiuus, vel nõ; Sed ſi certũ eſſet quòd recipere non vellet, tunc vel pro tunc, vel ſimpliciter non eſſet ei Euangelium prædicãdum, iuxta illud: Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus, nec quaſi vir obiurgans, quia domus exaſperans eſt. Et Hieronym. in Epiſtola ad Matrem & filiam. Si (quod abſit) vos peccatorũ glutino æſtimarem coheſiſſe, nunquam ſcriberem, ſciremq́; me ſurdis narrare fabulam; Sic ergo dum adhuc dubitatur, qui ſint accepturi verbum Domini, & qui non, omnibus debet prædicari, vt illi accipiant, quorum corda Deus tetigerit. Tertiò etiam omnibus lucerna ſuper candelabrum poſita lucere debet, vt nullus de ſua malitia, vel improbitate excuſationem poſſit prætendere, dicens in corde ſuo, quia ideo non credidit Euangelio, quia ei prædicatum non fuit, dicẽs illud Apoſtoli. Quomodo credent ei, quẽ non audierunt? Quomodo autem audiẽt ſine prædicante? Sed quando Euangelium omnibus prædicatur, hæc excuſatio totaliter tollitur, iuxta illud: Prædicabitur Euangelium hoc regni in vniuerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus. Vbi dicit Chryſo. Quamuis Euangelium vbique prędicatum fuerit, non tamen omnes crediderunt; propter quod dicit. In teſtimonium omnibus gentibus, ideſt, in accuſationem ijs qui non crediderunt; Qui enim crediderunt, teſtabuntur aduerſus eos, qui non crediderunt, & condemnabunt eos. Sic ergo vt incrudeli nullam excuſationem habeãt de ſua incredulitate, omnibus lux Euangelij eſt per Doctores manifeſtanda; Vnde dicitur. Si non veniſſem, & loquutus eis nõ fuiſſem, peccatum non haberent; Nunc autem excuſationem non habẽt de peccato ſuo. Vbi dicit Glo. ſuper illud: excuſationẽ. Illi, quibus non venit, nec loquutus eſt, habẽt excuſationem non de omni peccato, ſed de hoc, quòd non crediderunt in Chriſtum. Hi verò quibus in Apoſtolis venit, & loquutus eſt, non excuſantur: priores verò qui ſine lege peccauerunt ſine lege peribunt.

Mar. vlt. Hiere. 5. Actu. 13. Ezech. 3. Hieron. Rom. 10. Matt. 24. Chryſoſt. hom. 48. Ioann. Glo. XXXIII Ioan. Ephe. 5. 1. Corin. Glo. 1. Pet.

SVMMARIVM.

Quòd ſi domus accipiatur, vel pro iſto mundo ſenſibili, ideſt, pro hominibus mundi, qui ſunt in hoc mundo ſenſibili: vel pro ipſa Eccleſia, quæ in terris conuerſatur, lux Doctorum, ideſt, vita & doctrina debet eſſe talis, vt nihil reprehenſibile veracitèr poſſit in eis apparere.

Si verò lux accipiatur pro vita virtuoſa, quæ ex ſe lucida eſt, iuxta illud: Qui facit veritatẽ, ideſt, bona opera, quæ veritas iubet, venit ad lucem, vt manifeſtentur opera eius, quia in Deo ſunt facta: & iuxta illud Apoſtoli. Vt filii lucis ambulate. Fructus enim lucis eſt in omni bonitate, & iuſtitia, & veritate. Sic etiã omnibus vita Doctorum lucere debet, vt nihil eorum vita, vel conuerſatione poſsit apparere, per quod videãtur vitioſam ducere vitam. Vnde & Apoſtolus monebat fideles, dicens. Sine offenſione eſtote Iudæis, & gentibus Eccleſiæ Dei, ſicut & ego per omnia omnibus placeo, nõ quærens quod mihi vtile eſt, ſed quod multis, vt ſalui fiant; Vbi dicit Gloſ. Non ſolum vox tua ſonet laudes Dei, ſed etiam opera tua concordent cum voce tua. Si enim cum ore clamas, & fraudem cogitas, ſiluiſti à laude Dei, & (quod grauius eſt) in blaſphemiam perrexiſti. Et Apoſtolus Petrus talem voluit eſſe vitam fideliũ, quòd nec etiam reprehendi poſſet ore infidelium, & obtrectatorum, dicens. Conuerſationem veſtram inter gentes habentes bonam, vt in eo quod detractãt de vobis, tãquam de malefactoribus ex bonis ope-

ribus

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

ribus vos considerantes, glorificēt Deum in die visitationis. Vnde & alibi Dominus dicit: Sint lumbi vestri precinti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Quod exponens Gregorius dicit. Lucernas ardentes in manibus tenemus, cum per bona opera proximis nostris, lucis exempla monstramus; Sic igitur lux in candelabro posita lucere omnibus debet, qui in domo sunt. Quæ domus, secundum Augustinum primo libro de sermo. Domini in monte accipitur vel pro toto mundo, vel pro Ecclesia, quæ domus Dei est. Vnde dicit. Domum puto dictam habitationē hominū, ideſt, ipsum mundum; propter id quod superius ait: [*Vos estis lux mundi.*] Aut si quisque vult accipere Ecclesiam ipsam domū, nec hoc absurdum est; Et quòd tota Ecclesia domus vocetur, dicit Apostolus. In magna domo non solum sunt vasa aurea, & argētea, sed & lignea, & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam, Et alibi. Scias quomodo oporteat te in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui, columna, & firmamentum veritatis. Et quòd mundus possit dici domus, patet per id quod dicitur. Conteram tenentem sceptrum de domo voluptatis.

Luc. 12. Gregor. Augustin. 2. Timo. 2. Idem 3. Amos 1.

SVMMARIVM.

Quòd beatis iam existentibus in domo cœlesti, & miseris existentibus in domo inferni, Euangelij lucerna, ideſt, prædicatio impendenda non est, sed solum hominibus in vita præsenti existentibus.

XXXIV

SI autem domus hic accipitur pro mundo, tunc est sensus, quòd coram omnibus hominibus mundi, lux Apostolorum lucere debet, quia per prędicationē Euangelij, illuminare totum mundū debebant, iuxta illud Psalmi. In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Et Apostolus. Verbum veritatis Euangelij peruenit ad vos, sicut vniuerso mundo, & fructificat, & crescit, sicut in vobis. Et sic mundum accipiēdo, est sensus: Quòd lucerna in cādelabro posita debet lucere omnibus, qui sunt in domo, ideſt, omnibus hominibus, qui sunt mundi huius visibilis, & sensibilis. Et ab hac luce solum excluduntur illi spiritus, qui iam sunt in beatitudine, de quibus dicitur. Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te: quia illi non indigēt homine instructore, cum à Deo doceantur, iuxta illud: Erunt omnes docibiles Dei. Vnde Augustin. 2. lib. super Genesim contra Manicheos dicit. Laboranti homini in terra, imber de nubibus est necessarius; de quibus nubibus animas Deus irrigat, ideſt, de scripturis Prophetarum, & Apostolorum, qui rectè nubes appellantur: quia verba ista quæ sonant, & percusso aere transeunt, addita etiam obscuritate allegoriarum, quasi aliqua caligine obducta, velut nubes fiunt; Quæ, dum tractando exprimuntur, benè intelligentibus velut imber veritatis infunditur; Post peccatum autem homo laborare cœpit in terra, & necessarias habere istas nubes; sed ante peccatum inuisibilem creaturam irrigabat fonte interiore, loquens intellectui eius, vt non extrinsecus verba acciperet tanquam de supradictis nubibus pluuiam, sed fonte suo, hoc est, de intimis suis manente veritate satiaretur. Et si in statu innocētiæ scriptura prophetica, & eius expositio necessaria non fuerit, Deo docente homines, & loquente intellectui eorum, minus vtique necessaria est illuminatio, & doctrina Apostolica in beatitudine, in qua Deus clarè, & apertè videtur: quo viso, omnia ad beatitudinem pertinentia videntur: Propter quod non præcipitur quòd lux Apostolorum illam domum supernam illuminet; sed solum istam terrenam; vnde dicitur: Quòd serui Dei seruient illi, & videbant faciem eius, & nomen eius in frontibus eorum, & nox vltra non erit; & non egebunt lumine lucernæ, neque solis, quoniā Deus illuminabit illos. Illis etiā, qui sunt in domo inferni, de qua domo dicitur; Requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus, & inhabitabunt ibi. Non oportet quòd ista lucerna super candelabrum posita, luceat illis, quia inemendabiles sunt, nec ad bonū reuerti possunt, vt Damascenus 2. lib. cap. 3. dicit. Oportet scire quoniam quod est hominibus mors, hoc Angelis est casus; Post casum enim non est eis pœnitentia, quemadmodum neque hominibus post mortem. Vnde & de iniquo dicitur. Introibit vsque in progenies patrum suorū, & vsque in æternum non videbit lumen. Quod exponens Cassiodorus, ait, Ideo dixit: In æternum non videbit lumen: Quia sicut peccata tenebrosa sunt, ita peccatoribus lumen sapientiæ auferunt: propter quod, sicut in isto mundo illuminati non sunt illi, quorum cor noxium caligo erroris obsedit, simili modo in æternū non videbunt lumē, quod hoc vitio prauitatis suæ habere non meruerunt. Vnde & de dura Babylonia, ideſt, congregatione iniquorum in infernū, dicitur. Lux lucernæ non

Psal. 18. Idem 83. Ioan. 6. Augustin. Apoc. vlt. Isa. 13. Damasc. Psal. 48. Cassiod.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Apoc. 18. lucebit ibi amplius. Quia ergo ista lucerna non est necessaria in domo cœlesti, nec infernus dignus est vti hoc lumine lucernæ: iccirco dicitur quòd debet lucere omnibus qui in domo sunt; quia & hi possunt adhuc erudiri per talem lucernam, & possunt de malo ad bonum conuerti, cum in malo non sint obstinati. Et secundum hoc solis hominibus mũdi, hoc Euangelium prædicandum est, quia illis proficere potest, & non alijs.

SVMMARIVM.

Quòd licet Doctores Ecclesiæ per prædicationem Euangelij, omnes homines in hoc mundo existentes illuminare velint, tamen non omnes illuminantur per eos: vel quia eos audire nolunt, vel quia eorum doctrinæ detrahunt, vel quia circa mundana occupari volunt; & ideo non præcipitur Doctoribus quòd omnes homines illuminent, sed quòd omnibus hominibus (quantum in ipsis est) luceant.

XXXV LIcet autem Doctores super candelabrum Ecclesiæ positi, omnibus hominibus debeant lucere, tamen non omnes eorum lucem percipiunt, vel quia se gratis auertunt nolentes audire Euangelij prædicationem, iuxta illud: Populus ad iracundiam prouocans est, & filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei: qui dicunt videntibus, nolite videre: & aspicientibus, nolite aspicere nobis ea quæ recta sunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores. Et alibi dicitur: Noluerunt attendere, & auerterũt scapulam recedentem, & aures suas aggrauauerunt ne audirent, & cor suum posuerũt vt adamantem ne audirent legem, & verba quæ misit Dominus exercituum in Spiritu sancto per manum prophetarum priorum. Vel si se non auertũt ab auditu legis Dei, vel scripturæ sanctę visione, tamen non audiunt eam, nec legunt, nisi vt calumnientur, & detrahant. Vnde dicitur de filijs Israel iniquis. Cõuertẽtur ad Deos alienos, & seruient eis, & detrahent mihi, & facient irritum pactum meum. Et alibi dicitur contra tales. Quare detraxistis sermonibus veritatis, cum ex vobis nullus sit, qui possit arguere me? Ad increpandum tantum eloquia concinatis, & in ventum verba profertis. Si etiam non sint tales qui aspernentur audire, vel legere, vel qui nõ audiunt, vel legunt veritatem Euangelij vt detrahant, sed sunt tales, qui vel obliuione, vel aliarum rerum implicatione de Euangelio non curent, vel si curent, tamen propter quodcunque periculum dimittunt Euangelium in quo crediderunt, non illuminantur; quemadmodum Dominus declarat in parabola seminantis. Istis tamen omnibus, Doctores (quantum in eis est) quamdiu sunt in mundo, lucere per prædicationem debẽt; licet illi vel auertãtur à luce eorum, sicut faciunt infideles obstinati, vel detrahant luci, sicut oculus lippus lucem odit: quemadmodum faciunt hæretici. Vel etiã non curant, & obliuiscuntur Euangelium propter sollicitudinem mundi, sicut faciunt homines multi seculo dediti: Quibus omnibus, licet lux veritatis eorum oculos cordis feriat, tamen, quia obcæcati sunt, lumen veritatis non percipiunt. Vnde & lux prædicatorum lucet in eis, & tamen ipsi non illuminantur: quemadmodum claritas solis illustrat oculum cæci, & tamen oculus cæcus non illuminatur, nec lucem solis sentit, non ob defectum claritatis solis, sed ob malitiam, vel defectum oculi hominis, vel animalis cæci. Vn de Auguſt. par. 1. super Ioan. serm. 1. dicit. Stulta corda capere istam lucem spiritualem non possunt, quia peccatis suis aggrauantur vt eam videre nõ possint: nec ideo cogitent quasi absentem esse lucem, quia eam videre non possunt. Quomodo enim homo cæcus positus in luce solis præsens est illi sol, sed ille soli absens est; sic omnis stultus, omnis iniquus, omnis impius cæcus est in corde, præsens est ei sapientia, sed cum cæco præsens sit, oculus eius absens est, non quia illi absens sit, sed quia ab ipsa ipse absens est. Quia igitur prædicator non semper illuminat audientes, & hoc nõ propter sui defectum, sed propter defectum audientiũ; Ideo non præcipitur Apostolis quòd illuminẽt omnes, qui eos audiunt, sed [*Quòd ipsi luceant omnibus qui in domo sunt*] quia (quantum in eis est) debent omnibus lucere, vt omnes lucem eorum possint percipere. Vnde magis hoc Lucas declarans, dicit. Neque lucernam accendit, & in abscondito ponit, neque sub modio, sed super candelabrum, vt qui ingrediuntur lumen videant. Vbi dicit Gloss. Qui Ecclesiam voluerit ingredi, lumen veritatis palàm poterit intueri. Ergo illi soli poterunt lucem Euangelij videre, qui ingrediuntur, ideſt, qui addiscere volunt: Qui autem nolunt intelligere vt benè agant, nec volunt ingredi domum, sed foris stare, quemadmodum fecit frater filij prodigi, de quo dicitur quòd indignatus nolebat introire: non illuminatur luce Euangelij, quia domum disciplinæ non vult ingredi. De qua domo dicitur. Dedit mihi Dominus mercedẽ meam, & in ipsa

Matt. 13.

Aug.

Luc. 11.

Gloſ.

Idem in Eccl.

laudа-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

laudabo eum. Appropinquate ad me viri indocti, & congregate vos in domum disciplinæ. Quid adhuc retardatis? Sed si non illuminantur, non est ob defectum lucernæ, quæ illuminat eos qui in domo sunt, sed quia ipsi domum disciplinæ ingredi nolunt.

SVMMARIVM.

Quòd licèt omnibus qui sunt in Ecclesia Christi, Doctores Ecclesiæ debeant prædicare, tamen non eodem modo, vel non eadem: quia paruulis, idest, simplicibus non sunt alta mysteria scripturæ prædicãda, nisi necessitas adueniat. Et quando talia sunt eis prædicanda, craßè, & figuraliter eis dicenda sunt, vt illa credere possint: & non subtiliter, vel deductione subtili, vt illa intelligere possint. Multum autem instructis omnia secreta scripturæ sunt pandenda, & subtiliter deducenda, vt non solum credere, sed & intelligere posint.

XXXVI SI verò domus pro Ecclesia accipiatur, tunc omnibus, qui in domo sunt, idest in Ecclesia, Euangelium est prædicãdum, vt illuminentur Euangelij veritate. Hoc tamen debet attendi, quòd secundum capacitatem audientium formentur instructiones, & illuminationes Doctorũ; quia si simplicibus, & idiotis, alta mysteria diuinę scripturę reuelentur, vel alto modo, & per subtiles deductiones eis declararentur, non illuminarentur; sed obcęcarentur, & frequenter in errorem ducerentur: Quemadmodum si oculus infirmus vellet respicere solem in rota sua, non illuminationem, sed tenebrositatem consequeretur; & tamen illuminari posset si in terra, vel in monte radium solis conspiceret. Vnde & Dominus infra 13. dicit ad interrogationem Apostolorum dicẽtium. Quare in parabolis loqueretur eis? qui respondens ait: Quia vobis datum est nosce mysteria regni cœlorum; illis autem non est datum. Et Apostolus ad Hæbr. 5. dicit. Omnis qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ; paruulus enim est, perfectorum autem est solidus cibus. Et 1. ad Cor. 3. Non potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus; tamquàm paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. Sed hominibus magni ingenij & instructis, alta mysteria scripturarum, vel alto modo & subtili, sunt prædicãda; quia illa sic percipiũt, quæ alio modo percipere dedignarentur. Vnde & Apostolus 2. ad Timot. 2. dicit de huiusmodi secretis scripturæ sanctæ. Hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erũt, & alios docere. Quod exponens Dionysius 1. cap. eccles. hierar. dicit. Nostra hierarchia in Deo manẽtis & diuinæ est, & deificę scientiæ, & operationis, & perfectionis, ex supermũdanis, & sanctissimis eloquijs, nos conuenit demonstrare ijs, qui sanctæ mysteriorum introductionis perfectione ex hierarchicis mysterijs, & traditionibus sunt perfecti. Et infra. Non participante quidem ipsa, sed immaculata conseruans ab imperfectis: sacris autẽ solis sacrorum cum sancta illuminatione, vt decet sanctum, communicans. Quod exponens Linconten. dicit. Hæc sancta sanctorum, quæ occultãda sunt ab imperfectis, hoc est impotentibus, cognosce ea esse intellectualia, & inuisibilia; seruа immaculata à talibus imperfectis, cõmunicans ipsa solum sacris viris, sacra cum sacra refulgẽtia ex illuminatione, sicut decet sacra edoceri. Non enim vulgari, aut humili, aut ridiculoso sermone, aut vocis, aut vultus, aut gestus immoderatione decet sacra edoceri, sed quantum fieri potest, sermonis qualitate, & vocis, & vultus, & gestus moderamine, cum venustate concordantibus sacratæ materię. Et Glo. super illud ab Heb. Omnis qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitię, paruulus enim est: dicit. Aperta cõparatio. Vt enim paruulus non discernit cibos, & perit sumendo noxios; sic indoctus, qui nec etiam minorum, ne dum maiorum valet apprehendere rationem. Qui enim non capit, Verbum caro factum est: quomodo capiet, In principio erat verbum? Omnis de hac re sermo qua agitur, vt non solum credatur, verumetiã intelligatur, sciaturq; quod dicitur, onerosus est; facilius illos premit quàm pascit. Ex quo fit, vt spirituales ista carnalibus non omni modo taceant, propter catholicã fidem, quæ omnibus prædicanda est. Nec tamen sic deserat, vt volentes ea perducere ad intelligentiam non capacem, facilius fastidiri faciant in veritate sermonem, quàm in sermone percipi veritatem. Hæc habet Glossa. Sic ergo simplicibus & idiotis non sunt reuelanda alta mysteria scripturæ, nisi dumtaxat illa, quæ necessariò sunt credenda; nec illa credenda sic eis subtilitèr, & deductiuè dicenda, sed solum grossè, & figuraliter exponenda, vt ipsa credant solum, & non conentur vt ipsa intelligant vel sciant; quia hæc intellectus eorum non posset capere; timendũq; esset ne ad vanas, & sacri legas fabulas promissione scientiæ deducerẽtur, quomodo omnes hæreses, vel earum maior pars propter defectum intellectus non potentis diuina intelligere de

Matt. 13.
Hæbr. 5.
1. Cor. 3.
2. Tim. 2.
Dionys.
Linconiẽ.
Hæb. 5. Glos.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

sacra scriptura sunt exortæ, iuxta illud
1.Tim.1. Apostolus 1. ad Timo. 1. Quidam aberrantes conuersi sunt in vaniloquium, volẽtes esse legis Doctores, non intelligẽtes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Sic ergo, licet omnibus qui sunt in domo, ideſt in Ecclesia lux prædicatorum lucere debeat; tamẽ quia lux eorum est rationalis, & voluntariè illuminãs, secundum conditiones, & diuersitates audientium, diuersimode sunt instruenda, & illuminanda corda eorum, qui audiunt. Quemadmodum Moyses cum Aaron, Nadab, & Abiu, & septuaginta de senioribus Israel in montem ascenderunt; vbi viderunt Deũ Israel, & sub pedibus eius quasi opus lapidis Saphiri, & quasi cœlum cum serenum est, remanente populo procul, super quos non misit manum suam, vt sic susciPsal.71. pant montes pacem populo, & colles
Augusti. iustitiam. Quod exponens August. par. pri. super Ioan. ser. pri. dicit. Montes, excelsæ animæ sunt: colles, paruulæ animæ sunt; sed ideo montes excipiunt pacem, vt colles excipere possint iustitiam. Quæ est iustitia, quam colles excipiunt? fides, quia iustus ex fide viuit: non autem acciperent minores animæ fidem, nisi maiores animæ quæ montes dictæ sunt, ab ipsa sapientia illustrarentur, vt possent paruulis traijcere, quod possent paruuli capere, & viuere.

Tractatus sequens protenditur vsque ibi. (Nolite putare quoniam veni soluere legem, &c.) *& continet* 27. *capitula.*

SVMMARIVM.

Ponitur prima continuatio & expositio, si accipiatur lumen pro prædicatione, & doctrina apostolica, & ostenditur, quòd talis fuit eorum doctrina, quòd ex modo quo ab eis tradita fuit, manifestè ostendebatur hominibus, quòd non erat doctrina hominum, sed Dei; & sic ex eorum doctrina Deus glorificatur. Capitulum primum.

1 *Sic luceat lux vestra coram hominibus &c.*] Vbi ostendit quòd hac luce sapientiæ qua Apostoli fuerunt illustrati, vti debet ad hominum illuminationem, & Dei gloriam, cum dicit. [*Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est.*] Et

F potest continuari, & exponi primò sic: Si lux ista solum ad scientiam referatur; dictum est enim, quòd lucerna accẽsa super candelabrũ posita, lucere debet omnibus, qui in domo sunt; & quia ego talem lucernam vos feci, iccirco lucere debetis coram hominibus, ideſt vestram scientiã debetis omnibus hominibus manifestare; non quocumque modo, sed vt decet tales discipulos talis magistri; vt ex doctrina vestra quod est opus scientiæ, Deus glorificetur. Gloria enim magna, est perfectos &
G excellentes discipulos habere, quorũ perfectio scientiæ ex eorum doctrina percipitur, & ex hoc abundantia scientiæ magistri laudatur. Sic ex opere visibili, & sensibili artificis ars, & sapientia magistri cognoscitur & laudatur. Vnde & Remig. hîc dicit. Non accendi vos gratia Sancti Remig.
spiritus, vt lucem sanctæ prædicationis occultetis, sed vt omnibus manifestetis, quatenus luce sanctæ prædicationis omnes illuminentur, & vestra doctrina, & exemplo plurimi erudiantur. Non enim
H decens erat, vt summi magistri Discipuli qualitercunque docerent, sed oportebat, quòd sicut summè erant instructi, sic summè, & vltra humanum modum, homines erudirent, vt ex eorum doctrina manifestè perpenderentur, quòd non hominis puri, sed Dei, & hominis discipuli fuerãt. Vnde & Apostolus doctoris sui excellentiam ex ijs, quæ prædicabat volens ostendere, dicit ad Ephe. 3. Audistis dispensationem gratiæ Dei, quæ data est mihi in Ephes.
vobis; quoniam secundum reuelationem
I notum mihi factum est sacramẽtum, sicut suprascripsi in breui, prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi. Propter quòd & ipse, vt totus spiritualis effectus dicit 1. ad Cor. 2. Sermo mens, & prædicatio mea nõ in per- 1.Cor.2.
suasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis, vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in
Glos. virtute Dei. Quod exponens Gloss. dicit. Sermo meus, qui priuatim fiebat, & prædicatio mea, quæ fiebat in communi, non
K fuit in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, quia & si persuasibilia sunt verba mea, non tamen per humanam sapiẽtiam, vt verba Pseudoapostolorum, sed fuerunt in spiritus, & virtutis ostensione, ideſt in sermone, & prædicatione mea, ostendi me habere spiritum & virtutẽ, vt fides vestra non attribuatur homini, sed Deo. Tunc ergo prædicatorum lux, ideſt doctrina lucens coram hominibus, facit patrem celestem glorificari, quãdo in se ipsa talis est, & sic profertur, quòd non ab homine, ne-

que

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

que per hominem videtur esse inuenta, vel docta, sed per Spiritum Dei, iuxta illud Apostoli 1.ad Corin.2. Non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis; quæ & loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus spiritualibus spiritualia cõparantes. Et Chrysost. super Matt. hom. 1. dicit in hom. de Euangelijs. Diuina virtus erat quę omnia præibat, & dirigebat, quoniam nisi hoc esset: quomodo publicanus & piscator, & illiteratus talia philosophabatur? Quæ enim neque per somnium philosophi imaginari poterant, hi cum multa certitudine & annunciant, & suadent; & non viuentes solum, sed & deficientes; neque duobus, neque viginti hominibus, neque centum, & mille; sed Ciuitatibus, & Gẽtibus, & Populis, terræ, & mari, & Græcis, & Barbaris, & orbi terrarum, & de rebus vehementer nostram superexcellentibus naturam. Et homil. 1. super Ioan. dicit idem. Ea, quę sunt in cęlis, & quæ nullus vnquam didicit ante hunc Ioannem, audiuimus; ita enim nobis excelsa dogmata, & conuersationem optimam, & philosophiam venit portans, qualem decet eum, qui ab ipsis loquitur sancti Spiritus thesauris. Sic ergo exponeretur, & continuaretur hæc pars, si tota intelligatur de luce sapientiæ diuinæ, mentibus Apostolorum infusæ; cuius opus est doctrina bona, iuxta dictam sapientiam, egrediens ab eis, quæ ex sua natura habet propter suam sublimitatem, bonitatem, infallibilitatem, & claritatem; & propter modum trahendi, quem habet communiter ducere homines audientes ad cognoscendum; quòd huiusmodi doctrina non hominum est, sed vere ipsius Dei, iuxta illud Apost. 1. ad Cor. 14. Si omnes prophetent, intret autẽ quis infidelis, aut idiota, conuincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus, occultà cordis eius manifesta fiunt, & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuncians quòd vere Deus in vobis sit. Et 1. ad Thess. 2. dicit idem. Exortatio nostra non de errore, neque de immunditia, neque in dolo; sed sicut probati sumus à Deo vt crederetur nobis Euangelium ita loquimur. Ad huiusmodi opus exhortans discipulum Apostol. dicit 2. ad Timoth. 4. Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple.

1.Cor.2. Chrysost. hom.1. Idem hom.1. 1.Cor.14. 1.Thess.2. 2.Tim.4.

SVMMARIVM.

Ponitur secunda continuatio, & expositio, & ostenditur, quòd doctrina doctoris diuinę scientiæ, lucet coram hominibus, si eius opera sint talia, quòd illa homines videntes inducantur ad glorificandum Deum, qui tales seruos habet talia opera operantes.

SEcundò potest cõtinuari, & exponi sic; quòd in præcedenti parte præceperit Dominus Apostolis, quòd luce sapientiæ diuinæ, qua erant illustrati) quia erant lucerna accensa) alios homines per doctrinã illustrarent. Sed nunc præcipit eis, quòd non solum verbo doceant, sed etiam opere, & exemplo; quia tali modo doctores aliorum facientes, Deum per sua dicta, & facta glorificant; cum è contra benè docentes, & malè viuentes, Deum inhonorent, & inhonorari faciant, iuxta illud Apost. ad Rom. 2. Confidis te ipsum ducẽ esse cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiæ, & veritatis in lege. Qui ergo alium doces, te ipsum non doces? Et infra. Qui in lege gloriaris, per prȩuaricationem legis Deum inhonoras; nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes. Et Chrysost. hîc dicit in expositione per illos Doctores qui docent, & faciunt, magnificatur Deus. Per eos autem qui docent, & non faciunt blasphematur: vt puta, si benè doceant sacerdotes, & melius viuant, videntes gentes dicunt, Benedictus Deus, qui tales habet seruos. Verè enim eorum Deus, verus est Deus; nisi enim ipse esset iustus, nunquam populum suum circa iustitiam sic teneret; nam disciplina domini ex moribus familiæ demonstratur, si autem benè doceant, & malè conuersentur, videntes dicunt: Qualis Deus est eorum, qui talia agunt? nunquam sustineret eos talia facientes, nisi consentiret operibus eorum. Nec enim potest dominus habere bonam opinionem, qui malam habet familiam. Sic ergo vt non solum benè doceant, sed etiam benè operentur, instruit eos cum dicit. [*Sic luceat lux vestra coram hominibus*] & hoc modo hanc partem continuat Chrysost. in homiliario dicens. Vt scias quoniam ille est laudabilis Doctor qui facit, quod docet: addit, & dicit. [*Sic luceat*] idest, sic illuminati docentes, vt nõ vestra verba tantum audiant homines, sed vt opera vestra videant, vt quos illuminatis per verba quasi lux, cõdiatis per exemplum operum vestrorum, quasi sales. Quoniam qui docet & facit, ille verè docet; qui autem non facit quod docet, nõ alium docet, sed se ipsum condemnat; & melius est facere & non docere, quàm docere &

II

Rom.2. Chrysost. hom.10. Idem ho. 10.

non

non facere; quoniam qui facit & si tacuerit, aliquos corrigit suo exemplo: qui autem docet & non facit, non solum neminem corrigit, sed adhuc multos scandalizat. Quis enim non moueatur ad peccandum, cum videat ipsos Doctores veritatis peccare? & sic hæc pars inducere-
tur ad hoc, vt Doctores non essent contenti quòd benè doceant, nisi & benè, & iuxta doctrinam scripturæ operentur, & viuant. Sacerdotis enim doctrina vtrumque
Hieron. istorum debet habere, dicente Hieron. in Epistola ad Nepotianum. Non confundãt opera sermonem tuum, nedum in Ecclesia loqueris tacitus quilibet respondeat. Cur ergo hæc quæ dicis, ipse non facis? Delicatus magister est, qui pleno ventre de ieiunijs disputat; Accusare auaritiam & latro potest; sacerdotis Christi mens, vita, osque, concordent.

SVMMARIVM.

Ponitur tertia continuatio & expositio; & ostenditur, quòd licet doctrina Doctorum Ecclesiæ, non recepta ab aliquibus audientibus, sed blasphemata, non diminuat præmium Doctorum; tamen ipsi multum desiderare debent, quòd doctrina eorum & hominibus proficiat ad salutem; & quòd homines eam audientes, & acceptantes Deum glorificent.

III Tertiò potest continuari, & exponi, quòd in hac parte assignetur causa propter quam debeant lucere omnibus, qui in domo sunt; vt scilicet non propter aliud vellẽt lucere coram hominibus, nisi vt proximus ædificaretur in fide & moribus; & vt per eorum doctrinam Deus glo rificaretur; quæ duo maxima bona sunt: Et hoc modo hanc partem continuans
Chrysost. hom. 15. Chrysost. in homil. dicit. Non propter vos solum, sed & propter alios ducendos ad veritatem, & hac claritate potituros lucete. Deinde & aliam vtilitatem ponit cũ salute hominum; non enim orbem terrarum emendabitis solum rectè viuentes, sed & Deum præparabitis glorificari, quemadmodum contraria facientes, & ho mines perire, & Dei nomen blasphemari facietis. Circa quod attendendum, quòd ad receptionem veritatis duobus modis homines se habẽt: quia aliqui nolunt eam recipere, immo odiunt, & detestantur ipsam, & detestantur veritatis Doctorem: Alij vero recipiunt ipsam, & eam diligũt, ac Doctorem veritatis habent in honore: quocunque autem modo se habeant auditores (dummodo Doctores faciant, quòd in eis est) suam mercedem non perdunt. Vnde sicut primi mali, & odiunt Doctorem, & de doctrina mẽtiuntur, eam contemnentes, & Deum blasphemant; iuxta illud supra. [*Beati estis cum vos oderint homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes propter me*] ita & boni auditores laudant, & diligunt suos Doctores, & eorum doctrinam, & Deum glorificant; quia tales Doctores eis dedit, vt hîc Dominus dicit. Siue autem accipiant doctrinam, & doctores honorent, Deus honoratur: siue non accipiant, & Doctores contemnant, Deus cõtemnitur; & ita vtroq; modo, quod ab eis fit in Deũ redũdat; sed tamen ipsi gloriam pro mercede sui laboris acquirunt: propter quod etiam de primis præmittitur. [*Beati eritis*] & in fine additur [*Gaudete & exultate, ecce enim merces vestra copiosa est in cœlis*] Et de istis secũdis dicitur, quòd faciũt glorificare Patrẽ cœlestem: propter quod & ipsi à Patre cœlesti glorificabuntur, iuxta illud 1. Reg. 2. Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum: propter quod quia veritatis doctores dummodo faciãt, quod spectat ad eos, sive contemnantur, & irrideantur, sive laudentur, & glorificẽtur propter Deum, semper suam mercedem consequuntur: Ideo dicit Apostolus eis, quèd debent se exhibere, vt ministros Dei per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam, vt seductores, & veraces 2. ad Cor. 6. Verum est tamen quòd licet vtroq; modo Doctores acquirant sibi Dei gloriam, tamen est eis magis gaudiosum, quando & audientes proficiunt ex doctrina, & Deus ex eorum doctrina per audientes glorificatur. Vnde Chrysost. hom. 12. super Ioan. dicit. Non qualia agricultorum, talia & quæ docẽtium sunt. Nam agricultor post annuos multoties labores, afflictionem, & sudores, si terra nihil dignum laboribus tulerit, à nullo alio poterit laborum consolationem inuenire; sed reuertitur cum verecundia, & tristitia ab area ad domum, ad vxorem, & filios, & à nullo habet petere longi laboris retributionẽ; In nobis autem nihil tale erit: sed & si cultura nullum afferat fructum terra, cum omnem nos monstraremus laborem, Dominus non despiciet vana nos spe abeuntes; sed dabit retributionem secundum proprium laborem, non secundum rerum finem; sed tamen & hanc habentes consolationem, & in ea, quæ in nobis est, retributionem confidentes, in nullo agricultoribus illis melius disponimur, sed gemimus, & flemus, & occultamur, & verecundamur. Hæc enim Doctoris compas-

sio

sio est procuratio patris. Vnde & Apostolus gaudens de Philippensibus, qui verbũ Dei acceperant, dicit. Lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes ad gloriam meam in die Christi, quia non in vacuum cucurri, nec in vacuum laboraui. Vt ergo ostendat quòd sic docere, & viuere velle debeant, quòd non solum ipsi habeant apud Deum mercedem, sed vt homines instruantur per eos, & instructi Deum glorificent; Iccirco dicit: [*Sic luceat, &c.*] Vnde Chrysost. ad hanc intentionem hanc partem inducens, hîc dicit. Vicissimq; merces nostra congregatur, & glorificato Deo propter nos, & blasphematis nobis propter Deum; Et monstrat quòd non solũ audire mala propter Deũ, sed & bona audire multam fert vtilitatẽ, gloria ad Deum perueniente. Sic ergo assignantur duæ causſæ quare Apostoli debeant lucere coram hominibus; vt scilicet homines eruditantur in bonum, & eruditi glorificent Deum.

Philip. 2.

Chrysost. hom. 15.

SVMMARIVM.

Ponitur quarta continuatio, & expositio, & ostenditur quòd tàm bona doctrina Doctorum, quàm eorum bona vita, & opera ad hoc finaliter fieri per eos debent, vt Deus, à quo prædicta habent, glorificetur.

IIII

QVartò potest continuari, & exponi vt hîc doceantur qualem intentionem habere debeant in hominibus docendis; quia non debent quærere ab hominibus gloriam, temporale commodum, vel fauorem, vel suæ doctrinę ostentationem, sed solum gloriam Dei: quemadmodum dicebat Apostolus 2. ad Corin. 4. Non nos metipsos prædicamus, sed Iesum Christũ Dominum nostrum; nos autem seruos vestros per Iesum. Et 1. ad Thessal. 2. Neque aliquãdo fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione auaritiæ, (Deus testis est) non quærẽtes ab hominibus gloriã, neque à vobis, neque ab alijs. Quia vt dicit Dominus Ioan. 7. Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit; qui autem quærit gloriam eius, qui misit illum, hic verax est, & iniustitia in illo non est. Sic ergo Christus non propriam gloriam quærebat Ioan. 8. sed gloriã Patris sui. Sic nos debemus in docẽdis hominibus nil aliud quærere, nisi gloriam Patris cęlestis; quia si ad hoc nostra intentio dirigatur, omnia alia cõsequimur; iuxta illud infra 6. Primũ quærite regnũ Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijciẽtur vobis. Si verò gloriam Dei non quærere-

2. Cor. 4.

1. Thess. 2.

Ioan. 7.

Idem 8.

Matt. 6.

A

B

C

D

E

mus, vel intẽderemus, & etiam aliquãdo homines per nostram doctrinam, agente Deo in eorum mente, instrueremus, tamẽ nos sine fructu essemus, iuxta illud Apostoli 1. ad Corint. 13. Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Sic ergo vt ostendatur quo fine debeant Doctores alios illuminare, & corã eis lucère, ac bona opera facere, ponitur causſa finalis omnium operum bonorum, hæc scilicet. [*Vt videãt opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.*] Et hoc modo hanc partem continuãs Glo. dicit. Hæc omnia, supple quæ dicta sunt, ita agite, vt non finem boni operis in laudibus hominũ constituatis, sed in gloria Dei Patris. Et Hylar. hîc dicit. Pari lumine monet fulgere Apostolos, vt ex admiratione operis eorum, Deo laus impertiatur. Quia vt dicit Bernar. super Canti. ser. 13. Origo fontiũ, & fluminum omnium mare est: virtutũ atque scientiarum Dominus Iesus Christus. Continẽtia cărnis, cordis industria, voluntatis rectitudo, ex illo fonte manãt; sed & si quis callet ingẽnio, nitet eloquio, moribus placet, inde est. Casta consilia, iusta iudicia, sancta desideria, riuuli fontis illius sunt. Quòd si copiæ aquarũ secretis subteraneisq; recursibus incessanter ęquora repetũt; vt inde rursus ad visus, vsusq; nostros iugi & infatigabili erũpãt obsequio; Cur nõ etiã spirituales riui, vt aruamentium rigare non desinãt, proprio fonti sine fraude, & sine intermissione reddantur? Ad locum ergo vnde exeunt flumina gratiarum, vt iterum fluant reuertantur; quod tunc facis, quãdo quicquid sapientiæ, quicquid virtutis te habere confidis, Dei virtuti, & sapientiæ adscribis. Tunc enim fidelis famulus es, si de multa gloria Domini tui, & si non exeunte à te, tamen transeunte in te, nil tuis manibus adhærere cõtingat. Tunc iuxta mãdatum Domini lux tua lucet coram hominibus ad glorificandum non te, sed patrem, qui in cœlis est.

1. Cor. 13.

Glos.

Hylar.

Bernar.

SVMMARIVM.

Quòd tunc Doctoris lux, id est, doctrina lucet coram hominibus, quando & ipse illustratus est lumine diuinæ cognitionis, & donum eloquentiæ accepit; quo clarè, & apertè doceat quod intelligit, quorum si alterum deest, lux, id est, doctrina eius non lucet coram hominibus.

QVibus visis, intelligendum est circa litteram, quòd si lux hîc accipiatur

V

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

pro doctrina veritatis, illa debet lucère corã hominibus, ideſt clarè, & lucidè proponi; & non obfuſcari obſcuritatibus figurarum, & enigmatum, vel ambiguitatibus verborum, niſi cauſa ſit cur hoc fiat; ſed clarè, & lucidè proponi debet, vt omnes audientes inſtruantur. Hoc enim intereſt inter falſam doctrinam, & veram, quòd falſa doctrina multis obſcuritatibus inuoluitur, vt eius falſitas, vel vix, vel nunquam perpendatur; quia quàm cito perpenditur, ſtatim deſeritur; nullus enim ſanæ mentis decipi vult. Sed doctrina veritatis quia per ſe ſuſtinet ſe, non timet labefactari ab aliquo: iccirco clara, & aperta vult eſſe, quia quãtò plus impugnatur, & arguitur, tantò plus fortificatur, & roboratur, ac amabilis efficitur; & ideo non quærit tenebroſitatem, & celationem, ſed claritatem & propalationẽ, dicente Chryſoſt. hom. 28. ſuper Ioan. Nihil veritate apertius, neque fortius, quemadmodum nihil falſo imbecillius, & ſi infinitis velaminibus coobumbretur, facilè deprehenſibile eſt; & ita defluit facilè: veritas autem nuda placet omnibus, qui volũt eius pulchritudinem intueri: ſed nec latère vult, neque periculum formidat, neque inſidijs tremit, neque gloriam, quæ à multis deſiderãtur optat: nulli æquidẽ hominũ eſt obnoxia, ſed omnibus quidẽ ſuperior eſt; ſuſcipiens quidem infinitas inſidias, manẽs autem indeterribilis; & eos qui ad eam cõfugiunt, ſicut in munito muro cuſtodiens propriæ virtutis ſuperabundantia, & latentes euertens ſubintroitus, omnibus in medio proponit, quæ à ſe ipſa ſunt. Hæc denique & Chriſtus Pilato loquẽs, indicabat dicens: Ego ſemper palàm docui, & in occulto locutus ſum nihil. Et Hilar. 7. de Trinitate dicit. Magna eſt vis veritatis, quę cum per ſe intelligi nõ poſſit, per ea tamen ipſa, quæ ei aduerſantur, elucet, vt in natura ſua immobilis manẽs, firmitatem naturæ ſuæ quotidie dum attentatur, acquirat. Et quia Chriſti doctrina eſt veritas nullam falſitatem includẽs, qua informati Apoſtoli fuerunt; iccirco vt eam non abſcondant, vel obtenebrent, præcipitur eis quòd eorum lux, id eſt, doctrina coram omnibus hominibus luceat, iuxta illud Sap. 7. Honeſtatem illius non abſcondo. Et Apoſtolus de ſe dicit Actu. 20. Nihil ſubtraxi vobis vtilium, quo minus annunciarem vobis, & docerem vos publicè, & per domos, teſtificans Iudæis, atque gentibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Et quando ſic Doctor doctrinã Chriſti hominibus prædicat, lux eius lucet coram hominibus. Vnde & Iob 29. dicitur, Lux vultus mei non cadebat in terram. Ad hoc autem quòd talicer lux Doctoris luceat, non ſolum indiget magna, & profunda ſcientia diuinę legis, ſed etiam clara, & aperta eloquentia, dicente Chryſo. 4. lib. de dignitate ſacerdotali. Doctrina ſermonis eſt adiuuamentũ ſpiritualis curationis, hæc cibus, hæc aeris moderata temporis, hæc pro medicamine, hæc pro cauterio, hæc pro ferro. Si enim vri oporteat, aut ſecari, hac vti neceſſe eſt, vt opus eſt vti auxilio ſermonis non ſolum ad cuſtodiam domeſticorum, ſed etiam ad congreſſus inimicorum. Et in fine dicti libri dicit idem. Præ cæteris peritus debet eſſe, qui etiam alios docendi ſortitur officium; nam & ſi ipſe inconcuſſa credulitate cuſtodiat nihil quo à contradicẽtibus lędatur; tumultuatio tamẽ diſcipulorum eius, cum ducem ſuum viderit fuiſſe ſuperatum, nec habere aliquid, quod impugnatoribus poſsit opponere; non imperitiam eius, ſed fidei arguet vanitatem, atque ita per vnius inſcitiam multus populus in vltimum diſcrimen adducetur. Et ſic Doctor non ſolum debet in ſe habere lucem ſapiẽtiæ, vt poſsit docere diuinam ſcripturam populos ſibi ſubiectos, & infideles redarguere; ſed etiã oportet quòd habeat lucem eloquentiæ, vt quod clarè intelligit, clarè loquatur; vt ſic coram hominibus lux eius luceat. Quia ſi haberet ſcientiam ſine eloquentia, ipſe in ſe lux eſſet, ſed coram populo non lucęret, qui non poteſt videre claritatem ſcientiæ exiſtentem in mẽte alterius, niſi per eius eloquentiam. Vnde & Moyſes, qui erat eruditus omni ſapientia Aegyptiorum, vt dicitur Actu. 7. excuſabat ſe à ſuſceptione regiminis populi, quia non erat eloquẽs; vnde dicitur Exodi 4. Obſecro Domine non ſum eloquens ab heri, & nudius tertius; & ex quo locutus es ad ſeruũ tuum, impeditioris, & tardioris linguę ſum. Sed quãdo vtrumque adeſt, ſcilicet, & ſapientia in mente, & eloquentia in ore, tunc lucem ſuam poteſt facere lucère coram hominibus. Per eloquentiam autem non eſt intelligendum aliud, niſi, quòd rectè, & clarè poſsit proferre quod rectè, & clarè intelligit: quia licet ornatus ſermo magnam pulchritudinem doctrinæ, & delectationem faciat in auditoribus, tamen ſi non adſit, non multum impedit veritatis cognitionem, ſolum quòd clarè, & apertè Doctor, quod intelligit poſsit proferre, immo aliquando ornatus magnus claritatem doctrinæ impedit; propter quod & Apoſtolus de ſe dicebat 2. ad Cor. 11.

Chryſoſt. hom. 28.

Ioan. 18.

Hylar.

Sap. 7.

Actu. 20.

Iob 29.

Chryſoſt. lib. 4.

Idem.

Actu. 7.

Exod. 4.

2. Cor. 11.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Existimo nihil me minus feciſſe à magnis Apoſtolis; nam ſi impeditus ſum ſermone, ſed non ſcientia: Quod exponẽs Chryſoſt. 4. lib. de dignitate ſacerdotali cap. 4. dicit. Ergo ſi à ſacerdote leuitatem Socraticam, aut Demoſthenis tumorem, aut Thucydidis claritatem, aut altitudinem Platonis exigerẽ, oportet me contra hanc Apoſtoli ſententiã dicere; nunc verò omnia illa delinquens, & eloquentiam ſecularem ſuperfluam indicans, nec de ſe elocutionibus, nec de vrbanitatibus curam mihi eſſe profiteor, ſed mihi licebit & paucis eſſe verbis, & rerum appellationibus ſimplicibus vti, dummodo intellectu, & veritate dogmatum non ſit is de quo loquimur imperitus. Et Auguſt. par. 1. ſuper Ioan. ſerm. 2. dicit. Sanguĩna non eſt latinum, ſed quia græcè poſitum eſt pluraliter, maluit ille qui interpretabatur ſic ponere, & quaſi minus latine loqui ſecundum grammaticam, & tamen explicare veritatem ſecundum auditũ infirmorum. Et infra. Dicamus ergo, nec timeamus ferũas Grammaticorum, dum tamen ad veritatem ſolidam, & certiorem peruenia-mus. Sic ergo talis eloquentia requiritur in docente, quòd rectè, & perfectè poſsit exprimere intellectum ſcripturæ, licet in eo non requiratur eloquentia culti, & ornati ſermonis: quæ duo dum habuerit, rectè poteſt eius lux coram hominibus lucère; quod nõ fieret, ſi alterum horum deeſſet, quia qui docet quod non intelligit, ſtultũ ſe eſſe demonſtrat, iuxta illud Prouer. 29. Vidiſti hominem velocem ad loquendum, ſtultitia magis ſperanda eſt, quàm eius correctio. Et Eccleſ. 10. Labia inſipientis præcipitabunt eum, initium verborum eius ſtultitia, & nouiſsimum oris illius error peſsimus. Sapientia etiam ſine eloquentia alijs inutilis eſt, vt iam ſatis deductum eſt ſupra; & ita vtrumq; eſt requiſitum ad hoc quòd Doctor ſit vtilis multis. Vnde & Eccl. 51. dicitur: In ſapientia eius luxi, & ignorantias meas illuminauit; dedit mihi dominus linguam mercedem meam; & in ipſa laudabo eum; Appropinquate ad me indocti, & congregate vos in domum diſciplinæ.

Chryſoſt. lib. 4.

Auguſt.

Idem. XI

Prou 29.

Eccl. 10.

Idem 51.

A

B

C

D

E

SVMMARIVM.

De quibus donis Dei ab homine acceptis habet homo dicere hoc donum eſt meũ, vel noſtrum, & de quibus donis Dei acceptis à Deo homo non poteſt dicere, hoc, vel illud donũ eſt meũ, ſed ſolum quòd eſt Chriſti donum.

DIcitur autem iſta lux eſſe eorũ, cùm dicitur eis. [*Lux veſtra luceat.*] Quòd licet iſta lux ſit Dei donum, & à Deo ſolum habeatur, iuxta illud quod dicebat ſupra. [*Nemo accendit lucernam*] tamẽ quia hoc Dei dono habito per hominem vnus alio melius, & perfectius vtitur, ſubtilius, & clarius intelligit, & alius inſtruit, quàm alius: Iccirco poteſt dici lux veſtra. Quando enim dono Dei non poteſt quis perfectius vti alio, ſed omnes æqualiter eo vtuntur, qui dictum donum habẽt, nec exhibet in miniſtrando alijs dictũ donum niſi ſolum miniſterium, illud donum non poteſt dici eorum, quia nihil de ſuo apponunt: Quemadmodũ ſunt dona ſacramentorum, in quibus homo ſolum miniſteriũ exhibet, & nihil de ſuo confert, ſicut baptiſmus à quocũque miniſtro datus, æqualis efficaciæ eſt, ſicut ab Apoſtolo datus: propter quod non poteſt dicere aliquis miniſter, baptiſmus meus. Vnde & reprehenduntur Corinthij, qui dicebant. Ego quidem ſum Pauli, ego autẽ Apollo, ego autem Cephe, ego verò Chriſti. Numquid Paulus crucifixus eſt pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati eſtis? 1. ad Corin. 1. Sed quia donum ſcientiæ, vel ſapientiæ vnus habet perfectius alio, & laborat, & ſtudet alio perfectius; & etiam æquali exiſtente dono in duobus, propter maiorem naturæ aptitudinem perfectius ſe habet vnus eorum, quàm alter: iccirco habens tale donum poteſt dicere quòd illud eſt ſuum. Vnde & Apoſtolus ad Ephe. 3. dicit. Secundum reuelationem notum mihi factum eſt ſacramentum, ſicut ſupraſcripſi in breui, prout poteſtis legentes intelligere prudentiã meam in miniſterio Chriſti. Et 2. ad Cor. 4. dicit idem. Si opertum eſt Euangelium noſtrum, in his, qui pereunt opertum eſt. Vnde Auguſt. 5. lib. de baptiſ. contra Donatiſtas cap. 20. ponens differentiam inter Dei dona, quæ poſſunt dici noſtra, & quæ non, dicit. Inuenimus dictum ab Apoſtolo. Gloriam meã; quãquis vtique à Domino impartitam, atque donatam; baptiſmus autem meus hemo eorum dixit omninò. Neque enim omniũ æqualis eſt gloria, nec miniſtrauit omnes æqualiter, nec æquali prudentia ſunt omnes prẽditi, & in euangelizando ãlius alio melius operatur, & ideo dici poteſt alius alio doctior, & ipſa doctrina ſpiritualior, alius autem alio magis, minuſve baptizatus dici non poteſt, ſiue ab inferiore, ſiue à maiore baptizetur Et quia Dominus hîc loquitur de dono ſapientiæ, & ſcientiæ, quibus Apoſtoli illuminati erant: iccirco dicit eis. [*Luceat lux veſtra.*]

VI

1.V

1. Cor. 1.

Ephe. 3.

2. Cor. 4.

Auguſt.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

SVMMARIVM.

Quòd non sufficit quòd homo in se sit illuminatus lumine diuinæ cognitionis, nisi & illuminet alios homines non sic illuminatos per lucem doctrinæ suæ.

VII Est autem attendendũ, quòd licet lux non possit in se non lucere, sicut nec calor non potest non calère; tamen non in hoc consistit lucis perfectio quòd in se luceat, nisi etiã alia illuminet; sicut nec perfectio calidi quòd caleat, nisi calefaciat, si materiam in qua agit appropinquatã habeat. Vnumquodque enim habẽs formam actiuam propter opus est, quod est perfectio secũda: & eodem modo lux spiritualis, quæ est donum cognoscitiuũ, & scientificum, non debet esse contenta quòd illustret, & irradiet mentem illam, cui data est; sed oportet quòd ad alios se diffundat. Sapientia enim abscondita, & thesaurus inuisus inutilis est, Eccles. 20. Et non solum inutilis, immo & nociua possidenti, iuxta illud Apostoli 1. ad Corint. 9. Væ mihi est si non euangelizauero: & iccirco Dominus nõ dicit solum Apostolis quòd eorũ lux luceat (quia sic sufficere videretur quòd in se lucidi essent per scientię donum) sed dicit [*quòd luceat eorum lux coram hominibus,*] vt scilicet eorum luce alij illuminentur. Quemadmodũ enim in mundo sensibili non omnia corpora sunt luminosa, sed sunt aliqua, quæ sibi, & alijs lumen tribuunt, vt Sol, Luna, Stellæ, & ignis; & inutile esset mundo, si solum illa corpora sibi ipsis lucerent; & sicut in humano corpore non omnia membra sunt luminosa, sed solum oculi, & inutile esset si oculi solum sibi videre vellent: sic omnino in corpore Ecclesiæ inutile esset multum, & damnosum si illuminati à Deo, & lux facti, sibi ipsis solum lucère vellent, & alijs hominibus, qui illuminati non sunt, nollent lumen præbere; quia sic pro magna parte in tenebris ignorantiæ Ecclesia remaneret, cum pars modica illorum, qui sunt in Ecclesia, taliter lux sit effecta, secundum quod satis deducit Apostolus 1. ad Cor. 12. per totum.

Eccl. 20.

1. Cor. 9.

1. Cor. 12.

SVMMARIVM.

Ponitur differẽtia inter corpora lucida, & aliorum corporum illuminatiua; & inter mentes lucidas lumine diuinæ cognitionis, & aliorũ illuminatiuas; quia corpora naturalia illuminatiua de necessitate alia illuminant; sed mentes illuminatæ alias mentes voluntariè illuminant.

F SEd quia corpus luminosum ex se, & natura sua illuminat, & nõ potest non illuminare sibi derelicta, iccirco sufficit quòd tale corpus luminosum fiat; quia ipso facto de necessitate lucebit, nec poterit ipsum corpus luminosum facere, quin illuminet alia corpora: propter quod & Gen. 1. dicitur de luminaribus, & stellis, quòd posuit ea Deus in firmamento cœli, vt lucerent super terram. Sed quia donum scientiæ est donum spirituale, & eius visus quo ad diffusionem ad alios subiacet voluntati, & libero arbitrio, quia doctus si vult, docet, si non vult, non docet: iccirco præcipitur illuminatis, & lucidis quòd luceant coram hominibus. VIII

Gen. 1.

G

SVMMARIVM.

Quare præcipitur Apostolis quòd eorum lux, id est, doctrina luceat coram hominibus, & non dicitur quòd luceat corã Angelis, vel coram animalibus brutis.

H DIcitur autem Apostolis quòd eorum lux coram hominibus luceat, & non coram quibuscunque alijs rebus. Natura enim humana post Adæ peccatum nec omnino ex se est illuminata scientiæ lumine, quemadmodum natura Angelica in sua conditione plena scientia condita fuit, iuxta illud Ezech. 28. Tu signaculum similitudinis plenus sapientia, & perfectus decore. In delitijs paradisi Dei fuisti, sed in sua creatione humana anima omni scientia caret, non tamen sic est omnino priuata lumine scientiæ, quòd scientiam non possit habere, quemadmodum bestiæ sunt priuatæ. Sed sicut media est inter naturam angelicam in ordine naturæ, & naturam bestialem: Sic etiam media se habet ad scientiam, & sapientiam, quia nec ipsa habet ex sui conditione, vel creatione; & tamen habere potest, vel per Dei donum, aut per inuentionem, aut doctrinam. Vnde se habet sicut oculus sanus in tenebris existens ad videndum colores, qui si illustretur, lumẽ videt; si non illustretur, non videt; & non sicut oculus ex se lumen habens, nec sicut oculus cæcus: Oculus enim ex se luminosus non indiget alio lumine ad videndum illa, quæ ex naturali sui conditione videre potest; oculus etiam cæcus exteriori lumine frustra illustratur, & ideo solus oculus habens in se virtutem visiuam, & carens luce interiori, qua possit medium facere lucidum, indiget exteriori lumine; & eodem modo, quia anima humana ex se non habet scientiam, vt Angeli, nec omnino caret potentia scientiali

Luc. 4.

I

K

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

vt bestiæ, indiget lumine doctrinæ; & maximè quo ad illa, quæ per se inueniendo non potest cognoscere; cuiusmodi sunt illa cognoscibilia quæ spectant ad fidei doctrinam, quam scientiam Apostoli docere debebant, propter quod eis præcipitur, quòd luceat corã hominibus lux eorum, ideſt predicatio; non coram Angelis, quia non indigent, nec coram bestijs, quia eam percipere non possent; sed coram hominibus, qui doctrina taliũ rerum indigent, & eam percipere possunt, quia neç sunt cœci per naturam, vt bestiæ; neç sunt lux, vel lumen, vt Angeli. Vnde & Apostolus hominibus loquens dicebat ad Ephe. 5. Eratis aliquando tenebræ, nunc autẽ lux in domino; vt filij lucis ambulate. Vbi dicit Glo. Tenebræ quidem fuistis in vobis per ignorantiam, sed nunc lux estis in Domino; qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, iam ex discretione benè operantes, & iustificati per fidem, & baptismum.

Ephe. 5.

Glos.

SVMMARIVM.

Quare præcipitur Apostolis quòd eorum lux, id est, doctrina coram hominibus luceat, & non præcipitur eis quòd eorum lux in hominibus luceat.

X

BEnè autem eis præcipitur quòd eorum doctrina coram hominibus luceat, & nõ quòd in hominibus. Non enim est in potestate docentis, quòd illi, qui eius doctrinam audiunt, eam in corde suo intelligant, percipiant, vel retineant; sed solum hoc opus Dei est, qui inclinat voluntatem audientiũ, vt doctrinæ credant. Vnde solum ad Doctorẽ spectat quòd extrinsecus auditorum auribus doctrinam infundat; sed Dei est quòd auditores doctrinæ assentiãt, & credant; qui potest hominis voluntatem inclinare ad id quod vult; dicente August. 15. lib. de ciuitate Dei cap. 6. Spiritus sanctus operatur intrinsecus, vt valeat aliquid medicina, quæ adhibetur extrinsecus; Alioquin etiam si Deus ipse vtens creatura sibi subdita in aliqua specie humana sensus alloquatur humanos, siue istos corporis, siue illos, quos istis simillimos habemus in somnis, nec interiore gratia mentem regat, atque agat, nihil prodest homini omnis prædicatio veritatis. Vnde quia homines solum possunt loqui auribus exterioribus homini; & non possunt loqui interiori intellectui hominis; sicut Deus facit, qui locutus est patribus in Prophetis, minus etiã possunt inclinare hominum corda voluntates ad assentiendum ijs, quæ dicuntur per eos; Iccirco solum præcipitur Doctoribus quòd eorum lux, id est, doctrina coram hominibus luceat; & non quòd in hominibus luceat, cum hoc non sit in eorum potestate. Vnde & Neemiæ 8. dicitur, quòd attulit Esdras Sacerdos legem coram multitudine virorum, & mulierum, cunctisq; qui poterant intelligere.

August.

Heb. 1.

Neem. 8.

SVMMARIVM.

Quòd Doctor illustratus lumine diuinæ cognitionis, illo fine alios docere debet, vt illi intelligant, & discant quod ignorabant; & ideo clarè & apertè suam doctrinam verbo, vel scripto debet exprimere; vt eius doctrina aliis intelligibilis fiat, quia si aliter faceret, non Doctor, sed ostentator suæ scientiæ esset.

SEd hæc lux debet coram hominibus lucère; primò quidem vt homines videant opera bona Doctorum, & secundò vt visis dictis operibus, glorificẽt Patrem cęlestem, vt videant scilicet homines opera bona Doctorum. Ad hoc enim Doctor docere debet, vt ignorantes instruantur, & sic videant quod ante non videbãt, dum in tenebris ignorantiæ manebant. Qui enim in docendo hæc non intendit, quòd alij non erudiantur, sed vt sibi gloriã, vel commodum assequatur, non est Doctor, sed suæ scientiæ ostentator: Vnde & Apostolus 1. ad Corint. 14. dicit. In Ecclesia volo magis quinque verba sensu meo loqui, vt & alios instruam, quàm decem milia verborum in lingua. Vbi dicit Glos. In Ecclesia vtilis esse debeo, & magis volo loqui quinque, id est, pauca verba sẽsu meo, scilicet, vt intelligam, & alios de fide, & moribus instruam; quàm decem millia verborum, id est infinita verba in lingua, id est, sine intellectu, & edificatione Ecclesiæ; propter quod Doctor qui non intendit alios instruere, sed seipsum ostentare, non propriè dici Doctor debet, sed ostẽtator; quia cum discipulus, & Doctor relatiuè dicantur, qui non habet discipulum, non est Doctor; discipulum autem non habet qui alium non docet, cum discipulus ab addiscendo sit dictus; propter quod intendere debet Doctor ad hoc vt auditor instruatur, vt nomen, & rem Doctoris habere possit. Vnde August. 4. lib. de doctrina christiana circa medium dicit. Ita eloquens Doctor dicendus est si doceat, delectet, & flectat; docere necessitatis est, delectare suauitatis, flectere victoriæ. Horum trium quod primò loco positum est, hoc est docendi necessitas, in rebus ipsius

XI

1. Cor. 14.

Glos.

August.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

constituta est. Qui enim docere vult, quãdiu non intelligitur ab illo, qui docetur, nondum se existimet dixisse quod vult ei, quem vult docere: quia & si dixit quod ipse intelligit, nondum illi dixisse putandus est, à quo intellectus non est. Et aliquantulum supra dicit idem. Quid prodest locutionis integritas, quam nõ sequitur intellectus audientis, cum loquendi omnino nulla sit causa, si quod loquimur non intelligatur propter quod intelligatur loquimur? Qui ergo docet, vitabit omnia verba, quæ non docent. Sic ergo debet intentio esse docentis, & ad hoc laborare debet, vt homines audientes intelligant eius doctrinam; qui in comparatione ad docentem se debent habere antequam docti sint, sicut non videntes ad videntem; iuxta illud Apostoli ad Rom. 2. Instructus per legem confidis te ipsum esse ducẽ cęcorum; lumen eorũ, qui in tenebris sunt. Et Actu. 26. dicit Paulus quòd Christus ei dixit. Nunc ego mitto te aperire oculos eorum, vt conuertantur à tenebris ad lucem. Ad quod attendens Dominus dixit Apostolis, quòd iccirco eorum lux debet lucere coram hominibus, vt homines videant bona opera eorum, id est, bonam & vtilem doctrinã eorum intelligãt. Proprium enim opus Doctoris docere est, sicut & proprium opus medici, in eo quod medicus est, medicare, vel sanare; cũ idem opus, qui est finis immediatus, habeat medicina, & medicus. Vnde quemadmodum medicus si sanare non intendat infirmum, sed solum lucrari pecuniam, vel aliquid aliud, non facit opus medici propriũ, sed vel auari, vel cuiuscumque alterius: Sic Doctor, qui non intendit docere ignorantem, sed solum suam scientiam ostentare, vel aliquod commodum acquirere, non facit proprium opus Doctoris; propter quod nõ propriè Doctor dici debet, cum vnumquodq; non alieno opere, sed proprio determinetur. Vnde & Apostolus 1. ad Corin. 9. dicit. Nonne opus meum vos estis in Domino? & si alijs non sim Apostolus, sed tamen vobis sum. Quod exponens Glo. dicit. Verè ego Apostolus sum, quia vos estis opus Apostolatus mei, & per me conuersi estis. Et super illud Io. 6. Hoc est opus Dei, vt credatis in eũ quem misit ille, dicit Augustinus. prima par. super Ioan. ser. 25. Ipsam fidem dixit esse opus; ipsa est enim fides, quæ per dilectionem operatur. Si ergo fides est opus Doctorũ, quæ ex eorum doctrina, Deo agente, creatur in mentibus auditorum, manifestum est quòd docere est proprium opus Doctorũ, sicut quia domus resultat ex opere domificationis, ideo domificare est proprium opus domificatoris in quãtum domificator est: differentia enim est inter illa ex quibus remanent aliqua per opera præter operationes, & illa opera, ex quibus nihil remanet præter operationes; nõ est enim sicut speculatio, sed sicut meditatio; propter quod non sufficit Doctori, quòd ipse speculetur, vel contempletur: sed oportet quòd scientiã suam aliis communicet per verbum, vel scripturam; & taliter hoc faciat, & ad hoc præcipuè intendat, vt auditores, & lectores doceantur.

Idem. Rom. 2. Actu. 26. 1. Cor. 9. Glos. Ioan. 6. Augustin.

F G

SVMMARIVM.

Quòd Doctores Ecclesiæ non debent docere subiectos mala opera, uel uanas doctrinas, nec etiam omnes bonas; sed solum illas, quæ ad fidem, & bonos mores pertinent; quia per talia bona subiecti possunt peruenire ad salutem.

SEd quia aliqui Doctores, sicut & doctrinæ, quibus imbuti sunt, mala docent, & nociua non vitanda; sed agenda, vel credenda; aliqui verò inutilia, & superflua, iccirco Dominus volens ostendere cuiusmodi opus, id est, doctrinam Apostoli habere debeant, dicit. [*Vt uideant opera uestra bona.*] Vbi dicit Augustinus. 4. lib. de doctrina christiana circa principium. Debet diuinarum scripturarum tractator, & Doctor, defensor esse rectæ fidei, ac debellator erroris, & bona docere, & mala dedocere, atque in hoc opere sermonis consiliare auersos, remissos erigere, nescientibus quid agitur, quid expectare debeãt, intimare. Et ècontra de doctoribus vanorum, vel malorum, dicit Apostolus 2. ad Timot. 4. Erit tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus; & à veritate quidem auditũ auertent, ad fabulas autem conuertẽtur. Nec solum non oportet quòd non doceãt mala, vel inutilia; sed nec etiam omnia bona; sed solum illa, quæ spectant ad fidem, & bonos mores; secũdum quod satis deducit Augustinus. in epistola ad Diascorum, & 2. lib. super Gen. ad litteram cap. 10. dicens. Nostri actores maiori prudẽtia animi serunt illa, quę ad beatam vitam non prosunt, nolentes occupare multum preciosa, & rebus salubribus impendenda temporum spacia. Et 4. lib. de Trinitate in principio dicit idem. Sciẽtiam terrestriũ, cęlestiumq; rerum magni æstimare solet genus humanum; in quo profectò meliores sunt, qui huic scientię præponunt nosce semetipsos, laudabiliorq; est animus,

XII

H I K

Augustin. 2. Tim. 4. Augustin. Idem.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

cui nota est, vel infirmitas sua; quàm qui ea non respecta, vias syderum scrutatur. Vnde & Apostolus nõ præcipit quòd Episcopus amplectatur omnem doctrinam, sed solum doctrinam fidei, & morum, dicens ad Titum 1, Amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem; vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere, Ad quod attendens Dominus dicit. [*quòd videant opera vestra bona,*] id est, doctrinam vestram bonam, & vtilem. Quia vt dicitur Prouer. 13. Prouer. 13. Doctrina bona dabit gratiam; Et 24. In doctrina bona replebuntur cellaria vniuersa substantia preciosa, & pulcherrima. Idem 24.

Titum 1.

SVMMARIVM.

Quòd Doctores diuinæ scientiæ ad hoc subiectos docere debent, non vt ipsi glorioſi coram eis appareant, sed vt eorum doctrina audita, Deus, à quo eis data est, glorificetur ab illis qui eam audiunt.

XIII

SEd quia in nulla re creata debet finis vltimus statui, sed in solo Deo, qui est bonorum omnium finis; hinc est quòd finis principaliter intentus à docẽte debet esse Dei glorificatio, vt scilicet Deus glorioſus laudetur, à quo omne bonum est, & ad quem solum omne bonũ referri debet; vt à quo exeunt flumina reuertantur, dicentes illud Psal. Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam; & Isa. 24. præcipitur, In doctrinis glorificate Dominum, in insulis maris nomen domini Dei Israel. Et Bernar. super Cantica ser. 13. dicit. Quid dabis nobis Domine, quid dabis nobis? Pacem (inquit) do vobis, sufficit mihi, gratanter suscipio pacem, quam mihi relinquis, & relinquo tibi gloriam, quam retines. Abiuro gloriam prorsus, ne forte si vsurpauero non cõcessum, perdam meritò & oblatum. Tibi Domine tibi gloria tua maneat illibata, mecum bene agitur si pacem habuero. Et infra. Non bonæ, sed plane iniquę voluntatis est, qui nequaquam pace contentus, superbo oculo, & insatiabili corde inquietus anhelat ad gloriam Dei; & proinde nec pacem retinẽs, nec gloriam apprehendens. Quia ergo omnis hominum eruditio ad hoc debet tendere, vt Pater cœlestis, a quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum glorificetur; ideo bene dicit. [*Et glorificent Patrem vestrum.*] Vnde, & infra 11. Filius Patrem cõfitetur dicens; Confiteor tibi Domine Pater cœli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Et Apostolus 1. ad Thessal. 2. dicit, Non quærentes ab hominibus gloriam, nec à vobis, nec ab alijs. Et 2. ad Cor. 8. dicit idem. Ordinatus est ab Ecclesijs comes peregrinationis nostræ in hanc gratiam, quæ ministratur à nobis ad Domini gloriam. Et August. 5. de Ciuit. Dei, cap. 15. dicit de Apostolis, quòd eos ingens in Ecclesia Christi gloria consecuta est; sed non in ea tamquam in suæ virtutis fine quieuerunt, sed ipsam ad Dei gloriam retulerunt, cuius gratia tales erant. Isto quoq; fomite, eos quibus consulebant ad amorem illius, à quo & ipsi tales fierent, accendebant. Nam ne propter humanam gloriam boni essent, docuerat eos magister eorum dicens, Cauete facere iustitiam vestram coram hominibus, vt videamini ab eis. Sed rursum ne hęc peruerse intelligentes hominibus placere metuerent, minusque prodessent, latendo quòd boni essent, demonstrans quo fine innotescere deberent, *Luceant (inquit) opera vestra coram hominibus, vt videant bona facta vestra, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.*] Non ergo vt videamini ab eis, id est, hac intentione, vt eos ad vos conuerti velitis; Quia non per vos aliquid estis. [*sed vt glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est,*] ad quem conuersi fiant, quod estis. Sic ergo Doctorum prædicatio ad hoc tendere debet, vt homines veritatem illorũ, quę spectant ad salutem, cognoscant; & vt ex tali cognitione ad glorificandum Patrem cœlestem assurgant, iuxta illud Actu. 13. Audientes gentes gauisæ sunt, & glorificabant verbum Domini. Et infra 10. Videntes turbæ timuerunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.

1. Thess. 2. 2. Cor. 8. August. Actu. 13. Matt. 10.

SVMMARIVM.

Quòd omne bonum opus quod à nobis est, & omne bonum quod formaliter in nobis est, tam in vita præsenti, quàm etiam in beatitudine ipsa, referri debet, vt ad vltimum, & summum bonum, ad Dei gloriam: alioquin finis vltimus poneretur in aliquo bono creato, quod nullo modo fieri debet.

EST etiam intelligendum, quòd licet finis vltimus bonorum operum sit, & beatitudo, quæ est actus, quæ se habet ad mentem vt forma; & Deus ipse, qui se habet vt obiectum beatitudinis, principalior tamen finis, & magis desideratus est finis, qui est obiectum, quàm finis, qui est forma; cum finis, qui est forma referri debeat ad finem, qui est obiectum, sicut ad

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

vltimum, alioquin in aliquo creato nostra beatitudo finalis consisteret, quod verum non est; quia (vt dicitur in Psal.) Tu es gloria mea Domine, tu exaltas caput meum. Vnde & Bernar. de diligendo Deum loquens de quarto gradu amoris Dei, dicit. Felix, qui meruit ad quartum vsque pertingere, quatenus nec se ipsum diligat homo, nisi propter Deũ; vt quomodo Deus omnia esse voluit propter semetipsum, sic pari ratione nec nosmetipsos, nec aliud aliquid fuisse, vel esse velimus; nisi æque propter ipsum, ob solam ipsius videlicet voluntatem. O amor sanctus, & castus, ò dulcis, & suauis affectio, ò pura & defecata intentio voluntatis; eo certè defecatior, & purior, quo in ea nil de proprio iam admixtum relinquitur, eo suauior, & dulcior, quo totum est diuinum quod sentitur; sic effici Deificari est; Quomodo stilla aquæ modica multo infusa vino, deficere à se tota videtur, dum & saporem vini induit, & colorem, & quomodo ferrum ignitum, & candens, igni simillimum fit, pristina propriaq; exutum forma; & quomodo solis luce perfusus aer, in eandem transformatur luminis claritatem, adeo vt non tàm illuminatus, quàm ipsum lumen esse videatur; Sic omnem tunc in sanctis humanam affectionem quodam ineffabili modo necesse erit à semetipsa liquescere; atque in Dei penitus transferendi voluntatem. Si ergo in beatitudine formalis beatitudo ad beatitudinem obiecti refertur, sicut ad finem vltimum, & propter se amatum; oportet quòd & nunc omne bonum, quod potest etiam in præsenti, vel in futuro nobis inhærere, vt forma referatur ad laudem, & gloriam Dei. qui est obiectum beatitudinis nostræ, & finis omnium desideriorum nostrorum. Ad quod attendens Dominus dicit; quòd omnia debemus facere, vt glorificetur Deus, & non vt nos simus glorificati. Vnde & de pastoribus, visa Christi natiuitate, dicitur Luc. 2. Reuersi sunt pastores glorificãtes, & laudantes Deum, in omnibus, quæ audierant, & viderant, sicut dictum est ad illos. Non enim Angelum, à quo edocti erant de Christi natiuitate, vel Mariam, & Ioseph, qui Christum eis ostenderant, glorificauerunt, & laudauerunt; sed Deũ, ad quem omnia referebant, dantes exemplum alijs, quòd non Doctoribus hominibus gloriam tribuant; sed Deo, à quo est omne bonum.

Psal. 3.

Bernar.

Luc. 2.

SVMMARIVM.

Assignantur duæ rationes, quare omnes illuminationes de cognitione diuinorũ factę in creatura intellectuali, uel rationali, ad gloriã Dei Patris, ut ad finem referri debeant.

DIcitur autem Pater, qui in cœlis est glorificandus esse per doctrinã Apostolorum ab auditoribus ipsorum, non faciendo mentionem de alijs personis diuinis, licet hæc glorificatio omnibus personis diuinis conueniat, cum omnia opera Dei, quæ fiunt ad extra, sint effectiuè à tota Trinitate, & ad ipsam, vt ad finẽ referri debeant. Et hoc primò fit, vt ostendatur quòd omne lumen à Deo Patre est; Pater enim est fontana, diuinitas, & lux, iuxta illud 1. Ioan. 1. Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ; ab hoc autem lumine paterno procedunt duo lumina lumini paterno consubstantialia; dicente Dionys. de diui. nomi. 2. cap. Solus fons supersubstantialis Deitatis est Pater; & infra. Pater est quidem & fontana deitas, filius autem & Spiritus sanctus de igne Deitatis; (si ita oportet dicere) pullulationes diuinæ naturę; & sicut flores, & supersubstantialia lumina. A filio autem, & Spiritu sancto causatur per modũ appropriationis omnis illuminatio intellectualis; & maximè illorum, quæ in scriptura diuina continẽtur, in mentibus creaturarum rationalium, vel intellectualiũ, iuxta illud Ioan. 1. Erat lux verà, quæ illuminat omnem hominem venientẽ in hunc mundum. Et de Spiritu sancto dicit Apostolus 1. ad Corint. 1. Nobis reuelauit Deus per spiritum suum. Si ergo intellectualis, & rationalis creatura lumine scientiæ illuminatur à Filio, & Spiritu sancto, qui quidem sunt quædam emanationes paterni luminis: iccirco benè omnes humana illuminatio, & angelica ad Patrem cęlestem refertur. Vnde & Hugo super illud Omne datum optimum &c. 1. cap. cęlest. hierar. dicit. Dona optima, & perfecta descendunt à Patre luminum, & in quos descendunt, ipsi lumina fiunt; quia nec Pater luminis aliud gignere potuit, quàm quod ipse est; nec susceptor luminis aliud, quàm lumen fieri potest; propter hæc ergo vnum lumen in multa se lumina participatione profudit, multos illuminatos ad vnum lumen reformauit. Et Ioan. Scotus dicit ibidem. Pater luminum est Pater cęlestis, lumen primum, & vltimum, à quo est lumen verum, verbum suum, per quod facta sunt omnia, à quo Patre cum coessentiali sibi verbo lumen procedit Spiritus sanctus, Patris, & Filij, in quo, & per quem donationes gratiarum distribuuntur; & hæc trina lux, scilicet Pater, Filius,

1. Ioan. 1.

Dionys.

Ioan. 1.

1. Cor. 2.

Hugo.

Sco.

& Spiritus sanctus est vnum lumen diffusum in omnia quæ sunt, vt in amorem, & cognitionem pulchritudinis suæ conuertantur omnia. Sic ergo quia Apostoli illuminati à Deo præcipiuntur alios illuminare, dicitur eis, quòd ad hoc illuminati per eos conuertantur, vt glorificent Patrem cœlestem, à quo est omne lumen: Secundò hîc dicit, quòd cum omnis cognitio, quæ non est per immediatam inspirationẽ, causetur in nobis vel per scripturam à Deo inspiratam, vel per creaturam à Deo factam, dicente Augustin. 2. de Trinitate cap. 1. Non ero segnis ad inquirendam substantiam Dei, siue per scripturam eius, siue per creaturam, quę vtraque nobis ad hoc proponitur intuenda, vt ipse quæratur, ipse diligatur, qui & illam inspirauit, & istam causauit, & tam scriptura diuina, quàm creatura ad Patrem cęlestẽ referatur: iccirco omnis cognitio diuinorũ ad Patrem cœlestem referri debet. Vnde quòd scriptura diuina sit à Patre cęlesti, dicitur Oseæ 8. Scribam eis leges meas, quæ velut alienę cõputatæ sunt. & Exo. 24. Dabo tibi tabulas lapideas, & legẽ, & mãdata, quæ scripsi vt doceas eos. Et Gen. 1. dicitur quòd Deus dixit, fiat hoc, vel illud; & factum fuit. Ad patrem autem solum in diuinis dicere pertinet, quia (vt dicit Glos. super illud ad Rom. 1. Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur;) Vt Deus, qui naturaliter inuisibilis est, etiam à visibilibus sciri posset; opus fecit, quod opificem visibilitate sua manifestaret; & hoc quo ad illa, quæ sciri possunt de Deo per creaturam: Cęterum illa per scripturam sunt nota de Deo, quæ non poterãt cognosci per creaturam condiderit; per quæ duo cognoscitur Deus. Iccirco fideles instructi per Doctores, per hæc duo debent induci ad glorificãdum Patrem cœlestem. Quam rationem assignans Io. Scotus in præcedenti loco, dicit. Si summa bonitas, quæ Deus est, omnia quæ voluit propterea fecit, vt quoniam per se inuisibilis, & inaccessibilis lux est, omnem sensum, & intellectũ superãs, per ea quę ab eo facta sunt, veluti per quasdam lugubrationes in notitiam intellectualis, & rationalis creaturæ possent descendere: Quid mirum si omne quod inuisibilem lucem quodammodo vt accessibile sit puris intellectibus, introducit lumen, illuminans animos, & in cognitionem sui creatoris eos reuocans, nulla ratione obstante intelligatur? Sic ergo quia omne lumen intellectuale à Deo Patre est, & tàm scripturam, quàm creaturam condidit, per quæ cognoscibilis est Pater: iccirco de doctrina ipse glorificandus est.

Augustin. Oseæ 8. Exo. 24. Gen. 1. Glos. Sco.

SVMMARIVM.

Quare specialiter Deus Pater dicitur esse Pater Doctorum diuinæ scripturæ.

XVI DIcitur autem Pater vester, id est, Doctorum, quia tales fuerunt facti, cognoscentes, & scientes Deum per verbum eius; quod est paternum lumen, quia in hoc rationales creaturæ dum diuina (vt in se sunt) intelligunt, Patri cęlesti assimilantur. Et non solum assimilantur in hoc sibi quia cognoscunt ipsum; cuius cognitio est assimilatio, iuxta illud 1. Io. 3. Scimus quoniam cum apparuerit similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est; sed etiam quia eo verbo diuino, quo à Patre in cognitione diuinorum geniti sunt, alios generant, cum eos instruant, vt possint dicere illud Iac. 1. Voluntariè gẽnuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius. Et Apostolus 1. ad Corint. 4. dicit. Si decem millia pedagogorum habeatis in Christo, sed non multos Patres; nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui. Sic igitur Pater Doctorum Deus Pater est; quia scientes diuina sunt geniti ab eo per verbum veritatis, quod est semen Paternũ: & etiam quia eodẽ sermone quo geniti sunt, alios generant non sibi, sed Deo Patri.

Iacob. 1. 1. Cor. 4.

SVMMARIVM.

Quare Deus qui in cœlis est, vocatur Pater Doctorum diuinæ scripturæ, quia scilicet eos cœlestes de terrenis facit.

XVII SEd si non crederetur Deus Pater esse Pater Doctorum naturalis, dicitur qui Pater noster est in cœlis. Non enim est ista generatio terrena ex terreno Adam procedens, sed generatio cœlestis cœlestes homines faciens ex terrenis: quia est à Patre cęlesti, vt sicut portauimus imaginem terreni Patris, portemus & imaginem cęlestis Patris, 1. ad Cor. 16. id est, sicut exemplo Adæ prius terrena cognouimus, dilexímus; ita postea portemus imaginem cęlestis Patris, veritatẽ, & iustitiã faciẽdo. Vnde & hîc Glo. dicit. Glorificẽt Patrẽ vestrũ, qui in cœlis est, cuius opus est quòd cœli faciunt, qui vos facit esse cœlestes.

1. Cor. 15. Glos.

SVMMARIVM.

Quare Deus qui vbique est specialiter dicatur esse in cœlis?

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

XVIII Quàmuis autem Deus Pater vbiq; sit, tamen dicitur esse præcipuè in cœlo; quia ibi excellentius, & singularius eius operationes videntur, dicente Bern. super Qui habitat, sermone 1. exponens illud. In protectione Dei cœli commorabitur. Licet Deus vbique esse non dubitetur, sic tamen in cœlo est, vt ad eius comparationem nec esse videatur in terra. Sicut enim anima, quæ cum in toto sit corpore, excellentius tamen, & singularius est in capite; vbi sunt omnes sensus (nam in cæteris omnibus membris vix vnum exercet solum, scilicet tactum; vnde quantum ad eum modum, quo in capite est, cætera membra videtur quodammodo non tàm inhabitare quàm regere) ita si præsentiam illam cogitemus, qua beati Angeli perfruuntur, videri vix possumus Dei aliquam protectionem, & nomen habere. Vnde & infra dicitur in oratione. Pater noster qui es in cœlis; & hoc modo hæc pars exponi potest secundum primam continuationem.

Bernar.

Matt. 6.

SVMMARIVM.

Quòd si per bona opera non intelligatur doctrina verbalis, sed exercitium operum virtuosorum, tunc præcipitur Doctoribus, quòd non solum doceant verbo fidem, & mores bonos; sed etiam exemplo agendo bona opera, & virtuosa, doceant subiectos.

XIX Secundò potest exponi secundum secundam continuationem, vt hîc inducantur Doctores ad ostendendum bona opera sua subiectis eis populis; vt visis eorum operibus, animentur videntes ad consimilia opera facienda. Circa quod attendendum, quòd vita Christiana duas partes habet, scilicet fidem, & opera; quorum si alterum desit, non est perfecta vita Christiana; nec potest adultos, dummodo tempus, & opportunitatem habeant operandi, perducere ad vitam æternam; quia, vt dicitur ad Hebr. 11. Sine fide impossibile est placere Deo, & Iaco. 2. Fides sine operibus mortua est. Ad fidem autem habendam facit prædicatio veritatis, iuxta illud ad Rom. 1. Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi: Sed ad bona opera faciēda plus mouent exempla, quā verba. Iaco. 5. Exemplum accipite fratres laboris, & patientiæ, Prophetas, qui locuti sunt nobis in nomine Domini. Et quia Doctor aliorum de vtroq; istorum debet populum informare, iuxta illud infra eodem. [*Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum,*] iccirco Doctor non solum debet illuminare populo fidem prædicando, sed etiam bona opera faciendo. Vnde & Apost. 1. ad Timoth. 4. dicit, vtrumque istorum coniungens. Præcipe, & doce, Nemo adolescentiam tuam contemnat; sed exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate. Vnde Dominus postquàm præcepit Doctoribus quòd illuminarent verbo auditores in præcedenti parte; nunc eis præcipit vt illuminent exemplo; vt visis bonis operibus eorum, ad cōsimilia opera facienda animentur alij, & sic illustrentur. Vnde dicit [*sic luceat lux vestra coram hominibus*] Lux enim bonum opus est, & dicitur; vnde & facientes bonum opus, filij lucis dicuntur, 1. ad Thess. 5. Omnes vos filij lucis estis, & filij Dei; non estis noctis, neque tenebrarum; igitur non dormiamus sicut cæteri, sed vigilemus, & sobrij simus. Et 1. Ioā. 2. dicitur. Qui diligit fratrem suum in lumine permanet, & scandalum in eo nō est. Ex quo patet quòd dilectio fraterna lux est. Et Greg. 22. lib. moral. cap. 4. dicit. Sol quippe in fulgore est bonum opus in manifestatione. Bonum quippe opus cum in medio perfidorum lucet, lucerna ardet in nocte; cum verò in Ecclesia resplendet, sol fulget in die.

1. Tim. 4.

1. Thess.

1. Ioan.

Greg.

SVMMARIVM.

Quare opera virtuosa vocantur opera lucis, quæ cum fiant à sanctis coram alijs hominibus, vt animentur ad consimilia opera facienda, dicuntur fieri coram videntibus.

XX Dicitur autem bonum opus, & virtuosum, lux; Primò quidem, quia Deus, qui lux est, illud fieri præcipit in lege sua; quæ etiam lux est, & sic ex sua origine, & causa, bonū opus habet, quòd lux dicatur. Vnde & in Psal. dicitur. Præceptum Domini lucidum illuminans oculos. Quod exponens Cassiod. dicit. Reuera lucidum, quia sincerum, purum, immaculatū, quale à Patre luminum produci debet; Quod illuminat oculos, non istos carnales, quos & pecora nobiscum possunt habere communes, sed illos vtique interiores, qui diuino munere specialiter clarificantur. Et Prouer. 6. dicitur. Mandatum lucerna est; & lex lux, & via vitæ increpatio disciplinæ. Secundò bonum opus dicitur lux; quia ad hoc vt fiat, requiritur recta ratio, & voluntas regulata à recta ratione; Non enim est bonum opus, nisi sciens, & volens sit operans; & secūdum scientiam rectam & voluntatem regulatam operetur illud. Scientia autem lumen est intellectus. Et

Psal. 18.

Cassiod.

Prou. 6.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

quia bonum opus procedit à recta ratione, ſicut & malum opus procedit à ratione errante, iccirco bonum opus lux vocatur. Vnde ſuper illud Lu. 11. Lucerna corporis tui eſt oculus tuus; ſi oculus tuus fuerit ſimplex totum corpus tuum lucidũ erit; & ſi nequam, etiam corpus tuum tenebroſum erit, dicit Chryſoſt. Si intellectũ corruperimus qui poteſt ſoluere paſſiones, totam læſimus animam, patimurq; diram caliginem peruerſione excæcati intellectus. Et Greg. 28. lib. moral. c. 6. dicit. Quid per oculum exprimitur, niſi opus ſuum præueniens cordis intentio? quæ prius quàm ſe in actione exerceat, hoc iã quod appetit, contemplatur. Et quid appellatione corporis deſignatur, niſi vnaquæque actio, quæ intẽtionem ſuam quaſi intuentẽ oculum ſequitur? Lucerna itaque corporis eſt oculus: quia per bonæ intentionis radium mer ta illuſtrantur actionum. Et Hiero. in 3. reſponſione contra Iouinianum dicit. Senſus corporum quaſi equi ſunt ſine ratione currẽtes; anima vero in aurigæ modum retinet fræna currentium, & quomodo equi abſque rectore præcipites ruunt, ita corpus ſine ratione, & imperio animæ in ſuum fertur interitum, vnde & in Pſal. dictum eſt hominibus. Nolite fieri ſicut equus & mulus in quibus non eſt intellectus. Tertiò bonum opus lux dicitur, quia non occultationem, ſed manifeſtationem ex ſua naturali conditione requirit, ſicut & malum opus ſecretum, & occultum appetit; iuxta illud Ioan. 3. Omnis qui malè agit odit lucem, & non venit ad lucem vt non arguantur opera eius; qui autem facit veritatem venit ad lucem, vt manifeſtentur opera eius. Et Apoſtolus ad Ephe. 5. dicit. Nolite cõmunicare operibus infructuoſis tenebrarum; magis autem redargui te. Quę enim in occulto fiunt ab eis, turpe eſt dicere, omnia autem quæ arguuntur, à lumine manifeſtantur; omne enim quod manifeſtatur, lumen eſt. Vnde & opus bonum habens mali ſpeciẽ, propter originale peccatum deſiderat ſecretum; ſicut eſt concubitus coniugalis, dicente Auguſt. 1. lib. de Ciui. Dei, cap. 18. Opus ipſum quod libidine taliter agitur, nõ ſolum in quibuſcumque ſtupris, vbi latebræ ad ſubterfugienda humana iudicia requiruntur; verum etiam in vſus ſcortorum, quam terrena ciuitas licitam turpitudinem fecit, deuitat publicum, & verecundia naturali quærit ſecretum; ſed & concubitus coniugalis licitus, & honeſtus remotũ ab arbitris cubile requirit. Vnde & quidã Romani Maximus auctor eloquij, ait. Omnia rectè facta in luce ſe collocari volũt, id eſt, appetunt ſciri, hoc rectè factum ſic appetit ſciri, vt tamen erubeſcat videri. Sic ergo quia bonum opus eſt à Deo lucis, & in lege lucis præceptũ, ipſum etiam ad hoc quòd ſit bonum, requirit rectitudinem rationis, & ex ſe, & ex ſua natura manifeſtationẽ requirit: iccirco bene dicitur lux eſſe. Vnde & Glo. hîc dicit. Opera requiro vt videantur, & ſic doctrina confirmetur. Tunc autem hæc lux coram hominibus lucet, quando bona opera coram hominibus fiunt, vt viſis dictis operibus, homines animentur ad conſimilia opera faciẽda. Vnde & Ioan. 7. dicunt fratres Chriſti Domino. Vade in Iudæam, vt & diſcipuli tui videãt opera tua, quæ facis; nemo quippe in occulto aliquid facit, & quærit ipſe in palam eſſe; ſi hæc facis manifeſta te ipſum mundo.

Luc. 11. Chryſoſt. ſuper Lu. Gregor. Gloſ. Ioan. 7.

SVMMARIVM.

Quòd homines perfecti in uirtute, & cõſolidati, debent facere bona opera ſua coram hominibus, ut ſuo exemplo alios ad bona opera facienda inducant; ſed homines imperfecti in uirtute, & nondum conſolidati in ea, ſecretè debent facere bona opera ſua, ne dum aliis bona opera ſua oſtẽdũt, ipſi periculoſe exponãt.

Hieron. Pſal. 31. Ioan. 3. Ephe. 5. Auguſt.

CIrca quod eſt attẽdendum, quòd Doctor, & aliorum rector, nõ ſolum debet bona opera facere ſecretè, & occultè, ſed oportet quòd quandoque, & frequenter bona opera faciat publicè. Vnde Dominus, qui erat exemplar vitę perfectę, aliquando præcipiebat quòd omnibus hæc narrarent. Vnde Marc. 1. dicitur ſanato à lepra. Vide nemini dixeris, & curato à Demone dicitur eodem 5. Vade in domum tuam ad tuos, & nuncia illis quanta tibi Dominus fecerit; quia & aliquando expedit Doctoribus, vt ſecretè bona opera ſua faciant; & maxime quando timent vt aliqua ſuperbia, vel inanis gloria ſubrepat. Aliquando verò oportet quòd ſua bona opera publicè faciant, vt ſe ipſos prębeant in exemplum ſuis ſubditis ad conſimilia opera facienda; & hoc maxime debent facere perfecti; qui debent eſſe ſolidi, & firmi, ne vento inanis glorię, vel humanę triſtitiæ, vel deſidiæ à bono opere moueantur; qualis fuit Ioannes, de quo dicitur infra 11. Quid exiſtis videre? arundinem vento agitatam? quaſi dicat, non; quia nec fauore, nec detractione in alteram partẽ declinabat; vt ibi Greg. dicit. Non enim cuiuslibet eſt bona opera ſua in publico facere, cum quandoque alios ædificare vo

XXI

Marc. 1. Idem 5. Matt. 11. Gregor.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

lens se ipsum destrueret; sed hoc solũ con F
2.Reg.14. uenit perfectis; qualis fuit Dauid, cui mu
lier sapiens dixit 2. Reg. 14. Sicut Ange-
lus Dei, sic & Dominus meus rex; vt nec
benedictione, nec maledictione moueatur. Et
Bernar. Bernar. super Cant. ser. 18. dicit.
Tu frater, cui firma satis propria nõdum
est, cui charitas adhuc, aut nulla est, aut
adeo terrena, atque arundinea, quatenus
omni flatui cedat, omni credat spiritui,
omni circunferatur doctrinæ vento; im-
mo cui tanta est charitas, vt vltra manda-
tum proximum tuum diligas plus quàm
te ipsum; & rursum tantilla, vt cõtra man G
datum fauore liquescat, pauore deficiat,
perturbetur tristitia, auaritia contraha-
tur, protrahatur ambitione, suspicioni-
bus inquietetur, conuicijs exagitetur, cu-
ris euisceretur, honoribus tumeat, liuore
tabescat; Tu inquam in proprijs te ipsum
sentiens, qua nam dementia, quæso, alie-
na curare, aut ambis, aut acquiescis? &
Ibidem. infra. Prius debet impleri homo, & tunc
plenitudo eius ad alios debet eructare, &
prius homo debet seipsum regere, quàm H
alijs cupiat præesse. Quia vt dicit Grego.
Gregor. 8. lib. moral. cap. 29. Qui mundum dese-
runt, ad exteriora officia prouehi nõ de-
bẽt, nisi per humilitatem diutius in eius-
dem mundi cõtemptu solidentur. Citius
namque bona depereunt, quæ hominibus
ante tempus innotescunt; quia & arbusta
plantata, prius quàm fixa radice coales-
cant, si radix figitur, & terræ humoribus
consperſa solidetur, & hæc manus impel-
lit, sed non lædit; hæc & ventorum flatus
flando concutiunt, sed non euertunt. Ne I
ergo euacuetur vita incepti operis, diu,
aut robustè in alto humilitatis figenda est
radix cordis; vt cum ab humano ore de-
tractionis aura, vel fauoris flauerit; & si in
quamlibet partem, vt tumetur incuruet,
animum funditus non euellat; sed ad sta-
tum suum protinus post inflationem re-
deat; quia apud se fortis in radice perdu-
rat. Quid enim in rebus excrescentibus
pariete exsurgente robustius? qui tamen
si dum construitur, impellatur, statim si-
ne labore destruitur; si autem per spaciũ K
temporis ab humore suo siccari permit-
titur, sæpe & arietum ictibus minimè cas-
satur. Sic bona nostra & intempestiuè ma
nifestata depereunt, & diutius occultata
solidantur. Ex quibus clarè patet, quòd
sicut imperfectis imminet periculũ si bo-
na opera sua coram hominibus faciant, sic
perfectis timendum non est si bona opera
coram hominibus faciant; immo ad hoc
debent conari, vt coram multis bona ope
ra faciant, ad hoc, vt multos suo exemplo

ad bona opera facienda inducãt; qualiter
Apostolus de se, & alijs perfectis loquens,
dicebat 2. ad Corint. 8. Prouidentes bona 2.Cor.8.
non tantum coram Deo, sed etiam coram
omnibus hominibus. Et Glos. super illud Galat.1.
ad Gal. 1. Si adhuc hominibus placerem, Glos.
Christi seruus non essem, dicit. Ex his ver
bis quidam putant sibi in benè viuendo
sufficere conscientiam; sed quid de eis exi-
stiment alij, non curant, sed conscientia co
ram Deo est necessaria, conuersatio verò
coram proximo, quæ si negligentius agi-
tur, lædit exemplo.

SVMMARIVM.

Quòd homines perfecti in virtute cũ bona opera agunt corã hominibus, quando eis dant exem plum benè operandi, hoc solum facere debent, vt Deus glorificetur.

XXII

SEd quando alijs placere volumus, non
gloriam nostrã quærere debemus, sed
illorum salutem, vt nos benè ambulantes
imitando non errent, & inde non nos, sed
Deum laudent, qui nos tales fecit. Et in-
de est, quòd Dominus cum iam docuisset
qualiter Apostoli perfecti in vita esse per
beatitudines deberent, & in fide, & scien-
tia per illa, quæ postea dixit; nũc iam per-
fectos inducit, vt opera sua coram homi-
nibus ostendant; vt eos perfectos faciant,
vel ad perfectionem trahant; non vt per-
fecti propter se laudentur, sed vt Deus
omnium bonorum dator, glorificetur. Vn
de & quamdiu Apostoli imperfecti fue-
runt, non fuit eis præceptum quòd se, vel
opera sua manifestarent, sed quòd sede-
rent in ciuitate, quousque induerẽtur vir-
tute ex alto: sed postquã perfecti fuerunt,
dictum est eis Actu. 5. Ite, & stantes loqui- Actus.5.
mini in templo omnia verba vitæ huius,
& Apostolus 2. ad Thessal. 3. dicit. Nos- 2.Thes.3.
metipsos formam dedimus vobis ad imi-
tandum nos. Vbi dicit Glos. Notandum Glos.
quia non solũ verbis docebat, sed horta-
batur & factis. Idonei enim Magistri est,
ea, quæ verbis docet, operibus explere; &
si enim manifestè vera esse non ignorẽtur
quæ docentur, tamen si negligi cœperint à
magistro, non facilè proficiẽt, Audiẽtibus
enim magis suadent opera quàm verba.

SVMMARIVM.

Quòd tria sunt necessaria ad hoc quòd simpliciter opera nostra sint bona, primò quòd nos simus virtuosi, & secundum uirtutis habitum operemur, secundò quòd opus ex se, & ex suo genere sit bonum, & uirtuosum, nullam spe-

ciem

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

ciem mali in se habens, tertiò quòd actu, uel habitu referantur ad Dei gloriam, à quo est, & ad quem finaliter ordinari debent; & hoc ueritatem habet de operibus bonis, quæ per nos facimus; sed si fiat opus solum propter præceptum Dei, etiam si tale opus non habeat similitudinem boni operis, faciendum tamen est propter auctoritatem præcipientis: quæ auctoritas dictum opus reddit, quòd bonum non esset, nisi Deus illud fieri præcepisset."

XXIII

Est etiam intelligendũ, quòd opus bonum perfectorum tria in se habere debet. Primò quidem oportet quòd procedat de corde vero, & perfecto; bonus enim homo de bono thesauro cordis sui profert bona, & malus homo de malo thesauro profert mala, infra 12. Vbi dicit Chrysost. Naturæ consequentiæ est supermanentis intus nequitiæ per verba per os extra effundi: vnde cum audieris hominem malè loquentem, multò ampliorem estimes nequitiam, quàm verba demonstrent; quod enim exterius fit, vel dicitur, superefluentia est eius, quod intus est. Vt enim dicitur 2. Ethic. in ijs quæ secundum virtutes fiunt, si hæc qualiter habeãt, iustè, vel temperatè operata non sunt; sed & si operans qualiter habẽs operetur, primum quidem sciens, deinde si eligens, & eligẽs propter hoc, tertium autẽ si firmè, & immobiliter habeat, & operetur. Vnde ad hoc quòd opus perfectum extra fieri possit, oportet quòd homo operans illud, sit in virtute perfectus, vt qualis intus est, talis appareat extra per opus, quod facit. Quod Dominus significat per hoc, quod dicit. [*Luceat lux uestra coram hominibus.*] Proprium enim opus lucis est lucère, & proprium opus virtuosi est virtuosè operari secundum virtutem; secũdum quam est virtuosus. Et hoc pro tanto dicit quia frequenter contingit, quòd nõ virtuosus propter quamcunque causam fingit se facere opera virtuosa; quæ tamen secundum veritatẽ virtuosa non sunt, immo vitiosa; quemmodum Apostolus dicit de quibusdam ad Philip. 1. Quidam propter inuidiam, & contentionem, quidam autem & propter bonam voluntatem Christum prædicant. Vnde quia tales non quales sunt, talia operantur: iccirco fructum monstruosum faciunt, de quali fructu Dominus dicit infra 7. Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? quia cum sint vitæ interius corruptæ, extra faciem virtutis induuntur. Et vt Hieron. dicit. Aliqui continentię & ieiunio se veste circundant, intrinsecus habentes animum venenatum; sed viri perfecti tales se ostendunt in opere, quales sunt interius in virtute. Vnde & Prouer. 17. dicitur de sapiente. In facie prudentis lucet sapientia, & Eccl. 8. Sapientia hominis lucet in vultu eius, quia ex abundantia perfectionis virtualis interiori procedit opus exterius virtuosum. Secundò requiritur ad bonitatem operis, quod fit coram hominibus, quòd in se sit bonum, & appareat bonum, ne videntes exinde scandalũ possint accipere. Vnde & Paulus præcipit 1. ad Thessal. 5. Ab omni specie mala abstinete vos. Vbi dicit Glos. Ab omni re, quæ speciem mali prætendit, & si non sit malum, abstinete vos. Non enim sufficit ad hoc quòd sit bonum opus, quòd virtuosus operetur illud, cum frequenter virtuosus etiam in virtute perfectus non agens secundum virtutem, malum opus operetur; quemadmodũ Moysi, & Aaron accidit ad aquas contradictionis, Num. 20. & Dauid quando adulterium, & homicidium perpetrauit, 2. Reg. 11. sed oportet quòd illud opus, quod virtuosus facit, sit bonum in se. Sed quia quandoque bonum opus aliquod in se est, sed occasionem peccandi alijs tribueret, si coram eis fieret, & maximè infirmis, qui ex hoc scandalizarentur, nullo modo tale opus agendum est; vel si agendum sit propter quamcũque causam, non est agendum in conspectu infirmorum; quemadmodum opus deducit de comestione idolothyti 1. ad Cor. 8. Videte ne fortè hæc licẽtia nostra offendiculum fiat infirmis; Si quis enim viderit te qui habes scientiam in idolio recumbentem, nonne conscientia eius cum sit infirma ædificabitur ad mãducandum idolothyta, & peribit infirmus in tua cõsciẽtia frater, propter quem Christus mortuus est? Sic autem peccamus in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam in Christo peccatis, propter quod oportet ad hoc quòd sit bonum opus, quod coram hominibus fieri possit; quòd & in se sit bonum, & nullam mali speciẽ prætendat. Ad quod attendens Dominus dicit. [*Vt homines uideant opera uestra bona.*] Et rectè dicit opera vestra, quia quando sunt opera nostra, id est, ex nobis, & per nos facta sine præcepto superioris, prędicta duo habere debent: Sed si præceptum superioris, & maximè Dei, superueniat, malum opus ex genere quia bonum ex prędipiente, fieri potest: quemadmodum Abraham voluit interficere filium ad mandatũ Dei. Et Oseæ accepit meretricem & fecit filios fornicationum: sed hæc facientes bene fecerunt propter mandatum Dei superueniens. Quia, vt dicit Aug. 22. lib. contra Faustum

Matt. 12. Chrysost. hom. 43.
Aristot.
Philip. 1.
Matt. 7.
Hieron.
Prouer. 7.
Eccl. 8.
1. Thess. 5. Glos.
Num. 20.
2. Reg. 11.
1. Cor. 8.
Gen. 22.
Oseæ 1.
August.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

cap.73. Abraham ſi filium ſponte immolaret, quid niſi horribilis, & inſanus? Deo autem iubente, quid niſi deuotus, & fidelis apparuit? diuinis enim imperijs cedendum eſt, obtemperando, non reſiſtendum diſputando. Si etiam præceptum, vel voluntas ſuperioris adſit, bonum opus habens mali ſpeciem fieri poteſt; quemadmodum Iheu Rex Iſrael deſtruxit Baal, & cultores eius, fingens ſe fore cultorem Baal. Vnde & de eo dicit Deus. 4. Reg. 10.

4.Reg.10. Quia ſtudioſe feciſti quod rectum erat, & quod placebat in oculis meis, & omnia quæ erant in corde meo feciſti, filij tui vſque ad quartam generationem ſedebunt

Iudith.13. ſuper thronum Iſrael. Et Iudith ſic inſidiosè, & quaſi deceptoriè Holofernem interfecit, quod tamen opus bonum fuit, licet mali ſimilitudinem habuerit. Sed quãdo talia opera, quæ vel ſunt mala de genere, bona tamen ratione præcipientis, vel ſunt mala ex ſpecie, vel ſimilitudine, bona tamen ſimpliciter, & etiam ratione præcepti, fiunt per nos. Non poſſunt propriè dici opera noſtra bona; quia bonitatem non habent propter præceptum, & voluntatem ſuperioris; quæ illud quod malum eſt in ſe, vel mali ſpeciem habet, bonum facit eſſe; ſed illud opus per ſe, & ſimpliciter eſt bonum opus noſtrũ, quod & ex genere eſt bonum, & nullam ſpeciem mali habet, quod opus eſt tale, quòd ex ſe, & ex ſua natura corã omnibus hominibus fieri poteſt, & debet, niſi per accidens fieri dimittatur, quia tale opus bonũ manifeſtationẽ requirit, vt ſuperius dicebatur per Auguſtinum. Tertio requiritur debitus finis;

Auguſt. Non enim ſufficit ad hoc, quòd opus ſit virtuoſum; quòd ſit factum per hominem virtuoſum, nec quòd opus in ſe ſit virtuoſum, & bonum, nullam in ſe ſpeciem, vel ſimilitudinem mali habens, niſi & propter debitum finem ab operãte fiat, iuxta illud

Matt.6. infra 6. Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus vt videamini ab eis; alioquin mercedẽ non habebitis apud Patrem veſtrum. Finis enim habitus virtutis, nec operis eius, actu, vel habitu, non debet eſſe finaliter niſi Deus. Vnde ſi huiuſmodi finis non ſit in intentione operantis, ſed quodcumque aliquod creatum, quod non referatur ab agente ad finem vltimum, qui eſt Deus, opus bonum, & meritorium non eſt. Si etiam referatur finis immediatus intentus ab agente ad vltimum finem, & tamen de ſe reflexibilis nõ eſt, bonum opus nõ eſt. Vnde ad hoc quòd ſit bonum opus, oportet quòd finis intentus ab agente ſit bonus, & melior quàm virtus, vel opus eius; ſicut finis fortitudinis politicæ eſt pax ciuitatis, dicente Auguſt. 19. de Ciuit. Dei, cap. 12. Pacis intentione geruntur & bella; vnde pacem cõſtat belli eſſe optabilem finem, quæ pax, (vt idem dicit eodem lib. cap. 11.) tantum eſt bonum, vt in rebus terrenis, atq; mortalibus nihil gratius ſoleat audiri, nihil deſiderabilius concupiſci; poſtremo nihil poſſit melius inueniri. Et ſic fortitudo, vt eſt virtus moralis monoſtica, & opus eius ad pacem, quæ eſt melior ipſa, & opere eius ordinatur. Sed quia pax terrena non

Auguſt. Idem. G eſt vltimus finis, ſed eſt finis ſub fine, inde eſt, quòd oportet quòd iſta pax ordinetur ad pacem cœleſtem, dicente eodem, libro eodem, cap. 17. Vtitur cœleſtis ciuitas in hac ſua peregrinatione pace terrena, eãq; terrenam refert ad cœleſtem pacem; quæ verè ita pax eſt, vt rationalis duntaxat creaturæ ſola pax habenda, atque dicenda ſit; ordinatiſſima ſcilicet, & concordiſſima ſocietas fruendi Deo, & inuicem in Deo; ad quam pacem adipiſcendam refertur quicquid bonarum actionũ gerit erga Deum, & proximum, & ſic immediate finem virtutis refert virtuoſus ad finem ſuperiorem; & ſic ſucceſſiue vſque ad finem vltimum, qui eſt Deus in ſe, dicente Aug. 10. de Ciuit. Dei, cap. 4. Deus eſt fons noſtræ beatitudinis, ipſe eſt omnis appetitionis fons. Vnde ſi homo in fine proprio virtutis finem vltimum proponat, vel in fine mediato, qui tamen eſt finis ſub fine vltimo, nõ facit opus bonum ſimpliciter; immo melius, & verius poteſt dici malum opus, quia de non fine vltimo finem vltimum facit, dicente Aug. 4. de Trinit. c. 15.

Idem. Sunt quidam, qui putant ſe ad cõtemplandum Deum, & inhærendum Deo virtute propria purgari poſſe, quos propria ſuperbia maxime maculat. Si ergo ille, qui finem virtutis proprium ſolum intendit, & non refert ipſum ad finem omnino vltimum, non facit bonum opus ſimpliciter, immo opus eius eſt malum; Quãto magis ille qui bono operi malum finem inſtituit, vel non æque bonum, ſicut eſt ipſum opus virtuoſum, non poteſt dici facere opus bonum, cum malus finis non poſſit referri ad finem vltimum, niſi erroneè; nec finis minus bonus poſſit eſſe finis rei melioris, quàm ipſe eſt? Vnde omnes facientes bonum opus nõ propter Deum finaliter, vel beatitudinem cœleſtem conſequendam, ſed propter quemcumque finem bonum quidem, & meliorem opere virtuoſo, ſed non relatum ad Deum, vel etiam faciẽtes opus virtuoſum propter non melius, quã ſit opus virtuoſum; ſicut facientes *ipſum* opus virtuoſum propter vtile, vel delecta

bile;

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

bile; vel etiam faciẽtes opus bonum propter malum finem, omnes isti non faciunt opus bonum, dicente Glos. super illud ad Rom. 14. Omne quod non est ex fide, peccatum est. Omnis infidelium vita est peccatũ; quia nil bonũ est sine summo bono; vbi deest agnitio ęternę, & incõmutabilis Deitatis, falsa est virtus etiam in optimis moribus; Vnde Aug. 5. de ciuit. Dei, c. 29. Constat inter veraciter pios, neminem sine vera pietate, id est, veri Dei cultu, veram posse habere virtutẽ; nec eam veram esse, quando gloriæ seruit humanæ. Et infra. Quantumlibet laudetur, & prædicetur virtus, quæ sine vera pietate seruit hominum gloriæ, nequaquã Sanctorum exiguis initijs comparanda est; quorum spes posita est in gratia, & misericordia veri Dei. Et 19. lib. cap. 25. dicit idem. Virtutes, quas habere sibi videtur homines, per quas imperant corpori, & vitijs, ad quodlibet adipiscendum, vel tenendum, nisi ad Deum retulerint, etiã ipsæ vitia sunt potius quàm virtutes. Nam licet à quibusdam, tunc veræ, atque honestæ putentur esse virtutes, cum referuntur ad se ipsas: nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflatæ, ac superbæ sunt: & ideo non virtutes, sed vitia iudicanda sunt. Sicut enim non est à carne, sed super carnẽ, quod carnem facit viuere: Sic non est ab homine, sed super hominem, quod hominem facit beatè viuere! Nec solum hominem, sed etiam quamlibet potestatem, virtutemq; cęlestẽ. Ex quibus clarè patet, quòd opus bonum, & virtuosum, non est, nisi solum illud, quod fit propter vltimum finẽ omnino, qui Deus est. Siue finis operis boni ponatur finis immediatus virtutis, vel etiam alius finis creatus; siue ponatur finis operis boni voluntas corporis, vel ali quod lucrum, vel commodum temporale; quia ista sanè, & quandoque mala, & si bona, minora tamen quàm sit opus virtutis. Cum bona exteriora, & bona corporis, sint minora bonis animæ, cuiusmodi bonũ sunt virtutes, & opera virtuosa: nec etiam si finis malus præstituatur operi virtuoso, vt est humana gloria, fauor humanus, & huiusmodi talia, non est opus virtuosum, sed vitiosum. Solum ergo opus bonũ tunc est simpliciter, & propriè, quando ad verum Deum refertur, vt ipse laudetur, & glorificetur, à quo est, & ad quẽ est omne bonum: Ad quod attendens Dominus dicit, quòd ideo fiant opera bona, vt glorificet: Pater, qui in cœlis est, ad quẽ etiã filius Dei sua opera referebat, vt patet in multis locis in Euangelio.

Rom. 14.
Glos.
August.
Ibidem.

A

B

C

D

E

SVMMARIVM.

Concluditur ex præmissis, quòd quando opus bonum, quod à nobis fit, habet supra dictas tres conditiones, non potest obfuscari claritas dicti operis per quoscunque malos; nec etiam ipse operans, etiam si ei detrahant, & maledicant verbis, quòd ipsa admiretur in corde suo, recedente passione.

SIc ergo volens ostendere Dominus quod opus bonum sit, ponit tria, scilicet, quòd ex bona voluntate procedat, non ex ficta, vel simulata; & tũc tale opus homo facit exterius, qualis ipse est in corde interius, quod significat cum dicit. [*Vt lux vestra luceat.*] Secundò, vt illud opus bonum ex sua natura sit, nullam speciem mali habens. Et tertiò, vt fiat propter gloriam Dei, & his tribus cõcurrentibus, bonum opus est; & debet fieri coram hominibus, vt homines animentur ad consimilia facienda, & vt glorificent Deum. Tantæ enim virtutis debet esse vita illius, qui positus est, vt verbo, & exemplo alios instruat, & tàm opera virtuosa exercere debet, vt nec fidei inimici, vel homines mente peruersi, qui semper vitam volunt rodere Doctorum, possint aliquid inuenire, quod iustè, vel rationabiliter reprehendere possint: iuxta illud 1. Pet. 2. Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam, vt in eo quod detrectant de vobis, tanquam de malefactoribus; ex quibus operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis: Et cap. 3. Cum modestia, & timore conscientiã habentes bonam, aut in eo quod detrahunt de vobis, confundantur qui calumniãtur vestram bonam in Christo conuersationem. Quod tunc cõtingit; secundũ Chrysost. hîc in homiliario, quando talem vitam, vt dictum est, Doctores ducunt. Vnde dicit, & quomodo per nos glorificabit Deus cum omnes nos accusauerint? & respõdens subdit, Sed non omnes. Sed & illi ipsi, qui in æmulatione hoc faciunt, secundum conscientiam nos admirabuntur, & acceptabunt. Quemadmodum qui manifestè blandiũtur ijs, qui in malitia viuũt, secundum intellectũ detrahunt. Et in morali sequenti dicit. Omni quidẽ tuba clarior est demostratio, quæ est per opera, & lumine ipso apparentior vitã pura; & si mille fuerint, qui detrahũt, nec inspicias quod tibi publicè iniuriãtur, sed scrutare illorum conscientiam, & videbis applaudentes tibi, & admirantes, & multas laudes numerantes: Diabolus enim cum viderit se ipsum nihil feciſſe, cessabit,

XXIIII

1. Pet. 2.

Ibidem 3.

ne

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

ne nobis maiorum coronarũ causa efficiatur. Quo recedente, & si inquinatus, & si corruptus; & si fera, & dæmon fuerit aliquis, cognoscet virtutem, nebula illa recedente.

SVMMARIVM.

Soluitur multipliciter contrarietas, quæ videtur inter hoc dictum Domini, Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est; & illud quod infra 6. dicitur: Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.

XXV EX his autem, quæ supra dicta sunt, patent diuersæ responsiones ad illud de quo solet hîc dubitari. Quia Dominus hîc dicit, quòd opera nostra bona faciamus coram hominibus. Infra autem 6. dicit. Matt. 6. Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus: & secundum primam expositionem: si lux teneatur pro notitia diuinorũ, satis clarè patet, quòd non est contrarietas inter dicta ista. Sicut enim sapiẽtię est quòd se publicet, & manifestet; iuxta illud Prouer. 1. Sapientia Prouer. 1. foris prædicat, in plateis dat vocem suam: Sic iustitiæ est, quòd fiat secretè, & maximè oratio, & ieiunium, de quibus inferius agitur; quia aliquæ partes iustitiæ, palam, & publicè exerceri debent, sicut est pars iudicialis. Quia vt dicit Gregorius in homil. Gregor. Matt. 13. Simile est regnum cœlorum thesauro &c. Deprædari desiderat, qui thesaurũ suum publicè portat in via, & Eccles. 29. Eccl. 29. dicitur de eleemosyna. Conclude eleemosynã in corde pauperis. Et Dominus quãdo volebat orare, in montem solus ascendebat: infra 14. Matt. 14. Sic ergo quia hîc loquitur de sapientia, & infra de iustitia: Iccirco præcipit hîc quòd coram hominibus luceat; & ibi, nè iustitia coram hominibus fiat. Secundò, quia si loquitur de bono opere virtuoso moraliter hîc, & ibi, hîc loquitur perfectis, inferius autẽ loquitur imperfectis. Perfecti enim, à quibus non timetur de inani gloria, coram hominibus sua bona opera facere debent, sed imperfectis, quibus faciliter surripit inanis gloria; quando bona opera in conspectu hominum faciunt, abscondere sua bona opera debent. Vnde Gregorius 8. lib. moral. cap. 30. Gregor. dicit. Valde perfectorum est, sic ostenso opere auctoris gloriã quærere, vt de illata laude priuata nesciant exultatione gaudere. Tunc solum nãque innoxiè hominibus laudabile opus ostenditur, cum per despectum mentis veraciter laus impensa calcatur. Quam, quia infirmi quique perfectè contemnendo non superant, restare necesse est, vt bonũ quod operãtur, abscondant. Tertiò potest dici, quòd non prohibetur inferius bonũ opus fieri coram hominibus, vt ibi sit punctus: sed prohibetur ne iustitiam faciamus coram hominibus, vt videamur ab eis; nec hîc præcipitur quòd faciamus opera nostra bona, vt videantur ab hominibus, vt ibi sit distinctio: sed vt glorificent Patrem cœlestem. Quia facere bonum opus, vt ab hominibus videamur, ponendo finem ibi, iniquum est; cum bonum opus finem debeat habere Deum: sed facere bonum, vt videntes glorificent Deum, bonũ est, quia tale opus finem debitum habet. Vnde Augustinus secundo serm. de verbis Domini dicit. Verba euangelica secum portãt expositiones suas: Si enim qui vult videri ab hominibus bona opera sua, gloriã, & vtilitatem suam ponit ante homines, & hanc in conspectu hominum quærit, nihil eorũ, quæ de hac re Dominus præcepit, implebit: se quippe voluit glorificare, non Deũ, & suam quæsiuit vtilitatem, non dilexit Domini voluntatem. Itaque non illic sentẽtia terminata est, vbi ait. Sic luceat lux vestra corã hominibus, vt videãt opera vestra bona. Sed illico subiunxit, cur faciẽdũ sit. Vt glorificẽt, inquit, patrem vestrum, qui in cœlis est. Ita, & aliam sentẽtiam vbi ait. Attendite ne iustitiã vestrã faciatis corã hominibus, nõ alibi terminauit, quàm vbi dixit, Vt videamini ab eis, nec addidit. Vt glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est, & infra. Quisquis ita vult ab hominibus videri opera sua, vt ille glorificetur, à quo ea, quæ in illo videntur accepit, & sic ad imitandum bonũ idem, ipsi qui vident, pietate fidei prouocentur, verũ lumen eius lucet corã hominibus: quia lux de illo lumine charitatis radiatur, nõ superbiæ fumus euomitur: & in eo ipso cauet ne iustitiam suam faciat coram hominibus, vt uideatur ab eis: quia nec suã deputat illam iustitiam, nec ideo facit, vt ipse uideatur, sed vt ille intelligat, quia laudetur in homine iustificato. Quartò potest dici, quòd bonum opus, quantum ad intẽtionem, debet esse occultum, licet ipsum opus debeat coram hominibus esse factum, ut rectam intentionem, Deus, qui eius inspector est, remuneret, & ex bono opere facto corã hominibus, homines uidentes excitentur ad consimilia bona opera facienda. Vnde & Remigius hîc dicit. Bona opera cęlanda sunt intentione, & animo; ne fiant propter inanem gloriã: uerumtamen manifestanda sunt, ut alijs

F G H I K

Augul. Idem. Remig.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Gregor. veniant in exemplum sanctæ conuersationis. Et Gregorius 8. mora. cap. 30. dicit. Si dantis gloriam quærimus, etiam publica nostra opera, in cospectu illius occulta seruamus: Si verò per hæc nostrã laudem concupiscimus, foras ab eius conspectu iam fusa sunt, etiam si à multis ignorentur. Quintò hîc præcipiuntur bona opera ostendi, vt visis ipsis, glorificetur Deus. Ita quòd agens bona opera per se hoc intendat, sed præter intentionem suam sit quòd ipse videatur, licet visio operis consequenter se habeat ad visionem operantis: ex opere enim cognoscitur operans, sed vbi operans per se intendit se ipsum ostendere per opera sua, & Dei gloriam præter intentionem, & per accidens, est ostentator. Propter quod iste iustus est, & ille ostentator: & hoc modo soluit hanc contrarietatem Chrysostomus hîc in homil. dicés. Quid igitur ad ostentationem iubet eos viuere, & ad honores amorem? & respondens subdit. Absit. Non hoc animo, neque enim dixi studete vos in mediũ ferre directiones vestras. Neque enim dixi mostrate eas, sed [*Luceat lux vestra*] hoc est multa sit virtus, & copiosus sit ibi ignis, & lux ineffabilis. Cum enim tãta fuerit virtus, impossibile est eam latère: Nihil enim ita insignem hominem facit, & si multum latère voluerit, vt virtutis demonstratio.

1 Chrysost. hom. 15.

SVMMARIVM.

Quòd magna nobilitas illorum esse ostenditur, qui bona opera faciunt, vt glorificetur Pater cœlestis; quia hic à Domino vocantur Patris cœlestis filij, per adoptionis gratiam, quo nihil dignius homo habere potest. Vnde & tales non à Patre carnali, sed à Patre Deo volunt cognominari; quia maior est ista dignitas, scilicet, esse Dei filium per adoptionem, quàm hominis filium per naturam.

XXVI MAgna autem dignitas illorum, qui bona opera faciunt coram hominibus, vt glorificetur Pater cœlestis, hoc ponitur cum dicit. Pater noster. Quid enim potest magis creaturam nobilitare, quàm quòd Deum, & Dominum omniũ rerum, habeat pro patre, non solum ratione creationis, sed etiam ratione adoptionis? Dicente Apostolo ad Rom. 8. Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater. Et ad Gala. 4. Misit Deus filium suum factũ ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret, vt adoptionẽ filiorũ reciperemus. Quoniam enim estis filij Dei, misit Deus spiritum filij sui in corda vestra clamante Abba Pater. Vnde cum homines & vna quæque res, à nobiliori suo velint, & debeant denominari, nobilius autem quòd in homine sit, vel esse possit, est habere pro Patre adoptiuo cœlestem Patrem: Ideo non à Patre carnali, sed à Patre celesti nomen, & dignitatem nostrã debemus accipere: iuxta illud infra 23. Patrem nolite vocare vobis super terram, vnus est enim Pater vester qui in cœlis est. Vnde & Chrysost. hîc dicit. Non dixit Deum, sed Patrem, dandæ eis nobilitatis præmittens iam semina.

Rom. 8. Galat. 4.

Matt. 23.

Chrysost. hom. 15.

SVMMARIVM.

Qualiter illi, qui faciunt opera bona coram hominibus, vt glorificetur Pater eorum celestis, filij Dei vocantur.

XXVII DIcitur autem Deus Pater, esse Pater illorum, qui bona opera faciunt coram hominibus, vt ipse glorificetur: primò quia taliter operando, Deo Patri assimilantur. Deus enim homo propter indigentiam aliquam sui, nec propter perfectionem aliquam acquirẽdam, nec aliqua necessitate ductus, sed solum propter bonitatem suam communicandam, merè voluntariè, omnia quæ sunt, produxit, vt rationales creaturæ, ex illis quæ facta sunt, consurgant ad cognoscendum ipsum; & ipso cognito, laudent eum, & glorificent. Non quòd eorũ glorificatione ẽgeat, vel magis glorioſus in se sit propter hoc, sed vt glorificãtes ipsum, boni sint. Vnde Deuter. 26. dicitur, Quòd Deus creauit cunctas gentes in laudem, & nomen, & gloriam suam; Et sicut Deus propter gloriam suam omnia fecit, ita & illi, qui bona opera faciunt, faciunt propter gloriam Dei, & ita propter idem operantur, propter quod & Deus operatur. Vnde Apostolus hortatur fideles 1. ad Corin. 10. Siue ergo manducatis, siue bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriã Dei facite. Et filijs Dei præcipitur in Psal. Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum, afferte Domino gloriam, & honorẽ. Quod exponens Augustinus in originali, dicit. Afferte Domino vosmetipsos, quos per Euangelium duces gregum Apostoli genuerunt. Afferte Domino gloriam, & honorem, vt per opera vestra Deus glorificetur, & honoretur. Secundò tales Deum ostendunt se Patrem habere, quia illa, quæ faciunt, faciũt propter ipsum, non aliquid aliud ab ipso, sed ipsummet, & amorem

Deut. 26.

1. Cor. 10.

Psal. 28.

Auguſt.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

eius intendentes habere non enim filius F
debet facere quòd eius Pater vult, timore
pœnæ, cum hoc non sit filiorum, sed ser-
uorum. Nec etiam hoc facere debet, vt hæ
reditatem Patris mortui assequatur, quia
sic mercenarius esset, & non filius; cũ plus
diligeret hæreditatem, quam Patrem; &
frequẽter vellet non esse patrem, vt posset
habere eius hæreditatẽ, & sic non patrem
diligeret, sed hæreditatem; & non opera-
retur propter amorem patris, sed propter
amorem hæreditatis. Sed ille filius est pa-
tris, qui propter ipsum patrẽ, & eius glo- G
riam, & laudem, facit, & operatur quod
præcipit pater, & etiam quod scit gratum
esse patri. Vnde & talis amor vocatur a-
mor filialis, quando secundum Bernar. in
Bernar. libro de diligendo Deo, Homo Domino
cõfitetur, quia fortasse sibi bonus est, non
autem quoniam bonus est in se, quia hic
verè diligit Deum, propter Deum, & non
propter se ipsum; Non autem sic amat de
Psal. 48. quo dicitur. Confitebitur tibi cum bene
feceris ei. Et eodem libro circa medium
dicit idẽ. Nõ sine præmio diligitur Deus, H
& si absque præmij intuitu sit diligẽdus;
Bernar. Vacua namque vera charitas esse non po-
test, nec tamẽ mercenaria est. Affectus est,
non contractus, nec acquiritur pacto, nec
acquirit; Sponte afficit, & spontaneum fa
cit. Verus amor se ipso contentus est; Ha-
bet præmium, sed id quòd amatur. Vnde
Malac. 1. & Malach. dicitur de bono filio. Filius ho
Ioan. 14. norat patrem suum, & Ioan. 14. dicit. Vt
glorificetur pater in filio. Tertiò dicũtur
filij Patris cœlestis, quia quemadmodum
pater cœlestis sua bona opera cõmunicat, I
& cõfert hominibus impijs, ingratis, sce-
lestibus: Ita etiam isti sua bona opera, &
quantum ad doctrinam, & quantum ad vi
tam, & quantum ad cõmoditatem, homi-
nibus inimicis suis ostendunt, & faciunt,
vt eos ad bonũ trahant. Vnde & Luc. 6. de
Luc. 6. talibus dicit. Eritis filij altissimi, quia ip-
se benignus est super ingratos, & malos,
& infra dicitur. Diligite inimicos vestros,
bene facite ijs, qui oderunt vos, & orate
pro persequẽtibus, & calumniãtibus vos,
vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est, K
Quod exponens Ambro. 5. lib. super Luc.
Ambros. cap. 10. dicit, Quòd studia ipsa virtutum
sine remuneratione torpescunt, & exem-
plum nobis attulit, & mercedem spopon-
dit, & in cœlo filios Dei futuros pollicens,
qui fuerint imitatores eius; Qui festinat
ad præmium, fastidire non debet exem-
plum; quia tantò præcellentius est præ-
mium, quantò impensius officium.

Tractatus sequens protenditur vsque ibi. (Amen dico vobis, Iota vnũ aut vnus apex, non præteribit de lege) *& habet* 34. *capitula.*

SVMMARIVM.

Ponitur diuisio, & prima continuatio ad præce-
dentia, & ostenditur quòd non ibi per diui-
nam scripturam praui mores subditorum sunt
corrigendi; nec de cœlesti doctrina sunt in-
struendi, nec ad iustitiam faciendam erudien-
di, nisi ex scriptura diuina quæ præposita est
in Dei lege. Capitulum primum.

Nolite putare quoniam non veni soluere le- I
gem, aut prophetas &c.] Vbi postquam
ostendit quòd Doctores & Apostoli, de-
bent alios verbo, & exemplo instruere, &
informare; vult ostẽdere de quibus rebus
debeant subiectos verbo, & exemplo do-
cere; & duo facit. Primò ostendit quid
debeant docere, scilicet, diuinam legem;
secundò qualiter debeãt viuere, scilicet,
secundũ præcepta diuinæ legis, supra ibi.
Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis.] Pri-
ma in tres, primò ostendit quòd ipse non
venit legem destruere, vt Discipuli eius
non eam destruant, docendo contraria le-
gis. Secundò ostendit quòd ipse venit le-
gem adimplere, vt eius discipuli doceant
legem esse adimplendam. Tertiò probat
vtrunque istorum, secunda ibi. [*Non veni*
soluere legem] tertia ibi.] *Amen dico vobis*
donec transeat] Dicit ergo. [*Nolite putare*
quoniam non veni soluere legem aut prophe-
tas:] & potest continuari primò illo mo-
do, quo hęc pars est continuata iam. Non
enim sufficit quòd homo dicat discipulo
quid facere debeat, nisi etiam dicat quo-
modo illud faciat; quia in modo faciendi
talis error contingere posset, quòd omni-
no opus iniunctum, vel non fieret, vel non
debitè fieret. Vnde & Moysi, & Dauid nõ
solum Deus præcepit, quòd tabernaculũ,
vel templum facerent, sed ostendit quali-
ter ipsa facere deberent: iuxta illud Exo.
25. Inspice, & fac secundũ exemplar, quod Exo. 25.
tibi in monte monstratum est. Et 1. Pa-
ralip. 28. dicit Dauid. Omnia inquam ve- 1. Paralip. 28.
nerunt scripta manu Domini ad me, vt in-
telligerem vniuersa opera exemplaris. Et
eodem modo, quia Dominus supra præ-
ceperat Apostolis, quòd essent Sal terræ
ad saliendas putredines, & vermes pecca-
torum; & quòd essent lux mundi ad in-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

ſtruendos homines fidē, & mores; & quòd prædicta non abſconderent: ſed omnibus propalarent; Nunc oſtendere vult illud, per quod vult, quòd prædicta faciāt: quia ſcilicet per ſcripturam diuinam, ne quis exiſtimaret, quòd per aliquid aliud, lege Dei deſtructa vellent homines inſtrui, dicit. [*Nolite putare*] Et hoc modo cōtinuat Gloſ. hanc partem. Gloſ. dicens. Poſtquam hortatus eſt eos omnia pati pro veritate, & non celare, & gloriam Dei facere; incipit dicere quid docturi ſint: quaſi eis diceretur; Quid eſt hoc quod vetas abſcondi, pro quo iubes omnia pati? An eſt aliquid contra legem? non, inquit. [*Non enim veni ſoluere legem*] vt ex hoc inſtruat eos, quòd per legem prædicta facere debēt, etenim Pſal. 18. dicitur in Pſal. Lex Domini immaculata conuertens animas, teſtimonium Domini fidele ſapientiam præſtans paruulis: Vbi Caſſiod. dicit Caſsiodorus. Domini lex, quam per Moyſen Dominus dedit, irreprehēſibilis eſt, quia perfecta veritate conſiſtit: quæ per Dominum Saluatorem non reprehenſa eſt, ſed potius impleta. Illius enim diſtrictionis metus errātem corrigit, & ad Chriſti gratiam recurrere facit. Teſtimonium Domini fidele, quoniam omnia teſtimonia, quæ dedit populo Iſraelitico. fidelia vtique fuerunt, quia pleniſsima veritate recognita ſunt: & ſapientiā paruulis præſtiterunt; nec ſolum ſapientiā, ſed, Pſal. 18. & iuſtitiam; quia iuſtitiæ Domini rectæ. Vnde & Doctores non debent ſubiectos de prauis moribus corrigere, de ſapiētia diuina inſtruere, nec ad iuſtitiā informare, niſi per ſcripturam diuinā; per quam, & vitia perfectè corrigūtur, & diuina ſine errore intelliguntur, & opera iuſtitiæ rectè perficiuntur, quæ non fiunt per alias ſcripturas, niſi per diuinā; propter quod, & Dominus cum Apoſtolos inſtruxiſſet quòd eſſent ſal in correctione peccatorū, & lux in doctrina contemplandorum, & exemplar in operatione iuſtorum, & virtuoſorum operum: vult eos inſtruere per quod iſta omnia facere poſsint, quia ſcilicet per diuinam legem, quam ipſe non uenit ſoluere, ſed adimplere. Vt enim dicit Ioan. Sarracenus. Ioan. Sarracenus in principio expoſitionis ſuper Angelicam Hierarchiam. Cauendum eſt, ne ea, quæ humanū excedunt ingenium, pro ſuo quis libito de myſterio diuinarum rerum diſputādo uſurpet, periculoſum quippe eſt, ſcientiam ſibi, uel alijs promittere ſecretorum cœleſtium; niſi quis fortè dixerit illa, quæ ſcripturarum authoritate, uel ratione manifeſta ſunt; uel quæ Ortodoxi Patres dixiſſe cognoſcuntur. Et Auguſtinus ſecundo de doctrina chriſtiana dicit, quòd præcepta uiuendi, & regulæ credendi, in ſcriptura diuina apertè poſita ſunt: propter quod ad talia facienda homo non indiget, niſi ſcriptura diuina. Auguſt.

SVMMARIVM.

Ponitur ſecunda continuatio, & expoſitio; & oſtenditur quòd Chriſtus ſuo exemplo induxit ſuos Diſcipulos, ad legis Dei obſeruantiam.

XII

SEcundò poteſt continuari ſecundum Chryſoſt. in expoſitione ſic: Dixerat diſcipulis ſuis quòd in omni opere bono deberent eſſe perfecti. Ad quod eos inducens, ſe ipſum ponit in exemplum; qui totam legem, cui aſtrictus non erat, niſi voluntariè, voluit adimplere dicens. [*Nolite putare, &c.*] Quemadmodum, & ſupra tertio dixerat Ioāni. Sine modo, ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam. Vnde hîc dicit in homil. Hoc dicit vt Diſcipulos ſuos, quos omnibus bonis operibus adornatos eſſe debere ſupra docuerat, his verbis ad ſuum prouocaret exemplum: vt quemadmodum ipſe omnem legem implebat, ſic, & illi, omnia etiam minima legis feſtinarent implere. Chryſoſt. hom. 10. Matt. 3. Chryſoſt. hom. 10.

SVMMARIVM.

Ponitur tertia continuatio, & expoſitio, & oſtenditur quòd ne Dominus putetur in præceptis nouæ legis ponendæ infra per eum, legi Moyſi eſſe contrarius, dixit, quòd non venit ſoluere legem. Vnde ſi aliqua in dictis præceptis videantur ſonare contra litteram legis Moyſi, rectè tamen lege intellecta, Domini præcepta non ſunt contraria legi; ſed legis declaratiua, & expoſitiua, & ſine quibus lex impleri non poſſet ſecundum legislatoris intentionem.

XIII

TErtiò poteſt hæc pars eſſe quaſi prohemium, vel prolocutio ad legem, quam ipſe inferius promulgare debebat; ſic quòd cōtinuaretur, quòd in parte præcepti propoſuit leges, pro maioribus, & Doctoribus, quales eſſe deberēt. Hîc vero iam incipit leges ponere, quæ ſunt communes ad omnes, qualiter viuere habeant: ſed quia in ipſa lege quædam ponere debebat, quæ primo aſpectu videbantur eſſe contraria legi datæ per Moyſem, ſicut de libello repudij, & de prohibitione vſurarum, & etiam de tollenda lege talionis, & quædam alia: Iccirco antequam legem ponat, ſuper hoc ſe excuſat; vt iuxta excuſationem præſentem intelligantur leges ſequentes. Quia licet leges inferius ponen-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

dæ, videantur primo aſpectu legi Moyſi contrarię; tamen bene intellecte, ſunt declaratiuę intellectus legis Moyſi: ſine quo intellectu, lex Moyſi impleri non poſſet: ſicut patebit infra. Qui autem verum legis intellectum declarat, & ſi contraria dicere videatur legi, nõ tamen propter hoc legi contrarius eſt, vel legem deſtruit, immo implet: quemadmodum 1. Machab. 2. dicitur de fractione requiei Sabbati, quando gentiles contra populum Dei pugnabant. Omnis homo quicunque venerit ad nos in bello in die Sabbatorum, pugnemus aduerſus eum, & non moriamur omnes, ſicut mortui ſunt fratres noſtri in occultis. Vnde hoc modo hanc partem continuans Chryſoſt. dicit. Quia æſtimabant ipſum hoc dicentem in deſtructionem veterum legalium facere, hanc ſanat ſuſpitionem dicens. Ne æſtimetis, quoniam nõ veni diſſoluere legem vel prophetas: & in expoſitione dicit idem. Quia futurũ erat, vt calumniarentur eum Iudæi in Sabbatis operantem, & lepram tangentem quaſi ſoluentem legem: Ideo priuſquam incurrat calumniam, calumniatoribus ſatisfacit, dicens. [*Non veni legem ſoluere.*]

1. Mach. 2.

Chryſoſt. hom. 10.

Ibidem.

SVMMARIVM.

Ponitur quarta continuatio, & expoſitio, & oſtenditur quòd ex eo quod Dominus non erat populi iudex, nec ſacerdos, quantum ad exteriorem apparentiam; quorum ſolum erat dubia legis diſſoluere, & rigorem legis temperare; cum ipſe infra ad legis præcepta multa eſſet additurus; quia non ſolum, quod lex prohibebat præcepturus erat, ſed etiam multo altiora præcepta dare debebat, vt legis intentio impleretur, ne ſuper hoc Iudæi turbarentur, præmittit, quòd non venerat legem ſoluere, ſed adimplere.

IIII QVartò poteſt continuari, quòd hîc ponat quaſi prohemium ſubſequentis legis, vt dicebatur in continuatione præcedenti; ſed proponit excuſationem illius, quod videbatur poſſe ſibi opponi. Iudæi enim non poterant ſuſtinere, quòd aliquid adderetur legi Moyſi, vel etiam diminueretur, iuxta illud Deuter. 4. Non addetis ad verbum quod vobis loquar, neque auferetis ex eo, & cap. 12. Quod præcipio tibi hoc tantum facito domino, nec addas quicquid, nec minuas; & ſi tamen eſſet, quòd aliquid addendum eſſet, vel minuendum de lege per modum interpretationis; hoc non debebat fieri per quemcunque, ſed ſolum per ſacerdotem, & iudicem, qui illo tempore præeſſent populo. Iuxta illud Deuter. 17. Si difficile, & ambiguum apud te iudicium eſſe proſpexeris inter ſanguinem, & ſanguinem, cauſſam & cauſſam, lepram, & nõ lepram: & iudicium intra portas tuas videris verba variari: Surge, & aſcẽde ad locum quẽ elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad ſacerdotem, & ad iudicem, qui fuerit illo in tempore; quæresq; ab eis; qui indicabunt tibi iudicij veritatem. Et quia lex multum erat dura, & quaſi intolerabilis, Iuxta illud Actuum 15. Quid tentatis Deum imponere iugum ſuper ceruicẽ Diſcipulorum, quod neque nos, neq; Patres noſtri portare potuimus? Ideo additiones, vel diminutiones, quæ fiebant per ſacerdotes, & iudices circa dicta legis; ſemper, vel, vt in pluribus, fiebant tẽperantes legis rigorem, iuxta illud quod Dominus dicit infra Deus dixit. Honora patrẽ tuum, & matrem tuam, & qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis, Quicunq; dixerit patri vel matri, munus quodcunque eſt ex me tibi proderit, & non honorificauit patrem ſuum, aut matrem, & irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram. Dominus autẽ qui non reputabatur apud Iudeos, ſacerdos, vel iudex, volebat in ſubſequentibus addere Moyſi, non temperatiua, vel condeſcenſiua: ſed exceſſiua: cum non ſolum prohibiturus eſſet, illa, quę lex prohibet, vt homicidium, & adulterium; ſed etiam radices peccatorum, vt iram, & oculum incontinentem. Debebat etiam in aliquibus legis auſteritatẽ temperare; quod tamen temperamentum paſſis iniuriam graue erat, ſicut patet primo de lege talionis. Ideo antequam ad hęc deſcendat ſuper hoc ſe excuſat, quia eius additiones vel diminutiones, nõ ſunt niſi intellectus legis declarationes: propter quod dicit. [*Nolite putare quoniam veni ſoluere, &c.*] Et hoc modo hanc partem continuat Chryſ. hîc in homeliar. dicens: Quoniam maiora veteribus mandatis in legislationem deducturus erat: & diuinæ cuiuſdam, & cęleſtis vrbanitatis conſtructurus viam; vt non hoc, velut extraneum, turbet audientiũ animas, & litigare præparet ad ea quæ dicuntur; hac vtitur præmendatione: Et ſi enim illi non cõplebant legem, attamen multa detinebantur ad ipſam conſcientiã, & rebus eam in vnoquoque die diſſoluentes, litteras volebant manere immobiles, & nullum apponere aliquid eis amplius; magis autem cum apponerent principes, non ad melius, ſed ad deterius tolerabãt. Quoniam igitur Chriſtus, neq; ex ſacerdotali tribu fuerat, & quæ erat expoſitu-

Deuter. 4.

Idem 12.

Idem 17.

Actuũ

Matth.

Chryſoſt. hom. 16.

rus,

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

rus, appositio quædam erat, non diminuens, sed intẽsam faciens virtutem, prævidens vtraque hæc eos turbatura, antequam mirabiles inscribat leges, proijcit quod subintraturum erat eorum menti, dicens [*Nolite putare, &c.*]

SVMMARIVM.

Ponitur quinta cõtinuatio, & expositio, & ostenditur quare Dominus hoc prohemio vtitur, ne videatur aliquid infra dicere contra legem; quia nihil eorũ, quę dicturus est, legem soluit, vel destruit; sed legem perficit, & complet, quod naturaliter lex appetebat; cum vnumquodque imperfectum suam perfectionem habere desideret.

V

QVintò potest continuari secundum eundem sic; quòd etiam, vt dicebatur, hoc sit prohemium ad subsequentem legem. Prohemizantes enim in prohemio debent facere discipulos dociles; quod faciunt, quando consueta, & non extranea à principio proponũt; si enim extranea à principio proponerẽtur, nec ipsa, nec subsequentia audirentur. Vnde & Ioan. 6. dicitur. Quòd audientes multi ex discipulis eius, quòd haberent manducare carnem eius, & bibere sanguinem, dixerunt. Durus est hic sermo, quis potest audire? & ex hoc multi Discipulorum eius abierunt retro. Et ideo à principio proponi nõ debent talia; vel si proponantur, debent rationes protẽdi, quare hoc fieri oporteat, vt auditis rationibus Doctoris, auditoris animus acquiescat: frequenter enim quod videtur homini prima fronte esse erroneum, impossibile, vel falsum, vel durum; reddita ratione, apparet esse verum, rectũ possibile, & leue. Et quia Dominus multa inconsueta, & inaudita Iudæis proponere volebat in lege, quam intendebat dare; ideo ne inconsueta videantur, præmittit excusationes, & rationes dicendorum, scilicet, quòd non erant illa, quæ dicere intendebat legi Moysi contraria, sed erãt secundum legem: non enim est contrariũ alicui rei, si perficiatur, immo est hoc, quòd res illa appetit per naturam. Lex autem Moysi per naturam imperfecta erat. iuxta illud ad Hebr. 7. Nihil ad perfectum adduxit lex. Et ideo, quando per legem Christi sequentem perfecta fuit, non fuit destructa, sed cõsummata. Vnde Chrysost. hîc dicit in homeliar. Vt non turbet audientes, apponens integræ legi, integrè aliam legem, multa vtitur constructione, & cura; ne in tumultuationem duceret eos, qui audiebant. Propter hoc multa

Ioan. 6.

Heb. 7.

Chrysost. hom. 15.

A defectiora sua dignitate loquitur; & multa præmendatione vtitur. Et Theophilus super Lucam dicit. Imperfectis lex imperfecte loquitur, sed nunc perfectionis doctrinæ opus est. Theophil.

SVMMARIVM.

Ostẽditur quomodo lex diuersimode accipiatur in scriptura, vt ostendatur de qua legis acceptione hic loquatur Dominus.

B QVibus visis est intelligendum circa litteram, quòd lex aliquando vocatur totum vetus testamentum, aliquando vocatur solum libri Moysi, aliquando solum præcepta in tabulis legis posita. Et quòd lex ponatur pro tota scriptura veteris testamenti, patet per illud Ioan. 15. Vt impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est: quia odio habuerunt me gratis, quod tamen testimonium positum est in Psal. Et quòd pro omnibus libris Moysi lex ponatur, patet per illud quod dr Luc. C 2. Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ, secundum legẽ Moysi, quod tamen præceptum ponitur in Leuitico. Et quòd ponatur solum pro decem præceptis, quæ scripta sunt in tabulis, patet p illud quod dicitur ad Rom. 7. Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret; non concupisces; quod preceptum positum est in decalogo: Et quòd Psalmi comprehendantur cum Prophetis, patet per illud quod dicitur Luc. 16. Lex, & Prophetæ, vsque ad Ioannem. & quòd Psalmi distinguãtur à lege, D & Prophetis: patet per illud quod dicitur Luc. vlt. Necesse est implere omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me. In proposito autem, per legẽ intelliguntur omnes libri Moysi, cum multa hîc de diuersis libris Moysi sumpta declarẽtur, sed Prophetarum nomine intelligũtur omnes libri alii à lege, sic, quòd in Prophetis Psalmi sunt inclusi. VI

Ioan. 15.

Luc. 2.

Rom. 7.

Luc. 16.

Idem vlt.

SVMMARIVM.

E *Ponuntur diuersæ acceptiones de verbo soluere, vt ostendatur quomodo Christus legem non soluit; licet præcepta moralia compleuerit, & vim obligandi abstulerit legi, quantum ad iudicialia, & ceremonialia præcepta.*

SEcundò etiam est intelligẽdum, quòd soluere in scriptura, aliquando accipitur pro disligare, secũdum quòd patet infra 21. Inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea, soluite, & adducite mihi, & secũdum istam significationem, lex sol- VII

Matt. 21.

ueretur

ueretur, si eius obligatio, qua homo tenetur viuere secundum legem, relaxaretur: ita quòd, licet lex maneret; tamẽ non haberet virtutem obligãdi; & hoc modo, legis solutionem accipit Apostolus ad Ro
Rom.7. man.7. Soluti sumus à lege mortis in qua detinebamur, ita vt seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate litteræ. Mu
Ibidem. lier, quę sub viro est, viuente viro alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri, cap. eodem. Secundò soluere accipitur pro dubiæ propositionis solutione; quomodo accipitur Iudic.
Iudi.14. 14. Proponã vobis problema, quod si solueritis mihi infra septem dies, dabo vobis
Eccl.7. triginta syndones. Et Eccles. 7. dicitur. Deus fecit hominem rectum, & ipse infinitis se miscuit quęstionibus. Quis talis vt sapiens est, aut quis cognouit solutionem verbi? Et hoc modo lex solueretur, si ipsa dubia existens declararetur. Quomodo
Luc.13. Dominus declarans dubietatem legis de obseruatione Sabbati, dicit Luc. 13. Vnusquisque vestrum Sabbato non soluit bouem suum, aut asinum à præsepe, & ducit adaquare? Tertiò soluere accipitur pro de
Ioan.2. struere, quomodo accipitur Ioan. 2. Soluite templum hoc, & post triduum excitabo illud. Et hoc modo lex solueretur si destrueretur; quomodo accipitur infra eodem. [*Qui soluerit vnum de mandatis istis*
Glos. *minimis*.] Vbi dicit Interlinearis. Soluitur mandatum, vel non agendo, vel non credendo. Et Ioan. 10. dicitur, Quòd non
Ioan.10. potest solui scriptura. Quarto accipitur
Isa.20. soluere, pro deponere: iuxta illud Isa. 20. Vade, & solue saccum de lumbis tuis, & calciamenta tua tolle de pedibus tuis. Et hoc modo solueretur, si totaliter dimitteretur: quomodo præcipitur Isaiæ 58. de
Idem 58. mala obligatione. Solue fasciculos deprimentes. Tunc ergo solueretur lex, si vel òbligatio de obseruãdo ipsam tolleretur, vel si lex dubia exponeretur, vel si totaliter destrueretur, vel si conculcarerur, & in nullo honore haberetur, quasi deposita exi stens. Christus autem legem Moysi non destruxit, vel dehonestauit, licet quo ad præcepta iudicialia, & ceremonialia eam soluerit, id est, virtutem obligandi, ad eorum obseruantiam ei abstulerit: & præcepta moralia declarauerit, & exposuerit. Et quia hæc non erant legis destructio, & conculcatio; sed erant eius perfectio, vt declarabitur infra, iccirco ipse nõ venit legem soluere, sed adimplere.

SVMMARIVM.

Quòd lex, & Prophetæ continebant promissa, præcepta, præmia, & doctrinalia; & ostenditur quomodo Christus promissa legis, & Prophetarum non soluit, immo adimpleuit, quia quod Deus ibi promiserat, opere adimpleuit.

CIrca quod attendendum, quòd lex Moysi in se cõtinebat promissa, præcepta, præmia, bona bonis, & mala malis, & doctrinalia: promissa autem tunc implentur, quando quod promissum est soluitur, vel completur. Sed tunc promissum non soluitur, quãdo quod promissum erat non adimpletur. Inter promissa autem legis, præcipuum, & quasi omnia promissa continens, incarnatio Christi est; qua data, omnia quæ Deus promiserat hominibus, dedit, iuxta illud 2. ad Corin. 1. Quot
2.Cor.1. quot enim promissiones Dei sunt in illo, id est, Dei filio Iesu Christo, Est. Vbi dicit
Glos. Glossa. Quòd omnes Dei promissiones in Christo sunt impletæ, & firmatæ: & non est credendum quòd Christus mendax sit; per quem Pater verax apparuit; quia promissiones Dei, omnes per Christum adim
Rom.1. pletæ sunt; qui Christus in scripturis sanctis fuit promissus nasciturus ex semine Dauid, secundũ carnem, ad Rom. 1. Quod autem promiserat per Prophetas suos, in scripturis sanctis de filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem. Vn
Chryso. de, & Chrysost. in homel. hîc dicit: quo-
hom.14. modo non soluit legem, vel Prophetas? & respondens subdit; Prophetas quidem, quia operibus certificauit vniuersa, quæ de ipso dicta fuerunt, quæ omnia non cõpleta permãsissent, nisi ipse aduenisset. Et
Ibidem. in expositione dicit idem. Lex, & Prophetæ, duo hæc agunt, & de Christo prophetant, & legem viuendi constituunt, quæ vtraq; Christus impleuit: De se quidem, quando natus est; & cætera fecit quæ in Euangelio cõtinentur: quæ nisi facta fuissent, mendaces Prophetæ essent. Sic ergo quantum ad promissa, quæ magna pars legis, & Prophetarum erant, Christus veritas factus homo, non soluit promissa, sed adimpleuit; quando opere, & facto exhibuit omnia, quæ Deus patribus promisit.
Isa.19. Soluisset autem promissa, & non adimpleßet, si omnia quæ promissa erant, facta non fuissent. Vnde, & de reddentibus vota, id est, facientibus id quod promiserũt, dicitur Isaiæ 19. Vota vouebunt Domino, & soluent. Et è contra potest dici de illo, qui promittit, & nõ complet promissum, quòd non soluit. Vnde, & de Deo dicitur
2.Paral.6. 2. Paral. 6. Quæ ore promiseras, opere cõpleßi: & ad Titum 1. dicit Apostol. Quod
Titum 1. spem vitæ ęternę promisit is, qui nõ men-

ticur

titur Deus ante tempora secularia. Et ad Rom. 15. Dico Christum Iesum ministrum fuisse circunçisionis propter veritatẽ Dei ad confirmandas promissiones Patrum. Rom. 15. Vbi dicit Glos. Christus minister fuit Iudæorum, id est, Apostolis, & hoc propter veritatem Dei, vt scilicet se veracẽ ostenderet in promissis, & compleret promissa patribus Iudæorum, Glos.

SVMMARIVM.

Quòd Christus primo modo præcepta moralia legis non soluit, sed adimpleuit; quia nihil præceptorum moralium transgressus est, sed obseruauit, & opere adimpleuit.

IX

SEcundò lex Moysi, & Prophetæ continebant præcepta viuẽdi, quæ in tres partes diuiduntur, scilicet, in præcepta moralia, cerimonialia, & iudicialia: iuxta illud Deuter. 6. Hæc sunt præcepta, & cerimoniæ, atque iudicia, quæ mãdauit Dominus Deus noster, vt docerem vos. Præcepta autem moralia Christus non venit soluere, immò confirmare, & adimplere: quæ non soluit, sed adimpleuit tripliciter. Primò quidem nihil eorum transgrediendo. Vnde & dicebat Iudæis Ioan. 8. Quis ex vobis arguet me de peccato? quasi diceret, quòd nullus eum arguere poterat. Vnde dicitur Isaiæ 53. Iniquitatem non fecit, nec dolus fuit in ore eius. Qui autem mãdata moralia transgreditur, nisi Deus hoc mandet, peccat: dicẽte Bernar. in lib. de præcepto, & dispensatione cap. 5. Necessarium præceptum quod inuiolabile nominatur, illud intelligo, quod non ab homine traditum, sed diuinitus promulgatum; nisi à Deo qui tradidit, immutari omnino non patitur; vt exempli causa. Non occides, & reliqua illius tabulæ legis: quorum, & si aliquando contrarium à sanctis hominibus est vsurpatum; scriptura non indicante, quòd Deus ita præcepit, aut eos peccasse fatendum est, vt homines, aut certè sicut Prophetas familiare Dei consilium accepisse. Cum igitur Christus, nec à Iudeis inimicis, qui etiam eius bona opera calumniabãtur, potuerit argui de peccato, manifestum est ipsa præcepta moralia obseruasse, & sic non ipse ea soluit, sed adimpleuit. Vnde Chrysost. hîc dicit, Legem non soluit, vno quidem modo in nihil transgrediendo legalium, quoniam enim vniuersam eam compleuit. Audi quod ait Ioan. Ita enim decens est nos cõplere omnem iustitiã: & Iudeis dixit. Quis ex vobis arguet me de peccato? sed & Discipulis rursus: Venit Princeps mundi huius, & in me inueniet nihil; sed Propheta dixit, quòd peccatum nõ fecit, Vno igitur modo compleuit etiam sic. Bernar. Ioan. 8. Isa. 53. Chrysost. hom. 15. Ioan. 8. Idem 14. Esa. 53.

SVMMARIVM.

Soluitur obiectio, per quam videtur quòd Dominus præceptum morale, de non operando in sabbato soluerit; & ostenditur quòd Iudæi in die sabbati non acceperãt præceptum nullum opus faciendi, sed non omne opus faciendi poterant tamen facere opus illa die, quod pertinebat ad animæ salutem, vel ad corporis sanitatem, vel ad Dei gloriam; qualia opera Christus in sabbato fecit; & sic non fecit contra illud præceptum de non operando in sabbato.

X

NEc obstat illud, quod Iudæi aliquando imposuerunt ei, quòd sabbatum non custodiebat dicentes illud Ioan. 9. Non est hîc homo à Deo, qui sabbatũ non custodit; Et infra cap. eodem. Nos scimus quia hîc homo peccator est, & hoc dixerunt, quia in die sabbati lutum fecerat, ex quo liniuit oculos cæci nati; Quia præceptum de cessando ab opere in die sabbati, non erat præceptum de cessatione ab omni opere, sed ab opere seruili. Vnde nõ dicitur quòd nullum opus faciant Iudæi; sed quòd non faciant omne opus; quod non valet tãtum, sicut quod nullum opus, sed sicut non opus quoddã. Negatio enim præposita signo vniuersali affirmatiuo, facit equipollere particulari negatiuè; sicut non omnis homo currit; æquipollet huic quidã homo non currit, vt Logici dicunt. Vnde sic ponitur præceptum Exo. 20. Memento vt diem sabbati sanctifices: sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua, septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est, nõ facies omne opus. Et in signum quòd non omne opus, sed opus seruile solum esset prohibitum Iudeis facere in die sabbati, dicitur Leuit. 23. Mense septimo prima die mensis erit vobis sabbatũ: omne opus seruile non facietis in eo. Vnde si alicubi inueniatur præceptum quod nihil operis faciant in die sabbati, vt. Deut. 5. Non facies in eo quicquã operis, non intelligitur nisi de opere seruili: nam opus quod seruile non est, sed liberale, Iudæi operabantur: iuxta illud quòd Dominus dicit de sacerdotibus, qui ministrabant in templo, & operabantur, animalia occidendo, excoriando, & ad altare deferendo, & ibidem ipsa cremando: infra 12. An non legistis in lege quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, & sine crimine sunt? Et Iosue 6. dicitur. Quòd sex die- Ioan. 9. Ibidem. Exo. 20. Leuit. 23. Deuter. 5. Matt. 12. Iosue 6.

bus

bus sacerdotes, & populus debebant Iericho circuire semel in die, clãgentibus tubis: sed in septimo debebant eam circuire septem vicibus, & corruentibus muris, quilibet ingredi debebat per locum, contra quem steterant, vt expugnarent habitatores ciuitatis. Ex quo manifestum est, quòd cum taliter circuire ciuitatẽ opus esset, quòd populus Israel in die sabbati opus fecit, cum septem diebus taliter populus Iericho circuisset. Propter quod &
1.Mach.2. 1.Machab.cap.2.legitur ordinatum. Omnis homo quicũque venerit ad nos in bello in die sabbatorum, pugnemus aduersus eum. Sic igitur pro vita corporali tuẽda, pro vita spirituali adipiscenda, & pro seruitio diuino faciendo, poterat homo in sabbato operari, cum talia opera seruilia non essent. Et quòd pro animæ salutem homo posset operari, patet per illud quod
Ioan.7. dicitur Ioan. 7. In sabbato circunciditis hominem. Christus autem si soluit sabbatum, soluit ipsum pro vita, vel sanitate infirmantibus largiẽda, & hoc non opere manuali, sed solo verbo; & si opere manuali, vt de luto quod fecit, vt inde liniret oculos cæci nati: non erat tale opus, quòd seruile dici posset; Cum & medici, subita ęgritudine emergente, de qua posset homo subito mori, nisi occurreretur, herbas terere, & conficere medicinalia in die sabbati possent, ne homo moreretur. Si etiã præcepit paralitico curato in die sabbati, quòd tolleret grabatum suũ, hoc fecit propter Dei gloriã, ad ostendendum veritatem miraculi, quod factum fuerat.
Matt.12. Si etiam defendit discipulos, qui confricatis spicis grana comedebant in die sabbati, hoc fecit propter salutem corporalem eorum tuendã. Et ita cum non fecerit in die sabbati opus seruile, sed liberale; & in illis casibus, quòd secundum legem quilibet tale opus poterat operari: iccirco non soluit legem, quo ad præcepta moralia. Cuius signum manifestum est, quòd Iudæi volentes eum occidere, falsas criminationes ei imponendo, non imposuerũt ei quod in sabbato operatus fuisset cõtra legem; Cum tamen hoc tale crimen esset
Exo.31. in lege, quòd propter ipsum homo interfici debebat: iuxta illud Exo. 31. In septimo die sabbatum est requies sancta Domino. Omnis, qui fecerit opus in hac die, mo-
Num.15. rietur. Et Num. 15. dicitur, Quòd homo colligens ligna in die sabbati, lapidatus fuit, & interfectus. Vnde verisimile est, quòd si Dominum Iudæi vidissent operantem in die sabbati contra legẽ, quòd eum super hoc accusassent, vt eum iustè, & secundum legem interficere possent, quod

F cum nõ fecerint, apparet manifestè quòd in hoc contra legem non fecit.

SVMMARIVM.

Quòd licet Dominus voluntariè custodierit præceptum de non operando in sabbato tamen hoc non fecit, quòd sabbatum teneretur, sicut legis subiectus obseruare, cùm esset Dominus legis: & quòd præceptum de sabbato obseruando dispensabile erat per ipsum Christum: cum non esset tale præceptum, quòd iustitiam
G *immobilè contineret.*

XI LIcet autem Christus sabbatum obseruauerit, faciens iuxta legis mãdatum, tamen hoc non fecit, quòd ad eius obseruantiam teneretur, ita quòd, si non faceret peccaret; cum lex esset imposita homi nibus subiectis legi, & nõ Domino legis. Christus autem Dominus legis erat, sed voluntariè se legi subiecit, vt nos à seruitute legis eriperet. Vnde quòd non teneretur ad obseruantiam sabbati, vt seruus:
H sed poterat non obseruare sabbatum, vt Dominus, patet per illud quod habetur Luc. 6. Dominus est filius hominis etiam sabbati. Vbi dicit interlinea. Præest enim, non subest veteri obseruationi sabbati. Et Theophilus ibi dicit. Ego sum Dominus sabbati; tanquam dispositor, & sicut legislator potestatem habeo soluere sabbatũ, Non enim præceptum de sabbato obseruando est tale, quòd non possit fieri dispensatio de non obseruãdo ipso per Deũ; qui tale mandatum veteti populo dedit,
I quia non est præceptum necessariũ, & incommutabile, cum non contineat in se naturaliter actum iustitiæ: De quo prẽcepto loquens Bernar. in libro de præcepto, & dispensatione cap. 6. dicit. Quòd præceptum necessarium, & incommutabile, tale est, quòd diuina ita constat ipsum, & æterna ratione firmatũ: vt nulla ex causa possit, vel ab ipso Deo aliquatenus immutari. Sub hoc genere est omnis illa sermonis Dominici in monte habiti spirîtualis traditio, & quicquid, de dilectione, humilitate, mansuetudine, cæterisq; virtutibus,
K tàm in veteri, quàm in nouo testamento obseruandum traditur. Hæc quippè talia sunt, quæ nec liceat, nec expediat aliquando non haberi; quia sunt immobiliter, & naturaliter bona, & omni tempore, omni parte, morte cõtempta, custodita, saluté operantur. Cum igitur obseruatio sabbati non sit naturaliter, & immobiliter bona, nec omni tempore obseruatum dederit vitam, & non obseruatum morté, quia non obseruabatur antequam lex daretur:

Luc.6. Glos.

Theoph.

Bern.

iuxta

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

iuxta illud Ezechi. 20. Eieci eos de terra Aegypti, & deduxi in desertum, & dedi eis præcepta mea, dedi eis vt essent signũ inter me, & eos: Iccirco per Dominum Christum, qui Dominus erat legis, potuit dispensari in tali præcepto, quod erat de Sabbato obseruando; nõ propter hoc autem quòd dispẽsatur in aliquo præcepto, præceptũ tollitur, & remouetur; sicut nõ fuit sublatum præceptum, Non occides; quando Abraham suum filium innocentẽ ad Dei præceptũ voluit occidere. Et quando Oseę ad mandatum Domini mulierem primò fornicariam, deinde adulteram accepit; non fuit sublatum præceptum, Non mechaberis, sed fuit dispensatũ per illum, qui potuit, quo ad tunc, & quo ad illas personas cum quibus extitit dispẽsatum.

Ezech. 20.

Gen. 22.

Oseæ 1.

SVMMARIVM.

Ostenditur quòd cessatio ab opere in die Sabbati, erat in lege quo ad aliquid, præceptum morale, & quo ad aliquid, præceptum ceremoniale, vel figurale, & in quibus erat præceptum morale, & in quibus erat præceptum figurale.

XII

ESt etiam intelligendum, quòd Sabbatum datum fuit Iudæis, & in recordationem beneficij de creaturis conditis, iuxta illud Exo. 20. Sex diebus fecit Deus cœlum, & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, & requieuit in die septimo. Fuit etiam eis datum, vt serui, & ancillæ, & iumenta eorum ab opere dicta die cessantes, refrigerarentur, in hoc auaritiam Iudæorum refrenando, iuxta illud Exod. 23. Sex diebus operaberis, septima die cessabis, vt requiescat bos, & asinus tuus, & refrigeretur filius ancillæ tuæ, & aduena. Fuit etiam datũ eis, vt dicta die Domino, & eius seruitio vacarent, iuxta illud Deuteron. 5. Obserua diem Sabbati, vt sanctifices eum. Dies etiam Sabbati erat figura requiei Domini in sepulchro, peracto opere nostræ redemptionis; tali enim die requieuit in sepulchro, vt patet per omnes Euangelistas. Significabat etiam dies Sabbati, quòd homo debet omnia bona opera operari propter Deum; in quo, & in nullo alio debemus nostrorum operum finẽ instituere, iuxta illud Apost. ad Heb. 4. Relinquitur Sabbatismus populo Dei, qui enim ingressus est in requiem eius, etiam ipse requieuit ab operibus suis, sicut à suis Deus. Vbi dicit Glossa. Vera requies perfecta est, quam Dominus promittit, quæ per requiem Sabbati est figurata. Ex quibus patet quòd Sabbatum, & quo ad aliquid erat figurale; & quo ad aliquid erat morale. Morale enim erat quo ad recognitionem diuinorum beneficiorum, & quo ad seruitium Deo impendendum, & quo ad refrigerium laborantium. Sed figurale erat quo ad significãdam Christi requiem in sepulchro, & quo ad requiem, & finem bonarum actionum, qui in Deo est.

Exo. 20.

Idem 23.

Deut. 5.

Heb. 4.

Glos.

SVMMARIVM.

Quare apud Iudæos dies Sabbati erat festiua, & inter Christianos dies Dominica est festiua, & quòd maioris festiuitatis est dies Dominica inter Christianos, quàm dies Sabbati fuerit inter Iudæos; eo quòd maius beneficium fuit collatum die Dominica humano generi, quàm die Sabbati.

QVantum autem ad recognitionem beneficiorum, rectè dies septima in veteri testamento erat assignata: quia maius beneficium Dei, quod homines pro tunc à Deo acceperant, erat tàm ipsorummet, quàm totius mundi propter eos creatio. Propter quod illa dies, qua Deus completo toto opere creationis, destitit nouas creaturas creare in recognitione tanti beneficij, fuit festiua. Sed quia in nouo testamento maiora, & perfectiora beneficia sunt à Deo collata in alia die: Iccirco non dies Sabbati, sed dies alia est festiua. Duo enim mala, quæ humanum genus incurrerat, sunt destructa; & duo bona quæ humanum genus perdiderat, sunt reddita: quæ si facta non essent, omnes filij hominum in vanum cõstituti essent. Duo autem mala, quę homines incurrerant, erant peccatum, & mors. Duo etiam bona, quæ perdiderant, erant gratia, & totius hominis gloria. In sexta autem die peccatum per Christum destructum fuit; quando peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum. 1. Pet. 2. Gratiam etiam reddidit quando reconciliauit, & pacem fecit amborum in vno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso, ad Ephes. 2. & hoc beneficium maius fuit, quàm creationis. Sed quia adhuc manebãt alia duo, iccirco quia in die octaua illa data, & sublata fuerunt, scilicet mors sublata, & immortalitas, & gloria donata in capite nostro; quia à mortuis Christus iterum non moriturus surrexit. Iccirco non dies Sabbati, quæ erat festiua, in signum recognitionis beneficij creationis, nec dies sexta, quia non fuit in ea bonum consummatum datum, nec malum totale sublatum, sed dies Dominica, in qua Christus consummatum bonũ dedit, & totum malum remouit, est inter Christianos festiua,

XIII

1. Pet. 2.

Ephe. 2.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

& quia maius bonum datum est, scilicet gloria, & incorruptio, & quia includit hoc donum omnia alia dona precedentia.

August. Vnde Augu. 2. lib. ad inquisitiones Ianuarij circa mediũ dicit. Dies Dominicus nõ Iudæis, sed Christianis resurrectione Domini declaratus est; & ex illo cepit habere festiuitatem suam: Resurrectio enim nulla erat donec veniret Christus, qui resurgens à mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.

Rom. 6. Vnde postquã facta est talis resurrectio in corpore Domini; vt preiret in capite Ecclesię, quod corpus Ecclesię speraret in fine; Iam dies Dominicus, id est, octauus, qui etiã primus, incępit celebrari: Quia illa die omne bonum est datum hominibus, & omne malũ amotum, quia mors est totaliter amota, & immortalitas, & gloria data; vt maius esset donum per Christum datum, quàm malum per Adam introductũ, iuxta illud

Idem 5. Apost. ad Rom. 5. Non sicut delictum, ita & donum: si enim vnius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit. Vbi dicit Glossa.

Glos. Plus præstat Christus regeneratis, quàm eis generatis Adam nocuerat; quia vitia generationis, vel vitia consecuta ad hominem creatum, amota sunt per Christum mortuum, & resuscitatum. Et ideo plus est festiua dies resurrectionis Christi, quã dies cessationis Dei ab opere creationis.

SVMMARIVM.

Quòd si quies ab operibus præcepta fuit die Sabbati, vt laborantes refrigerarentur, & quiescerent à labore; magis dies Dominica in nouo testamento est significatiua perfectę, & totalis quietis: quia significat resurrectionem generalem corporum, in qua totaliter totus hõmo, si partem habeat in glorioſa resurrectione requiescet, quod vsque tunc non erit.

XIIII SI vero attendantur duæ causæ subsequentes, scilicet refrigerium laborantium per sex dies, & Dei cultus, quod fieri debebat in Sabbato, eædem causæ manent in die Dominica. Sufficit enim quòd aliqua dies hebdomadę deputetur ad Dei cultum specialiter exercendum, & ad requiem laborantium. Et tanto magis dies Dominicus est altior ad ista duo, quanto magis est plus rememoratiuus maioris beneficij collati dicta die, quod est Christi resurrectio: quæ est causa, & exemplar resurrectionis nostrę: & etiam quia significat quietem maiorem, & magis completã desiderij humani: Quia enim per sex dies

F quibus laboratur vita præsens significatur, per Sabbatum autem significatur requies animarum, quę perfecta non est, donec corpora resumant propter naturale desiderium quod habent existendi in corporibus proprijs; quo obtento totaliter requiescent: Iccirco dies Dominica, quia significat tempus resurrectionis corporũ, propriè est dies requiei, & refrigerij laborantium: quia in præsenti sæculo laboramus, vt nostri spiritus requiescant in futuro à laboribus suis. Sed quia illa requies

G nondum est plena, quousque corpora sint glorificata; iccirco non in Sabbato, quod significat requiem animarum, sed in Dominica, quæ significat resurrectionem gloriosam corporum, est nunc requiescendũ: Cum tamen in veteri testamento, quando realiter solum erat exhibita requies animarum, & non resurrectio corporum, sabbato esset requiescendum. Cum tamen nunc exhibita est in Christi corpore, corporum glorificatione in die Dominica facta, dicta die sit requiescendum: dicente

H Augustin. in dicto lib. 2. ad inquisitiones Ianuarij. Animæ omnium sanctorum ante resurrectionem corporis, sunt quidem in requie. Qua propter ante resurrectionem Domini quamuis sanctos patres, plenos prophetico spiritu, hoc tale sacramẽtum, quo significabatur resurrectio nequaquã lateret, solum celebrandum Sabbatum traditum est: quia erat solum requies animarum, resurrectio corporum nulla erat, donec Christus resurrexit. Sed nunc postquam Christus resurrexit die octaua, &

I nos resurgemus in octaua ætate, non die septima, quę significat resurrectionem animarum, sed die octaua, quæ resurrectionẽ significat corporum: qua facta, erit plena, & perfecta quies totius humanæ naturæ. Est festiua, quia post resurrectionem sanctorum erit æternum sabbatum, dicente Augustin. 22. de Ciuit. Dei, cap. vlti. Hac ætate septima Sabbatum erit nostrarum animarum, cuius finis non erit vespera, sed Dominicus dies, velut octauus æternus, qui Christi resurrectione sacratus est,

K & ęternus, non solum spiritus, verum etiã corporis requiem præfigurans. Ibi vacabimus, & videbimus: videbimus & amabimus, amabimus & laudabimus. Ecce quid erit in fine fine fine. Nam quid aliud noster est finis, nisi peruenire ad regnum, cuius nullus est finis?

August.

Idem.

SVMMARIVM.

Quòd si requies Sabbati significet requiem Christi in sepulchro, postquam Christus de sepul-

chro

chro resurrexit, non fuit obseruanda dies Sabbati, quia iam impletum fuerat illud, quod dicta requies significabat.

XV Si etiam Sabbatum attendatur, vt figurabat Christi sepulturam, qua die Dominus iacuit in sepulchro, hoc completo, cessare debuit: quia nisi cessasset, adhuc significaret quòd Christus sepeliri deberet, quòd tamen fieri non debet. Quemadmodum enim verba sunt quædam fidei protestationes, quia corde creditur ad iustitiam, ore autem cõfessio fit ad salutem. Rom. 10. Sic etiam facta veteris testamenti, quia erant figuralia, protestationes erant fidei eorum, quæ fieri debebant in nouo testamento; quibus completis, sicut verba sunt mutanda, ita & figuræ sunt deserendæ, ne adhuc significetur quòd ille res, quæ per dictas figuras significabantur, adhuc futuræ sint. Quemadmodum enim antequam Christus fuisset incarnatus, mortuus, & resurrexisset, verum erat quòd Christus nasciturus, passurus, & resurrecturus esset: Sic postquam Christus natus est, passus est, & resurrexit, non est dicendum, nec est verum quòd Christus nasci, pati, & resurgere debeat; Et eodem modo illæ figuræ, quæ significabant Christum nasciturum, moriturum, in sepulchro quiesciturum, resurrecturum, cessare debuerũt: quia iam erant impletæ, quando Christus ita compleuit; Ne si fierent, adhuc significaretur quòd Christus nasci, mori, sepeliri, & resurgere deberet, dicente August. 19. lib. contra Faustum, cap. 16. August. Si soni verborum, quibus loquimur, pro tempore commutantur, eademq; res aliter enunciatur facienda, aliter facta: sicut ista ipsa duo verba quæ dixi, facienda & facta, nec paribus morarum interuallis, nec ijsdem vel totidem litteris syllabisve sonuerunt: Quid mirum si alijs mysteriorum signaculis passio & resurrectio Christi futura promissa est, alijs iam facta annunciatur? Quandoquidem ipsa verba, futurum & factum, passurus & passus, resurrecturus & resurrexit, nec tendi æqualiter, nec similiter sonare potuerunt. Quid enim sunt aliud quæquæ corporalia sacramenta, nisi quædam quasi verba visibilia, sacrosancta quidem, veruntamen mutabilia, & temporalia? Idem. Et infra. Si Christus legem & Prophetas non soluisset, adhuc promitteretur nasciturus, passurus, resurrecturus, quod illa sacramenta quodammodo personabant. Sed qui venit legem, & Prophetas non soluere, sed adimplere, ipsa adimpletione abstulit ea, per quæ adhuc promittebatur implendum, quod iam constat impletum,

A tanquam si verba ista tolleret, nasciturus, passurus, resurrecturus: Quæ cum adhuc futura essent, rectè dicebantur: & instituerent dici, natus est, passus est, resurrexit, quæ illis completis, & ob hoc ablatis, rectè dicuntur. Sicut ergo ista verba, ita illa prioris populi sacramenta, quia iam per Christum impleta sunt, tolli, mutariq; debuerunt. Et quia requies Sabbati in veteri testamento significabat Christi sepulturam (dicente August. 4. super Genes. ad litteram, cap. 13. Sabbati dies significat Idem. B Dominicam cessationem in sepultura. Et infra dicit idem. Quies Sabbati ipse Dominus Christus est, qui non nisi quando voluit passus est, eamq; sepulturæ suæ mysterijs confirmauit: Ipsa quippe die Sabbati requieuit in sepulchro, eamq; totam diem habuit sanctę cuiusdam vacationis.) Idem. Quid ergo mirum, si Deus istum diẽ, quo erat Christus in sepultura quieturus, volens etiam hoc modo prænunciare ab operibus suis dicto die quieuit? Cum igitur requies Sabbati significauerit requiẽ, quã C Christus completo operæ nostræ redemptionis habiturus erat in sepulchro, manifestum est quòd postquam Christus in sepulchro die Sabbati requieuit, non est Sabbato quiescendum, quia si hoc fieret, adhuc pronunciaretur quòd Christus sepeliri deberet. Vnde vsq; ad dictam diem sepulturæ Christi obseruatio Sabbati fuit in præceptum: sed ex tunc in præcepto non fuit, completo illo, quod dicta obseruatio significabat, dicente Aug. 6. lib. contra Faustum cap. 2. Idem. Cessationem Sabbatorum iam quidem superuacuam ducimus D obseruandam. Et Apost. ad Colos. 2. Colos. 2. postquam egit de morte, & sepultura Christi, dicit. Nemo vos iudicet in cibo, & in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut Sabbatorum, quæ sunt vmbra futurorum, corpus autem Christi. Vbi dicit Glo. Ista quæ in figura futurorum tunc fiebãt, Glos. & erat peccatum non obseruare, quæ præcipiebantur, & vnum solum non obseruatum tunc damnabat. Nunc non est peccatum non obseruare ipsa, quia tunc erant E præcepta, nunc testimonia, illud enim erat tempus figurandi, hoc manifestandi, & ipsa scriptura, quæ tunc fuit exactrix operũ significatiuorum, nunc testis est rerum significatarum, & quæ tunc obseruabantur ad prænunciationem, nunc recitantur ad confirmationem. Hæc enim omnia fuerũt vmbra, sed veritas, huius vmbræ est corpus Christi; quia per eũ impleta sunt omnia, & significabant corpus Christi, vel quod sumpsit de virgine, vel quod est Ecclesia. Et sic Christo ad veniente, quia cõ-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

pletum est quod sabbatum significabat, & figurabat, cessare debuit; non tamen ante Christi sepulturam, cum sabbatum in lege Christi sepulturam significaret; cuius cessatio fuit prophetata Oseæ 2. Cessare faciam omne gaudium eius, solemnitatē eius, neomeniam eius, sabbatū eius, & omnia festa temporum eius. Oseæ 2.

SVMMARIVM.

Conceluditur ex præcedentibus, quòd licet Christus, dum in carne mortali vixit, quietem sabbati obseruauerit; tamen fideles eius diem sabbati obseruare non debent; & quòd licet fideles obseruent ad litteram omnia alia præcepta legis posita in decalogo, non tamen obseruant requiem sabbati, nec obseruare debent.

XVI EX quibus patet quòd licet Christus, quādiu in hac mortali vita vixit, sabbatum obseruauerit, quia voluit esse sub lege, vt eam adimpleret: tamē fideles post Christi resurrectionem non tenentur; immo non debent, & grauiter peccarent, si requiem sabbati obseruarent; sed pro sabbato successit festiua dies resurrectionis Dominicæ, quia Hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lętemur in ea. In quo meritò, vt dicit Cassiodorus, exultari conuenit, & lętari; quoniam in hac die, & Diabolus ius perdidit, & salutem mūdus accepit. Sic ergo vno modo Christus moralia præcepta non venit soluere; quia secundum ipsa vixit, nihil prætermittendo de ipsis, & voluit, ac mandauit quòd credētes in eum in posterum dicta præcepta obseruarent: iuxta illud infra 19. Si vis ad vitam ingredi serua mandata, quæ sunt, Non homicidium facies &c. excepta obseruatione sabbati; & quare hoc factum sit, dictum est supra. Vnde Augustinus ad inquisitiones Innuarij cap. 12. dicit. Inter omnia illa decem præcepta solum, quòd de sabbato ibi positum est, figuratē obseruandum præcipitur. Cætera præcepta ibi propriè posita, sicut præcepta sunt, siue vlla figurata significatione obseruamus. Nam & idola non colere manifestè dicimus; & non accipere in vanum nomē Domini Dei nostri, & honorare patrē & matrem, & non mechari, non occidere, non furari, non falsum testimoniū dicere, non concupiscere vxorem proximi, non concupiscere vllam rem proximi, non figuratè aliud prætendunt, & mysticè aliud significant; sed sic obseruantur, vt sonant. Et idem quasi dicit 19. lib. contra Faustum cap. 7. Matt. 19. Deut. 5. Augusti.

SVMMARIVM.

Quòd Dominus non soluit secundò legē, sed adimpleuit, quia per illa, quæ, exponēdo veterem legem, addidit, radicem omnium peccatorum abscidit, scilicet mundi concupiscentiam, qua non refrenata secundum ista Domini præcepta, facillimè homo ruit in peccata, quę exteriori opere committuntur, & si ipsa fuerit refrenata, talia opera exteriora non fiunt.

XVII SEcundò Christus non venit soluere legem quātum ad præcepta moralia, sed adimplere, ponēdo quædam per modum expositionum, & declarationū: sine quorum obseruantia, nunquam lex potuit impleri, quæ licet lex implicitè dixisset, tamen populus grossus Iudaicus non auertens illa, obseruare neglexit; Et ideo legis mādata transgressus est. Certum est enim quòd non refrenare mundi concupiscentiam, quæ secundū Ioannem distinguitur in tres partes, scilicet, in concupiscētiam carnis, & concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ, causa est omnium peccatorum: iuxta illud Iaco. 1. Vnusquisque tentatur à concupiscentia, & cū concepe rit parit peccatum, peccatum verò cum consummatum fuerit, generat mortem. Vnde Glossa super illud Rom. 7. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces, dicit. Hoc elegit Apostolus, quod est generale peccatum, scilicet, concupiscentiam, vnde omnia mala veniunt. Bona ergo est lex, quæ dum hoc prohibet, omnia mala prohibet. Vnde qui hanc concupiscentiam non refrenant, faciliter in peccata exteriora prorumpunt; dicente Chrysost. moral. 85. super Matth. Periculosum valde est nequissimis passionibus dare locum. Ideo oportet omnino reijcere, & expellere earum introitū; cum enim apprehenderint, & detinuerint animam, tanquā ignis in materiam incidens, magnam accendit flammā. Diabolus enim inquinatus existens, multa vtitur condescensione ad hominum perditionem, & à paruioribus se immittit. Itaque non contemnere oportet prima delicta, quia in maius accendunt, cum mens nostra neglexerit: Ideo oportet omnia facere, vt principia eorum terminemus. Non enim ad naturam inspicias peccati, quoniam prauа est; sed quoniam magni peccati fit radix neglecta. Si enim oportet aliquid mitabile dicere, non tanto indigent studio magna peccata, sicut prauа, & vilia. Illa enim ipsa natura peccati auerti præparat, paruа verò hoc ipso in desidiam immittunt, & non permittunt viriliter insurge- Iacob. 1. Glos. Rom. 7. Chrysost.

re

re ad eorum interemptionem: Ideoque velociter fiunt magna, dormientibus nobis. Idem. Et infra. Nullus velociter, & repente ad malitiam insilit; habet enim quandam verecundiam iniacentē nobis nostra anima, & ad bonum reuerentiam; propter quod nequaquam repente tam inuerecunda efficeretur; & sub vno momento omnia proijceret: sed quiescibiliter, paulatim perit, cum neglexerit. Ad quod attendens Dominus armauit nos, suadens, nihil paruorum contemnere, dicens. [*Qui irascitur fratri suo, &c.*] Vnde quia ex concupiscentia irrefrenata omnia mala opera progrediuntur, Dominus, vt precepta obseruemus, quę sunt de opere exteriori, cō cupiscentiam malam prohibet: sciens ipsam esse radicem, & causam omnium peccatorum. Radix enim omnium malorum est cupiditas, vt dicit Apost. 1. ad Tim. 6. 1.Tim.6. Vnde, qui hanc radicem omnis mali non abscindit, dum non auertit, in omne facinus ruit, iuxta illud Eccl. 19. Qui spernit modica, paulatim decidet. Eccl.19. Vnde, quia Christus declarauit, & ostendit qualiter præcepta impleri possunt, abstinendo, & prohibendo concupiscentiā peccatorum; non soluit legem, sed eam declarat, & exponit, dicente Augustino 19. lib. contra Faustum cap. 22. Puto iam clarere, quàm sit aliter accipiendum quod ait Christus. [*Non veni legem soluere, sed adimplere,*] his videlicet additamentis, quæ vel ad expositionem pertinent propositarū antiquarū sententiarum, vel ad conuersationem, nō ad impletionem. Quia enim non intelligebant homicidium, nisi peremptionem corporis humani, per quam vita priuaretur, aperuit Dominus omnem iniquum motū ad nocendum fratri, in homicidij genere deputari. Et quoniam putabant tantummodo corporalem cum fœmina, illicitam commixtionem, vocari mœchiam, demonstrauit magister etiam talem concupiscentiam nil esse aliud, quàm mœchiā. Et Chrysostom. hîc dicit. Futura legislatio, quam erat traditurus, non erat destructio priorum, sed intentio, & completio; non occidendi enim non destructio est nō irasci, sed completio, & stabilitas plurima. Chrysost. hom. 15.

SVMMARIVM.

Quòd additio potest fieri ad præceptū, vel legem dupliciter: vno modo quòd aliquid addatur, quod non erat inclusum in lege virtualiter; vel quod non erat de intentione legislatoris; & hoc modo non fuit licitum addere legi. Secundo modo poterat fieri additio ad declarandum legis intentionem, & legislatoris voluntatem; sic, quòd sine hac additione nunquam iustitia legis potuit esse; & ista additio licita fuit etiam Prophetis, cuiusmodi etiam additio est illa, quam Christus infra ponit.

CIrca quod attendendum, quòd additionem fieri ad aliquid, potest intelligi duobus modis; primò quòd addatur aliquid, quod non fuerat virtualiter, vel ex intentione præcipiētis inclusum in præcepto; & hoc modo siue addatur contrariū, siue indifferēs, semper significat quòd primum præceptum completum nō erat: quod erat prohibitum in lege: quia sicut Dei perfecta sunt opera, ita & perfecta eius mandata. Alio modo potest intelligi additio, quòd exprimatur, & declaretur intentio, & addatur illud, sine cuius obseruantia, nunquā præceptum plenè, & perfectè potuit adimpleri; & hoc modo prohibitum nō erat in lege fieri additionem in præceptis diuinis, cum hæc propriè additio non vocetur, sed expositio, & doctrina, qualiter præceptum debeat intelligi, & possit impleri: hoc enim modo legi regni, quæ ponitur in Deuter. 17. quæ est; Eum Regem constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorū, Addidit Samuel, ostendens de quibus rebus Rex constitutus viueret secundum decentiam regalem 1. Reg. 8. Vbi dicitur. Hoc erit Ius Regis, qui imperaturus est vobis. Filios vestros tollet, & ponet in carnibus, & cetera quæ ibi sequūtur. Non enim erat prouisum per legem vnde Rex viuere haberet, cum tota terra esset diuisa, & quilibet de populo propriā partem possideret, nullā speciali reseruata Regi: Non poterat autem viuere Rex sicut popularis homo, Rex factus, de prima hæreditate, quam habebat, antequam Rex fieret; & ideò oportuit quòd adderetur legi primæ illud, quod addidit Samuel, vt haberet vnde viueret Rex, quod tamen postea, fiebat. Et quia quasi tyrānica lex erat opprimens populum superbū, fuit emendata. Ezech. 45. vbi dicitur. De terra erit Principi possessio in Israel, & non depopulabuntur vltra Principes populū meū, sed terram dabunt domui Israel, secūdum tribus eorum. Vbi secundum Hieron. 13. libro super Ezech. tantum debebat dari Principi de terra vnde viueret, quantum vni tribui ex Israel; & sic sine legis dissolutione, vel destructione, legi regni, quæ posita erat in Deuteronomio, multa addita fuerunt: Eodem modo etiam lex de præda diuidenda exercitui, quæ ponitur Deuter. 20. fuit declarata, & exposita 1. Reg. 30. vbi dicitur: Quòd æqua pars erit Ezech.45. Hierony. Deut.20. 1.Reg.30.

descen-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas; & similiter diuident, & factũ est ex illa die, & deinceps constitutum, & præfinitum; & quasi lex in Israel vsque ad diem hanc. Et cum in lege non esset constitutus nisi vnus summus Pontifex, postea Dauid constituit duos summos Põtifices, qui ministrarent in tabernaculo: Vnum ex filijs Eleazar, & alium ex filijs Ithamar: iuxta illud 1. Paralipom. 24. Diuisit Dauid Eleazar, & Ithamar, id est, Sadoc de filijs Eleazar, & Achimelech de filijs Ithamar, secundum vices suas, & ministerium. Et infra. Erant principes sanctuarij, & principes domus Dei, tam de filijs Eleazar, quàm de filijs Ithamar, & sic patet quòd multa fuerunt addita legi Moysi per sanctos subsequẽtes per modum declarationis, & expositionis: & illius quod minus dixisse videbatur addictionis: & si hoc factum fuit manente veteri testamento, & per homines, de mandato tamen Dei, multo magis fieri potuit non manente statu veteris testamenti; & per Dei filiũ, qui etiam dederat vetus testamentum, & hoc fine legis destructione, immo ad legis confirmationem: cum talia Christus addiderit, quæ semper sancti intellexerunt esse de intentione legis, & legislatoris; & sine quorum obseruantia, nunquam lex potuit adimpleri. Vnde, & à principio quia Cain noluit ab ira irrefrenata contra fratrem suum desistere, incidit in fratricidium; propter quod Dominus iram eius reprehendit dicens. Quare iratus es? & cur cõcidit facies tua? Deus etiam in lege non solum prohibuit mechiam exteriorem: sed etiam concupiscentiã vxoris alienæ, dicens. Non concupisces vxorẽ proximi tui. Exod. 20. Et quia Dauid non compescuit inordinatum visum mulieris alienæ, incidit in adulterium, vt patet 2. Reg. 11. & sic de alijs præceptis inferius positis, vt videbitur infra. Ad quod attendens Augustinus, 19. lib. contra Faustum cap. 20. dicit. Iustitia, secundum quam viuebãt antiqui iusti, sine istis, quæ Christus addidit, esse non potuit. Non enim preceps iracundia, & lingua improba, ex quo Christus venit, cepit ad iniquitatem pertinere, sed antea non erat iniquum, corde, vel ore ista committere. Non enim ista sunt talia, quæ pro temporum varietatibus, modo liceant, modo non liceant; sed semper illicita fuerunt. Sic ergo isti secundo modo exponendo præcepta moralia, & addendo illa, sine quibus nunquam dicta præcepta impleri potuerunt, Christus nõ soluit legem, sed adimpleuit.

1. Paralip. 24.

Ibidem.

Gen. 4.

Exo. 20.

2. Reg. 11.

Augustinus.

F

G

H

I

K

SVMMARIVM.

Quòd Christus tertiò non soluit legem, sed adimpleuit; quia abstulit peccatum, & peccati fomitem à fidelibus suis, quibus impediebãtur ne legem implere possent ex amore iustitiæ, quod intenderat legislator, & dedit gratiam, & charitatem, per quam ex amore Dei legis præcepta obseruantur secundum Dei voluntatem.

TErtiò Christus non soluit legem, sed adimpleuit; quia dedit illud, per quod lex impleri potuit; & remouit illud, quod impediebat, ne homines possent legem obseruare. Non enim Dei præceptum, qui cor respicit, adimpletur, nisi ex corde; & propter Deũ illud, quod præcipitur fiat: sed existente contraria voluntate in corde, & si fiat opus, quod exterius præcipitur, vel non fiat opus quod prohibetur, propter timorem humanum, vel timorem Dei seruilem: non tamen completur Dei mandatum, qui respicit cor improbum. Vnde Aug. 29. ser. de verbis Domini dicit. Quisquis recta agit, & non Deum, sed aliquid aliud quærit, non rectè agit. Et idem de verbis Apostoli ser. 15. Qui timore pœnæ non concupiscit, puto quia concupiscit. Timore enim ingenti armorum, atq; telorum, & circundantis forsitan multitudinis, vel obuiam euntis, etiam leo reuocatur à præda: & tamen leo venit, leo redit, prædam non rapuit, & tamen malitiã non deposuit. Quid magnum est pœnam timere? Quis eam non timet? quis latro, quis sceleratus, quis nefarius? Sed hoc interest inter timorem tuum, timoremq; latronis, quòd latro timet hominem, tu vero legem. Ergo, & concupiscentiam tuam malã non amor tollit; sed timor præmit. Ad ouile venit lupus, latratu canum, & clamore pastorum ab ouili reuersus est lupus, & non rapuit; ipse est tamen lupus, non ouis. Nunquid quia lupus venit, & non rapuit, ouis recedit? non, sed lupus venit, lupus recedit. Sic ergo ad hoc, quòd Dei præceptum impleatur iuxta intentionem præcipientis, non solum requiritur quòd fiat, vel non fiat illud, quod præcipitur, vel prohibetur, sed oportet quòd fiat ex amore iustitiæ, & non ex timore, vel humano, vel seruili diuino: Et etiam quòd solum fiat propter Deum, & non propter aliud; nisi illud aliud ad Deum referatur. In veteri autem testamento ante legem per Moysen datam: quia & peccatum, quod auertit hominem à Deo, & conuertit hominem ad commu-

XII

Augustinus. Idem.

tabile.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

tabile bonum regnabat, dicente Apostolo
Rom.5. ad Rom. 5. Vsq; ad legem peccatum erat
in mundo; peccatum autem non imputatur cum lex non esset, sed regnauit mors
ab Adam, vsque ad Moysen, etiam in eos,
qui non peccauerunt in similitudinẽ præuaricationis Adæ, & lege data per Moysen, quæ non consumebat peccatum, sed
ostendebat adhuc peccatum, homini dominabatur, dicente Apost. ad Rom. 6. Peccatũ vobis non dominabitur, non enim estis
Idem 6. sub lege, sed sub gratia. Et quia peccatum
originale sequitur concupiscentia inordi
nata, cui voluntas infirma per peccatum
non poterat resistere; & quæ non nisi timore coercebatur per legem, nec poterat
cohiberi perfectè, quin quando habebat
oportunitatem prorumperet in facinus:
Iccirco lex sine alio adiutorio, voluntate
subiecta peccato à Deo auertente, & concupiscentia eam ad malum inclinante, adimpleri non poterat iuxta intentionem le
Idem 7. gislatoris, dicente Apost. ad Rom. 7. Condelector legi Dei secundum interiorem
hominem. Videoautem aliam legem in
membris meis, repugnantem legi mentis
meæ, & captiuantem me in lege peccati,
quæ est in membris meis. Propter quod si
lex adimpleri debebat, necesse erat quòd
hæc duo tollerentur, scilicet peccatum
quod constituebat in alio fine, quam in
Deo; ac voluntas ab eo sanaretur, & concupiscentia, quæ ad peccatum subsequens
hominem impellebat, quę vix timore pœnæ poterat cohiberi, immo nec etiam totaliter poterat refrænari. Quæ duo sublata sunt sufficienter, licet non efficienter
per Christum, qui peccatum abstulit pro
nostris peccatis moriendo: & sic voluntatem sanauit, & gratiam, & charitatem
dedit, qua traheretur homo ad Deum per
amorem, sicut ante trahebatur ad peccatum, per concupiscentiam sequẽtem peccatum: quibus datis per Christum, lex potuit per homines adimpleri, iuxta intentionem legislatoris, scilicet, ex amore, &
propter Deum, quod ante non poterat
fieri. Nec illi, qui in veteri testamento secundum legẽ vixerant, hoc facere potuerũt, nisi per Christum eis fuisset remissum
peccatum, & gratia data; qui licet essent
de veteri testamento secundum tempus,
erant tamen de nouo testamento secundum opus. Vnde Apostolus hanc causam
assignans, cur fideles communiter possint
nunc legem implere, quam antiqui imple
Idem 8. re non potuerunt, dicit ad Rom. 8. Nam
quod impossibile erat legi in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum
mittens in similitudinem carnis peccati,

A & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnẽ ambulamus,
sed secũdum spiritum. Vnde Augustinus
in libro de spiritu, & littera cap. 4. dicit.
Lex, quæ bona præcipit, laudabilis est; sed August.
vbi Spiritus sanctus non adiuuat inspiran
do pro concupiscentia mala concupiscentiam bonam, hoc est charitatem, profectò
illa lex, quamuis bona, auget prohibẽdo
desiderium malum: sicut aquæ impetus si
in eam partem non cesset influere, vehementior fit obice oppositoB; cuius molem
cum euicerit, maiore cumulo præcipitatus violentius per prona prouoluit. Nescio enim quomodo hoc ipsum, quod con
cupiscitur, iucundius fit dum vetatur: &
cap. 8. dicit idem. Quicunque faciebant Idem.
quod lex iubebat, non adiuuante spiritu
gratię, timore pœnæ faciebant, non amore
iustitię: ac per hoc coram Deo non erat in
voluntate, quod coram hominibus apparebat in opere. Sic ergo, quia per Christũ
fuit sublatum peccatum, & data gratia,
C qua lex impleretur ex amore, Christus nõ
venit legem soluere, sed adimplere: quia
per Christum sublatum est peccatum, quo
auersi eramus à Deo, nec poteramus ei
placere. Et charitas Dei data est, qua fuit
refrẹnata concupiscentia, qua inclinabamur ad peccatum, & ipsa charitas qua sanata est voluntas, facit, vt non timore, sed
amore Dei mandata impleantur. Vnde
Augustinus 17. lib. contra Faustum cap.
vltimo dicit. Implet legem qui sic viuit, Idem.
vt lex præcipit; quod non fit sine charita-
D te, quæ est plenitudo legis. Istam charitatem Dominus exhibere, & donare dignatus est, immittẽdo fidelibus suis Spiritum
sanctum; qua data, lex fuit impleta, non vt
adderentur, quæ deerant, sed vt fierent
quæ scripta erant. Et Chrysostomus hîc
dicit. Compleuit Christus legem in facien Chrysost.
do hoc per nos, quia peccatum ipsum in- hom. 15.
dicauit in carne, vt iustitia legis complea
tur in nobis: quoniam enim lex studebat
iustum facere hominẽ, nõ valebat autem.
At veniens ipse, & modum introducens
E iustitiæ, quæ est per fidem, statuit legis vo
luntatem; & quod non potuit per litteras
illas, hoc ipse compleuit per fidem. Vnde
nisi Christus venisset, & peccatum, & con
cupiscentiã abstulisset donando suam gratiam, lex fuisset soluta, id est, non opere
impleta; quæ tamen non impleta est, quando non timore pœnæ, sed amore iustitiæ à
fidelibus obseruatur. Lex enim per Moysen data est; gratia, & veritas per Iesum
Christum facta est. Ioan. 1. Sic igitur istis Ioan. 1.
tribus modis Christus legem quo ad mo-

ralia

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

ralia præcepta non venit ſoluere, ſed adimplere, quia ſcilicet ipſe quandiu in corpore mortali fuit, ſecundum legem vixit; & etiam quia infra legem expoſuit, & addidit alia, ſine quorum obſeruantia nunquam lex impleri potuit, & etiam quia à nobis abſtulit illa, quæ impediebant nos ne legem implere poſſemus; & dedit nobis gratiam, per quam eam implere poſſimus.

SVMMARIVM.

Quòd Chriſtus etiam dicitur non ſoluere legẽ, ſed adimplere; quia ſi fideles eius ex infirmitate peccent contra legem agendo, ipſe ſua interceſſione impetrat vt eis peccata dimittantur, & vt præcepta Dei, accepta charitate perficiant.

XX SI etiam fortè adhuc dũ ſumus in vita præſenti, propter carnis infirmitatem legẽ perfectè implere non poſsimus, quia ſine peccato nõ ſumus; ipſe pro nobis interpellat ad Patrem, vt nobis dimittat
1.Ioan.2. quod peccamus: iuxta illud 1. Ioan. 2. Si quis peccauerit, aduocatũ habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum; & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non ſolum autem pro noſtris, ſed etiam pro totius mundi. Vnde Auguſtinus contra Fauſtum lib. 17. cap. 7. dicit. Quia etiam ſub
Auguſt. gratia poſitis in hac mortali vita difficile eſt omnimodo implere quod in lege ſcriptum eſt, Non concupiſces: Ille per carnis ſuæ ſacrificiũ ſacerdos effectus, impetrat nobis indulgentiam; Et hinc adimplens legem: vt quod per noſtram infirmitatem minus poſſumus, per illius, perfectionem recuperetur, cuius capitis membra facti ſumus.

SVMMARIVM.

Quòd cerimoniæ in lege poſitæ diſtinguuntur in ſacrificia, ſacramenta, & obſeruantias.

XXI ALia verò præcepta legis Moyſi erãt cerimonialia: quæ cerimoniæ diuiduntur in ſacrificia, ſacramenta, & obſeruantias. Sacrificia autem comprehendunt omnia, quæ Domino in ſacrificium offerebantur, licet aliquando ſacrificium ſolum pro oblatione panis, vel non carnium intelligeretur. Et ſic accipiuntur cerimo
Num.15. niæ pro ſacrificijs, Num. 15. vbi dicitur. Multitudo offerret vitulum de armento holocauſtum in odorem ſuauiſsimum Domino, & ſacrificium eius, ac libamina, vt cerimoniæ poſtulant: hircumque pro peccato. Secunda pars præceptorum ceremonialium erant ſacramenta, quæ includebant ordinationes miniſtrorum templi, & cõſecrationem tabernaculi, & omnia alia ſacramenta populum ſanctificantia. Et de iſto modo cerimoniarũ dicitur Exo. 38. Hęc ſunt inſtrumenta tabernaculi teſtimonij: iuxta præceptum Moyſi in cerimoniis leuitarum. Et Num. 2. Cuncta vaſa tabernaculi, & quicquid ad cerimonias pertinet, ipſi leuitæ portabunt. Tertia pars ceremonialium ſunt obſeruantiæ, quas populus Iſrael debebat in modo viuẽdi obſeruare, ſicut quòd non comederent de omnibus animãtibus, quòd eorum veſtes nõ eſſent de lana, & lino, nec ararẽt in boue, & aſino, & multa talia, quæ dictus populus obſeruabat. De quo modo cerimonialium dicitur 3. Reg. 9. Si auerſione auerſi fueritis, vos, & filii veſtri, nõ ſequentes me, nec ſeruantes mandata, & cerimonias, quas propoſui vobis.
Exo.38. Num.2. 3.Reg.9.

SVMMARIVM.

Quòd illa pars cerimonialium, quæ dicebatur ſacrificia, ceſſare debuit poſt Chriſti paſſionem, quo ad illa ſacrificia, quæ Chriſti paſſionem figurabant: quia impletum fuit, quod ſignificabatur per illa in morte Chriſti.

QVo ſuppoſito eſt intelligendũ, quòd omnia ſacrificia ſunt quædam ſigna, & proteſtationes fidei, & deuotionis, ac ſubiectionis hominis ad Deum: dicente Auguſtino 10. de ciuit. Dei cap. 5. Sacrificiũ viſibile inuiſibilis ſacrificij ſacramentum, id eſt, ſacrum ſignum eſt. Aliqua autem de huiuſmodi ſacrificiis ſignificabant Chriſtum, qui per ſuam mortem debebat pacificare Deo Patri, & pro noſtris peccatis ei offerri; & pro gratiarum actionibus ei reddi; propter quod erat hoſtia, & ſacrificium perfectum, includẽs omnia ſacrificia legis veteris: cum propter ipſum ſignificandũ omnia illa ſacrificia; ſiue pro pace, ſiue pro peccatis, ſiue pro gratiarũ actionibus, ſiue etiam holocauſto, introducta fuerint in lege veteri. Vnde Auguſtinus 4. de Trinitate cap. 12. dicit. Morte
Idem. ſua quippe vno veriſsimo ſacrificio pro nobis oblato, quicquid culparum erat, vnde nos principatus & poteſtates ad luenda ſupplicia iure detinebant, purgauit, aboleuit, extinxit. Et c. 14. Vt quia quatuor conſiderantur in omni ſacrificio, cui offeratur, à quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur, idem ipſe vnus verusq; mediator, per ſacrificium pacis reconcilians nos Deo, vnum cum illo maneret
Idem.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

neret cui offerebat vnus etiam ipſe qui offerebat, & quod offerebat. Vnde, quia omnia illa ſacrificia, ſignificabant Chriſtũ moriturum pro peccatis noſtris, & per mortem ſuam nos reconciliaturum Deo Patri, quando mortuus fuit pro peccatis noſtris, ceſſare debuerunt, dicente Apoſt. ad Hebræ. 10. Ingrediens mundum dicit, Hebr.10. hoſtiam, & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi, holocauſtum, & pro peccato nõ tibi placuit, tunc dixi Ecce venio. Quod deducẽs Apoſt. dicit. Quia hoſtias, & oblationes, & holocauſtomata, & pro peccato noluiſti, nec placita ſunt tibi, quę ſecũdum legem offeruntur, tunc dixi Ecce venio, vt faciam voluntatem tuam. Vbi dicit Gloſ. Aptum & idoneum corpus præ omnibus ſacrificijs mihi dediſti: quia ſine peccato, & paſſibile, & mortale, quod valeat offerri in redemptionem omnium. Gloſ. Ablata ſunt ergo ſigna, quia exhibita eſt veritas; tunc enim tempus fuit, vt illa auferentur quando veritas venit, quia tunc diſplicuerunt, quando veritas venit. A tempore enim paſſionis, in qua eſt conſummatio omnium hoſtiarum, cæperunt illa diſplicere; & quia tunc vidi omnia illa diſplicere tibi, & corpus idoneum ad hoc mihi datum, dixi. Ecce ſine aliqua retardatione venio ad te, me offerendum ipſe offerens; ipſe eſt oblatio huius veteris ſacrificij, multiplicia variaque ſigna erant ſacrificia præſtita, per multa illa ſacrificia hoc vnũ ſignificabatur, quaſi multis verbis vna res diceretur; vt ſine faſtidio multum commendaretur. Huic ſummo, veroq; ſacrificio cuncta ſacrificia illa ceſſerunt, vt in ipſo ſacerdote, ac ſacrificio, fieret omnium remiſſio peccatorum. Caſſiod. Et Caſſiod. dictum locum Pſal. exponens, dicit. Prius Deus talia ſacrificia ſuſcipere dignatus eſt, quoniam per illa ſacrificia præfiguratio quædam corporis Chriſti eſſe videbatur; poſtquam vero ipſe Meſſias, qui eſt Dominus Chriſtus prædictus, aduenit, & ſe pro nobis omnibus hoſtiam pietatis exhibuit, neceſſarium non erat, vt veritate completa, adhuc illa figura præcurſoria permaneret. Iſa.66. Vnde dicitur. Qui immolat bouem, quaſi qui interficiat virum; qui mactat pecus, quaſi qui excerebret canem; Qui offert oblationem, quaſi qui ſanguinem ſuillum offerat: qui recordatur thuris, quaſi qui benedicat idolo. Hieron. Quod exponens Hieron. lib. 18. ſuper Iſa. dicit. Poſt filium meum, qui venit manſuetus, & pauper, ſedens ſuper pullum aſinæ, nolo carnales victimas, deteſtor ſacrificia Iudæorum, vmbras legis reprobo, quia delectabilis mihi eſt hoſtia, veritas Euangelij. Vnde quia Deo poſt mortem Chriſti deteſtabiles erant victimæ, & ſacrificia Iudęorum, & Iudęi adhuc volebant talia Deo offerre; voluit, & ordinauit Deus, quòd Iudæi expellerentur de terra promiſſionis, & templum deſtrueretur; vt poſtea talia ſacrificia, nec ſacramenta Deo offerrent, quæ offerri non debebant ſecundum legem, niſi ſolum in templo Domino, vel in loco, quem Dominus elegiſſet infra terram promiſſionis. Vnde & Glo. ſuper illud infra 24. Non relinquetur hîc lapis ſuper lapidem, qui nõ deſtruatur, dicit. Matt.24. Gloſ. Diuinitus prouiſum eſt, vt creſcente Euangelij gratia, templum illud cum cerimonijs ſuis tolleretur; ne quis infirmus in fide, iſtis ſtantibus, ad Iudaiſmum veniendi occaſionem haberet; & idem Hiero. dicit ſuper Marc. Hieron. Quia ergo huiuſmodi ſacrificia figurabant Chriſtum moriturum pro redemptione humani generis: Iccirco ipſo mortuo ceſſare debuerunt.

SVMMARIVM.

Quòd illa ſacrificia veteris legis, quæ ſignificabant ſacramentum corporis Chriſti eſſe inſtituendum per Chriſtum, in Eccleſia ceſſare debuerunt ſicut completa, inſtituto per Chriſtum ſacramento corporis ſui, & ſanguinis.

XXIII. IPſa etiam ſacrificia ſignificabant corpus Chriſti in ſacramento altaris, quod eſt verum, & perfectum ſacrificium Eccleſiæ, includens in ſe virtute omnia ſacrificia veteris legis. Vnde & Hugo de ſacramentis lib. 2. par. 8. cap. 5. dicit. Hugo. Agnus paſchalis, cuius carnes à populo edebantur, & ſanguine poſtes domorum ſignabãtur, in figura ſacramenti corporis Chriſti præceſſit. Et Gloſ. dicit infra ſuper illud. Cęnantibus autem poſt cęnam corpus ſuum dedit, quia neceſſe erat paſcha typicum prius conſummari; & ſic veri paſchæ ſacramentũ ſubſtitui; quo ſacramento inſtituto, ceſſare debuerunt illa ſacramenta veteris teſtamenti, quæ ipſum figurabant, dicente eodem Hugone in loco prædicto. Hugo. Poſtquam veritas venit, ſignum è medio ſublatum eſt; ex quo iam non erat res, quæ futura ſignaretur, ſed quæ præſens oſtenderetur, manſit tamen figura quamdiu res nondum fuit; & exhibitum prius eſt in ſimilitudine, & poſtmodum implendũ erat veritate. Et Glo. infra ſuper illud. Non bibam amodo dicit. Matt.26. Gloſ. Non vltra ſynagogæ carnalibus oblationibus, vel cerimonijs delectabor; in quibus illa paſchalis immolatio præcipuum locum tenere

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

solebat; sed delectabor in oblatione corporis mei, & sanguinis. Sic ergo quia sacrificia veteris legis significabant sacramentum corporis, & sanguinis Christi: iccirco hoc sacramento instituto, cessare debuerunt. Vnde Augustinus exponens illud
Psal. 39. August. Psalmi, Sacrificium & oblationē noluisti, dicit. Ideo illa noluisti, vt hæc perficeres; perfectio promissorū abstulit verba promittentia; nam si adhuc sunt promittentia, nondum impletum est, quod promissum est: hoc promittebatur quibusdam signis, ablata sunt signa promittentia, quia exhibita est veritas promissa; sacrificia enim illa tanquam verba promissiua ablata sunt. Quid est quod datum est completiuum? Corpus quod nostis, in hoc corpore sumus, huius corporis participes sumus: quod accepimus nouimus, & qui nō nostis noueritis; & cum didiceritis vtinā
1. Cor. 11. non ad iudiciū accipiatis. Qui enim manducat, & bibit indigne, iudicium sibi manducat, & bibit. Sic ergo illa sacrificia sunt ablata, quia iam sacramentum corporis Christi est institutum in Ecclesia, quod illa sacrificia figurabant.

SVMMARIVM.

Quòd illa sacrificia veteris legis, quæ figurabant vitam iustorum, ex fide, & charitate in Ecclesia viuentium, ablata sunt per Christum; quia completa fuerunt illa, quæ figurabant, cum ipse dedit fidelibus fidem, & charitatem, per quæ se Deo offerant in verum, & placabile sacrificium.

XXIIII TErtiò aliqua de illis sacrificiis significabant Christi fideles, qui se debent Deo offerre in odorem suauitatis: iuxta
Rom. 12. illud Apostoli. Obsecro vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequiū vestrum.
Glos. Vbi dicit Glos. Non tantum mentes, sed etiam vestra corpora offeratis hostiam in mortificatione carnalium disideriorum; viuentem per bona opera, sanctam, id est, firmam, Deo placabilem, vt bona intētione faciatis. Verum enim sacrificium est, vt
August. dicit Augustinus 10. de ciuit. Dei, cap. 6. Omne opus, quod agitur, vt inhæreamus Deo, relatum, scilicet, ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus. Vnde & ipse homo Dei nomine consecratus, in quātum mundo moritur, vt viuat Deo, sacrificium verum est. Et infra. Si corpus, quo inferiore tanquam famulo, vel instrumento vtitur anima, cum eius bonus vsus & rectus ad Deum refertur, sacrificiū est; F multo magis anima ipsa fit sacrificium, cum igne diuini amoris accensa formam concupiscentiæ secularis amittit, & Deo se referens, tanquam incommutabili formæ subdita, reformatur. Vnde quòd talis anima fit Dei sacrificium, dicitur in Psal. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, Psal. 50. cor contritum, & humiliatum Deus non despicies. Et Augustinus 10. de ciuitate Dei cap. 4. loquens de huiusmodi sacrificio, dicit. Dei templum sumus omnes, & August. singuli templa; quia & omnium concordiam, & singulos inhabitare dignatur: G non in omnibus, quàm in singulis maior: quoniam nec mole distenditur, nec partitione minuitur. Cum ad illum cor sursum est, eius est altare cor nostrū, ei cruentas victimas cędimus, quādo vsque ad sanguinē pro eius veritate certamus; & suauissimum adolemus incensum, cū in eius conspectu pio, sanctoq; amore flagramus; ei sacrificamus hostiā humilitatis, & laudis in ara cordis igne feruidæ charitatis. Et cap. 5. dicit idem. Quæcunque in mini- Idem. H sterio tabernaculi, siue templi, de sacrificijs leguntur, diuinitus esse præcepta ad dilectionem Dei & proximi significanda referuntur, in quibus lex pendet, & Prophetæ. Proinde verum sacrificium est omne opus, quod agitur, vt sancta societate inhæreamus Deo, relatū, scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus. Vnde, quia populus Iudaicus non intelligebat, quòd præcepta de sacrificiis offerendis Deo essent significatiua iustitiæ vitæ, quam exercere debebāt propter I Deū; sed quòd huiusmodi sacrificiis Deus delectaretur, Deus volens hanc eorū corrigere opinionem, dicebat. Non sum lo- Hieron. cutus cum patribus vestris, & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Aegypti, de verbo holocaustomatum, & victimarum, sed hoc verbum præcepi eis dicens. Audite vocem meam, & ero vobis Deus; & vos eritis mihi populus, & ambulate in omni via, quam mandaui vobis. Vnde adueniente tempore, quo iustitia fidei est reuelata, & iusti viuunt ex fide, K quæ per dilectionem operatur, sacrificia veteris legis, quæ hæc significabant, cessare debuerunt, dicente Dauid. Si voluisses Psal. 50. sacrificium, dedissem vtique, holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despiciet. Quod exponens Augustinus 10. de ciuitate Dei August. cap. 5. dicit. Intueamur quemadmodum vbi Deus dixit nolle sacrificiū, ibi Deus ostendit velle sacrificium: Non vult ergo sacrificium trucidati pecoris, sed vult sa-

crificium

crificium cõtriti cordis. Et vt dicit idem. Ibidem. Quòd ab antiquis patribus talia sacrificia facta sunt in victimis pecorum, quæ nunc populus Dei legit, & non facit; aliud intelligẽdum non est, nisi rebus illis eas res fuisse significatas, quæ aguntur in nobis; ad hoc tantum vt inhæreamus Deo, & ad eundem finem proximo consulamus. Et ideo immutanda erant sacrificia prędicta opportuno, certoq; iam tempore, ne ipsi Deo desiderabilia, vel certè in nobis acceptabilia, ac non potius, quæ his significata sunt, crederentur. Sic ergo quia sacrificia veteris legis, vel figurabant Christi passionem, vel altaris sacramẽtum, vel vitam iustorum ex fide, & dilectione viuentium, cum ista iam per Christum completa sint, cessare debuerũt; & hoc modo, quo ad ista præcepta Christus non venit soluere legem, sed adimplere; quia compleuit opere quod illa sacrificia figuratè dicebant implendum esse per Christum, dicente Augustino 19. libro contra Faustum cap. 13. August. Prima sacramenta, quæ obseruabãtur & celebrabantur ex lege, prænunciatiua erãt Christi venturi: quæ cum suo aduentu Christus impleuisset, ablata sunt, & ideo ablata, quia impleta; [*Non enim venit soluere legem, sed adimplere.*]

SVMMARIVM.

Quòd sacramenta veteris legis, scilicet sacerdotium, templum, altare, & omnia eorum vtensilia post Christi mortem cessare debuerunt, sicut completo illo, quod figurabant; & quia etiam ordinabantur ad sacrificia, quibus cessantibus cessare debuerunt, & etiam quòd vnguentum, quo omnia prædicta sanctificabãtur post Christi mortem cessare debuit secundum dicta prophetarum.

XXV

ABlatis autem sacrificijs, consequens fuit quòd & sacramenta, id est, ordinatio ministrorũ, templum, & eius dedicatio, & omnium vtensilium templi, & ministrorum consecratio tollerẽtur, cum propter sacrificia omnia ista ordinata fuissent; dicente Apostolo de Pontifice. Omnis Pontifex ad offerenda munera, & hostias constituitur. Et filii Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manasse se excusant super altare infinitæ magnitudinis, ædificato per eos iuxta Iordanem, quòd non ipsum fecerũt, vt holocausta, & sacrificium, & pacificas victimas super ipsum offerrẽt; Iosue 22. quasi altare solum propter sacrificia, & holocausta fieri deberet: Cum ergo sacrificia cessare deberent Christo aduenięte, qui erat finis sacerdotum, templi, & vtensilium eorum, oportebat quòd & ista cessarent. Et hoc etiam fieri debebat propter idem. Nam eodem modo omnia ista figuralia erant Christum significãtia, qui erat futurus sacerdos in æternum secundũ ordinem Melchisedech. Templum etiam significabat corpus Dei soluendum in morte, & reædificandum in resurrectione, iuxta illud Ioan. 2. Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud; & etiam fidelium corda, quibus dicit Apostolus. Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? 1. ad Corint. 3. Iccirco completo illo, quod significabãt, templum, & sacerdotium cessare debuerunt. Vnde quòd & Aaron sacerdos cessare deberet, dicitur 1. Reg. 2. ad Heli. Loquens locutus sum, vt domus tua, & domus Patris tui ministraret in conspectu meo in sempiternum. Nunc autem dicit Dominus. Absit hoc à me. Et quòd per domum Patris Heli intelligatur domus Aaron, patet per illud, quod præmittitur. Nunquid nõ apertè reuelatus sum domui patris tui cum esset in Aegypto in domo Pharaonis, & elegi eum ex omnibus tribubus Israel mihi in sacerdotem, vt ascenderet altare meum, & adoleret mihi incensum, & portaret Ephod coram me, & dedi domui patris tui omnia de sacrificiis filiorum Israel? Quæ omnia non possunt intelligi nisi de Aaron. Si ergo de domo Aaron tollendum erat sacerdotium, cum nullus de filiis Israel secundum legem deberet succedere in sacerdotiũ ipsi Aaron, manifestum est quòd populus Israel debebat sacerdotio carere. Vnde Augustinus 17. de ciuitate Dei cap. 5. dicit. August. Ista prophetia, vbi sacerdotii veteris tanta manifestatione prænunciata, mutatio est; in Samuele fuisse completã; Nam fuerunt postea sacerdotes ex genere Aaron, sicut Sadoch, & Abiathar regnãte Dauid, & alii deinceps, antequàm tẽpus veniret, quo ista, quæ de sacerdotio mutando tam ante prædicta sunt, effici per Christũ oportebat. Quis enim nũc fideli oculo hæc intuens non videat esse completa? Quandoquidem nullum tabernaculum, nullũ templum, nullum altare, nullum sacrificium? Et ideo nullus sacerdos remansit Iudæis: quibus vt de semine Aaron ordinaretur, in Deo fuerat lege mandatũ, & quòd non in templo Hierosolymorum, sed vbique Deo sacrificari deberet, vt dicitur Malach. 1. Ab ortu solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, & Ioan. 4. Venit hora quando neque in monte hoc, neque

Hebr. 8.

Ioan. 2.

1. Cor. 3.

1. Reg. 2.

Ibidem.

Malac. 1.

Ioan. 4.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

in Hierosolymis adorabitis patrem, sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt patrem in spiritu, & veritate. Nec mirum si sacerdotium, templum, & omnia sacramenta veteris legis transierunt post mortẽ Christi; quia completa fuerunt cum sacrum vnguentũ, quo omnia sacramenta proficiebantur, cessauerit. De quo vnguento dicitur Exo. 30, Exo. 30. Sume tibi aromata, primæ mirrhæ & electæ quingentos siclos, & cinnamomi medium, id est, ducẽtos quinquaginta siclos, calami similiter ducentos quinquaginta, G cassiæ quoque quingentos siclos in pendere sanctuarii, oleum de oliuetis mensuram hin; faciesq; vnctionis oleũ sanctum, vnguentum compositum opere vnguentarii, & vnges ex eo tabernaculum testimonii, & archam testamenti; mensamq; cum vasis suis, candelabrum, & vtensilia eius, altaria thymiamatis, & holocausti, & vniuersam supellectilem, quæ ad cultum eorum pertinent. Sanctificabisq; omnia & erunt sancta sanctorum; qui tetigerit ea sanctificabitur. Aaron & filios eius vnges, sanctificabisq; eos vt sacerdotio fungantur mihi. Et quòd tale vnguentum cessare deberet, dicitur Dan. 9. iuxta aliam translationem. Cum venerit sanctus sanctorum cessabit vnctio; qua cessante, necesse est quòd & omnia illa, quæ cum huiusmodi vnctione sanctificabantur, cessarent; remota enim causa, necesse est vt & effectus tollatur. Vnde & Oseæ 3. dicitur, Dan 9. Sedebunt filii Israel per dies multos sine Rege, & sine Principe, & sine sacrificio, & Oseæ 3. sine altari, & sine Ephod, & sine Seraphim: I Et post hæc reuertẽtur filii Israel, & quærent Dominum Deum suũ, & Dauid Regem suum, & pauebunt ad Dominum & ad bonum eius in nouissimo dierum. Vnde & Hieron. Hieron. Matt. 26. super illud infra 26. Princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicit, Per hoc quòd scindit vestimenta sua, ostendit Iudæos sacerdotalem gloriã perdidisse, & vacuam sedem habere Pontificis; & in Christi morte velum templi scissum est à summo vsque deorsum, ut ostenderetur quòd templum Iudaicum, & omnia sacramenta eius, rumpi debebant post Christi mortem. K

SVMMARIVM.

Quòd cerimonialia quo ad obseruantias iudaicas quo ad aliqua per Christum sunt sublata, quia completa fuerunt; quo ad aliqua verò manent quo ad ipsos Iudæos, quia nondum impleta sunt illa, quæ per talia significabantur.

TErtia pars etiam præceptorum cerimonialiũ, quæ uocabantur obseruantiæ, partim remansit, partim soluta est per Christum. Nam decem obseruantiæ cum significarent qualem uitam deberent ducere fideles, expositis & declaratis præceptis uiuendi per Christum, illa quo ad fideles cessare debuerunt; Vnde & Christus infra 8. tetigit leprosum & sanauit eum, & apprehensa manu puellæ mortuæ, suscitauit eam, infra 9. Et non illud quod intrat in os, sed illud quod de ore exit, quia procedit de corde, dicit hominem inquinare, infra 15. Et uirginitatem præfert matrimonio, & paupertatem diuitijs, infra 19. Et Iudæos reprehendit de philacteriis, & de diuersis ablutionibus exterioribus, infra 23. Quia in talibus obseruantiis iustitiam suam totam ponebant, quæ tamen figurabant qualem uitam fideles obseruare debebant. Vnde Augustinus 16. libro contra Faustum cap. 28. dicit, Quicquid dicis de Sabbato, & de circuncisione carnis, & de differentia ciborum, aliam fuisse traditionẽ Moysi, aliud per Christum didicisse christianos, iam supra ostendimus. H Quia sicut dicit Apostolus, Hæc omnia figuræ nostræ fuerunt: Non ergo diuersa doctrina est, sed diuersum tempus. Aliud enim erat tempus, quo hęc oportebat per figuratas prophetias pronũciari; & aliud, quo hæc iam oportet per manifestam ueritatem redditamq;, adimpleri. Et de hac materia satis diffusè tractat August. per totum 6. lib. contra Faustũ, vbi (si opus sit) videatur. Veruntamen quia tales obseruantiæ non præcisè significabant Christi mortem, & resurrectionem, quæ iam transacta sunt, sed vitam quam debeant obseruare fideles: iccirco huiusmodi obseruantijs adhuc permittuntur vti Iudæi; cum tamen nullo modo permittendi sint, etiã si vellent vti sacrificijs, vel sacramentis, quia talia hodie pro idolatria reputãtur. Vnde sicut idolatria nõ debet permitti, ita etiã nec sacrificia, nec sacramenta Iudæorum. Vnde August. super illud Psal. Deus dixit mihi super inimicos meos, dicit in originali. Istos inimicos meos ipsos Iudęos, qui me occiderũt, noli tu occidere, remaneat gens Iudæorum. Certe victa est à Romanis, certe deleta est ciuitas eorum; nõ admittuntur ad ciuitatem suam Iudæi, & tamen Iudæi sunt; nam omnes istæ prouinciæ à Romanis subiectæ sunt; Quicquid erant antequam Romano Imperio subiecti essent, postquam subiecti sunt, Romani facti sunt; Iudæi tamen manent cũ signo, nec sic victi sunt, vt à victoribus absorberentur. Non sine causa ille populus Caim

XXVI

Matt. 8.

Idem 9.

Idem 9.

Idem 15.

Idem 19.

August.

1. Cor.

August. Psal. 58.

est,

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Genes. 4. est, qui cũ fratrem occidisset, posuit Deus in eo signum, ne quis eum occideret. Hoc est signum quod habent Iudæi; tenent omnino reliquias legis, circunciduntur, sabbatum obseruant, pascha immolant, azima comedunt; Sunt ergo Iudæi, non sunt occisi. Sic ergo Dominus istas obseruantias legis non soluit, sed impleuit, quando fidelibus suis ostendit qualem vitam obseruare debebant: quam illæ cerimoniæ & obseruantiæ figurabant, & faciendo quòd Iudæi per totum mundum dispersi, Iudæi manerent, & prædictas obseruantias custodirent,

SVMMARIVM.

Quare post Christi mortem præcepta iudicialia veteris legis sunt mutata, factis Iudæis de populo Dei, non populus Dei; & adueniente noua lege, quæ non terrore pœnarum corporalium, sed amore iustitiæ diuina præcepta moralia implet.

XXVII PRæcepta autem iudicialia Christus nõ venit soluere, sed adimplere. Circa quod attendendum, quòd præcepta iudicialia quattuor partes habent; scilicet qualiter principes deberent instituí; & instituti, qualiter se debeãt habere ad populum. Secundò, quomodo populus se ad inuicem habere debebat in prestandis beneficijs, vel etiam in puniendis delictis. Tertiò, qualiter se debebãt habere ad extraneos, siue essent hostes, siue non. Quartò, qualiter illi de vna domo se ad inuicẽ habere debebant, vt pater ad filium, maritus ad vxorem, dominus ad seruum: & quia sacramentis & sacrificijs mutatis, oportuit quòd status illius populi mutaretur; (translato enim sacerdotio necesse est Hebr. 7. vt & legis translatio fiat ad Hebr. 7.) ideo omnia illa moriente Christo cessauerunt, iuxta illud quod ponitur in oratione Hieremiæ. Hier. 5. Cecidit corona capitis nostri; Væ nobis quia peccauimus. Christo enim aduenient, iam cessauerat regnum Iudaicũ, regnante Herode in Iudea. Populus etiam sub potestate Romana erat, cui & tributa soluebat, nec poterat quemquam iudicare secũdum legem. Vnde & dicunt Pilato, Ioan. 18. Nobis non licet interficere quemquam. Et sic statu populi mutato, oportuit quòd & leges iudiciales mutarentur, quæ populi statum ordinabant. Vnde & Moyses videns statum populi mutandum tempore Deut. 32. futuro dicebat. Ego prouocabo eos in eo, qui non est populus, & in gente stulta irritabo illos. Quod accipiens Apostolus ad Rom. 10. Rom. 10. dicit. Ego ad æmulationem vos

A ducam in non gentem, in gentem insipientem in iram vos mittam. Et Oseæ 1. dicitur ad populum Israel. Voca nomen eius Non populus meus, quia vos non populus meus, & ego nõ ero vester Deus. Vnde cũ huiusmodi mutatio filiorũ Israel, qua de populo Dei facti sunt non populus Dei, completa fuerit in passione Christi, iuxta illud Dan. 9. Occidetur Christus & non erit eius populus, qui eum negaturus est; oportuit quòd & iudicialia omnia cessarent. Vnde etiam in Christi passione dixerunt, Quòd non habebant regem nisi Cæsarem. Et maximè talia iudicialia, quo ad pœnas, & quędam alia cessare debuerunt, quia erãt imposita populo duræ ceruicis; qui non amori, sed timori cedebant; nec amore iustitiæ, sed timore pœnæ iustè viuebant, quantum ad apparentiam exteriorem, cum tamen intus pleni malitia essent. Vnde & talia præcepta in se considerata, dicta sunt præcepta non bona, cum tamen respectu populi bona essent, iuxta illud Ezech. 20. Ergo & ego dedi eis præcepta Ezech. 20. C non bona, & iudicia in quibus non viuẽt. Vbi dicit Hieron. 6. lib. super Ezech. Ante offensam decalogum tantum acceperunt, pro idolatriæ verò blasphemia multiplices legis cerimonias acceperunt, quod nõ erat per se bonum, sed erat bonum, quia auctorem boni offenderant. Quia ergo huiusmodi præcepta iudicialia erant ordinatiua status populi, dum Dei populus manebat, & data erant ad eorum durissimam ceruicositatem comprimendam; ideo mutato statu populi, quia de populo Dei facti sunt non populus Dei, per hoc quòd Christum occiderunt; & etiam quia populus Dei subsequens non ex timore, sed ex amore Dei præcepta complere debebat: iccirco præcepta iudicialia Christo moriente cessare debuerunt, statu populi mutato, & alterius conditionis existente populo subsequente. Et sic Christus tollẽs iudicialia, populo mutato, non soluit ipsa, sed impleuit, cum ipsa fecerit durare quamdiu status populi durauit; & induxit legem pro populo subsequente, vt non E peteret vindictam, sed vt dimitterent fratri propter Deum offensam, secundum quod magis videbitur infra. Et mulierem deprehensam in adulterio non lapidauit, sed peccatis dimissis eam ad propria remisit. Ioan. 8. & de crucifigentibus se non petijt fieri vindictam, sed eis postulauit veniam dicens, Pater dimitte illis. Luc. 23. Sic ergo diuersimode Christus non soluit legem, sed adimpleuit, accipiendo legem pro parte illa, quæ continet præcepta moralia, cerimonialia, & iudicialia; qui ali-

Ioan. 8. Luc. 23.

ter

ter impleuit, & impleri iussit præcepta moralia, aliter impleuit præcepta cerimonialia, & iudicialia: implet enim præceptum qui operatur secũdum præceptum, & implet figuram qui exhibet veritatẽ, & implet promissum, qui soluit illud, quod ante promiserat; & implet iudicium, qui considerata populi qualitate, & delicto, reddit eis quod merentur.

SVMMARIVM.

Quòd præmia & pœnæ positę in veteri testamento continentur excessiuè, & superabundanter in pręmijs, & pœnis positis in nouo testamento, & ideo per nouum testamentum pœnę & prędmia veteris testamenti implentur; & quòd nisi prędmia, & pœnę veteris testamenti intelligantur significare prędmia, & pœnas noui testamenti, non implebantur tunc, sed pro magna parte euacuabantur, quę tamen semper implentur in nouo testamento.

XXVIII TErtiò lex continebat præmia, bonis quidem operibus bona prędmia, malis autem mala; ad obseruationes enim præceptorum per præmia, & pœnas homines inducuntur; & ideo omnis lex promittit præmia obseruantibus eam, & comminatur pœnas transgredientibus ipsam. Sed inter legem ueterem, & nouam hæc differentia est, quia vetus lex promittit temporalia præmia obseruantibus ipsam, & pœnas temporales comminatur contemnentibus, vel transgredientibus ipsam, vt patet Deuter. 27. & 28. & Isa. 1. dicitur. Si volueritis, & audieritis mẽ, bona terræ comedetis, quòd si nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos. Sed nouum testamentum suis obseruatoribus promittit regnum cœlorum, & contemptoribus suis damnationem æternam: vnde Apostolus 2. ad Thessa. 1. dicit. Digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini; sed ij, qui non nouerunt Deum, & qui non obedierunt Euangelio Domini nostri Iesu Christi, pœnas dabunt in interitum æternas. Et Augustinus 4. lib. contra Faustum cap. 1. dicit. Temporalium rerum promissiones testamẽto veteri contineri, & ideo vetus testamentum appellari, nemo nostrum ambigit; & quòd æternæ vitæ promissio, regnumq; cœlorum ad nouum pertinet testamentum; bona autem temporalia comparata ad beatitudinem futuram, comparantur ad ipsam, sicut pars ad totũ; dicente Boethio 3. lib. de consolatione prosa 2. Beatitudo est bonum, quo quis adepto, nihil vlterius desiderare queat, quod quidem est summum omnium bonorum, cunctaq; intra se bona continens, cui si quid deforet, summum esse non posset, quoniam relinqueretur extrinsecus quod posset optari: liquet igitur beatitudinẽ esse statum omnium bonorum cõgregatione perfectum. Cum ergo beatitudo æterna, quæ promittitur in nouo testamento contineat in se omne bonum virtualiter, quod quis desiderare iustè potest, manifestum est quòd prędmiũ promittitur in veteri testamento propter quod quo ad præmia, non soluitur vetus testamentum per Christum, sed impletur. Pœna etiam infernalis æterna continet virtute, & superexcedit omnem pœnam vitæ præsentis, dicente Boethio 4. lib. de consolatione prosa 4. Si nequitia miseros facit, miserior sit necesse est diuturnior nequam, quos infelicissimos eos esse iudicarem, si non eorum malitiam, saltẽ mors extrema finiret; etenim si de prauitatis infortunio vera concluſimus, infinitam liquet esse miseriam, quam esse constat æternam. Includit omne bonum, ita & infelicitas æterna includit omne malũ pęnale; vnde pœnæ temporales sunt quasi pars pœnæ inferni, propter quod & nouum testamentum, quod comminatur infernum, continet, & superexcedit omnes pęnas, quas comminatur vetus testamentum, propter quod quo ad præmia & pęnas nouum testamẽtum non soluit vetus, sed implet. Secundò hoc idem facit, quia præmia & pœnæ veteris testamenti si attendantur propriè, & non exponantur figuratè, non complebantur semper; vel vt in plurib⁹, immo vt frequentius malis habebant bona temporalia, & boni patiebantur pęnas temporales: vnde & in Psal. conquerendo dicit iustus. Ecce ipsi peccatores & abundantes in seculo obtinuerunt diuitias, & dixi. Sine causa iustificaui cor meum. Et malignantes Iudæi dixerunt Hiere. 44. Cum sacrificabamus reginæ cęli, & libauimus ei libamina, saturati sumus panibus, & bene nobis erat, malumq; non vidimus: ex eo autem tempore, quo cessauimus sacrificare reginæ cęli, & libare ei libamina, indigemus omnibus, & gladio, & famè consumpti sumus. Et sic si ad litteram præmia & pęnæ veteris testamenti intelligerentur, non essent impleta præmia & pęnæ, sed euacuatę pro magna parte, cum bonis mala temporalia euenirent, & mali bona temporalia haberent. Vnde Augustinus in titulo Psal. Quàm bonus Deus Israel, dicit. Tempore veteris testamenti, promissiones à Deo nostro factæ illi populo carnali, terrenæ erant, & tęporales, quod attendens synagoga carnalis, & vi-

Deut. 27. & 28. Isa. 1.

2. Thess. 1.

Augustin.

Boet.

Idem.

Psal. 72.

Hiere. 44.

Augustinus Psal. 134.

dens

dens quosdam peccatores impios blasphemos, seruos dæmonum, filios diaboli, viuentes in magna nequitia, & superbia, abundare rebus talibus terrenis, temporalibus rebus, ipsaq; Deo seruiebat, dixit. Nos seruimus Deo, & corrigimur, & flagellamur, subducuntur nobis ea, quæ diligimus, & quæ à Deo pro magno acceperamus: Illi autem scelerati homines nequissimi, superbi, blasphemi, inquieti, abundãt his omnibus rebus, propter quas Deo seruimus; propter quod puto quòd sine causa Deo seruitur. Vnde & nata fuit illa blasphemia quæ ponitur Malach. 2. Omnis qui facit malum bonus est in conspectu Domini, & tales ei placent, & cap. 3. Dixistis, Vanus est qui seruit Domino; & quod emolumẽtum quia custodiuimus præcepta eius, & quia ambulauimus tristes coram Domino exercituum? Ergo nunc beatos dicimus arrogãtes, siquidem ædificati sunt facientes impietatem, & tentauerunt Deum, & salui facti sunt. Cum ergo præmia & pœnæ litteraliter intellectæ non complerentur in obseruatoribus, vel contemptoribus præceptorum veteris testamenti, manifestum est quòd lex tunc non implebatur litteraliter intellectu quo ad præmia, & pœnas, sed illa præmia figuratè significabãt præmia, & pœnas promissas in nouo testamento: Sed Christi promissa omnino implentur, nullus enim malus habebit regnum cælorum, nec obseruans Christi legem, carebit regno cœlorum, dicente Augu. 1. de Ciui. Dei, cap. 8. Placuit diuinæ prouidentiæ præparare in posterum bona iustis, quibus non fruentur iniusti, & mala impijs, quibus non excruciabuntur boni; ista vero temporalia bona, & mala vtrisque voluit esse communia; vt nec bona cupidius appetantur, quæ mali quoq; habere cernuntur; nec mala turpiter euitentur, quibus & boni plerumque afficiuntur. Et in supradicto titulo Psal. dicit idem. Aliquid seruat Deus bonis præ omnibus præstantius. Quid illis seruat? se ipsum. Vnde quo ad hæc lex noua plenè est litteraliter intellecta; quod tamen non erat lex vetus, nisi per præmia temporalia, quæ promittebat carnalibus, intelligerentur præmia æterna, quæ promissa sunt per Dominum Christum; & tunc illa promissa figurarent illa, quæ Dominus apertè promittit; quibus aduenientibus, & à Domino promissis, cessare debuerunt promissiones figurales. Vnde Augustus. super dictum titulum Psal. dicit. Quicquid passus est ille populus, & quicquid Deus largitus est, significationes sunt rerum, quas in hac solitudine huius vitæ ambulantes, in Christo quærentes patriam, & accepimus ad consolationem, & patimur ad probationem. Non ergo mirum, quòd illud defecerit, quod figurabat futurum. Et idem August. lib. 15. contra Faustum cap. 1. dicit. Vetus testamentum rectè intelligẽtibus prophetia est noui testamenti. Itaque & in illo primo populo sancti Patriarchæ, & Prophetæ qui intelligebant quod agebant, vel quod per eos agebatur; in nouo testamento iam habebant spem salutis æternæ: Ad vetus autem pertinebant illi, qui non illic amplius, quàm promissa temporalia cogitata concupiscebant; in quibus æterna figurata, & prophetata non intelligebant. Et lib. 4. contra Faustum dicit idem. Vetus testamentum non ad consequendas illas promissiones, sed ad intelligendas in eis noui testamenti prænunciationes accipimus; quia temporales promissiones figuræ fuerunt futurorum. Sic ergo quia pœnæ & præmia Euangelica includunt, & superexcedunt præmia, & pœnas veteris testamenti; ipsa etiam ad litteram solis iustis, & impijs, secundum eorum diuersitatem redduntur, vt eis sunt promissa; quod non fiebat in veteri testamento, nisi figuratè prædicta intelligantur, & figuratè significent præmia, & penas noui testamenti, manifestum est quòd Christus ponens præmia æterna, & pœnas æternas, non soluit legem, sed adimpleuit.

Malach. 2.
Idem 3.
Augus.
Idem.
Idem.
A
B
C
D
E
Idem.
Idem.
Idem.

SVMMARIVM.

Quòd in nouo testamento doctrinalia, quæ in lege posita erant obscurè, & imperfectè, sunt clarè, & perfectè posita, & sic quo ad hæc Christus non venit soluere legem, sed adimplere.

XXIX

QVartò, lex continebat doctrinalia; sed illa pro maiori parte multum obscurè & secretè tradebat, ita quòd vix à paucis intelligebantur, propter hoc quòd multis figuris, & enigmatibus velabantur, iuxta illud Apost. ad Heb. 1. Multifariè multisque modis locutus est Deus patribus in Prophetis. Et super illud ad Heb. 12. Nõ accessistis ad caliginem, & procellam, dicit Gloss. Caligo est tenebrositas ignis, & fumi, qua significatur quòd obscura erat lex, caligo enim obscuritatem legis significat; modo vero clara intelligentia est. Et super illud Psal. Tenebrosa aqua in nubibus aeris, dicit Cassiod. Aquam dicit eloquium Domini, quod tenebrosum est in nubibus aeris, id est, in Prophetis, prædicatoribus verbi, in quibus propositionibus obscuratur, & parabolis tegitur:

Heb. 2.
Idem 12. Gloss.
Psal. 17. Cassiod.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Velamen enim positum est super lectionē veteris testamenti, & manet non reuelatum, quod tamen in Christo euacuatur,
2.Cor.3. Glos. vt dicit Apost. 2. ad Cor. 3. Vbi dicit Glos. Non celamus sensum nostrum sicut Moyses, qui ponebat velamen per figuras legis super faciem suam, id est, super clarum, & spiritualem intellectum; Sed nos apertè dicimus, vt videatur diuini luminis splendor. Sed in nouo testamento & copiosior, & clarior est doctrina; quia Dominus apparens discipulis post resurrectionem aperuit illis sensum vt intelligerent scripturas. Luc. vlt. & etiam aliquantulum supra dicitur, quòd incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant. Nec solum in nouo testamento legis obscuritas est remota per claram Christi, & eius Discipulorū expositionem; sed etiam per multorum diuinorum secretorum reuelationem, quæ ante vix à paucis intelligebantur. Vnde & Apost. ad Ephes. 3. dicit,
Luc. vlt.
Ephe. 3. Quòd alijs generationibus non est agnitum, filijs hominum, sicuti nūc reuelatum est sanctis Apostolis eius, & Prophetis in spiritu. Vnde & Isa. 11. natiuitate Christi prophetata, dicitur. Repleta est terra sciētia Domini, sicut aquæ maris operientes
Isa. 11. Hieron. eos. Vbi dicit Hierony. 4. lib. super Isa. In hoc versiculo Euangelicæ prædicationis sacramentum monstratur, quia repleta est terra scientia Domini. Quomodo aquæ maris operiunt profunda maris; hoc est terram, quæ operta est fluctibus, sic scientia Domini omnis terra cōplebitur. Quod quidē fuit impletum, quando spiritu sancto veniente super Discipulos, omni scientia sunt repleti, iuxta Domini promissum.
Ioan. 16. Ioan. 16. Cum venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Quod
Didymus. exponens Didymus in lib. de Spiritu sancto circa medium, dicit. Adhuc typo legis, & vmbrę, & imaginibus Discipuli seruientes non poterant veritatem, cuius vmbram lex portabat, inspicere; vnde neque spiritualia sustinere; Cum autem aduenerit ille, hoc est paràclytus spiritus veritatis, diriget vos in omnem veritatem sua doctrina, & institutione vos transferet à morte literæ ad spiritum viuificantem; in quo solo omnis scripturæ veritas posita est. Ipse ergo spiritus veritatis ingrediens puram, & simplicem mentem, signabit in vobis scientiam veritatis; & semper noua veteribus adiungens, diriget vos in omnē veritatem: quā perfectionem tribuit Deus mittens spiritum veritatis, qui credentes in totam dirigeret veritatem. Quia ergo nouum testamētum per Christum datum clarè exponit quod in veteri testamento obscurè dicebatur, multa etiam in eo reuelata sunt, quæ in veteri testamento non dicebantur; iccirco nouum testamentum est clarioris, & plenioris doctrinæ, quàm fuerit vetus; propter quod Christus dator noui testamenti non venit quo ad doctrinam legem soluere, sed adimplere. Vnde, & Dan. 9. dicitur. Adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & vngatur sanctus sanctorum. Vnde cum lex Moysi non contineret nisi promissa præcepta, præmia, & pœnas, & doctrinalia, & hæc omnia Christus non soluerit, sed impleuerit, vt patet ex prædictis; manifestum est, quòd Christus [*Non veni legem soluere, sed adimplere*:] non veniens vt legi contrarius, sed vt consonus; & vt id, quod legi deerat, adimpleret. Vnde, & quando sub lege eramus, quasi paruuli sub elementis mundi eramus seruientes; vt
Dan. 9. Galat. 4. dicit Apost. ad Galat. 4. Quia nondum aduenerat tempus plenitudinis, sed quando venit plenitudo temporis misit Deus filium suum factum ex muliere factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret.
Glos. Vbi dicit Glos. Quòd Christus circunciſus est, & hostia legalis pro illo oblata est; & alia legis opera sustinuit, vt liberaret eos, qui seruiliter sub lege tenebantur pressi, & rei, à diabolo, à perditione, à peccatis. Qui enim adimplet aliquid, nō quod erat tollit, nec contrarium apponit, sed consimile, vt quod deficit suppleatur, & non quod est bonum, & sanum, auferatur, dicente
Augu. Augustin. 3. lib. de baptis. contra Donatistas, cap. 14. Illud corrigendum est, quod prauum esse perspexerit ille qui corrigit, illud sanandum est quod ægrotat, illud dandum est quod non habetur, sed illud quod habetur auferri non debet.

SVMMARIVM.

Destruitur error Nazaręorum, qui dicebant quòd cerimonialia legis Moysi erant seruanda à Christianis, cum additione præceptorum nouę legis; quia Christus dixit, Non veni soluere legem, sed adimplere; quod illi intelligebant, quòd vltra præcepta cerimonialia legis teneretur Christiani illa, quę Dominus dixit, implere; qui sensus falsus est quo ad cerimonialia, quę implentur cum fit illud, quod figurabatur per ipsa.

XII. SEd contra hanc partem duplex error insurgit; primus quidem Nazaræorum: qui propter hoc, quòd Christus hîc dicit. [*Non veni soluere legem, sed adimplere*] dixerunt, quòd oportebat fideles omnia

man-

mandata veteris legis obseruare simul cũ Euangelio; qui error incepit in Ecclesia primitiua, vt patet Actu. 15. vbi dicitur. Actu. 15. Descendentes de Iudea quidam, docebãt fratres, quia nisi circuncidamini secũdum morem Moysi, non potestis saluari: & infra. Surrexerunt quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderant, dicentes, quòd oportet circuncidi eos, præcipere quoque seruare legem Moysi. Qui error fuit condemnatus per Apostolos. Et Apostolus ad Gal. 5. dicit. Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circuncidamini, Christus vobis nihil proderit. Et infra. Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini; à gratia excidistis. Vbi dicit Glos. Circuncisio iam solum non prodest, sed etiam obest; antequã noua inciperet prædicatio, oportuit circuncidi, nunc autẽ lege fidei succedente, nihil proderit fideli addita circuncisio, sed oberit; Maius enim malum est ex libero fieri seruum, quàm nasci. Et Hieron. in quadam epistola ad August. dicit. Qui sacrificia offerunt, & alia, quæ faciunt, spectant ad ritum Iudæorum, sin Cherinti & Ebionis hæresim dilabuntur: qui credentes in Christũ, propter hoc solum à patribus anathematizati sunt, quòd legis cerimonias Christi Euangelio miscuerunt, & sic noua confessi sunt, vt vetera non amitterent. Vsque hodie per totas Orientis Sinagogas inter Iudæos hæresis est, quæ dicitur Mineorum, & à Phariſæis nunc vsque damnatur, quos vulgo Nazareos nuncupãt, qui credunt in Christum filium Dei, natum de Maria virgine, & eum dicunt esse, qui sub Pontio Pilato passus est, & resurrexit, in quem & nos credimus. Sed dum volunt Iudei, & Christiani esse, nec Iudæi sunt, nec Christiani. Vnde, & cum hæresis sit post Euangeliũ Christi diuulgatum, circumcidi christianum, vel alia legalia obseruare, oportet quòd verbum Domini hîc positum, habeat intellectum, quod superius habere dicebatur; quòd scilicet Chtisti præcepta cerimonialia, & iudicialia, inter quæ circuncisio, sabbatorum obseruatio, sacramenta, & sacrificia, continẽtur: quia figuralia erant, completo illo per Christum, quæ illa significabant, cessarunt; & hoc modo adimpletur, cum illud, quòd futurum erat ante, nũc perficiatur, iuxta illud Nu. 32. Quod polliciti estis, implete. Et Iosue 23. Impleuit opere quod promisit. Et hoc modo soluitur hæc obiectio, quæ ponitur à Fausto in decimanona responsione. Num. 32. Iosue 23.

SVMMARIVM.

Ponuntur obiectiones Fausti, & Manichæi contra hoc dictum Domini. Non veni soluere legem, sed adimplere.

A

EContra autem, quia Christiani Catholici circuncisionem non accipiunt, nec alia legalia legis veteris obseruant, insurrexit error Manichæorum, qui vetus testamentum non accipiunt, nec Prophetas Iudeorum, dicentes, quòd vetus testamentum nõ à Deo bono, sed à Deo malo aliàs per eos vocato Hylen, vel dæmon, fuit traditum Moysi inimico boni Dei; Et quia B hoc capitulum Euangelij est contra eorũ errorem, quia Christus dixit. [*Non veni soluere legem &c.*] qui tamen in hoc apparuit filius Dei vt dissoluat opera diaboli 1. Ioan. 3. Dixerunt, quòd hoc capitulum 1. Ioan. 3. erat per falsarios, & seminatores zizaniæ in Euangelio positum; & non credebant huic capitulo, dicentes quòd hoc Christus nunquam dixerat. Vnde Faustus decima octaua responsione dicit de hoc capitulo, Iesum mentitum esse nullus dicat dumtaxat christianus, ac per hoc, aut aliter dictum est. [*Non veni soluere legem &c.*] aut C omnino non dictum: & tamen me iam aduersus capituli huius necessitudinẽ Manichæa fides reddidit tutum, quæ à principio mihi non cunctis, quæ ex Saluatoris nomine scripta leguntur, passim credere persuasit; sed probare si sunt eadem vera, si sana, si incorrupta: esse enim multa zizania, quæ in contagium boni seminis scripturis penè omnibus noctiuagus quidam seminator insparserit: iccirco me nec hic quidem terruerit sermo, quamuis reuerendi nominis præferat inscriptionem. D Quòd autem hoc capitulum non sit Christi verbum, vel si sit Christi verbum, non intelligatur de lege Moysi, sed de lege naturali, nec de Prophetis hebreorum, sed de Prophetis Gentiliũ, probat primò sic. Hoc capitulum solum ponitur in Euangelio Matthæi; quando autem hæc verba Christus dixit, Matthæus adhuc vocatus non erat à Christo, quia solum supra quatuor vocati dicuntur, Petrus, Andreas, Iacobus, & Ioannes. Et infra 9. ponitur E vocatio Matthæi. Cum ergo nullus Apostolorum, qui præsentes fuerunt, in sermone isto Domini, hoc capitulum ponat, cum tamen Ioannes Euangelium scripserit, & Matthæus, qui præsens nõ fuit, hoc capitulum ponat, videtur quòd hoc capitulum Christus non dixerit; quia testis idoneus tacet, loquitur autem de hoc minus idoneus. Secundò ostendit quòd nec Matthæus hoc Euangelium scripserit, sed quidam alius sub nomine eius; quia infra in vocatione Matthæi non dicitur. Vidit

XXXI

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

me, vocauit me, sequutus sum eũ, quæ diceret, si de se loqueretur, sed vidit hominem, & vocauit eum, & sequutus est eum, tanquam Euangelij scriptor non de se, sed de quodam alio loqueretur: Tertiò, quia cum in lege sit præcepta circuncisio, sabbatum, sacrificia, & ciborum discretio, quæ omnia per Christum sunt ammota, manifestum est, quòd Christus non venit ad legem implendam, sed ad legem destruendam. Quartò, quia in lege præceptũ erat, quòd nihil adderetur, nihil diminuetur, sed solum fierent illa, quæ in lege scripta fuerant. Cum ergo hîc Christus multa addiderit, & subtraxerit de lege, (vt patet infra eodem) manifestum est, quòd Christus contra legem fecit addendo ei aliquid, vel diminuendo. Quintò, quia cum Christiani viuant secũdum Euangelium, & tamen legalia non obseruent; immo detestentur legalia obseruare, manifestum est quòd Christus non venit illa adimplere, sed destruere. Ex quibus deducit, quòd vel Christus mẽtitus est si hoc dicit, cum contrarium facto fecerit, quod inconueniens reputatur; vel quòd hoc capitulum falsò insertum sit in Euangelio; vel quòd hoc non intelligatur de lege Moysi, vel Prophetis Iudaicis, sed de alia lege, & Prophetis. Quod ipse ex hoc ostendit, quia certum est, quòd post Christum legalia veteris legis non obseruantur à Christianis, & ita cessant; ergo si hoc verbum [*Non veni, &c.*] Christus dixit, qui non fuit mentitus; oportet quòd de alia lege, & Prophetis loquatur, quàm de legè Moysi, & Prophetis Iudæorum. Vnde distinguit legem, dicens, quòd tria sunt genera legum, scilicet lex vetus Hebræorum, quam Paulus vocat legem peccati, & mortis: lex naturalis de qua dicit idem ad Rom. 2. Gentes legem non habentes naturaliter ea quæ legis sunt faciunt; & lex Christi, scilicet Euangelium, de qua dicit idem Paulus ad Rom. 8. Lex spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati, & mortis. Certum est autem quòd illa, quæ sunt propria legi Iudeorũ, sicut & circũcisio, & quies sabbatorum, Christus cessare fecit; & etiam quando venit ad mandata Iudæorum, non ipsa confirmauit, sed contrarium in legis latione induxit: Vnde & infra dicitur, Audistis quia dictũ est antiquis. Qui dimiserit vxorem suam, det ei libellum repudij; ego autem dico vobis, quòd quicunque dimiserit vxorem suam (excepta causa fornicationis) facit eam mechari. Et etiam ibidem dicitur. Audistis quia dictũ est. Oculũ pro oculo, &c. Ego autem dico vobis non resistere malo,

Matt. 9.

Rom. 2.

Idem 8.

Matt. 6.

Ibidem.

F

G

H

I

K

& idem patet de alijs. Cum ergo aliqua præcepta veteris legis Christus totaliter fecerit cessare, aliquorum verò præceptorum contrarium præceperit, manifestum est, quòd si hoc verbum [*Non veni, &c.*] Christus dixit, non dixit ipsum de lege Moysi, & Prophetis, sed vel de lege naturali, vel Euangelij. Et videtur quòd de lege naturali: Quia quando meminit præceptorum legis naturalis, vt non occides, non mechaberis, quorum contraria semper mala fuerunt; non destruit ipsa, sed confirmat; & addit aliqua, per quorum obseruantiam dicta præcepta implentur. Vnde, vt non estimetur hoc verbum Christum dixisse de lege Moysi, sed de aliqua alia lege, non dixit. Nolite putare quoniã veni soluere legem Moysi, & Prophetas Iudæorũ, sed dixit simpliciter. [*Nolite putare quoniã veni soluere legem, aut Prophetas.*] Vt sic soluendo legem Moysi, non mentiatur; quia non dixerat quòd ipse non solueret legem Moysi, sed quòd non solueret legem: quod debet intelligi de lege naturali, vt ad tempus cautè reprimeret furorẽ Iudæorum credentium propter verbum istud generale, quòd nihil vellet facere contra eorum leges, & Prophetas, & sic delusi nomine legis, quiescerent. Prophetarum autem triplex est genus, scilicet Iudæorum, gentium, & veritatis; de prophetis Iudæorum patet in multis locis, de Prophetis gentium loquens Paulus ad Titum de Cretensibus, dixit. Quidam proprius eorum propheta dixit. Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri: Sed de prophetis veritatis dixit Christus infra. Ecce egò mitto ad vos prophetas, & sapientes, & scribas. Modo non potest intelligi quòd Christus non venerit soluere, sed adimplere prophetas Iudæorum, cum Iudæorum prophetæ ad obseruantiam legis Moysi per suas prophetias solum populum Iudaicum induxerint; & ideo eum Christus cõtra legem Moysi insurrexerit, manifestum est quòd & contra prophetas Iudæorum insurrexit, & ideo de eis non dixit. [*Non veni, &c.*] sed de Prophetis gentium, vel de prophetis veritatis, vel Christi; Et sic concluditur ex prędictis, vel quòd hoc capitulum Christus mendosè dixit; vel quòd omnino non dixit, sed per falsarios positum est in Euangelio, vel si Christus veraciter hoc capitulum dixit, & dicendo, ipsum verum dixerit, quòd hoc nõ intellexit de lege Moysi, & prophetis Iudeorum, sed de alia lege & prophetis, & hæ dictiones Fausti ponũtur ab Aug. 17. 18. & 19. lib. contra Faustum.

Titum 1.

Matth. 23.

SVM-

SVMMARIVM.

Ostenditur contra Faustum quòd hoc capitulum Non veni soluere legẽ, sed adimplere, est verè dictum à Christo, & Matthæus Euangelista hoc veraciter scripsit in suo Euangelio, & soluuntur rationes Fausti, quas inducit contra duo supradicta.

XXXII ET dicẽdũ est quòd hoc capitulum prolatum fuit à Christo, & scriptum per Matthæum, & quòd non intelligitur nisi de lege Moysi, & prophetis Iudæorum. Quòd autem sit Christi verbum, & scriptũ per Euangelistam Matthæum, ex hoc patet, quia à fundatione Ecclesiæ citra omnes Patres tenuerunt hoc, quòd Matthæus hoc Euangelium scripserit; quod Euangelium fuit receptum in canonem sanctarum scripturarum, & omnes libri sic recepti in canonem, verissimi esse crẽdũtur, dicente Augustino 11. lib. contra Faustum, cap. 5. Ne intercluderetur locus, & adimeretur posteris ad quæstiones difficiles tractandas atque versandas, linguæ, ac styli saluberrimus labor, distincta est à posteriorum libris, excellentia canonicæ auctoritatis veteris, ac noui testamenti, quæ Apostolorum confirmata temporibus, per successiones Episcoporum, & propagationes Ecclesiarum, tanquam in sede quadam sublimiter constituta est; cui seruiat omnis fidelis, & pius intellectus; Ibi, si quid velut absurdum nouerit, non licet dicere, Author huius libri non tenuit veritatem: sed aut iudex mendosus est, aut interpres errauit, aut tu non intelligis; Et infra. In illa eminentia canonica sacrarum litterarum, etiam si vnus Propheta, seu Apostolus, aut Euangelista aliquid in suis litteris posuisse, ipsa canonis confirmatione declaratur, non licet dubitare quòd verum sit; alioquin nulla erit pagina, qua humanæ imperitiæ negatur infirmitas, si librorum auctoritas saluberrima, aut contempta penitus aboletur, aut interminata confunditur. Cum ergo Matthei Euangelium sit receptum per Apostolos, & eorum successores in canonem sanctarum scripturarum; in quo Euangelio hoc capitulum positum est, & ibi etiam dictum sit quòd Christus, qui est veritas, hoc dixit, nullo modo dubitãdũ est quòd hoc capitulum non sit in Euangelio Matthæi; nec quòd non sit verum, ex quo Euangelista dicit hoc Christum dixisse. Vnde insipientis, hominis est negare scripturam sanctam, quando inuenit eam suo errori contrariam; Non enim scriptura sancta

A trahenda est ad hũmanum sensum, sed hũmanus sensus dirigi debet secundum scripturam diuinam, vt dicit Hilaryus 1. de Trinitate. Vnde cum Manichæi hoc vitio laborauerint, dicentes scripturas diuinas esse falsas, quando aliquid clarè, & manifestè contra eorum errorem loquuntur, dicente Augu. 11. lib. contra Faustum cap. 2. Vbi manifesta veritate isti præfocantur, vt obsessi dilucidis verbis sanctarum scripturarum, exitum in eis fallaciæ suæ reperire non possint, id testimonium, B quod prolatum est, falsum esse respondẽt. O vocem à veritate fugacem, in amentia pertinacem. Vsque adeo inuicta sunt, quæ aduersus vos de diuinis codicibus proferuntur, vt non sit aliud quod dicatis, nisi eos esse falsatos. Quæ auctoritas litterarum aperiri, quis sacer liber euolui, quod documentum cuiuslibet scripturæ ad cõuincendos errores exeri potest, si hæc vox admittitur, si alicuius ponderis æstimatur? Non sunt in hoc tolerandi. Vnde, cũ hoc capitulum Euangelij eorum errorem, C in quo dicunt vetus testamentum non esse à Deo bono, sed à diabolo, omnino destruat; non potentes clarum testimonium contra se prolatum aliter euadere, blasphemè conati sunt dictum capitulum negare; & vt ipsum negarent, Euangelium in quo positum est, dixerunt non esse Matthæi Apostoli, sed cuiusdam alterius falsatoris, qui sub nomine Apostoli Euangelium scripsit, vt dicunt; quod tamen omnino falsum, & improbabile est. Plus enim credendum est toti Ecclesiæ, quę fidem integram hucusque seruauit, quàm D eorum vesaniæ, quæ fidem Christi corrumpit, dicente Augustino eodem lib. cap. 2. Quam vetustatem librorum, quam seriem successionis testem citabis ad probãdum quòd tu es regula veritatis, ex quo quicquid contra te sonuerit, non sit verum? Nam si hoc facere conaberis, non valebis: & vides in hac re quid Ecclesię Catholicę valeat auctoritas, quæ ab ipsis fundatissimis sedibus Apostolorum, vsque ad hodiernum diem succedentium sibimet, Epi- E scoporum serie, & tot populorum consensione firmatur. Vnde ferendus non est Faustus cum dicit, quòd multam zizaniã in contagium boni seminis scripturis penè omnibus noctiuagus quidam seminator nocturnus, quòd in scriptura diuina aliquid falsitatis superseminare potuerit; quia si vnum librum corrupit, multi incorrupti mãserunt, & maximè in sedibus, quæ nunquam hæresi maculatæ sunt; sicut est sedes Petri, quæ nunquam (custodiẽte Domino, qui dixit Petro. Ego pro te ro-

Hylar.

Augustin.

Idem.

Luc. 22.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

gaui Petre vt non deficiat fides tua) hæresi est maculata, nec maculabitur in futurum; dicente Hieron. in epistola ad Damasum. Cathedram Petri, & sedem apostolico ore laudatam, censui cõsulendam. Hieron. Et infra. Profligato à sobole mala patrimonio, apud vos solos incorrupta patrũ seruatur hereditas. Et Cyril. in lib. thesaurorũ exponẽs illud, Et portę inferi, dicit. Ibidem. Secundũ hanc domini promissionẽ Ecclesia Apostolica Petri ab omni seductione, & hæretica circũuentione manet immaculata; & cũ aliæ Ecclesiæ quorundã errore sint verecundatæ, stabilita incassabiliter ipsa sola regnat, silentium imponens, & obturans ora omnium hæreticorum. Vnde, si peruersitate hæreticorum libri canonici alicuius Ecclesiæ, vel aliquarũ Ecclesiarum sint corrupti, ad alias Ecclesias, quæ fidem integrã seruauerunt, pro exemplaribus est recurrendum. Et si illa exemplaria essent suspecta, ad sedẽ Petri, in qua manent incorrupta exemplaria, recurrendum est: Quia Christus, sicut non permittit quòd sua fides vsque ad finem mundi deficiat, ita non permittit quòd omnes libri canonici corrũpantur, cum fides suum fundamentum habeat in dictis libris. Vnde, cum hoc capitulum nõ sit seminatum per zizanię seminatorem, neç intelligatur per zizaniam falsitas seminata in libris canonicis, sed intelligantur hæretici seminati per diabolum inter fideles; dicente Domino infra 13. Matt. 13. Qui seminat bonum semen est filius hominis; ager autẽ est mundus, bonum verò semen hi sunt filii regni; Zizania autem sunt filij nequam; inimicus autem qui seminauit eam diabolus; Non est ergo consequens quòd si Deus permittit quòd hæretici sint inter fideles, quòd propter hoc permittat quòd hæretici possint corrũpere libros canonicos, quia vtile est quòd hæretici sint inter fideles, dicente Apostolo 1. ad Corint. 11. 1. Cor. 11. Oportet hæreses esse, vt qui probati sunt manifesti fiant: Vbi dicit Glo. Multa ad fidem catholicam pertinentia, dum hæreticorum callida inquietudine fideles exagitãtur, vt aduersus eos defendi possint, & considerãtur diligentius, & intelliguntur clarius, & predicãtur attentius. Nulla autem vtilitas, immo maximum damnum, & subuersio totius fidei, & morum esset, si Deus permitteret omnes libros canonicos per falsam doctrinã corrũpi; Et ideo non sequitur zizania, id est, hæretici, vel iniqui sũt seminati inter fideles, Deo permittente, ergo & inter diuinas scripturas sunt multæ falsitates seminatæ. Vnde Augustinus 18. lib. contra Faustum cap. 7. dicit. Christiani catholici vos inter zizania numerant, quia Dominus exposuit quid sit zizania, non aliqua falsa veris scripturis immissa, sicut tu interpretaris, sed homines filios maligni, id est, imitatores diabolicæ falsitatis. Nec valet quòd Faustus obijcit cum dicit, quòd hoc capitulum solum ponitur in Matthæo, qui nondũ erat vocatus, quando Dominus hunc sermonem fecit, sed solum erant vocati Petrus, Andreas, Iacobus, & Ioannes, & tamen Ioannes, qui præsens erat, & Euangelium scripsit, hoc capitulum nõ posuit in Euangelio suo. Nam dicendum primò quòd Lucas, qui scripsit ordinem rei gestæ, antequam ponat sermonem Christi habitum in monte, pręponit vocationem Matthęi, & electionem duodecim Apostolorum; & deinde ponit dictum sermonem, volens ostendere quòd iam Matthæus præsens erat, & omnes alii Apostoli, quando hunc sermonem fecit; vnde vocatio Matthęi ponitur Luce 5. & electio Discipulorum ad Apostolatum ponitur Luc. 6. inter quos ponitur Mattheus, & deinde ponitur sermo. Et si ita fuit, argumentum Fausti ex falsis procedit; quia præsens in hoc sermone fuit Matthæus secundum Lucam: qui (vt in pluribus) sequitur historiam, & ordinẽ rei gestæ; vt & in principio Euangelii sui dicit. Visum est & mihi assequuto à principio omnia diligenter ex ordine tibi scribere. Vbi dicit Beda. Quòd quo ordine de Domino, vel à Domino gestũ, dictumve sit, dicere vult. Nec hoc est contrarium Matth. qui ponit vocationẽ suã, & electionem Discipulorum ad Apostolatum post istum sermonem. Non enim dicit quòd post istum sermonem, ipse fuerit vocatus, & ipse, & alij discipuli electi ad Apostolatũ, licet hæc narret post istum sermonem; quia nullum inconueniens est, nec derogatur veritati scripturæ, si illud, quod factũ est prius, narretur posterius; nisi ordo tẽporis poneretur in scriptura, quod tamen Matthæus non facit, vt clarè patet intuenti Euangelium. Secundò potest dici quòd multa veraciter potest scribere aliquis de ijs, quæ ipse nõ videt, nec præsens fuit, quando agebantur, vel dicebantur; & hoc pro tanto, quia potest audire ab illis, qui præsentes fuerunt; vel potest ei inspirari per Deum, qui ab æterno scit omnia antequam fiant, & cuius essentia præsens est omnibus rebus, & omnibus operationibus. Lucas enim verum Euangelium scripsit, qui tamen præsens cum Domino non fuit, quando fecit, & dixit illa, quæ in eius Euangelio continentur; quia didicit illa ab illis, qui præsentes

Augu. Luc. 5. Idem 6. Idem 1. Beda.

fue-

fuerũt, sicut dicit ipse in principio Euangelij. Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt rerum, sicut tradiderũt nobis, quæ ab initio ipsi viderũt, & ministri fuerunt sermonis. Vbi dicit Eusebius. Veritatem Euangelij exponẽtibus Apostolis, qui ab initio ipsi viderant, & sibi tradiderant, consequutus est. Paulus etiam, qui non fuit sequutus Christum, dum vixit in vita mortali, nec Euangelium tunc ab eo didicit, nec ab aliquo Apostolo Euangelium audiuit, per diuinam reuelationem totum Euangelium didicit, iuxta illud quod ipse dicit ad Galat. 1. Euangelium, quod euangelizatum est à me non, est secũdum hominem, neque ego ab homine, neque per hominem accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi; Et eodem modo, posito quòd Matthæus presens non fuerit, quãdo Dominus hunc sermonem fecit, postea potuit vel ab ipso Domino, vel ab Apostolis, qui præsentes fuerũt, hunc addiscere sermonẽ: vel etiam totum Euangelium per inspirationem diuinam, vel reuelationem addiscere. Nec obstat si Ioannes, qui præsens fuit, tacet, & Matthæus, qui præsens non erat, testificatur; multa enim talia sunt in Euangelio. Matthæus enim & Lucas, qui præsentes non fuerunt quãdo dominus vocauit Petrum, Andream, Iacobum, & Ioannem, de eorum vocatione scribunt; & tamen Ioannes de sua vocatione nihil scribit manifestè. Lucas etiam, qui non fuit præsens quando Christus reprehendit Ioannem, & Iacobum, qui dixerant, Domine vis dicimus vt ignis descendat de cœlo, & consumet illos, Luc. 9. hoc narrat, & tamẽ hoc non dixit Ioannes, qui præsens erat, cum tamen Euangelium scripserit. Vt enim dicitur in Ecclesiastica historia, & ponitur in Glos. in principio Euangelii Ioannis, legerat Ioannes triũ Euangelistarũ Euangelia, & approbauerat fidem eorum, & veritatem; in quibus vidit aliqua deesse, hæc ergo quasi amissa ab illis, scribit Ioannes. Sic ergo cum iam hoc capitulum positum esset in Euangelio Matth. quando Ioannes Euangelium scripsit, nõ fuit necesse ad veritatẽ confirmandam huius capituli, quòd Ioannes hoc capitulum poneret, alioquin oportuisset quòd omnia posita in Euangelijs alijs, repeteret. Vnde Augustin. hanc Fausti rationem soluens 17. lib. cap. 3. dicit. Si hodie de Christo à fidelibus eius vera dicuntur, quia illi qui viderunt, & audierunt, vel prædicãdo, vel scribendo ea dissemiuauerunt; cur ex ore Ioannis condiscipuli sui nõ poterat Matthæus vera audire de Christo, vbi ille affuit, & ipse non affuit? Huic accedit quòd & ipse Dominus potuit narrare Matthæo illud, quod egerat antequam eum vocasset; At hoc ipse Ioannes in Euangelio suo ponere debuit; si hoc dictum à Domino audierat, qui, cũ diceretur, præsens erat; quasi fieri non potuit, vt cum omnia quæ à Domino audierat, scribere non posset; inter alia quæ prætermisit, & hæc prætermiserit, cum in alia scribendo esset intentus. Nec valet quòd Faustus dicit, quòd hoc Euãgelium non scribit Matthæus, sed alius quidam falsarius sub nomine eius, quia in sua vocatione Matthæus nõ dicit, Vidit me Iesus, vocauit me, & sequutus sum eum: sed vidit hominẽ, vocauit eum, & sequutus est eum, quasi non de se, sed de alio aliquo loqueretur. Consuetudo enim scripturæ est, quòd scriptores eius, quando de se loquũtur, sic loquãtur, quasi de se aliquis alius, loqueretur. Non enim modo Ioannes in serie sui Euãgelij de se, sicut de quodam alio loquitur, dicẽs. Conuersus, Petrus vidit illum discipulũ, quẽ diligebat Iesus. Et quòd de se loquatur, patet per illud quod sequitur. Hic est discipulus, qui testimoniũ perhibet de his, & scripsit hæc: & scimus quia verum est testimonium eius. Certum est autẽ, quòd Ioannes Euangelium suum scripsit, & tamen loquitur de se, sicut de quodam alio. Et Dominus infra 25. loquens de se ipso, dicit in tertia persona. Cum venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedẽ maiestatis suæ. Cum igitur frequens sit vsus scripturæ quòd loquẽs de se sic loquatur, ac si de quodam tertiò loqueretur, nõ est consequẽs quòd si locutus est aliquis scriptor de se in tertia persona, ergo non ipse, sed quidam alter scripsit; cum frequenter de se loquẽtes sicut de quodam tertio loquantur. Et hoc modo hanc rationem soluit Augustin. 17. lib. contra Faustum cap. 4. Solent scriptores rerum gestarum cum in suam personam venerint, ita se contexere, tanquam de alio narrent, quod de se narrant. Ita igitur & Matthæus de se tanquam de alio scripsit, quod & Ioannes fecit, hunc enim morem fuisse scriptorum, cum gesta narrarent, quis nesciat?

Luc. 1. — Euseb. — Gal. 1. — Luc. 9. — Glos. — Augustin. — Ioan. 21. — Matt. 25. — Augustin.

SVMMARIVM.

Ostenditur quòd Dominus cum dixit, Non veni soluere legem, sed adimplere, non loquitur de alia lege, sicut est lex naturalis; sed de lege Moysi, quam Dominus, quo ad moralia opera impleuit, & quo ad cerimonialia, quæ Domi-

nus impleuit, quando illa quæ prædicta præcepta figurabant in re exhibuit.

XXXIII AD illud autem quod tertiò dicit Faustus, scilicet quòd Christus sabbata, & circuncisionem non impleuit, sed abstulit; & quòd Christiani illa legalia non obseruant, nisi solum decalogum: de præcepto tamen posito in decalogo, & de obseruatione sabbati non curant, diffusè & completè responsum est supra. Et quando dicit quòd dictum Domini istud non intelligitur de lege Moysi, nec de prophetis Iudæorum, sed de lege naturali, & prophetis gentilium, vel veritatis, falsum est omnino. Nam Dominus Luc. vlt. declarat quòd oportebat per eum impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & prophetis, & psalmis de me, & aliquantulum supra dicit. Oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam. Et incipiens à Moyse, & omnibus prophetis interpretabatur illis scripturas, quæ de illo erant. Et in passione de se loquens, dicit Luc. 22. Dico vobis quoniam adhuc hoc scriptum est. Oportet impleri in me, & cum iniquis reputatus est; quod verbum scribitur in Isa. & Ioan. 5. dicit. Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi, de me ille scripsit, & Ioan. 12. dicit. Cum tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, vt sermo Isa. Prophetæ impleretur qui dixit. Domine quis credidit auditui nostro? &c. Et infra, hæc dicit Isa. quando vidit gloriam eius, & locutus est de eo. Ex quibus clarè patet quòd non de lege naturali, sed de lege Moysi locutus est hîc Dominus. Nec valet illud quod dicit, quòd illa præcepta, quæ fuerunt purè Iudaica, sicut circuncisio, & sacrificia, & alia huiusmodi, sunt ablata, remanẽtibus solum præceptis naturalis legis; quia licet præcepta moralia depẽdeant ex lege naturali, & agens contra ipsa peccet contra legem naturalem; tamen quando superuenit mãdatum Dei positum in veteri lege, dupliciter homines tenebantur ad obseruãtiam dictorum præceptorum, propter duas leges, quæ hoc præcipiebant; scilicet lex naturalis, & lex scripta. Et peccatum aggrauabatur non solum quia peccabatur contra legem naturalem, sed etiam quia homo Deo erat inobediens, qui hæc in lege scripta præceperat; & vtrumque horum præceptorum erat sufficiens ad damnationem. Peccatum enim commissum contra legem naturalem erat per se malum; ex se, & ex sua natura, & ideo sufficiebat ad damnationem. Sed inobedientia Dei etiam in re indifferenti, ante præceptum hominem dignum damnatione reddit; sicut patet de inobedientia Adæ in commestione fructus ligni vetiti. Sed tunc maximè Dei inobedientia est damnabilis, cum contra præceptum eius, de re, quæ est per se mala, homo facit; sicut cõtingit in transgressione præceptorum decalogi, dicente Apost. ad Rom. 8. Sine lege peccatum mortuum erat, sed cum venisset mandatum, peccatum reuixit. Et infra. Fiat supra modum peccans peccatum per mandatum. Et cap. 5. dicit idem. Vsque ad legem peccatum erat in mundo, peccatum autem non imputabatur cum lex non esset. Et infra. Lex subintrauit vt abundaret delictũ. Et sic licet homines ante legem Moysi existentes facientes contra præcepta moralia peccarent, faciendo contra legem naturalem; tamen non tantum peccabant sicut illi, qui post legem datã consimilia peccata committebant, quia primi solum peccabant contra legem naturalem, sed secundi contra legem naturalem, & etiam quia Deo inobedientes erant. Vnde & Apost. ad Rom. 4. dicit. Lex iram operatur; vbi enim non est lex, nec præuaricatio. Vnde quo ad hoc nõ est sublata lex Moysi, quia adhuc habet vim obligandi, & peccans contra præcepta moralia nunc, non solum peccat contra legem naturalem, sed etiam contra obedientiam, qua homo tenetur Deo obedire de omni re, quam scit Deum præcepisse; & talis inobedientia præuaricatio est; propter quod non solum taliter peccans est iniquus, sed etiam præuaricator; cum tamen ante legem sic peccans solum iniquus esset, & non præuaricator. Vnde verum nõ est id quod Faustus dicit, quòd solum remanserint post Christum præcepta legis naturæ, & non præcepta legis Moysi; quia immo præcepta moralia sub ratione legis diuinæ, & scriptæ, remanserunt; quæ obligant nunc Christianos ad eorum obseruantiam, non solum quia sunt de lege naturali, sed etiam quia ipse Deus præcepit, & obseruantes ipsa propter Dei præceptum, perueniunt ad vitam, dicente Domino infra 19. Si vis ad vitam ingredi serua mandata. Et cum peteretur, quæ mandata? Respondit. Non homicidium facies, non adulterabis, non facies furtum, non falsum testimonium dices, honora patrem tuum, & matrem tuam, & dilige proximum tuum sicut te ipsum. Quæ mandata manifestum est esse decalogi; Alia etiam mandata legis, quia figuralia erant, impleto illo, quod figurabant, cessare debuerunt, vt dictũ est supra. Vnde & Glos. super illud 2. ad Corint. 3. Gloriæ vultus Moysi euacuatur, dicit

Luc. vlt.
Luc. 22.
Ioan. 5.
Idem 12.
Isa. 53.
Ibidem.
Rom. 4.
Ibidem.
Idem 5.
Ibidem.
Matt. 19.
Ibidem.
2. Cor. 3.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Glos. Gloria Moysi, ideſt legalis obſeruantia, quæ erat figura veritatis, euacuatur, quia figura eſt, non veritas. Gloria Moysi eſt quaſi ſtellæ in veſpere, quæ tunc ſunt glorioſæ; gloria Chriſti eſt quaſi Sol, qui oriens ſtellas obſcurat; gloria vultus Moysi figura erat veritatis, quæ euacuatur, quia venientе Imperatore, imagines tolluntur de medio; ibi ſpectatur imago, vbi Imperator præſens non eſt. Vbi autem imago remouetur, præfulget præſentia Imperatoris. Sic ergo patet verum non eſſe quod Fauſtus dixit, quòd omnia præcepta Iudaica ſint per Chriſtum ſublata; quia aliqua manent, vt impleantur, aliqua iam impleta ſunt per Chriſtum, & ſic ſublata fuerunt.

SVMMARIVM.

Quòd illud, quod Dominus dicit Non veni Prophetas, vel prophetias ſoluere, ſed adimplere, non intelligitur de prophetis, vel prophetijs Gentilium, ſed de prophetis, & prophetijs Iudæorum: cuius contrarium dixerat Fauſtus, & ſoluuntur eius rationes.

XXXIV NOn eſt etiam verum quod dicit de Prophetis: cuius ſignum euidens eſt, quòd per totum nouum teſtamentum inducuntur ad probandum intentum dicta Prophetarum Iudæorum, & valde raro dicta Gentilium, cum non niſi in quatuor locis in toto nouo teſtamento inducatur, & tunc ſine nomine, vt patet 1. ad Cor 16. Corrumpũt bonos mores colloquia mala. 1. Cor. 16. Et Actu. 17. Inueni aram in qua ſcriptum erat: Ignoto Deo. Et infra: Sicut & quidam noſtrorum Poetarum dixerunt: Ipſius enim genus ſumus. Et ad Titum 1. Dixit quidam ex illis, proprius eorum propheta. Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri; de quibus exemplis primum eſt ſecundum Hieron. ſuper Epiſtolam ad Titum in Comedia Menandri; ſecundum eſt in phenomenijs Arati, tertiũ eſt Callimachi, vel Epimenidis. Et tamen quando talia dicta Paganorum inducuntur in ſcriptura, non inducuntur in viam probationis, vel cauſſæ, ſed ſolum in ratione exempli. Nec dicitur quòd illud vel illud factum ſit, vt impleretur dictum illorum, quorum tamen cõtrarium fit, dum inducuntur: dicta prophetarum Iudeorũ. Vnde ſupra primo dicitur. Hoc totum factum eſt, vt adimpleretur quod dictum eſt à domino per Prophetam. Ecce virgo, &c. & cap. 2. Habitauit in ciuitate, quæ vocatur Nazareth, vt adimpleretur quod dictum eſt per Prophetas. Quoniam Nazareus vocabitur. Et infra 12. Præcepit eis ne manifeſtum eum facerent, vt adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam Prophetã. Ecce puer meus, &c. & Ioã. 12. dicitur. Propterea non poterãt credere, quia iterum dixit Iſa. Excæcauit oculos eorũ, &c. Vnde cum dicta Paganorum in ſcriptura non inducãtur pro probatione, ſed ſolum in ratione exempli, quæ exempla nõ ſunt de neceſſitate ſcientiæ, vel ſcripturæ; ſed ſolum ponuntur propter addiſcentem, probationes autem & cauſæ ſunt ſemper de neceſſitate ſcientiæ, vel ſcripturæ; Ideirco dicta Gentilium, quæ ponuntur in ſcriptura, ponuntur vt non neceſſaria; ſed dicta prophetarum Iudæorum ponuntur vt neceſſaria; & ideirco dictum Domini non intelligitur de Prophetis Gentilium, ſed de Prophetis Iudæorum. Et maximè nunquam legitur in toto nouo teſtamento quòd Dominus impleuerit dictum alicuius Pagani; cum tamen frequenter legatur in Euangelijs quòd Dominus, dicta prophetarum Iudæorum impleuerit. Vnde & infra 27. dicitur. Tunc impletum eſt quòd dictum eſt per Hieremiam Prophetam dicentem. Acceperunt triginta argenteos, &c. Et Ioan. 19. Facta ſunt hæc, vt ſcriptura impleretur, Os non comminuetis ex eo. Et aliquantulum ſupra dicitur. Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa cuius ſit, vt ſcriptura impleretur dicens. Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi, &c. Vnde & Dominus frequenter in paſſione dicit ſe hoc, vel illud pati, vt impleãtur ſcripturæ. Sic ergo illas prophetias venit implere, quas frequenter dicit ſe impleuiſſe; & quas Euangeliſtæ dicunt eum impleuiſſe; & conſtat per Euangelia quòd ille prophetiæ ſunt prophetarum Iudæorum, & non prophetarum Gentilium. Nec obſtat quòd Fauſtus dicit, quòd dicti Prophetæ Iudeorum Iudaicè vixerunt, legem Moysi obſeruando, & non vt nunc viuunt Chriſtiani, quia cum nondum impleta eſſent illa, quæ ſignificabant legalia, adhuc tenebantur ſeruare ipſa; ſed bene preſciebant quòd talia, Chriſto adueniẽte, ceſſare debuerunt; cum ipſis prophetauerint, quòd aliam legem Chriſtus aduenies dare debebat, iuxta illud Hiere. 31. Ecce dies veniunt dicit Dominus, & feriam domui Iſrael, & domui Iuda fœdus nouum; & hoc erit pactum quod feriam cũ domo Iſrael. Poſt dies illos dicit Dominus dabo legem meam in viſceribus eorũ, & in corde eorum ſcribam eam. Et Deutor. 18. Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui; & ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia, quæ

Matt. 1. Idem 2. Idem 12. Iſa. 42. Ioan. 12. Iſa. 6. Matt. 27. Ioan. 19. Hiere. 31. Deute. 18.

præce-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

præcepero illi. Qui autem verba eius, quæ loquitur in nomine meo audire noluerit, ego vltor existam. Vnde quamdiu lex vetus stetit in suo statu, obseruanda erat per Prophetas Iudæorum; sed noua aduenien te, non fuit ad litteram obseruanda, iuxta illud Leuitici 26. Vetera nouis superue- Luc. 26. nientibus proijcietis. Sic ergo ex prædictis patet, quòd illa, quæ Faustus contra hunc locum obijcit, non valent.

Tractatus sequens protenditur vsque ibi. (Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis &c.) *& continet vn decim capitula.*

SVMMARIVM.

Ponitur prima expositio, & continuatio istius dicti Domini, & ostenditur quòd impossibilius est, quòd illa, quæ Dominus inspirauerit Prophetis veteris legis, & per eos dixit, quòd non impleantur, quàm quòd cœlum & terra annihilentur, vel pertranseant.

I

AMen dico vobis donec transeat cœlum & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.] Vbi ostendit quòd omnino lex impleri debebat: & hæc sententia potest primò induci pro causa, vel probatione præcedentis sentētiæ. Circa quod attendendum, quòd tota diuina scriptura veteris testamēti est à Deo Pro- 2. Pet. 1. phetis inspirata, iuxta illud 2. Pet. 1. Hoc primum intelligentes, quòd omnis prophetia scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. Et ad Heb. 1. dicit Apostolus. Multifarie, multisq; modis olim Deus loquēs Heb. 1. patribus in prophetis. Quod autem Deus dixit, impossibile est esse falsum; alioquin Deus mendax esset, contra illud quod dicitur Num. 23. Non est Deus quasi homo Num. 23. vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur. Dixit ergo & non faciet? locutus est, & non implebit? quasi dicat, non est Heb. 6. possibile. Et Apostolus ad Heb. 6. Impossibile est mentiri Deum, quia si Deus mendax esset, iam Deus, Deus non esset, dicen- 2. Tim. 2. te Apostolo. 2. ad Timot. 2. Si negauerimus, & ille negabit nos; si non credimus, ille fidelis permanet, se ipsum negare non potest. Vbi dicit Glos. Manet fidelis Deus in Glos. dictis suis, quia non potest se ipsum negare; quia cum ipse sit veritas, si dicta sua non impleret, se ipsum negaret, id est, negaret se esse veritatem, & per consequens Deum; Quod cū omnino impossibile sit, impossibile est quòd illa, quæ sunt in scriptura diuina posita, non impleantur, & facilius omnis creatura si in se cōsideretur, non præsupposita Dei voluntate, de eius, à parte post, permanentia, ad nihilum reduceretur, quàm quòd Deus mētirerur; quia creaturæ conseruatio est per voluntatem liberā Dei, qua potest (si vult) creaturam conseruare, vel etiam permittere cadere in non ens. Sed quòd ipse sit veritas, hoc habet ex natura, quæ nō subiacet Dei voluntati liberæ; & ideo magis est impossibile, quòd Deus sit mendax, quàm quòd cœlum & terra totaliter transeant, vel etiā annihilentur: quia primum est impossibile simpliciter, secūdum, est impossibile ex suppositione. Vnde & Luc. 16. Dominus dicit. Facilius est cœlum & terram Luc. 16. prēterire, quàm de lege vnum apicem cadere, Vbi dicit Glos. Facilius est maxima Glos. mundi elementa, quàm minima legis præcepta præterire. Et Chrysost. hæc dicit in expositione. Ingenus homo, si vel in vili mendacio inuentus fuerit, erubescit; & quomodo Deus quod promisit in lege nō faciet, aut aliter faciet? Vir sapiens, quod dixit verbum suum, nō relinquit vacuū, & quomodo verba diuina sine exitu vacua poterunt remanere? Deus hominem punit, si quod docet alium, ipse non fecerit; & quomodo Christus, quod locutus est in Prophetis, opere non adimplebit? Et vt dicit Hylar. super illud infra 24. Cœlum & terra ex conditione suæ creationis nihil habent in se necessitatis vt sint; verba autem Christi ex æternitate deducta, id in se continent virtutis, vt maneant. Et Theophil. super illud Luc. 21. Cœlum & terra transibunt &c. dicit. Ex hoc innuit Ecclesiam & sermones Euangelij præferri toti creaturæ, quia & si tota creatura pateretur alterationem fidelium, tamen Ecclesia, & sermones Euāgelij permanebūt; Et tunc esset sensus istius sententiæ, quòd citius, vel facilius destrueretur cœlum & terra, quàm quòd aliquid in lege positum cassaretur; quomodo hanc sententiam expressit Lucas cap. 16. Facilius est autem Luc. 16. cœlum & terram præterire, quàm de lege vnum cadere apicem.

SVMMARIVM.

Ponitur secunda continuatio, & expositio, & ostenditur infra quot tempus omnia, quæ in scriptura diuina prædicta sunt esse futura,

erunt

erunt impleta, quibus impletis, cum omnes electi perducti fuerint ad Dei visionem, ipsa scriptura diuina cessabit sicut impleta; quia ex tunc non erit necessaria.

II Secundò potest exponi quòd hoc tempus assignetur infra quod omnia in scriptura diuina posita impleri oportet. Cum enim scriptura diuina de omnibus, quæ accidere debent, vel euenire, quantũ ad salutem electorum, & damnationẽ impiorum, & de statu Ecclesiæ locuta sit, dicente hîc Chrysost. Omnia quæ ab initio mundi vsque in finem erant futura, & eorum mysteria sunt prophetata in lege, ne videatur aliquid eorum, quæ fiunt, Deus antea non cognouisse, iuxta illud Amos 3. Non faciet Dominus Deus verbum, nisi reuelauerit secretum suũ ad seruos suos Prophetas; ne propter præcedentem sententiam aliquis posset opinari, quòd Dominus existens in vita mortali nobiscum, omnia, quæ erant promissa, vel prophetata haberet implere: Iccirco ne hoc credatur, prefigit tẽpus citra quod, omnia, quę prænunciata sunt in scriptura, cõplebuntur; quia scilicet omnia implebuntur antequam cęlum & terra transeant: Quia & vocatio gentium, & fundatio Ecclesiæ ex vtroque populo in vnũ adunato; & Euangelij diuulgatio per totum mundum, & mors martyrum, & deceptio hæreticorũ, & victoria Ecclesiæ, & eius pulchra ordinatio, & Antechristi aduentus, & conuersio Iudæorũ, & generalis resurrectio omnium, & glorificatio sanctorum, & punitio iniquorum, & cætera quæ prænunciata sunt in lege, & Prophetis, ante, vel tũc implebuntur, quando cęlum & terra transibunt. Vnde hoc modo exponens hanc partem Glo. dicit. Implebuntur ne omnia statim? non; sed donec transeat cœlum & terra; quia non omnia iam, sed sensim fiẽt omnia, antequam elementa mutentur de hac mutabili forma in immutabilitatem: quia non remanebit aliquid quin impleatur, vel in capite, vel in corpore; & tunc impleta tota scriptura, iam nõ erit necessaria; tolletur enim tunc totaliter speculum, & enigma, quia videbitur Deus facie ad faciem. Vnde, quemadmodum lex vetus in parte cessauit, impleta per primum Christi aduentum; ita tota scriptura cessabit in secundo eius aduentu, dicente Apostolo 1. ad Corin. 13. Siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus; cũ autem venerit quod perfectum est euacuabitur, quod ex parte est. Videmus nũc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem. Vnde Augustinus 1. de Trinit. cap. 10. dicit. Cum credentes, & viuentes ex fide Christus perduxerit ad contemplationem, iam non erunt similitudines, cum visio fuerit facie ad faciem. Tota autem diuina scriptura comparata ad visionem beatã, similitudines sunt, iuxta illud Canticorum 1. Murenulas, vel similitudines secundum aliam litterã, aureas faciemus tibi, vermiculatas argento, donec rex est in accubitu suo. Quod exponens Bernar. super Cantica sermone 41. dicit. Donec perueniat ad visionem, cuius desiderio flagrat, faciemus illi pulchras murenulas, & præciosas, quod non puto esse aliud quàm texere spiritales quasdam similitudines, & in ipsis purissima diuinæ sapientiæ sensa animę contemplantis conspectibus importare; vt videat saltem per speculum, & in enigmate, quod nondum facie ad faciẽ valet nullatenus intueri; & hoc fit, dum sponsa nõ est adhuc cum sponso. Cæterum cum venerit ad sponsum, rapta cum nubibus in aera, vt semper cum Domino sit, non indigebit aliqua scriptura, quia omnes erunt docibiles Dei, vnde tunc scriptura impleta cessabit. Propter quod Dominus ponens terminum, quo omnia prænunciata in scriptura erunt completa, dicit, quòd donec transeat cœlum & terra; Et hoc modo hanc partem exponit Chrysost. hîc in homil. dicens. Non potest fieri vt transeat cœlum & terra, donec omnia quæ in lege sunt prophetata rebus ipsis fuerint adimpleta. Vnde tamdiu durabit mundus, quousque omnia, quæ in scriptura promissa sunt vẽtura esse ante mũdi finẽ, fuerint adimpleta; quibus adimpletis, erit mundi finis, & etiam scripturæ, quia ex tunc necessaria non erit, dicente Domino infra. Prædicabitur hoc Euãgelium regni in vniuerso orbe in testimoniũ omnibus gentibus; & tunc veniet cõsummatio, quæ non potest venire, quousque omnia quæ sunt prænunciata in scriptura futura esse ante mundi finem, fuerint facta; & sic scriptura durabit, nondum impleta, vsque ad finem mundi; quia vsque tunc illa, quę agenda restant, implebuntur, & ponentur in effectu, vt sit Deus fidelis in omnibus verbis suis. Vnde Chrysost. hæc dicit in homil. Noui testamenti cognitio ad futurum cõparata, particularis quædam est, & imperfecta, & euacuatur illo aduenire. Cum venerit enim (ait) quod perfectum est, tunc quod ex parte est euacuabitur, quod passum est vetus testamẽtum à nouo. Sed non propter hoc ei detrahimus, quamuis & nouum cessabit cum re-

Chrysost. hom. 10. — Amos 3. — Glos. — 1. Cor. 13. — Augustin. — Cant. 1. — Bernar. — Chrysost. hom. 10. — Matt. 24. — Chrysost. hom. 16. — 1. Cor. 13.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

gno potiemur; tunc enim quod ex parte est, euacuabitur.

SVMMARIVM.

Ponitur tertia cõtinuatio, & expositio, & ostenditur quòd omnia mandata legis, & etiam mandata Domini, quæ infra ponit, per Dei gratiam implebuntur à multis, antequam cœlum & terra transeant, id est, dum homines sunt, vel erunt in vita præsenti, opera virtuosa sunt agenda: post hanc vitam autẽ virtutes alios actus habebunt quàm nunc habeãt.

III August. TErtiò potest exponi secundum August. 1. lib. de ser. Domini in monte. Quia hoc quod dicit Dominus in parte precedenti. [*Non veni soluere legem, sed adimplere,*] dupliciter intelligitur, vel scilicet addendo quod minus habet, aut faciendo quod iubet. Ille enim qui addit alicui, quod minus habet, nõ soluit, vel destruit quod inuenit; sed magis confirmat perficiendo, vel addendo quod deerat; qualiter dominus fecit infra, qui addidit ad mãdatum, Non occides, Non irasceris, & ad mãdatum Non adulterabis, Nõ incontinentibus oculis alienam mulierem videbis. Secundus intellectus est vt fiat illud quod iubetur, & hoc nunc dixit, quia hîc dicit. [*Iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege donec omnia fiant;*] Vbi manifestè ostendit quòd minima mandata posita in lege, ad effectũ perducẽtur. Qui enim præcipit maius, facit & quòd minora obseruentur; non enim perfectiora obseruat qui imperfecta adimplere nõ vult; sed qui obseruat perfectiora, magis est obligatus, quòd obseruet imperfecta; & hoc quando perfectum & imperfectum sunt eiusdem ordinis, & ad transgressionem imperfecti sequitur destructio totius perfecti; & ex impletione perfecti sequitur adimpletio imperfecti; Qualiter se habent præcepta Domini, & præcepta legis veteris, quia præcepta Domini sunt perfectiora præceptis legis veteris, & obseruans præcepta Domini, obseruat præcepta legis; & transgrediens præcepta Domini, vix, vel nunquam potest obseruare præcepta legis. Maius enim præceptum est nõ irasci homini, quàm non interficere hominem, & qui non irascitur fratri, non interficit ipsum, & qui præceps est ad iram, facilè ruit in homicidium: Et ideo cum Dominus precipiat maiora, & perfectiora quàm lex vetus, & ipse etiam det adiutorium vt maiora perficiantur; dũ maiora perficiuntur eius adiutorio, & minora etiam, quæ legis erant perficiuntur. Vnde & hîc dicit Augustin. 1. lib. de ser. Domini in mon. Dum fiunt illa, quæ adduntur ad perfectionem, multo magis fiunt illa, quæ promissa sunt ad inchoationem; Hæc autem præcepta perfectiora per Christum data, non possunt perfici à nobis sine eius gratia, cum nec præcepta minora legis impleri potuerint sine eius gratia post Adæ peccatum: dicente Augustin. in quadam Epistola ad Innocentium Papam. Hoc actum est per legem, vt peccatum agnosceretur, & sic aduersus victoriam peccati ad diuinam gratiam, quæ in promissionibus est, confugeretur. Et infra. Ante tempus legis, & tempore ipso legis iustos patres & ex fide viuentes, non posibilitas naturæ infirmæ, & indignæ, ac vitiatæ, & sub peccato venundatæ, sed Dei gratia per fidem iustificabat, sicut & nunc eadem in apertum iam veniens reuelata iustificat. Anathematizet ergo Pelagius scripta sua, vbi contra gratiam disputat posibilitatẽ defendendo naturæ ad vincenda peccata, & implenda mandata. Vnde cum sine gratia Christi nec mandata minora veteris legis impleri potuerint per nostrum liberũ arbitrium, manifestum est, quòd nec mandata minora Christi aliquis implere potuit sine Christi gratia. Et ideo quia impletio mãdatorum legis & Christi magis dependet ex Christi gratia, quàm ex nostro libero arbitrio: iccirco quando implẽtur per nos mãdata, magis debet Christo attribui, quàm nobis; qui nõ venit soluere legẽ, sed adimplere. Sed quia in veteri testamẽto non erat tam abundans, & copiosa gratia data hominibus, sicut post eius aduentum; quia lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est Ioan. 1. quæ abundantia gratiæ durabit vsque ad mundi finem: iccirco Dominus dicit, quòd mandata legis implebuntur, & fient, ipso dante, donec transeat cœlum & terra; quia vsque tunc mandata Christi maiora & perfectiora, ipso dante, fient, & cõplebuntur; quibus impletis, implebuntur etiam minora legis mandata. Vnde Remigius hîc dicit. Dominus his verbis ostendit quòd tam minima legis præcepta, quàm ea, quæ ipse addidit, quæ sunt magna, atque perfecta, non relinquẽtur, vt opere non cõpleantur priusquàm transeat cœlum & terra. Præcepta enim moralia, quia sunt de actibus virtutum moralium, in hac vita solum locum habent; sed post hanc vitam vel non manent, vel si manent, alios actus habent; dicente Augustin. 14. de Trinitate cap. 9. Tullius, cum in Hortensio dialogo disputaret in hac tantum vita, quam vidimus, ærum-

Idem. Idem. Idem. Ioan. Remig. Augustin.

nis

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

nis & erroribus plenam, omnes dixit quatuor necessarias esse virtutes; nullam vero earum, cum ex hac vita emigrabimus, sed bonos animos sola beatos esse cognitione & scientia, hoc est contemplatione naturæ, qua nihil est melius & amabilius; quæ creauit omnes cæteras, instituitq; naturas. Cui regenti esse subditum, si iustitię est, immortalis est omnino iustitia; nec in illa beatitudine esse desinet; sed talis, ac tanta erit, vt perfectior, & maior esse non possit. Fortassis, & aliæ tres virtutes, prudentia sine vllo iam periculo erroris, fortitudo sine molestia tolerandorum malorum, temperantia sine repugnantia libidinum, erunt in illa beatitudine; vt prudentiæ sit nullum bonum Deo præponere, vel æquare; fortitudinis Deo firmissimè cohærere, temperantiæ nullo deffectu noxio delectari. Nunc autem quod agit iustitia in subueniendo miseris, quod prudentia in præcauendis insidijs, quod fortitudo in ferendis molestijs, quod temperantia in coercendis delectationibus prauis, non ibi erit, vbi nullum omnino malum erit. Vnde & Deuter. 4. dicitur quòd præcepta Domini debebant facere filij Israel in terra quam ingressuri erant, vbi dicitur. Scitis quòd docuerim vos præcepta, atque iustitias, sicut mandauit mihi Dominus meus, sic facietis ea in terra, quam possessuri estis, & obseruabitis, & implebitis opere. Et cap. 6. dicitur. Hæc sunt præcepta & cerimonię, atque iudicia, quę mandauit Dominus Deus vester, vt docerem vos, & faciatis ea in terra ad quam transgredimini possedendam, & custodias cunctis diebus vitę tuę. Quasi dicat, quòd hęc præcepta legis in vita præsenti fieri, & obseruari debēt; propter quod & Dominus hîc dicit, quòd mandata sua, & legis, fieri habent priusquā transeant cęlum & terra.

Deuter. 4.

Idem 6.

SVMMARIVM.

Quòd si per iota & apicem hîc intelligantur significatiuè posita; tunc per ista duo non intelliguntur nisi præcepta promissa minora in lege posita; quia inter litteras iota est minor, & apex non est littera; sed vel signum litteræ, vel summitas litteræ; & si minora sunt implenda, & maiora etiam implebuntur.

IIII

QVibus visis, est intelligendum circa litteram, quòd hęc probatio sumpta est à minori. Si enim illa quæ minima videntur legis esse, oportet quòd fiant, necesse est quòd fiāt & maiora: Inter litteras enim in omnibus linguis, iota, id est, iod, qa solo vno tractu breui & recto fit, est minor, vt dicit Aug. 1. lib. de ser. Dñi in mon. Inter litteras iota minor est cæteris, quia vno ductu fit; sed apex vel est litteræ summitas, vel est aliquis punctus in signum litteræ vocalis, quo vtuntur Hebræi, qui vocales non habent, sed per puncta vocales ostendunt. Vnde apex vel est pars litteræ summa, vel non est littera, sed litteræ signum; propter quod iota & apex minima sunt in litteris. Si ergo minima sunt implenda, constat quòd & maiora implebuntur, & potest esse vel modus loquendi multum expressiuus, quo aliquādo fit per hyperbole, vt veritas excedatur, dum aliquod multum exprimitur; Quomodo locutus est Abraham Gen. 14. A filo subtegminis, vsque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt; quasi dicat, non solum magna, sed & minima à te non accipiam. Et Iudicum 20. dicitur, quòd in Gabaa erant septingenti viri fortissimi, ita sinistra, vt dextera præliantes, & sic fundis ad certum iactantes lapides, vt capillum quoque possent percutere, & nequaquam in alteram partem ictus lapidis differretur. Vnde & hoc modo ad exprimendum multum, quod Dominus dicere volebat, dixit quòd iota vnum, vel apex non præteribit de lege, donec fiat; Quia si minima mandata, vel promissa, vel prænunciata impleri debent, magis vtiq; & maiora implebuntur, non loquens de iota & apice ex intentione, sed exempli, & similitudinis gratia. Et hoc modo exponit hæc Augustī. 1. lib. de serm. Domini in monte, dicens. Quòd ait iota vnum, aut vnus apex non transibit à lege. Nihil potest aliud intelligi, nisi vehemens expressio perfectionis, quæ per litteras singulas demonstrata est; quibus verbis ostenditur in lege ad effectum etiam minima quæque perduci. Et infra dicit idem, quòd mandata minima significantur per vnum iota, & per vnum apicem. Certum est autem quòd mandatum quodcumque plures litteras continet, quàm iota, vel apex, cum ad minus fit oratio. Non enim magna cura debet esse homini, quid significent litterarum protractiones, vel caracteres; quia sunt signa ad placitum significantia; vnde in talibus occupari, superflua curiositas est, & inutilis; & nihil sciri potest de talibus quid significent, nisi per coniecturas humanas.

Augustī.

Gen. 14.

Iudic. 20.

Augustī.

Idem.

SVMMARIVM.

Quòd si iota & apex ponantur significatiuè, tunc per iota quæ est decima littera in alphabeto, intelliguntur præcepta moralia legis posita

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

posita in decalogo; sed per apicem, quæ est summitas litteræ, intelliguntur illa præcepta, quæ Dominus addidit legi.

V

SI tamen talia aliquid significent, manifestum est quòd implebuntur, iuxta dictum Domini. Vnde & aliqui dicere voluerunt quòd nec vnum verbum, nec vna littera, nec litterarum figuræ superfluè posita sint in scriptura, sed omnia plena sint spiritualibus sacramentis. Vnde Ber. Bernar. hom. 1. super Missus est, dicit. Si nec foliũ de arbore sine causſa, nec vnus ex passeribus sine Patre cœlesti cadit super terram; putem ego de ore sancti Euangelistæ superfluum diffluere verbum, præsertim in sacra historia verbi? Non puto: Plena quippe sunt omnia supernis mysterijs, ac cœlesti singula dulcedine redundantia; si tamen diligentem habeant inspectorem, qui nouerit fugere mel de petra, oleumq; de saxo durissimo. Vnde & ex hoc dicit Remig. Remig. quòd Dominus signãter posuit iota Græcum, & non iod Hebreum. Consuetudo enim Græcorum est quòd quota est littera in alphabeto si ponatur pro numero talem numerum significat, quota ipsa in ordine alphabeti est; vt alpha significat vnum, beth duo, & sic subsequenter. Et quia iota est decima litera in alphabeto apud eos, iccirco significat decem. Vnde quia decem sunt legis præcepta, & iota ponitur pro decem, iccirco per iota intelliguntur decem præcepta legis: sed per apex, qui est litteræ summitas, vel punctus, intelliguntur illa quæ Dominus addidit; quia sunt superiora mandatis veteris legis; & ita dictũ Domini de iota, & apice non prætereundo de lege donec fiant, significat quòd oportet quòd tam præcepta veteris legis, quàm illa quæ Dominus addidit, impleri debeant antequam cœlum & terra transeant; & sic iota & apex significatiuè ponentur. Vnde & hîc Remi. Idem. dicit. Iota in numeris apud Græcos pro decem ponitur, significat enim decalogũ; Apex verò qui supereminet litteræ, gratiam noui testamenti propter quatuor libros Euangelij; quia sicut apex præeminet litteræ, ita gratia Euangelij litteræ legis carnalis. Ostendit ergo Dominus his verbis, quòd tam minima legis præcepta, quàm ea quæ ipse addidit, non relinquentur, vt opere non compleãtur, priusquam transeant cœlum & terra. Vnde quòd iota vel iod decem præcepta legis significet, Cassiod. patet per illud, quod dicit Cassiod. in principio decimæ litteræ Psal. 118. vbi dicitur, Psal. 118. Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me, da mihi intellectum, vt discam manda-

F ta tua; vbi dicit. Ad decimam litteram cohors glorioſa progreditur, in qua petit intellectum mandatorum sibimet debere concedi. Cui etiam consonat interpretatio litteræ iod, vel iota. Iod enim interpretatur scientia, & de præceptis Domini dicitur Deuter. 4. Obseruabitis & implebitis opere præcepta, & iustitias, sicut mã dauit mihi Dominus. Hæc est enim vestra sapientia, & intellectus coram populis. Deut. 4. Iota vero interpretatur perfectus, vel perfectio; & de obseruatore præceptorum G Domini dicitur Deute. 18. Perfectus eris, & absq; macula coram Domino Deo tuo. Idem 18. & 3. Reg. 8. dicitur. Sit cor nostrum perfectum cum Domino Deo nostro, vt ambulemus in decretis eius, & custodiamus mandata eius; Decẽ enim pro quibus ponitur iota, est limes, & consummatio, atq; perfectio omnium numerorum; quia vsq; ad decem numeri progrediũtur, sed post decem non sunt nisi ipsius decem, & aliquorum primorũ numerorum replicationes; & ideo decem pro perfecto ponuntur, cum H perfectum sit quod includit omnes suas partes, cuius nulla pars est extra. Vnde & Cassiod. super illud Psal. in psalterio decem cordarum, dicit. Totius psalterij virtus, quia dicitur decacordum, perfecta nobis & honorabilis indicatur; Et idẽ quasi dicit Aug. super dictum locum Psalmi. Cassiod. Psalm.

SVMMARIVM.

Quòd ex hoc, quòd Dominus dicit se venisse vt legem & prophetas impleret, & non solueret; I sequitur quòd lex Dei & prophetæ nullum falsum contineant, nullam vanitatem, vel superfluitatem habeant; & quòd omnia à diabolo vel humano ingenio non sunt adinuenta, sed à Deo tradita.

VI

EX hoc autem quòd hîc Dominus dicit de lege, primò sequitur quòd nihil in ea falsum positum sit; cum Dominus dicat, quòd omnia quæ in lege sunt posita, fieri, & compleri debeant, & quòd facilius sit cœlum & terram præterire, quàm minimum in lege positum irritum fieri. Vnde K Aug. in quadam epistola ad Hieron. dicit. Si ad scripturas sanctas admissa fuerint vel ut officiosa mendacia, quid in eis remanebit auctoritatis? quasi dicat, nihil. Lex enim Domini, vt dicitur in Psal. Immaculata est, & iudicia Domini vera iustificata in semetipsa. Quod exponẽs Cassio. dicit. Lex illa, quam per Moysem Deus dedit, irreprehensibilis est; quia perfecta veritate consistit, quæ per Dominum Saluatorem non est reprehensa, sed potius proba-

Augustin. Psal. 18. Cassiod.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

tur impleta; & iudicia vtriusq; testamenti veritate immutabili perseuerant, quæ iudicia sunt mandata, quæ in veteri, & nouo testamento conscripta sunt; quæ, re vera ex iudicio sunt prolata, & tantum in illis est bonum, vt cum à pijs mentibus recipiuntur, veraces eos faciant, & beatos, hoc enim dant quod habent, quia necesse est vt iustificatione plenum sit & veritate, quod iustos facit, & veraces. In quo scriptura diuina omnes alias scripturas philosophorum excedit; quia factæ per hominem multiplicibus mẽdacijs sunt repletæ; Psal.61. iuxta illud Psal. Veruntamen vani filij hominum mendaces filij hominum in stateris, vt decipiãt ipsi de vanitate in idipsum. Et Apostolus ad hoc attẽdens commonet fideles ne per philosophiam decipiantur, vt credant aliquid contra scripturam ad Colos.2. Colos. 2. Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam secundũ traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secũdum Christum. Secundò ex isto eodem ostenditur quòd omnis superfluitas est resecata à diuina scriptura, & solum necessaria, & illa, quæ pertinent ad fidem, & mores, sunt posita in ipsa. Quod ostendit Dominus dicens, [*quòd nec iota, nec apex de lege transibit donec omnia fiant,*] quod non esset, si aliqua superflua in diuina scriptura posita essent; Deute.4. propter quod & Deuter. 4. dicitur. Non addetis ad verbũ aliquod, quod vobis loquar, nec auferetis ex eo, & cap. 7. Idem 7. Quod præcipio tibi hoc tantum facito, nec addas quicquam, nec minuas, & Apoc. vlt. Si Apoc.vlt. quis apposuerit ad verba prophetiæ libri huius, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto: & si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ, & de ciuitate sancta, & de ijs quæ scripta sunt in libro isto. Et August. 18. lib. de ciuit. Dei August. cap. 38. dicit. Ea, quæ in auctoritate religionis esse deberent, Sanctus spiritus reuelauit, & ita fuerunt distincta prophetarum dicta, vt illa tanquam ipsis prophetis, quę historica diligentia conscripserũt, ista tanquam Deo per ipsos loquenti iudicarentur esse tribuenda; cuius tamen contrarium contingit in omnibus aliis scientijs; quia frequenter in superuacuis super abundant, in necessarijs autem deficiunt; & tam dubiè, tamq; succintè veritatem (si quam dicunt) proferunt, quòd nec eam dixisse videntur, & plura dubia dimittũt, quàm soluant, sicut satis deducit Chryso. Chryso. st. hom.2. super Ioan. homil. 2. per totum. Tertiò ex his ostenditur quòd lex Moysi & prophetæ sunt à Deo, & non à diabolo, vel ab humana inuentione; quia Christus non venisset ea implere, si opus diaboli essent, quia in hoc apparuit filius Dei vt dissoluat opera diaboli, 1. Ioan. 3; Nec ita esset libera à falsitate, vanitate, & superfluitate, sicuti est, si opus hominum esset, 1.Ioan.3.

SVMMARIVM.

Quòd hoc verbum, Amen, est hebraicum, & communiter non fuit interpretatum in alia lingua, sed mansit in sua, & ponuntur diuersæ acceptiones ipsius, Amen, vt ostendatur in qua acceptione hîc, & in alijs Euangelijs accipiatur.

VII

QVibus visis, aliqua sunt notanda circa litteram; & primò quòd hoc verbum, Amen, est hebræũ, quo Dominus frequenter vsus fuit, quando aliquid vehementer voluit affirmare; quod verbum propter Domini reuerentiam per interpretes in Euangelijs non est interpretatũ, & semper eo Dominus vsus fuit quando aliquid multum secretum suæ diuinitatis, vel secretorum cœlestium, vel etiam ecclesiasticorũ sacramentorũ voluit astruere; & hoc nomen pro tanto remansit non interpretatu, & quia Dominus frequenter vsus fuerit, & etiam quia non potuit plenè interpretari: dicente Hieron. in epistola ad Damasum de Osanna, Quia septuaginta non poterant in grecum transferre sermonẽ de verbo Osanna, sicut neque de Alleluia, neque Amen, & in plerisque factum videmus, ipsum hebræum posuerunt. Et in epistola ad Marcellam de nominibus hebraicis, & verbis, dicit idẽ. Alleluia, Amen, Maranatha sine interpretatione posita sunt; quia linguæ vniuscuiusque proprietas, & idioma non potest ita apud alios sonare, vt apud suos dicta sunt, & multo melius est ipsa non interpretata ponere, quàm interpretationis sensum extenuare. Et secundum eum ibidem. Amen iuxta interpretationem Aquilæ tantum sonat, sicut fideliter; & est aduerbium ductum ex nomine fidei; secundum verò septuaginta idem est quòd fiat. Vnde & in fine librorũ in quinque siquidem volumina psalterium apud hebræos diuisum est; vbi quod in hebreo legitur Amen, Amen, fiat, fiat, transtulerunt; quo scilicet verbo verè dicta, quæ supra sunt, confirmentur. Et super illud Isa. 25. Confitebor nomini tuo quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas, fideles Amẽ; dicit idem Hieron. lib. 8. super Isa. Desiderantes fieri quod prophetat, iungit verbũ hebraicũ Amen. Et super illud Isa. 65. Hieron. Isa.65.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

In quo qui benedictus est super terrã benedicetur in Domino Amen : dicit idem Hieron. Hoc nomine sæpe in approbationem eorum, quæ dicta sunt, Dominus vtitur in Euangelio dicens. Amen, amen. Porro septuaginta pro Amen verum Deum interpretati sunt, vt benedicatur verus Deus. Et Apoc. 3. Angelo Laodiceæ dicitur. Hæc dicit Amen, testis fidelis, & verus. Ex quibus verbis accipi potest diuersa acceptio nominis huius Amen. Aliquando enim accipitur pro aduerbio affirmandi cum iuramento, & tunc tantum vult dicere sicut fideliter. Aliquando accipitur pro cõfirmatione, optando, vt illud, quod dictum est, confirmetur, sicut accipitur 3. Reg. 1. Respondit Bananias regi, dicens. Amen; sic loquatur dominus Deus domini mei regis. Aliquando accipitur pro verè. Aliquando pro vero; Hîc autẽ, & quasi communiter in Euangelijs, ponitur pro verè, vel pro fideliter; & est sensus. Verè dico vobis, vel fideliter dico vobis, & est modus iurandi Vnde & Apoc. 1. dicitur quasi iurando. Plangent se super eum omnes tribus terræ etiam amen.

Hieron. Apoc. 3. 3. Reg. 1. Apoc. 1.

SVMMARIVM.

Quòd Dominus quando ponit in aliqua sua sententia hanc dictionem Amen, quia habet vim iuramenti, significat quòd omnino illud fiet; nec poterit immutari quòd non fiat; & quæ sit differentia inter simplicem promissionem, vel comminationem Dei, & iuratoriam promissionem, vel comminationem, & quare Dominus hanc sententiam voluerit verbo iuramenti confirmare.

VIII

VNde, licet quicquid Deus dicit sit firmum, & stabile, quia mentiri non potest; ad maiorem tamen certitudinem, & cõfirmationem sermonum, vt omnino credatur verbum assertiuè dictum, & non cõminatoriè, ponitur Dei iuramentum, & in quocunq; loco ponitur, significatur quòd omnino verbũ Domini implebitur, iuxta illud Apost. ad Heb. 6. Abundantius volens Deus ostendere pollicitationes hæredibus immobilitatem cõsilij sui, interposuit iusiurandum; vt per duas res immobiles, quibus impossibile est Deum mentiri, fortissimum solacium habeamus. Vbi dicit Glo. Abundanter ostendit per promissionem immobilitatem consilij sui, sed abundantius per iuramentum. Vnde licet in scriptura aliquando promissio, vel comminatio Dei simplex, rebus mutatis, inueniãtur mutatæ, iuxta illud Hiere. 18. Repente loquar aduersum gentem, & aduersum regnum, vt eradicem, & destruam, & dispersam illud; Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus illam, agam & ego pœnitẽtiam super malo quod cogitaui vt facerem ei; & subitò loquar de gente & regno, vt ædificem, & plantem illud; quòd si fecerit malum in oculis meis, vt non audiat vocem meam, pœnitentiam agam super bono, quod locutus sum vt facerem ei. Sed quando aliquid Deus cum iuramento promittit, vel comminatur, omnino immobile est. Vnde & Moyses non æstimans quòd sub iuramento Dei quo iurauerat nullum eorum, qui egressi fuerant de Aegypto à viginti annis, & supra (excepto Caleph, & Iosue) intraturum terram promissionis, se includi, ausus fuit rogare Dominum postea, quòd ipse intraret terram promissionis; & tamen non fuit exauditus; sed ei fuit dictum. Sufficit tibi, nequaquam vltra loquaris de hac re ad me. Deutero. 3. Quod videtur esse factum propter iuramentum, quia ibi assignatur causa non intrandi peccatum populi, cũ ibi dicatur. Iratus quoque mihi Dominus propter vos. Et cap. 1. dicit. Cum audisset Dominus vocem sermonum vestrorum, iratus, iurauit: Non videbit, &c. Et infra. Nec miranda indignatio Domini in populum, cum mihi quoque iratus dixerit. Nec tu ingredieris illuc. Vnde & in Psal. dicitur. Iurauit Dominus & non pœnitebit eum. Et alibi. Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum. Quia, vt dicit Cassiod. super illud, Iurauit Dominus & non pœnitebit eum; iurare est aliquid firmũ sub attestatione promittere. Et super illud, Sicut iurauit Domino, dicit idem. Ethymologia verbi iurandi significat iure orare, id est, veraciter, firmeque promittere. Et super illud, Non frustrabitur eum; dicit idem. Frustrari est in irritum promissa deducere; quod hîc merito negat posse prouenire, quoniam deceptionis locus esse non potuit vbi promissio iuramenti veracissimi declaratur auctoris. Quia ergo licet aliquando simplex promissio, vel cõminatio Dei, rebus mutatis, inueniatur mutata; nunquam tamen promissio, vel assertio Dei iuramento firmata, inuenitur mutata; iccirco quando Dominus voluit aliquid certitudinaliter affirmare, vsus est hac dictione, Amen; quæ quasi iuramentũ valet, cum tamen significet sicut fideliter, vel verè, vel in veritate dico vobis. Vnde Luc. 4. cum primo dixisset, Amen dico vobis Nemo propheta acceptus est in patria sua; non repetens iterum verbum, Amen; subdit æquiualens, dicens. In veritate dico

Heb. 6. Glos. Hiere. 18. Deut. 3. Idem. Ibidem. Psal. Psal. Cassiod. Psal. Cassiod. Idem. Luc. 4.

vobis

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

vobis multæ viduæ erãt &c. propter quod quia hoc omnino fieri debet quod hîc dicitur, vsus est hac dictione, Amen. Quod & propter aliud fecit; ne fc licet æstimaretur, quòd sic vellet nouam condere legem, & quòd veterem abollere vellet. Frequens enim vsus est scriptorũ, quòd multum instant ad destructionem sentẽtiarum præcedentium Doctorum; sicut patet per Aristotelem in libris philosophiæ naturalis. Dominus etiam videbatur aliqua dicturus esse, quæ videbantur sonare in legis destructionem; & ideo ne hoc videretur, sub assertione iuratoria dicit quòd omnia quæ in lege posita sunt fient; quia illa, quæ Dominus videtur mutasse in lege, in ipsa lege prædicta erant esse mutanda; vnde cũ ipsa mutauerit, legem impleuit, quæ prædixerat ipsa esse mutanda. Aristot.

SVMMARIVM.

Quòd Dominus vtitur hac dictione iuratiua, Amen, vt non credentes ad credendum quod dicebatur mouerentur, cum viderent eum sic assertoriè, & iuratoriè loqui; & vt credentes magis attenti essent, & firmius crederent, quod dicebat, quæ duæ causſæ sunt, quare expediat vt homo iuret.

IX Remig. EST etiam intelligendum secũdum Remig. quòd Christus, qui veritas est, sermone assertorio veritatis vtitur duabus de causis. Primò propter duritiam cordis eorum, quibus loquebatur; qui ad credendum tardi erant, & dum audirent sermonem sic affirmatum per Christum, citius dictis veritatis fidem accõmodarent. Secundò propter credentes, vt diligentius attenderent ea, quæ sequuntur, dum sermonem audirent confirmatorium. Istæ enim duæ causæ sunt, quare homo licitè iurare potest, vt dicit August. in sermone de periurio, in quo circa finem dicit. Si sciret Apostolus Paulus sibi credere Galatas, nõ adderet iurationem, & diceret. Quæ scribo vobis ecce coram Deo, quia non mentior; sed videbat ibi eos qui credebant, videbat etiam ibi alios, qui non credebant; vnde, & vt credentes firmius crederent, & vt non credentes crederent, Apostolus iurauit dicens. Ecce corã Deo, quia non mentior; & eodem modo Dominus Christus vtitur hac dictione Amen, vt credentes firmius credãt, & vt non credentes credant. Vnde & Glos. super illud ad Gal. 1. Ecce coram Deo quia non mentior, dicit: Iurat Apostolus vt credatur quod dicit, quod proficit istis, & necessitate cõpulsus iurat, quia nisi hoc faceret, August. Galat. 1. Glos.

A non crederent ei; quibus non expedit vt non credant, immo expedit vt credant.

SVMMARIVM.

Quare in Euangelio Ioannis frequentrr duplicatur hoc verbum Amen, Amen, in alijs verò Euangelistis non ponitur nisi semel.

X Remig. EST tamen attendendum secũdum Remig. quòd solus Ioannes duplicat hãc dictionem, dicẽdo Amen, Amen, cum alij
B Euãgelistæ solum posuerint Amen semel; quod ideo factum fuit, quia sublimiora, & magis à cognitione humana eleuata, ac necessariora ad salutẽ, sunt posita in Euangelio Ioannis, non autem in alijs Euangelistis, propter quod necesse fuit ipsa amplius confirmari. Potuit etiam esse, quòd Dominus tali modo loqueretur, dum aliquid fortiter cõfirmare volebat; propter quod Ioannes talem modũ loquendi Christi voluit exprimere, quod non fecerunt alij Euangelistæ.

C

SVMMARIVM.

Quomodo secundum diuersas expositiones cœlũ, & terra dicuntur pertransire, & quòd eorum transitio non intelligitur quòd substantia eorum pereat, & annihiletur; sed quòd in meliorem dispositionem, & formam commutabuntur.

XI EST etiam intelligendum quòd hîc Dominus dicit, [*quod cœlum & terra transibunt,*] Quod secundum primam expositionẽ non intelligitur quòd ipsa annihilentur simpliciter, sed quòd facilius Deus permitteret ipsa cadere in nihilum, quàm sua verba non impleret. Non enim sequitur facilius hoc fieret, quàm illud, ergo vtrumque non fiet; quia potest esse quòd vtrumque fiat, vel etiam quòd vtrumque non fiat; sicut & Dominus infrà 9. dicit. Quid est facilius dicere, Dimittũtur tibi peccata, an dicere. Surge, & ambula? & tamen vtrumque factum fuit. Et eodem mo
E do licet facilius sit quòd cœlum & terra transeant, idest in nihilum cadant, quàm quòd Deus sit mendax, tamen neutrũ fiet. Sed secundum duas vltimas expositiones cœlum & terra, & generaliter omnia elementa in fine seculi pertransibunt, non quidem quo ad substantiam, quia terra in æternum stat, Eccl. 1. Sed quo ad dispositionem, & modum quem nunc habent: Vnde & in Psal. cum dictum esset de cœlo & terra. Ipsi peribunt tu autem permanebis, & omnes sicut vestimentum veterascent, Matt. 9. Eccl. 1. Psal. 101.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

scent, subditur. Et sicut amictum mutabis ea & mutabũtur; quia scilicet eorum substantia non destruetur, sed in aliam qualitatem commutabitur; in qua cõmutatione perpetuò elementa postea remanebunt. Vnde & Glo. hoc exponens ad Heb. 1. dicit. Omnes cœli siue cœlestes, siue aerei in melius immutabuntur, & cœli meliorem formam recipient; post quam mutationem sic manebunt, id est, sic permanebunt, id est, sub æternitate stabunt, nec ad corruptionẽ reuertentur. Et Cassiod. hæc exponens, dicit. Mutabis ea, & mutabuntur, quia nunquam erunt ad hoc corruptibile reditura; nam si corruptioni vlterius subiacerent, non dicerẽtur esse mutata. Hæc autem cœli, & terræ mutatio conuenienter, vel nomine mutationis, vel nomine transitionis intelligitur. Semper enim motus vel mutatio de vno ad aliud, requirit subiectum, in quo fiat; & quia subiectum huius mutationis cœli & terra dicuntur, quia mutabis eos & mutabuntur: iccirco non peribit eorum substãtia, sed in aliam formam mutabitur. Nec mirum, quia cum ipsa sint propter hominẽ facta iuxta illud Deuter. 4. Ne fortè oculis eleuatis ad cœlum videas Solem, aut Lunam, & omnia astra cœli, & errore deceptus adores ea, & coles, quæ creauit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cœlo sunt; Sic mutato hominum statu, de statu corruptionis ad statum incorruptionis, & cœlum & terra ad statum & qualitatem incorruptionis & immutabilitatis transibunt. Vnde & hîc dicit Glos. Elementa mutabuntur de hac mutabili forma in immutabilitatem. Et Remig. hîc dicit. Transibunt cœlum & terra per meliorationem, & renouationem, sed non transibunt per abolitionem, id est, per destructionem. Mutabiliter transibunt, sed essentialiter permanebunt; sicut etiam homo post resurrectionem ipse erit, & ipse non erit; ipse erit per essentiam, naturam, & veritatem, sed ipse non erit per carnis corruptionem. Et Chrysost. hîc dicit. Hoc enigmaticè nobis insinuat quòd & mundus vniuersus transformatur, quia & creatura vniuersa transformabitur, & hominum genus transformabitur ad alteram patriam, & vitæ præparationem excelsiorem. Inducit autem transformationem mundi ad probandum legis veteris impletionem; quia quemadmodũ lex Moysi fuit imperfecta per comparationem ad Euangeliũ, propter quod perfecta per Euangelium quo ad aliqua cessauit, quia adimpleta fuit; sic etiã Euangelium est imperfectum per comparationem ad statum gloriæ futurum, qui tunc incipiet, quando cœlum & terra transformabuntur.

Glos. Cassiod. Deut. 4. Glos. Remig. Chrysost. hom. 16.

Tractatus sequens protenditur vsque ibi. (Audistis quia dictum est antiquis. Non occides &c.) *& continet 34. capitula.*

SVMMARIVM.

Ponitur prima cõtinuatio, & expositio, & ostenditur quòd non sufficit (& maximè Doctoribus) quòd præcepta nobilia legis compleãtur, nisi & minima præcepta legis obseruẽtur; nec sufficit quòd aliqua præcepta Dei fiant, nisi omnia fiant. Capitulum primum.

QVi ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines minimus vocabitur in regno cœlorum.] Vbi postquam ostendit quid Doctores docere habeant, quia scilicet, legẽ, & Prophetas, quæ Christus non venit soluere sed adimplere; vult ostendere qualiter viuere secundũ legem debeant; & primò ponit pœnam Doctorum legem soluentium, & secundum solutionem suam alios inducentiũ, vt consimiliter faciant: & secundò ponitur præmium illorum Doctorũ, qui rectè legem intelligunt, & secundum illam viuunt, & alios docet ad consimilia facienda: & tertiò ne credatur sufficere qualiscunque legis obseruatio, vult ostẽdere qualiter Doctores debeant viuere secundum legem, quia scilicet eam perfectè debẽt implere, secunda ibi. [*Qui autem fecerit & docuerit.*] tertia ibi. [*Dico enim vobis quòd nisi abundauerit iustitia vestra.*] Dicit ergo. [*Qui ergo soluerit.*] & potèst primò continuari, & exponi sic. Si ego, qui in nullo legi eram adstrictus, quia voluntariè sub lege factus fui, volo legem non soluere, sed adimplere, vos qui sub lege estis constituti, magis estis obligati ad non soluendam legẽ, sed adimplendam; propter quod si eam soluere ritis non obseruando ipsam; & docueritis homines quòd ipsi non obseruent, minimi eritis in regno cœlorum. Cum enim peccatum non sit nisi inobedientia cœlestium mandatorum; & facere, & docere contrarium illorum, quæ Deus præcipit in lege sit inobedientia: iccirco qui vel vnum mandatum legis transgreditur, sicut inobediens Deo de cœlorum regno excludi debet. Si enim propter solam inobedientiam

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

bedientiam in re, que de se mala non erat, nisi quia prohibita, Adam de paradiso est expulsus; quanto magis propter transgressionem diuini præcepti in re, quæ de se est mala, homo debet excludi à regno Dei, vt malus, & inobediens Deo? Vnde
Iacob.2. & Iaco.2.dicitur. Si personas accipitis peccatum operamini, redarguti à lege, quasi transgressores; Quicunq; autem totam legem obseruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus. Qui enim dixit non mechaberis, dixit, & non occides; quòd si non mœcharis accidus autem, factus es transgressor legis. Et Eccl.9.dicitur.
Eccl.9. Qui in vno peccauerit multa bona perdet. Non enim Dominus præcipit in lege, quòd vnum mandatum eius fieret, vel duo; sed quòd omnia eius mandata
Leuit.19. custodiantur, iuxta illud Leuit.19. Custodite omnia præcepta mea, & vniuersa iudicia, & facite ea, ego Dominus. Vnde & in laudem Zachariæ & Elisabeth, qui sub
Luc.1. lege erant constituti dicitur Luc.1. Erant autem iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela. Et hoc modo hanc
Remig. partem continuat Remig. dicens. Quia dixerat Dominus superius iota vnum, aut vnus apex nõ prẽteribit à lege donec omnia fiant; vt ostenderet quid per iota, & apicem intelligendum sit, subiunxit dicens. [*Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis.*] Ergo per iota, & apicem minima præcepta legis designantur. Sed quid est soluerit? non fecerit, non impleuerit, nõ custodierit, non sicut inuenit, aut legit, aut intelligit. [*Minimus vocabitur in regno cælorum.*] Quod dicit minimus fortassis intelligendum minime. Vnde minimus vocabitur in regno cælorum, idest minime erit in regno cælorum. Et
Augusti. Augustinus.1.lib.de sermo. Domini in monte, dicit. Mandata minima significantur per vnum iota, & vnũ apicẽ. [*Qui ergo soluerit, & docuerit sic.*] id est, secundum id, quod soluerit; non secundum id, quod inuenit, & legit; minimus vocabitur in regno cœlorum; & fortasse ideo non erit in regno cœlorum, vbi nisi magni esse non possunt.

F

SVMMARIVM.

Quòd soluere mandatum dupliciter intelligitur, vel quia opere non impletur, uel quia corrupte quis ipsum interpretatur; & quòd manente legis statu, quicunque scienter quodcunque præceptum legis opere non implebat, prout ad ipsum pertinebat, scienter, & per superbiam contemnens, ipse nisi secundum legem satisfeciſſet damnationem sibi acquirebat.

ET secundum hoc soluere præceptum legis duobus modis intelligi potest; vel pro non facere secundum præceptum legis; vel pro corrumpere, vel erroneè intelligere legis præceptum. Si autem intelligatur primo modo, tunc est sensus, quòd manente lege in statu suo si homo quodcunq; præceptum eius transgrederetur; si memor existens dictæ transgressionis non satisfeciſſet, iuxta mandatum legis damnationem sibi acquirebat. Vnde & Apostolus ad Galat.5.dicit: Testificor
Gal.5. rursum omni homini circuncidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ: vbi dicit Glos. Circuncidens se
Glos. pro humana iustitia ex debito omnia legalia debet adimplere, quod exigit circunciſio; Vt enim baptismus suam, sic circunciſio suam exigit iustificationem. Et quia in lege erant quasi innumerabiles obseruantiæ, & præcepta; & ad ipsa adimplenda ex debito tenebantur Iudæi, quæ tamen nec ipsi, nec patres eorum implere potuerunt, ideo graue iugum legem appellat Petrus
Actu.15. Actu.15. dicens. Nunc ergo quid tentatis Deum imponere iugum super ceruices Discipulorum, quod neque patres nostri, neq; nos portare potuimus? Vnde & sancti, qui in veteri testamento sunt saluati non merito operum, vel obseruantiæ legis, quam implere non potuerunt; sed per gratiam Christi saluati fuerunt, vt ibidem dicit Petrus subdens. Sed
Ibidem. per gratiam Domini Iesu credimus saluari, quemadmodum & illi. Et ad Galat.2.
Galat.2. dicit Apostolus. Scientes quòd non iustificatur homo ex operibus legis, sed per fidem Iesu Christi. Et cap.3.dicit. Quicunque
Idem 3. ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt, scriptum est enim. Maledictus est omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ
Deut.27. scripta sunt in libro legis, vt faciat ea. Vbi
Glos. dicit Glo. Qui se putant iustificari ex operibus legis sub maledicto sunt, id est, trãsgressores sunt, vt nequeant euadere; quia scriptum est. Maledictus est qui non in omnibus præceptis, quæ scripta sunt in libro legis permanserit, ita vt faciat ea; id est, vt non modo velit, sed opere impleat, quod nullus facere potest. Et super illud 2.ad Cor.3. Ministratio mortis, dicit Glo. Ministratio mortis dicitur lex vetus, quæ præuaricatoribus intulit mortem; quos Dei gratia non adiuuit ad iustitiam implendam; & sic cuiuslibet legis mandati transgressio præuaricatorem legis constituebat, maximè quando contra mandatũ Dei scienter homo faciebat. Nam peccata ignorantiæ sacrificijs purgabantur, vt patet Leuit.2. Sed peccatum contemptus, &
Leuit.2.

G H I K

Num.15. rebellionis delebat hominem de populo Dei, iuxta illud Numer. Si anima vna nesciens peccauerit, offeret capram anniculam pro peccato suo, & deprecabitur pro ea sacerdos, eo quòd inscia peccauerit coram Domino, impetrabitq; ei veniam, & dimittetur ei. Sed anima, quæ per superbiam aliquid commiserit, si ciuis sit ille, siue peregrinus, quoniam aduersus Dominum rebellis fuit, peribit de populo suo; verbum enim Domini contempsit, & præceptum illius fecit irritum, iccirco delebitur, & portabit iniquitatem suam. Sic ergo, cum manente lege in statu suo scienter quodcunq; mandatum legis transgrediens nisi satisfeciſſet secundum legem damnationẽ sibi acquirebat; iccirco Dominus dicit secũdum istam expositionem quòd soluens minimum legis mandatum; & sic docens, minimus erit, id est, minime erit in regno cœlorum. Sed quia hæc sententia videretur esse dura de transgrediente scienter quodcunq; legis mandatum, & maximè quia in lege non omni transgressori cuiuscunque mandati legis mors corporalis, per quam significabatur mors animæ per peccatum, non infligebatur, nec infligi mãdabatur; sed solum pro aliquibus, iccirco tam Augu. quam etiam Remig. ponunt aduerbium dubitandi dicentes forte, vel fortasse.

August. & Remig.

SVMMARIVM.

Quòd licet soluens quodcunque mandatum legis scienter non acquireret sibi damnationem; tamen ille, qui soluebat quodcunq; mandatum legis, & docebat alios, quòd ipsi soluerent, damnationem sibi acquirebat, tanquam legis contemptor, & damnator.

III

SEd illo modo quo Dominus dicit, nullum dubium habet; nòn enim dicit. [*Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno cœlorum,*] sed dixit. [*Qui soluerit, & docuerit sic homines,*] id est, qui, vt ipse est prævaricator legis, sic etiam docet alios, vt prevaricentur legem. Iste enim qui sic docet legem prævaricari infidelis est, non credens Dei legẽ; vel si non sit infidelis, quia credit, quòd lex sit à Deo; tamen credit quòd sine causa Deus legem statuerit, non curans quòd seruetur, contra illud dictũ Psal. Tu mandasti mãdata tua custodiri nimis. Vel etiã si credit, quòd lex sit à Deo, & velit quòd obseruetur; tamen facto, & verbo impellit alios ad legis transgressionem, non curans quid Deus præceperit, sed se præponens Deo, vult sibi magis credi, quã Deo.

Psal.118.

A Vnde talis peruersor omnino extra regnũ Dei erit, quia non solum prævaricator est legis, vel sicut non credens legi, vel sicut legis contemptor. Vnde & Deuteron. 13. dicitur de Propheta qui vult auertere populum à lege Dei, Propheta ille, aut fictor somniorum interficietur; quia locutus est, vt auerteret vos à domino Deo vestro, & auerteret vos, & errare faceret de via, quam tibi præcepit Dominus Deus tuus, & auferes malum de medio tui. Et Isa. 9. dicitur. Disperdet Dominus ab Israel caput, & caudam incuruantem, & deprauantem, in die vna. Longæuus, & honorabilis ipse est caput, & propheta docens mendacium, ipse est cauda. Quod exponens Hieronym. 4. lib. super Isa. dicit. Cauda, quæ non est hominis, sed iumenti, hæreticos demonstrat; quia iumenta hoc membro vtuntur ad stercora protegenda, & arcenda parua animalia; & post caput, & caudam, incuruantem iungit, & deprauãtem illos, scilicet, qui legis præcepta subuertunt, & rectam viam deprauant. Et 2. Pet. 3. dicitur. Indocti, & instabiles deprauant scripturas ad suam ipsorum perditionem. Et sic ille Doctor, qui non solum soluit legem, sed etiam docet alios, vt legem soluant, minimus erit in regno cœlorum; id est, minimè erit in regno cœlorum, in quo non nisi magni esse possunt. Vnde Chryso. in homil. 72. dicit. Vnusquisq; incusatione est dignus, qui transgreditur legem; maximè autem qui doctrinę habet auctoritatem. Dupliciter enim, & tripliciter iste, iustè condemnatur; propter vnum quidem quoniã prævaricat; propter aliud quoniam alios deberet corrigere; deinde claudicans maiori pœna dignus est propter honorem; tertio verò quoniam & corrumpit plus, ceu in Doctoris ordine hoc delinquens. Tales enim (vt idem dicit in expositione homil. 32.) fidẽ prædicant, & infideliter agunt, pacem alijs dant, & sibi non habent; veritatem laudant, & mendacia diligunt, auaritiam castigant, & auaritiam exercent.

Deut.13. Isa.9. Hieron. 2.Pet.2. Chryso. hom.72. Idem.

SVMMARIVM.

Quòd Doctor dupliciter docet legem esse soluendam, vel erroneè ipsam intelligendo; & sicut eam intelligit docendo; vel facto palàm, & manifestè in conspectu aliorum hominum contraria opera legis faciendo.

IIII

DVpliciter autem Doctor soluens legem, id est, prævaricans, docet eum prævaricandam, vel verbo, vel facto. Verbo quidem si secundum, quòd ipse male,

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

& erroneè legem intelligit, eam erroneè docet, & exponit; qualiter faciunt hæretici legem, & Euangelium erroneè exponentes, & intelligentes ipsa. Vel si legem benè intelligunt, & docent, tamen malè viuendo, in conspectu aliorum, inducunt alios exemplo ad legis transgressionem, de quibus dicitur infra 23. Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi; quæcumque ergo dixerint vobis seruate & facite, secundum autem opera eorum nolite facere; dicunt enim & non faciunt. Quocunque autem modo Doctor soluat legem, & vt eam soluit docet alios legem esse soluendam, minimus erit in regno cę lorum. Vnde & hîc dicit interli. Soluit legem Doctor vel non agendo, vel nõ credendo, vt Pharisæi & hæretici; & si sic vt soluit docuerit homines, despectissimus erit in Ecclesia sanctorum.

Matt. 23.

Glos.

SVMMARIVM.

Ponitur secunda continuatio, & expositio, & ostenditur quòd Doctor, qui manifestè malam vitam ducit in conspectu hominum, quantumcunque bene eam doceat verbo, minimus est in regno cœlorum; id est, abiectus erit, vel in præsenti Ecclesia, vel in beatitudine æterna; non quòd in illam ingrediatur, sed sicut abiectus ab illa expelletur.

V. SEcundò potest continuari, & exponi sic. Ita dictum est, quòd minima legis mandata fieri, & compleri habent; Qui ergo soluerit vnum de mandatis legis minimis, & in tali statu existens, docuerit homines, quantũcunque eos bene doceat secundum legem viuere, tamen minimus, id est, despectus erit in regno cœlorum. Vt enim dicitur in Psal. Peccatori dixit Deus, quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum, & cætera quæ ibi sequuntur. Et ibi dicit Cassiodo. Interdicitur sceleratis, ne se præsumant sermonibus immittere diuinis; sed hoc intelligitur de peccatoribus induratis in malo: Cęterum conuersis, ac pœnitẽtibus laudes non interdicit diuina clementia, sed ij, qui corde indurati sunt, & ab scelerum suorum prauitate non desinunt, prohibentur Domini narrare iustitias, id est, communi sermone aliquid de illa maiestate proferre; quia os debet esse iustum, quod iustitias Domini narrare præsumit. Et Augu. in originali hoc exponens, dicit. Prohibet prædicare peccatores, quia noluit Deus sine correctione dimittere illos, qui dicunt; ne, hoc solo quod dicunt, securi obdormiscant in mala, & dicant sibi. Non perdet nos Deus, per quorum os voluit tanta bona dici populo suo. Et Apostolus 1. ad Corint. 9. dicit. Sic pugno, non quasi aerẽ verberans, sed castigo corpus meũ, & in seruitutẽ redigo, ne fortè cũ alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Et hoc modo hanc partẽ cõtinuans, & exponens Hiero. hîc dicit. Magistri eruditio (etiam si paruo peccato obnoxia sit) deducit eum de gradu maximo, nec prodest ei docere iustitiam, quam minima culpa destruit, beatitudoq; perfecta sit, quæ sermone docueris opere complere. Sic ergo Doctor peccator, maximè si sit manifestus, etiam si benè doceat; tamen minimus est in regno cœlorum, id est; Vel in præsenti Ecclesia, vt dicit Gregor. in homil. de decem virginibus, per regnum cœlorum in hoc loco præsens Ecclesia intelligenda est, in qua Doctor, qui soluit mandatum minimus vocatur, quia cuius vita despicitur, restat vt & eius prædicatio contemnatur. Vel etiam regnum cęlorum vita beata intelligitur, in quam non ingredietur Doctor, qui mandatum sic soluit, & docet. Vnde & infra Dominus dicit. [*Nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, qui dicebant, & non faciebant, non intrabitis in regnum cœlorum.*] Et vt dicit Gregor. in dicta homil. Mandatum soluit & docet, quando hoc quisque voce prædicat, quod viuendo non implet, sed ad regnum æternæ beatitudinis non potest peruenire, qui nõ vult opere implere quod docet. Et licet talis regnum cœlorum non ingrediatur, tamen in regno minimus vocatur, per modum, quo minora dicuntur, vt maiora significentur. Vnde & Chrysost. hîc dicit in homil. Cum audieris minimum in regnum cœlorum, nihil aliud suspicare quàm gehennam, & supplicium; quoniam in illo tẽpore talis minimus vocabitur; id est, abiectus, & vltimus, qui autem vltimus est, omnino in gehennam tunc incidet: quomodo minimus videtur posse accipi Daniel 5. Tecel appensum est in statera, & inuentum est minus habens; quia vt ibi dicat Hiero. Ante Balthasar fuit iugulatus gladio, quàm natura dissolueret ipsum; & ita minimus ponitur pro damnato, vel abiecto.

Pſal. 49.

Cassiod.

Augusti.

1. Cor. 9.

Hieron.

Gregor.

Matt. 5.

Gregor.

Chrysost. hom. 15.

Dan. 5.

Hieron.

SVMMARIVM.

Ponitur tertia continuatio & expositio, & ostenditur, quòd hoc, quod hic Dominus dicit, Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis &c. non dicit de mandatis veteris legis; sed de man-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

datis quæ ipse statim superadditurus erat legi, & causæ huius expositionis assignantur.

VI

TErtiò potest cõtinuari, & exponi sic. Quia in parte præcedenti ostendit legis veteris firmitatem; nam dixit, quòd donec transeant cœlum & terra non præteribit vnum iota, vel vnus apex donec omnia fiant; in hac parte vult ostendere quòd magis obseruanda sunt præcepta, quæ ipse inferius superaddere debet; quã præcepta veteris legis: ponens maximas pœnas transgredientibus, & transgredi docentibus dicta sua præcepta, & maxima præmia facientibus, & docentibus ipsa. Et hoc modo hanc partẽ continuat Chrysost. hîc in homil. dicens; Postquam eripuit seipsum à pernitiosa suspitione, qua æstimabatur legi veteri esse contrarius, & eos qui volebant legi contradicere obstrinxit; nunc iam & terret, & minas ponit maximas pro futura legislatione. Et quòd illa mandata, quę hîc minima dicit, intelligantur mandata, quæ ipse inferius legi veteri superaddit; manifestum est primò per illud, quod postea subdit. [*Nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.*] Certum est autem, quòd nõ vult suos discipulos excedere iustitia malos Pharisæos, & Scribas Iudæorum, quia tũc dixisset. Nisi vos sitis iusti, & non iniqui, vt Scribæ & Pharisæi, non intrabitis &c. sed vult quòd sui excellant in iustitia bonos superiores Iudęorum, qui superiores iusti esse non poterãt, nisi legem veterem obseruarent; & ideo cum dicit quòd sui debent esse iustiores, & abundantiorẽ habere iustitiã, quoniam erunt magistri Iudæorum; non potest intelligi nisi propter obseruãtiam præceptorum, quæ Christus addidit legi; ad quæ obseruanda suos discipulos inducit dicens. [*Qui ergo &c.*] Quam rationem assignans Chrysost. hîc in homil. dicit. Quoniam non pro veteribus legalibus hoc dixit, sed pro ijs, quæ ipse erat in legislatione docturus, Audi ea, quæ sunt deinceps. [*Nisi superabundauerit iustitia vestra &c.*] Si autem de veteribus minaretur legalibus, qualiter dixit, [*Si non superabundauerit?*] eos enim, qui eadem faciebãt, quæ faciebant illi, non erat superabundare secundum iustitiæ rationem. Et qualis erat hæc superabũdantia? Non irasci, neque inspicere ad mulierem incontinentem. Et infra. Discipulos suos magistris, qui in veteri testamẽto erant, meliores esse vult, Scribas enim hîc & Pharisæos non iniquos, vt putatur appellat; sed eos qui legis præcepta custodiũt. Neque enim illas qui non custodirẽt, diceret habere iustitiã; neque ei quę nõ esset, eam quæ esset iustitiã cõpararet. Secundò hoc idem patet ex alio, quia hîc Dominus vtitur pronomine demonstratiuo, dicens. [*Vnum de mandatis istis minimis.*] Consuetudo autem est scripturæ, quòd quando vtitur pronomine demonstratiuo, loquatur de rebus iam præsentibus, vel statim præsentibus esse debentibus: de præsentibus quidem, vt in Gen. 2. Istæ sunt generationes cęli & terræ, & de ijs quæ statim esse debebant, dicitur Exo. 20. Locutus est Deus cunctos sermones hos, & statim subinfertur decalogus. Non est autẽ ita consuetum, quòd in rebus absentibus, vel longè ante præteritis, scriptura vtatur pronomine demõstratiuo. Vnde cum hîc Dominus vtatur tali pronomine, patet quòd non de præceptis veteris legis, quæ iam diu data erant, sed de præceptis, quæ ipse immediatè erat daturus, loquitur. Quam rationem ponens Chrysost. in expositione dicit. Primum videamus quæ sint ista minima mandata, & puto quòd Dominus manifestè ostenderit, quæ sint, dicens demonstratoriæ. [*Si quis soluerit vnum de mandatis istis minimis,*] id est, quæ modo dicturus sum. Nam talis est mos loquẽdi in scripturis, vt quæ post modicum dictura sint, quasi iam dicta demonstrentur. Sic est ibi, Audite hæc omnes gentes, quæ hæc, nisi quę in sequẽtibus versiculis dicturus erat?

Chrysost. hom. 15.

Idem 16.

Idem 16.

Gen. 2.

Exo. 20.

Chrysost. hom. 16.

SVMMARIVM.

I

Quare mandata Christi, quæ legi apposuit, vocantur minima mandata, assignantur duæ causæ: quarum vna est Christi humilitas, secunda est obseruãda ipsa difficultas. Ex quo cõtingit quòd obseruatio ipsorum est magni meriti, & transgressio ipsorũ paruæ pœnæ, cuius contrariũ est de præceptis decalogi, excepto vltimo.

VII

CHristi autem mandata, quæ legi superaddidit, minima vocãtur. Primò, quia Christi consuetudo fuit sicut perfecti, humilis, & humilitatẽ docentis, quòd sua modica reputauit, quãuis excelsa essent, vnde & in Ioan. dicit. Mea doctrina non est mea; sicut & Apostolus eum sequutus, dicebat 1. ad Corint. 15. Ego sum minimus Apostolorum; & eodem modo vt humilia de se sentiens, & humilitatem docens, sua præcepta, quæ sunt excelsa in se, minima vocat. Quam rationem assignans Chrysost. hîc in homil. cur minima ea vocauerit, quamuis ita magna, & excelsa existentia: & respondens, subdit, Quoniam ipse legislationem introducturus erat.

Ioan. 7.

1. Cor. 15.

Chrysost. hom. 16.

Quem-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Quemadmodum enim seipsum humiliauit, & multis in locis moderata de seipso loquitur, ita & de ipsa legislatione, eruditnos in hoc vbique moderata sapere. Exemplo Dauid, qui cum magnus esset, & magna faceret, irrisus ab vxore de magna humilitate, quia corã Archa Domini saltabat; respõdit 2. Reg. 6. Ludam, & vilior fiam plus quàm factus sum, & ero humilis in oculis meis. Hoc enim proprium est humilis, quòd sua semper reputat parua, & quę sunt aliorũ, magna; cuius contrarium arrogans facit; dicente Bernar. de gradibus humilitatis in cap. de arrogantia. Arrogans non verbo tenus, aut sola operum ostentatione suam præfert religionẽ, sed intimo cordis affectu se omnibus sanctiorem, & è contra. Humilis se & sua existimat minora. Secundò etiam vocat sua præcepta minima, quia sunt ad obseruãdum difficillima, licet in remuneratione sint magna, sicut è contra Præcepta legis veteris sunt grossa, & per consequens facilia ad obseruandum, & sunt parua in præmio vel in remuneratione. Quanto enim obiectum requirit ad hoc vt attingatur virtutem maiorem potentiæ, tanto in se subtilius est, & per consequens minus materiale. Vnde virtus potentiæ visiuæ non determinatur si potest videre maximum corpus; sed si potest attingere, & videre minimum visibile, vt patet primo de cœlo & mundo. Et eodem modo est de intellectu, & affectu. Prudentia enim, quæ dirigit intellectum in agẽdis, tantò est excelsior, quantò in rebus de quibus dubium est an sint bona, vel mala, potest discernere, quid sit agendum, vel quid non, secundum rectam rationem; & tanto prudentia est minor, quanto non potest discernere agenda, nisi in ijs rebus, quæ euidenter, & clarè, & quasi sine discursu rationis apparẽt ex sui natura bona vel mala. Vnde, quia in veteri lege in decalogo (excepto vltimo mandato) erant illa, quæ præcipiebantur, tam euidenter bona, quòd nullus habens rationẽ poterat dubitare; & illa quæ prohibebantur, ita erant euidenter mala, quòd non poterat de euidenti eorum dubitare malitia: ideo illa præcepta magna & grossa sunt. Sed quia irasci, vel incontinenter videre mulierem non sunt ita euidentia mala, quòd statim possit discerni eorum malitia, nisi intellectus & affectus per prudẽtiam & moralem virtutem sint informati: iccirco ista sunt subtilia mala, & minima. Ad quorum malitiam videndam & vitãdam requiritur totus conatus rationis, & affectus; propter quod mandata ista vocantur minima mandata, quia sunt difficilima ad videndum, & vitãdum eorum malitiam, & requirunt virtutem perfectam. Vnde, qui in ijs benè se habẽt, & in alijs benè se habebũt; sicut qui videt rem minimæ quantitatis, & rem magnæ quantitatis faciliter videbit; & non è contra: Et eodem modo qui nõ irascitur contra hominem, nec interficiet ipsum; licet ille, qui non interficit, frequenter irascatur, & vituperet fratrem suum. Vnde & Luc. 16. dicitur. Qui fidelis est in minimo, & in maiori fidelis erit. Et quia quanto difficilius est adimplere mandatum, tanto maiori remuneratione est dignus, qui ipsum adimplet; & quanto facilius mandatum adimpletur, tanto minora remuneratione dignus est qui ipsum adimplet, quia quanto etiam difficilius est mandatum, tanto minori pœna dignus est, qui ipsum transgreditur; & quanto est facilius mandatum, tanto maiori pœna dignus est, qui ipsum transgreditur: Iccirco obseruatio mandatorum veteris legis, quia erant facillima ad obseruãdum, erat minoris remunerationis; & maioris pœnæ erat digna eorum præuaricatio: & obseruatio mãdatorũ legis nouæ est & digna magna remuneratione, & transgressio eorum est digna modica pœna, dicente August. 14. de ciuitate Dei cap. 15. Sicut Abrahæ non immeritò magna prædicatur obedientia, quia vt occideret filium, res difficillima est imperata, ita & in patadiso tanto maior inobedientia fuit, quãto id quod præceptũ est nullius difficultatis fuerit. Et sicut obedientia secundi hominis eo prædicabilior, quo factus est obediens vsque ad mortem, ita & inobedientia primi hominis eo detestabilior, quo factus est inobediens vsque ad mortem. Vbi enim magna est inobedientiæ pœna proposita, & res à creatore facilis imperata, quis nam satis explicet quantum malum sit non obedire in re facili, & tantæ potestatis imperio, & tanto terrenti supplicio? Vnde cum præcepta veteris legis essent faciliora ad implendum: ideo eorum trãsgressio erat grauissima, & eorum adimpletio parui meriti erat: & è contra, quia præcepta noui testamenti sunt difficillima ad implendum; iccirco eorum trãsgressio est leuis, & obseruatio est magni meriti. Vnde Hieron. in Epistola ad Matrem & Filiam loquens de primo præcepto secũdæ tabulæ, dicit. Mater & filia nomina pietatis, officiorum vocabula, vincula naturæ; secundamq; post Deum fœderatio. Non est laus si vos diligitis, scelus est quod odistis. Et in Epistola ad Eustochium dicit idem. Maioris est mercedis quod non cogitur,

2. Reg. 6.

Bernar.

Aristot.

Luc. 16.

August.

Hieron.

Idem.

sed

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

sed offertur, propter quæ Christi præcepta, quia sunt difficillima, & magni meriti, præcepta minima sunt vocata, dicente Chrysost. hîc in expositione. Mandata Moysi vt Non occides &c. in actu facilia sunt, & ideo in remuneratione modica, & in peccato magna. Mandata autẽ Christi vt Non irascaris, in actu difficilia sunt, & ideo in remuneratione magna sunt, in peccato autem minima: quomodo abstinere ab homicidio, aut ab adulterio facile est. Ipsa enim criminis magnitudo voluntatem faciendi repercutit; & ideo non habet laudem qui abstinet se ab illis, quia non est labor abstinere se ab illis. Nam omne malum quanto grauius crimen est, tanto leuius videtur ad non faciendum, & grauius facit peccatum, si fuerit factum. Non irasci autẽ difficile est in actu, quia dum leuis culpa putatur, non facilè obseruatur à multis. Et multũ laboriosum est non irasci, quia naturaliter in hominibus iracundia est plantata: & ideo talia in remuneratione magna sunt, quia difficile est abstinere ab eis. Præterea, & si iratus fuerit homo, aut cõcupiuerit, est quidem peccatum, quia malum est; non est tamen graue peccatum, quia difficile est abstinere ab eis. Ergo ista Christi mandata minima sunt, quia in obseruando magna sunt, in peccato autem minima videntur, quantum ad homines negligentes.

Chrysost. hom. 16.

SVMMARIVM.

Quòd aliqua transgressio istorum mandatorum minimorum Christi excludit à regno Dei, & aliqua non, sed vel retardat, vel diminuit gloriam.

VIII

EST tamen intelligendum, quòd licet ista peccata, quæ committuntur contra Christi additiones, sint peccata minora, quàm illa quæ committuntur contra mandata decalogi; tamẽ transgressio istorum præceptorũ Christi talis esse potest, quòd excludat à regno Dei. Vnde & Chrysost. in hom. hîc dicit. Cum audieris minimum in regno cœlorum, nihil aliud suspicare quàm gehennam, & supplicium; Deus etenim punit multorum desidiam, & quod quidam æstimaturi erant superabundantiæ solius esse, quæ dicta sunt, & syllogizaturi contra leges eius, & dicturi. Si igitur aliquis alium stultum vocauerit, punietur: Ideo hanc antea destruẽs pigritiam minas posuit maximas, alterutrisq; & transgrediẽtibus, & alios ad hoc inducentibus, dicens. [*Minimus erit in regno cœlorum, & non intrabitis in regnum cœlorum.*] Potest tamen transgressio esse talis mandatorum istorum, quòd non excluderet transgressorem à regno cœlorum; sed diminueret gloriam eius, vel retardaret; Quomodo videtur exponere Chrysost. in expositione minimum esse in regno cœlorum; quia (vt dicit) minimum esse in regno cœlorum idipsum est, quòd non intrare in regnum. Esse enim aliquem in regno, non est regnare cum Christo; quia talis, quidem gloriam regni cœlorum non habebit cum Christo, erit tamen in regno cœlorum.

Chrysost. hom. 16.

SVMMARIVM.

Quæ peccata prouenientia ex concupiscentia ordinata sint venialia, & quæ mortalia: & quæ excludant à regno, nisi remittantur per gratiam, & quæ non excludant.

IX

CIrca quod attendendum, quòd actus istarum passionũ, sicut est irasci, concupiscere malè, quandoq; non subsunt rationi naturæ, quia non est in potestate naturæ, quibus visis tangamur; & tunc quando tales motus insurgunt in nobis, peccata non sunt, maximè in renatis; licet ex fomite peccati originalis proueniant; sed postquam tales motus in nobis insurrexerint; & hoc homo per liberũ arbitrium perpendit, & statim tales motus non cohibeat, & refrenet, peccata sunt ad minus venialia. Sed si ratio succumbat talibus motibus, & hoc vel tantum quantum ad delectationem, quæ est in talibus concupiscentijs, non præponẽs peruenire ad delectationẽ affectionis, vel opus exterius, vel quantum ad consensum operis exterioris; licet propter impedimentum extrinsecum nõ perueniat ad opus exterius; omnia ista sunt peccata mortalia, quæ excludunt à regno Dei; dicente Augustin. 12. de trinitate cap. 12. Si delectationibus illicitis, à quibus se continuò deberet auertere cogitatio, libenter sola pascatur, nec facienda decernantur mala, sed tantum suauiter in recordatione teneantur, quæ statim (vt attigerũt animũ) respui debuerunt, negandum non est esse peccatũ; sed longè minus, quàm si & opere statuatur implendũ; Sed pro hoc peccato totus homo damnabitur, nisi hæc, quæ sine voluntate operandi; sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per mediatoris gratiam remittuntur. Sic ergo, si tales concupiscentiæ, vel in delectatione sola cogitationis etiam sine consensu operis superant rationem, excludunt à regno

Idem ib. 11.

Aug.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Dei: Illæ verò concupiſcentiæ, quæ infra hunc gradum ſunt, vel non ſunt peccata, vel ſunt ſolũ venialia, quæ non excludunt à regno Dei. Vnde & ſuper illud ad Rom. 6. Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentijs eius, dicit Gloſ. Concupiſcentia aliquando eſt nomen fomitis, id eſt, vitij innati; aliquando actus interioris, qui eſt etiam in primo motu, qui dicitur pro paſſio; & in ſecundo qui dicitur delectatio; & in tertio qui dicitur conſenſus: hîc tamen non prohibet concupiſcentiam, quæ eſt in primo motu, qui non eſt in poteſtate noſtra, quando ſurgat; ſed Dei gratia compeſcere poſſumus, ne vſque ad delectationem, & conſenſum perueniat; quod hîc Apoſtolus prohibet, vt ſcilicet mente non delecteris, vel conſentias cõcupiſcentiæ carnis; & tunc nõ regnabit peccatum, quia ſi cupis ex infirmitate, ſi tamen non conſentias vel delecteris non regnat peccatum. Si ergo vis victor eſſe Tyranni, & inimicum inermem inuenire, & ſic tibi ſubijcere; non obedias concupiſcentiæ malæ, nec etiam concupiſcas delectando. Et Auguſt. in lib. de verbis Apoſtoli ſer. 6. dicit. Peccati nomine appellat, vnde oriuntur cuncta peccata, id eſt, ex carnali concupiſcentia, Quicquid enim eſt peccatorum in dictis, in factis, in cogitationibus non exoritur niſi ex mala cupiditate, non exoriuntur niſi ex illicita delectatione? Huic ergo illicitæ delectationi ſi reſiſtamus, ſi non cõſentiamus, ſi membra velut arma non miniſtremus, non regnat peccatum in noſtro mortali corpore; & è contra, ſi illicitæ delectationi conſentiamus, peccatũ regnat, quia (vt dicit idem) eodem ſermone, Qui in carne cõfidunt, qui concupiſcentias ſuas ſequuntur, qui in his habitant, qui earum voluptatibus oblectantur, qui in earum delectationibus beatam, felicemq; vitam conſtituunt, ipſi in carne ſunt, & Deo placere non poſſunt. Sic ergo iſta quæ Dominus addidit veteri legi quando tranſgrediuntur aliquando ſunt peccata venialia, aliquando mortalia; tamen nunquam ſunt ita grauia peccata ſicut tranſgreſsio præceptorum decalogi. Non enim iraſci eſt ita graue ſicut homicidium perpetrare: nec videre incontinenter alterius vxorem, ſicut adulterium cum ipſa concumbendo perpetrare. Et propter prædicta aliquando dicit Chryſoſt. quòd tranſgreſsiones mãdatorum Chriſti excludunt à regno, aliquãdo verò, quòd non excludunt, ſed quòd vel retardant, vel gloriam diminuunt.

Rom. 6. Gloſ. Auguſt. Idem. Chryſoſt. hom. 161

A

B

C

D

E

SVMMARIVM.

Ponitur quarta cõtinuatio, & expoſitio & oſtenditur quare Dominus tam graues pœnas comminetur hic tranſgredientibus præcepta, quæ ipſe addidit legi; quia huiuſmodi præcepta ſunt principia omnium bonarũ, vel malarum actionum; quorum concluſiones ſunt præcepta in decalogo poſita; propter quod Chriſti mandata, quia ſunt principia vocantur minima per comparationem ad mandata legis, quæ concluſiones dictorum principiorum erant.

X

QVartò poteſt continuari, & exponi ſic de Chriſti mandatis. Ita dictum eſt. Quòd illa, quæ in lege veteri continentur, oportet, quòd impleantur; quæ quidem ſunt quaſi concluſiones illorum præceptorum Chriſti, quæ addit ipſi legi; ſed quia fortè æſtimaretur, quòd principia iſta, quæ Chriſtus addidit legi non eſſent obſeruanda, vel de eis non multum eſſet curandum: iccirco dicit, [*quòd qui ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis &c.*] Principia enim in omnibus ſcientijs ſunt minima quantitate, & maxima virtute, & paruus error in principijs, in concluſionibus fit valde magnus: Vnde & hîc Chryſoſt. dicit. Radix occiſionis eſt ira; qui ergo radicem abſcindit, multo magis deſtruit ramos. Vt ergo Dominus principia omniũ malarum actionum radicitus euellat: iccirco ponit magnas comminationes contra illos qui iſta principia ſua deſtruunt, & deſtruere docent. Vnde & de tali minimo poſſet accipi quod habetur infra 13. Simile eſt regnum cęlorum grano ſinapis, quod accipiens homo ſeminauit in agro ſuo, quod minimum, quidem eſt omnibus ſeminibus. Cum autem creuerit maius eſt omnibus oleribus, & fit arbor ita, vt volucres cęli veniãt, & habitent in ramis eius. Nihil enim ſic ad perfectam vitam hominem ducit, ſicut obſeruatio mãdatorum Chriſti; nec ita hominem faciliter ad profundum peccatorum perducit, ſicut non curare, vel non obſeruare mandata, quæ Dominus veteri addidit legi. Vt enim dicitur Eccl. 19. Qui ſpernit modica paulatim decidet; Et Luc. 5. Qui fidelis eſt in minimo, & in maiore fidelis eſt, & qui in modico iniquus eſt, & in maiore iniquus erit.

Chryſoſt. hom. 11. Matt. 13. Eccl. 19. Luc. 5.

SVMMARIVM.

Quare cum tranſgreſſio præceptorum decalogi ſit in ſe maius peccatum, quam ſit tranſgreſſio præceptorum, quę Dominus addidit legi, minores pœnæ comminantur tranſgreſſoribus præ-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

ceptorum decalogi? Quia ibi comminabatur mors corporalis, hic vero mors æterna, & exclusio à regno Dei; assignantur duæ rationes.

XI

QVibus visis, circa litteram est intelligendum, quòd in veteri lege, quæ prohibebat peccata grauiora, minor pœna inferebatur, & comminabatur; quia solum mors corporalis, vt patet Leuit. 20. & in multis alijs locis in lege. Sed in nouo testamento in quo prohibentur minora peccata grauior pœna comminatur, & infertur, vt minimum esse in regno cœlorum, vel non intrare regnum cœlorum, quod nihil aliud est nisi incedere in gehennam, & suppliciũ ignis æterni; non quòd peccantes in veteri testamento non inciderent in gehennam, sed quòd hæc pœna non comminabatur eis in lege. Cuius differentiæ rationem assignans hîc Chryso. dicit. Quòd hoc primò fit vt pœnæ correspondeant præmijs. Sicut enim in veteri testamento præmium bonorum operum, & obseruantiæ legis diuinæ erat promissio, & datio bonorum temporalium: ita & pœne legem transgredientibus temporales erant, per quæ tamen pœnę, & præmia æterna figurabantur. Sed grossus, & carnalis populus non intellexisset vel curasset de pœnis, vel præmijs vitæ sequentis; quia sic erant carnales, & grossi, quòd de bonis spiritualibus, & æternis (vt in pluribus) non poterãt cogitare, circa solum carnalia, & temporalia attenti. Sed in nouo testamento pœnæ, & prędmia ponuntur æterna, & quæ in alio seculo obseruantes, vel transgredientes consequuntur. Vnde sicut maxima bona repromittuntur transgredientibus legem Christi, vnde dicit Chrysost. Quia in nouo testamento maiora sunt prędmia, maiores etiam sunt pœnæ; non enim terra fluens lac, & mel, neque senectus pinguis, neque propagatio filiorum, neque frumentum & vinum, neque ouium, ac armentorum greges nunc promittuntur: sed cęlum, & quæ in cęlis sunt bona, & adoptio, & fraternitas, quæ est ad vnigenitum, & continuatio hæreditatis, & conglorificari, & conregnare, & decem prędmia illa; iustum est autem, vt pro maiori præmio consequendo maiora & difficiliora opera homo operetur, quàm pro minori præmio; cum præmium comparetur, vel quasi ematur per opera, & ideo maiori existente præmio, maius opus pro ipso adipiscendo est peragendum. Vnde & Apostolus dicebat ad Rom. 8. Existimo quòd non sint condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Et quia comminationes, & pœnæ non sunt nisi quædam vincula, quibus retinetur pronitas ad malum humanæ naturæ, quæ prona est ad malum ab adolescentia sua: iccirco quanto maiores pœnæ legem transgredientibus comminantur, tãto pronitas ad malum, ne in malum defluat, retinetur. Et iccirco vt homines magis animentur ad virtuosa opera peragenda, & ad peccata fugienda, in nouo testamento maxima præmia, & maximæ pœnæ comminantur & proponuntur, vt homines ad virtutem inducantur. Secundò etiã hoc fit, quia maiori virtute data, maius opus exigitur; non enim eadé opera exiguntur à puero, & à viro; quia opus laudabile in puero est, vituperabile in viro, iuxta illud Apostoli 1. ad Corint. 13. Cum essem paruulus sapiebam, vt paruulus, cogitabam vt paruulus; quando autem factus sum vir euacuaui, quæ erant paruuli; Tempore autem legis propter gratiæ defectum; quia licet lex instrueret ad scientiam, tamen non adinuabat per gratiam; infirma, & paruula erat virtus naturæ nostræ ad persicienda Dei mandata iuxta illud ad Rom. 8. Impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem; & ad Gal. 4. Cum paruuli essemus sub elementis mundi eramus seruientes. Et ideo quia paruuli eramus præmia puerilia, & modici valoris existentia nobis dabãtur, vt illecti talibus præmijs à magnis peccatis abstineremus: & eodem modo fiebat de pœnis. Sed Christo adueniente, & gratiam, & veritatem nobis largiente facti sumus viri; & ideo maiora opera à nobis exigũtur, quàm in lege præcepta fuerint; quia maiora adiutoria nobis sunt data ad præcepta maiora obseruanda; & ad vitanda peccata, quæ per Dominum sunt prohibita, & maiora præmia sunt promissa, & etiam maiori pœna digni sumus, si maiora Christi præcepta non obseruemus, & non propter quodcunque aliud, sed propter se ipsum Deo seruire debemus. Vnde & hîc Chrysost. dicit. Quia nunc amplior est virtus, quę est à spiritu decenter & maiora expetit charismata. Vnde & Apostolus ad Heb. 5. Exprobratiuè loquitur quibusdam, qui adhuc paruuli erãt; Cum deberetis (inquit) magistri esse propter tempus, rursum indigetis, vt vos doceamini, quæ sint elemẽta exordij sermonum Dei, & facti estis quibus lacte opus est, non solido cibo. Omnis enim, qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitię, paruulus enim est; perfectorum autem est solidus cibus eorum, qui pro consuetudine habẽt exercitatos sensus ad discretionem boni & mali.

Leuit. 20.

Chrysost. hom. 16.

Idem ho. 16.

Rom. 8.

1. Cor. 13.

Rom. Gal.

Chrysost. homil.

Heb. 5.

SVM-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

SVMMARIVM.

Quibus gradibus perueniat malus Doctor ad docendum alios soluere Dei mandatum.

XII

SEcundo est etiam notandum, quòd Dominus loquēs de malo Doctore primo dicit, quòd soluit mandatum, & deinde quòd docet soluendum, nisi enim Doctor mandati Dei transgressor fuerit, non faciliter prosilit ad docendum contra Dei mādatum. Circa quod attendendum, quòd isti sunt gradus peccatorum. Primo enim homo concupiscentia mala agitatus eam sequens legē Domini transgreditur iuxta illud Iacob. 1. Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua, abstractus, & illectus; deinde cum concupiscentia conceperit, parit peccatum; peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem. Secundo quando homo iam peccauit, concupiscentia ductus verecundus efficitur, quia superatus est à peccato; ex quo contingit peccati cęlatio, qualiter contigit in Cain, qui interrogatus à Domino, postquam fratrē occiderat. Vbi est Abel frater tuus? Respondit, nescio. Nunquid custos fratris mei sum? Gen. 4. Tertio, postquam peccatum est detectum, sequitur peccati defensio, vel etiam excusatio. Tantum enim natura rationalis peccatum detestatur, quòd nullo modo vult sibi imponi; sed ex quo videt sibi impositum vult se excusare, vel alteri peccatum suum imponere; vt sic se possit liberare à peccati turpitudine. Vnde & Cassiod. super illud Psal. Ad excusandas excusationes in peccatis dicit. Hoc vitium est, in quo laborat humanitas, vt post peccatum suum ad excusationes confugiat. Vnde quod dicit. Ad excusandas excusationes in peccatis, consuetudinem significat imprudentium; qui quando fuerint deprehensi primum se aliqua falsitate excusare noscuntur; & cum fuerint inde conuicti, alias semper excusationes assumunt, ne quando veritati acquiescat in uerecunda proteruitas modo tempori, modo necessitati, modo alijs imputando quòd peccant; Quomodo & Adam conuictus de transgressione diuini mandati culpā imposuit vxori, & vxor serpēti, Gen. 3. Sed quando omnino quis deprehensus est in peccato, & conuictus, nec se valet excusare, tunc omnino efficitur inuerecundus; & iam postea (si facultas adsit) verecundia perdita non veretur iam publicè peccare, iuxta illud Hiere. 3. Frons mulieris meretricis tibi facta es, noluisti erubescere. Et Ezech. 16. dicitur ad Hierusalem. Aedificasti tibi lupanar, & fecisti tibi prostibulū in cunctis plateis. Quod exponens Hiero. 5. lib. super Ezech. dicit. Aedificat sibi lupanar, qui tota frontis libertate delinquit. Verecundia autem perdita propter consuetudinem peccandi iam videtur homini, quòd non sit peccatum, quod facit; & non solum non peccat inuerecunde, sed etiam alios inducit, & docet peccare. Vnde & Isa. 3. dicitur de multum peruersis. Agnitio vultus eorum respondebit eis, & peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt. Quod exponēs Hierony. 2. lib. super Isa. dicit. Quomodo Sodomitæ cum omni libertate peccantes, & nec pudorem quidem vllum habentes in scelere, dixerunt ad Loth: Educ foras viros, vt concubamus cum eis; Sic & isti publicè proclamantes, suum prædicauere peccatum, nec vllam in peccatis habuere verecundiam. Secunda enim post naufragium tabula pœnitentia est, & consolatio miseriarum impietatem suam abscōdere. Vnde quia non statim transgressor diuini mandati incipit docere alios ipsum transgredi, sed quibusdam gradibus ad hanc malitiam peruenitur, vt dictum est; nec vnquam est Doctor transgrediendi mandatum, qui non fuerit primo transgressor, & mandati contemptor: iccirco Dominus primò dicit, quòd Doctor soluit mandatum, & deinde, quòd docet soluēdum; qui inter omnes pessimus est; cui non sufficit, quòd malum faciat, nisi etiam alios ad malum faciendum inducat. Vnde & Chrysost. hîc dicit. Oportet in alterutris, scilicet & in illo, qui soluit, & docet soluendum, & in alio qui facit, & docet faciendum, summum esse, id est, summus est in malo qui soluit, & docet soluendum mandatum, sicut & summus est in bono, qui facit, & docet faciendum.

Iacob. 1.
Gen. 4.
Psal 140.
Cassiod.
Genes. 3.
Hiere. 3.
Ezech. 16.
Hieron.
Isa. 3.
Hieron.
Gen. 19.
Chrysost. hom. 16.

SVMMARIVM.

Quare Dominus de malo Doctore dicit, quòd mandatum soluit, de autem bono dicit, quòd mandatum facit; & quid significet mandatum soluere, & docere.

XIII

VNde & Dominus ad hoc attendens de malo Doctore dicit, quòd soluit, de bono autē dicit, quòd facit; Non enim omnis, qui facit contra mandatum, propriè soluit mandatū, sed ille dicitur mandatum soluere, qui credit quòd mādatum non habeat virtutem ligandi, vel obligandi hominem ad sui obseruantiam; & qui talis est, mandatū omnino dissoluit; propter quod sicut omnino non curās de man-

dato docet facere contra mandatum; vnde & de tali dicitur Iob 11. Vir vanus in superbiam erigitur, & quasi pullum onagri se liberum natum putat. Quod exponens Grego. 10. lib. moral. cap. 8. dicit. Qui implere cuncta, quæ desiderat per effrænatã libertatem quærit, quid aliud quàm pullo onagri esse similis concupiscit? vt disciplinæ hunc loca non teneant, sed audacter magis per siluam desideriorum currat? Quando autem homo sic credit esse liber, & absolutus à lege, credens diuinũ præceptum ipsum non ligare; subito prosilit ad docendum alios vt se non credant teneri ad diuina præcepta obseruanda. Sed non omnis ille, qui facit contra mandatum, credit se non obligatum esse ad mandatũ obseruandum; cum multi mandata transgrediẽtes diuina peccare se credant; & ideo ille Doctor soluit, & docet, qui non credit, quòd mandatum diuinum ipsum, vel alium liget. Sed quia non est perfectus Doctor mandatorum diuinorũ, qui quod docet non facit; ideo Dominus dicit de bono Doctore, quòd facit, & docet; Non enim sufficeret bono Doctori si crederet diuinum præceptum se, & alios ligare, & tamen ipse concupiscentia ductus, vel negligentia, non faceret, quod iubetur, quia tunc esset de illis Doctoribus, qui dicunt, & non faciunt. Et hoc modo exponendo, vterq; Doctorum istorum est in summo, primus in malitia, secundus in bonitate.

Iob 11.

Gregor.

SVMMARIVM.

Quòd Doctor qui soluit mandatum, & docet soluendum, inter alios peccatores est peior in culpa, & grauius torquebitur in pœna nisi se emendet.

XIIII

PROpter quod & in pœna, & præmio summi debent esse. Vnde & Hierony. lib. 6. super Isa. exponẽs illud de Lucifero. Quomodo cecidisti Lucifer de cælo? dicit. Iste est princeps sæculi, qui inter cæteras stellas mane oriebatur, & suo vitio de Lucifero vesper effectus est: qui mittebat ad gẽtes satillites suos, vt omnes sua fraude deciperet; isti sunt falsi Apostoli operarij mendaces, qui transfigurabantur in Apostolos Christi: qui bono semini lolium super seminant, dormientibus Ecclesiarum magistris; & nolentibus, aut volentibus, & nequeuntibus eorum malitiæ resistere. Qui Lucifer cum suis apostolis descendet vsque ad fundamenta laci, & detrahetur in profundum: & nec cum ijs habebunt confortium sepulturæ, quos interfecit.

Hiero.

Alterius enim pœnæ est auctor delicti, & alterius, qui à Doctore compulsus est. Et 10. lib. super Ezech. dicit idem exponens illud Ezech. 32. Non dormient cum fortibus cadentibusque incircuncisis. Hi inquam hæreticorum principes extiterunt, & ad tantum malitiæ peruenere culmen, atq; cruciatum, Vt nec cum fortibus, atq; cum gigantibus, qui à principio corruerunt similia mereãtur ferre supplicia: qui nequaquam erroris acta pœnitentia, descendunt ad inferos cum armis suis, rebelles cõtra Deum, & Ecclesiam eius: secum animos deferẽtes: qui quantum per superbiam se ad excelsa sustollunt, tantum in profundum fouee, & inferni nouissima detrahuntur; propter quod, & minimi hîc vocantur, quia inter omnes peccatorẽs hæretici abiectissimi erunt, quia sicut sunt maiores in crimine, ita erunt maiores in pœnis tolerandis.

Ezech. 32. Idem.

SVMMARIVM.

Quòd non omnis qui facit contra Dei mandatum est censendus hæreticus; sed ille qui soluit mandatum Dei, id est, qui credit, quòd Dei mandatum non obliget ipsum, vel quemcunq; alium ad sui obseruantiam, hæreticus est censendus; quia non solum ille qui malè sentit de rebus speculabilibus in scriptura contentis est hæreticus: sed etiã ille, qui credit esse licitum, quod Deus prohibuit, vel illicitum quod Deus iussit? etiam si non nisi in vno mandato erret, habendo bonam credentiam de alijs.

EX hac aũt littera manifestum est: quòd non ille, qui facit contra mandatu est hæreticus censendus, sed ille qui soluit mandatum, & docet soluendum; quia talis non credit Dei mandatum virtutem ligandi habere, propter quod diuinę scripturæ resistit. Dicente Moyse Deutero. 32. Ponite corda vestra, in omnia verba, quæ ego testificor vobis hodie: vt manderis ea filijs vestris custodire, & facere, & implere vniuersa, quæ scripta sunt in volumine legis huius, quia nõ in cassum præcepta sunt nobis, sed vt singuli in eis viuerẽt. Ex quo etiam patet, quòd non solum sunt pro hereticis habendis, qui negant articulos fidei: sed etiam illi sunt hæretici, qui credunt licitum esse, quod Deus prohibet; vel illicitum, quod Deus iubet, vel etiam permittit, quod Dominus nõ dixit. Quicunque non soluerit doctrinalia, vel speculabilia legis; sed quicunque soluerit vnum de mandatis; mandata autem ad vitam moralem pertinent. Et non solum ille, qui omnia Dei præcepta, vel etiam ma-

XV

Deut. 32.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

iora dissoluit, id est, credidit non esse obligatoria, est hæreticus, sed etiam ille, qui vel vnum minimum dissoluit, vt dicitur in Psal. Omnia mandata tua veritas. Psal.118.

SVMMARIVM.

Quòd si Dominus loquatur de soluente mandata veteris legis, & docente sic, & hęc quo ad præcepta cerimonialia, vel iudicialia ante mortem Christi, Verum est, quòd ille, qui dictę legi erat subiectus, & taliter faciebat, grauiter peccabat quia adhuc lex virtutem obligandi habebat: sed quia in Christi morte quo ad dicta præcepta lex vetus mortua fuit, id est, vim obligandi perdidit; Christiani qui ab illa lege soluti sunt soluendo, & prædicando solutionem dictorum mandatorum esse factam per Christum non peccant; immo si non soluent, & soluendo docerent, peccarent; sed de mandatis legis Euangelij, quia vsque in finem eius vis obligandi manebit; quicunque soluunt eam, id est, dicunt quod virtutem obligandi perdidit, vel perdet ante finem mundi, minimi erunt in regno Dei.

XVI PRopriè autem de illo, qui credit Dei mandata non ligare dicit. [*Qui soluerit mandatum.*] Lex enim vim obligatoriã habet, dicente Apost. ad Rom.7. Mulier, quæ sub viro est, viuente viro alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri. Vnde quamdiu lex Moysi fuit in suo statu, ad omnia sua mandata obseruanda Iudæos obligabat; sed nunc Christo eam implẽte, virtutem obligandi, quo ad multa (vt supra dictum est) ammisit. Secundum quod deducit Apostolus in dicto loco. Vnde qui nunc soluit legem Moysi, id est, qui dicit eam virtutem non habere obligandi, non soluit legem; sed dicit eam esse solutã, quia est mortua: propter quod non potest homini dominari, qui est à vinculo legis solutus per Christum; propter quod non incidit Christianus in hoc dictum Domini, non obseruans legis iudicialia mandata, vel cerimonialia, & dicens etiam, & credens ipsa non esse obseruanda. Vt enim dicit Glossa super illud, Si autẽ mortuus fuerit vir eius, ad Rom.7. Si lex statũ ammittit, soluitur homo, quia viuente viro alligata est mulier legi viri. Igitur viuente marito, vocabitur adultera, si fuerit cũ altero viro. Sic qui legẽ præuaricatur, stante ipsa, peccat. Si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est à lege viri, id est, sublata lege; data remissione peccati, hi qui iuncti sunt Euangelio, per gratiam liberati sunt: finita enim lege, non præuaricatur qui ad Christum transit dimissis figuris: mortua enim lege non sunt adulteri qui à Christo sunt liberati, & ab ipsa soluti. Immo si quis seruans legem mortuam, vult esse fidelis, adulter est in vtroque, nec prodest ei Christus, mortua autem dicitur lex, cum cessat eius vis ad obseruandum ipsam obligans. Sed quia quãdo Christus hoc dixit, adhuc lex mortua non erat; quæ mortua fuit, quando Christus mortuus fuit: Iccirco si de mandatis veteris legis hîc Dominus loquatur, dicit; quòd qui pro illo tempore legem solueret propria auctoritate, minimus esset in regno. Non autem se ipsum comprehendit in hoc, qui non subditus erat necessariò legi, sed erat Dominus legis, qui suis legibus non est adstrictus nisi velit. Sed si loquatur de mandatis nouæ legis, quia ipse vsque in finem manebit, & virtutem obligandi habebit, iuxta illud Apost. ad Hebr.9. Vbi est testamentum, necesse est, vt intercedat mors testatoris; testamentum enim in mortuis confirmatum est; & ad Gal.3. dicit idem. Hominis confirmatum testamentum nemo spernit, aut superordinat; & quia testamentũ nouum per Christi mortem testatoris confirmatũ est: Ideo non superueniet alia lex, vel testamentum, propter quod, & vsque ad finem mundi obligabit; & ideo quicunque soluerit mandata Christi, minimus erit in regno cęlorum, quia Christi Euangelium est Euangelium ętternũ, vt patet Apoc.14. Rom.7. Idem. Glos. Hebr.9. Galat.3. Apoc.14.

SVMMARIVM.

Reprobatur error Ioachim, & quorundam aliorum, qui dixerunt quòd tres debebant esse Dei leges, scilicet lex vetus, quæ patri appropriatur, & lex Euangelij, quæ filio; & lex circa finem mundi futura, quæ apprporiabitur spiritui sancto: & quòd sicut quo ad aliqua præcepta, vetus lex fuit annunciata adueniente Euangelio, ita ad veniente lege spiritus sancti euacuarentur aliqua præcepta Euangelij.

XVII NEc sunt in hoc audiendi Ioachim, & aliqui alij hæretici, qui dicunt quòd ad hanc tertia lex succedet, quam vocant legem Spiritus sancti; qua veniente quilibet poterit facere, quod libebit; vt actus à Spiritu sancto, & solutus à lege veteri, & etiam Euangelij, quæ sunt vanitates, & hominum carnalium deliriationes; quos omnes Dominus redarguens dicit. [*Qui soluerit vnum de mandatis istis*] demonstrans de quibus mandatis intelligit; quia vel de mandatis veteris legis, de quibus immediatè supra locutus est, vel de man-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

datis suis, de quibus statim infra locuturus est, & non dicit indefinitè de mãdatis.

SVMMARIVM.

Quòd sine obseruantia mandatorum Dei, nullus obseruando consilia, vel hominum mandata, potest peruenire ad regnum Dei; sed si solum mandata diuina obseruentur, etiam sine obseruatione consiliorum vel mandatorum hominum, nisi homo se voto obligauerit ad consilia, & se obligauerit ad faciendum hominum mandata, non excluderetur à Dei regno.

XVIII DIcit autem de mandatis istis, vt discernat Dei mandata, & hominum. Non enim propter solutionem mandatorum hominũ, homo minimus esset in regno cælorũ, sed propter solutionem mandatorũ Dei. Sunt enim aliqui, qui parum curantes de mandatis Dei, mandatorum hominum sunt diligentissimi obseruatores, nec minima etiam præcepta præterire volentes: & in hoc iustitiam suam constituentes: de quibus dicitur infra 15. Sine causa colunt me docentes doctrinas, & mandata hominum, & 23. Decimatis mentam & anetum, & cyminum, & relinquitis quæ grauiora sunt legis; iudicium & misericordiam, & fidem; excolantes culicem, & deglutientes camelum. Licet autem homo benefaciat obediendo homini, in bonis, & honestis, & peccatum sit non obedire illi, cui homo est subiectus; tamen semper homo plus tenetur obedire Deo, quàm homini, & si necessitas incumbat, quòd homo habeat transgredi, vel Dei præceptum, vel hominis, dimisso præcepto hominis, Dei præceptum est implendum: iuxta illud Actu. 5. Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus: tunc enim præcepta super addita, vel consilia per alium hominem, vel seipsum rectè implentur, quando Dei mandata iam sunt impleta: dicente Hieron. in Epistola ad Virginem. Quicunque virginitatem seruant, maius faciunt, quàm præceptum est. Tunc autem proderit maius fecisse, quando quod iussum est feceris; cupiens igitur diuinũ implere consilium, ante omnia serua mandatum. Et infra. Tres sunt species, per quas regni cœlestis possessio obtinetur. Prima est pudicitia: Secunda, mũdi contemptus: Tertia verò iustitia. In primis ergo quæritur pudicitia, vt facilius subsequatur mundi contemptus; quia ab illis mundus contemni leuius potest, qui matrimonij nexibus non tenentur: mundi verò contemptus exposcitur, vt iustitia conseruetur, quam difficile implere possunt, qui

Matt. 15.

Idem 23.

Actu. 5.

Hieron.

Idem.

F

G

H

I

K

Bernar.

sæcularium bonorũ cupiditatibus, & mundanarum voluptatum negotijs implicantur. Quisquis ergo pudicitiæ possidet primam speciem, & secundam, quę est mundi contemptus non obtinet: penè sine causa possidet primam, quando secundam non habet, propter quam quæsita est: & si primam, & secundam habet, cui tertia, quæ est iustitia, deest, frustra laborat; quoniam superiores duæ, propter tertiam requirun tur. Iustitia autem est legis præcepta seruare; præceptorum verò obseruatio duplici genere custoditur, scilicet, vt nihil eorum, quæ prohibentur facias: & cuncta, quæ iubentur implere contendas. Si ergo consiliorum diuinorum impletio sine obseruantia legis Dei, non perducit ad regnum: minus vtique obseruatio mandatorum humanorum perducit ad regnum, si diuina præcepta non impleantur. Vnde & Bernardus in Apologetico contra monachos Cistercienses, qui detrahebãt Cluniacenses, dicit. De corporalibus obseruantijs fratribus calumniã struitis, & quæ maiora sunt regulæ, spiritualia, scilicet instituta, relinquitis, Camelumq; glutientes, culicem liquatis. Magna abusio. Maxima cura est, vt corpus regulariter induatur, & contra regulam suis vestibus anima nuda deseritur. Cum tanto studio tunica & cuculla corpori procurentur, quatenus cui deerunt, Monachus non putetur: Cur similiter, spiritui pietas & humilitas, quæ profectò spiritualia indumenta sunt, non prouidentur? Tunicati, & elati abhorremus pelliceas; tanquam non melior sit pellibus inuoluta humilitas, quàm tunicata superbia. Repleti ventrem faba, mentem superbia, cibis damnamus saginatos: quasi non melius sit, exiguo sagimine ad vsum vesci, quàm ventoso legumine vsque ad iustum saturari. Ex quo patet, quòd nec obseruantia diuinorum consiliorum, nec custodia mandatorũ, etiam hominum sanctorum, valet bonum aliquid ad vitam consequendam, nisi omnia Dei mandata fuerint obseruata. Sed quando mandata Dei sunt custodita, & Dei consilia impleta; tunc est homo perfectus, cui perfectioni regulares obseruantiæ magnũ augumentum præstant; quia sicut consilia sunt propter præcepta melius & perfectius adimplenda: ita etiam obseruantiæ regulares à sanctis patribus institutę, multũ faciunt ad obseruantiam consiliorum. Tunc ergo prodest consiliorum obseruatio, & mandatorum humanorum impletio, quando Domini mandata sunt impleta, aliter nihil prædicta prosunt. Vnde Dominus sua mandata præponens omnibus alijs præ-

ceptis,

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

ceptis, & consilijs, dicit. [*Quòd si soluerit vnum de mandatis istis minimis, &c.*] quia sola adimpletio diuinorum mandatorum, perducit ad regnũ, vel excludit à regno, iuxta illud infra 19. Si vis ad vitam ingredi serua mandata. Nisi homo per promissionem, vel votum se obligauerit ad consilia, vel sit homini subditus, cui obedire se obligauit, igit obseruatio consiliorũ Dei, vel præceptorum humanorum, non excludit, vel eijcit de vita æterna, nisi homo se obligauerit ad ipsa. Vnde Glossa hîc dicit exponens hanc partem ad hanc intentionem. Pharisæos notat, qui mandata Dei dimiserint pro suis traditionibus, quæ nihil valent, dum vel minimum, quod in lege est, prætereunt.

Matt. 19.

Glos.

SVMMARIVM.

Quòd secundum sensum spiritualem Christi crux & passio vocantur minima mandata, quæ qui contemnunt, minimi erunt in regno Dei, & qui gloriantur in ipsis, sunt maximi.

XIX

SPiritualiter autem minima mandata crux, & Christi passio vocantur, quia in illis Dei filius non solum ab Angelis, sed etiam ab hominibus paulominus est minoratus, quæ, qui contemnit, vel spernit, minimus est, nec salutem habet: iuxta illud 1. ad Cor. 1. Nos prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiã: ipsis autem vocatis Iudeis, atque Græcis, Christũ Dei virtutem, & Dei sapientiã: quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus, Vbi dicit Glossa. Prædicamus Christum crucifixum esse Dei virtutem, id est, Christi crucifixionem; quia per fidem passionis eius, & peccata remittuntur, & dæmones repelluntur, & cum res exigit, miracula fiunt. Vnde qui non recipiũt Christi passionem, & eius virtutem, digni non sunt Dei regnum intrare. Vnde & hîc dicit Hylarius. Minima dicit Domini passionem, & crucem, quæ siquis tanquã erubescenda non confitebitur, erit minimus, id est, nouissimus, ac penè nullus. Vnde, & Paulus Christi crucem non erubescens, immo in ipsa glorians dicit ad Galat. 6. Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Vbi dicit Glossa. Ecce vbi mundi philosophus erubuit, vbi Apostolus thesaurum reperit, quod illi visum est stultitia, Apostolo factum est sapientia & gloria. Noli ergo erubescere de cruce Christi, quæ est grande ludibrium impijs: & grande mysterium pijs: hoc genus opprobrij, & deformitatis Christi, nõ erubescamus, sed veneremur. Deformitas enim Christi non reformat, nisi deformis ille esse voluisset; tu formam, quam perdidisti, non recepisses; pẽdebat ergo in cruce deformis, sed deformitas illius pulchritudo nostra erat. In hac ergo deformitate gloriemur, cuius signũ in fronte portamus. Ex hac deformitate non erubescamus, sed gaudeamus cũ Apostolo, qui dicit se gloriari in cruce Domini. Vnde sicut se magnificat Apostolus in gloria crucis, ita necesse est, vt depressus, & minimus sit, qui Christi crucem contemnit. Vnde 1. ad Corint. 2. dicit idem Apostolos. Non iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum.

1. Cor. 1.

1. Cor. 2.

SVMMARIVM.

Ponuntur tres gradus se inuicem excedentes, illorum, qui Dei mandata faciunt, scilicet, simplicium, vel sanctæ rusticitatis: qui contenti sunt Dei mandata opere adimplere, & Doctorum, qui intelligunt Dei mandata, & obseruant, & tamen quia subiectos non habent, Dei mandata non docent, & Doctorum, qui Dei mandata intelligunt, & faciunt, & alios facere docent, & contra aduersarios se opponũt, & isti sunt simpliciter magni, & maiores, quàm, & medij, maiores quàm primi cæteris paribus in Regno Dei.

XX

QVi autem fecerit, & docuerit, hic vocabitur magnus in regno cœlorum.] Vbi ponit præmium Doctorum, qui secundum legem viuunt, legem opere adimplendo, & alios docent legẽ implere. Vnde dicit. [*Qui autem fecerit, & docuerit.*] Et quemadmodum pars superior intelligebatur, vel de transgrediente legem Moysi, & docente alios ipsam transgredi deberẽ, vel de transgrediẽte præcepta super addita legi veteri per Dominum; ita etiam istis duobus modis hæc pars intelligitur. Si primò modo intelligatur, tunc est sensus, quòd Doctor qui vixerit secundum legem Moysi, legem opere implendo, & legem alios docuerit, & persuaserit quòd legẽ adimpleant, magnus vocabitur in regno cœlorum. Vt enim dicitur Daniel 12. Qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Vnde quantum distat inter cœli claritatem in loco vbi stellæ non sunt & claritatem stellarum, tantum distat inter magistrum scientem legem, & non docentem, & magistrum scientem, & docentem, quia primus cœlo cõparabitur, quòd alijs non

Dan. 12.

lucet,

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

lucet, quamuis in se lucidum sit. Et secundus stellæ splendenti, quæ in se lucida est, & illuminat mundum inferiorem. Vnde Hieron. Hieron. hoc exponens 6. lib. super Dan. dicit: Magistri habebunt similitudinem cœli, & qui alios erudiũt stellarum fulgori comparabuntur. Non enim sufficit scire sapientiam, nisi & alios erudias, tacitusq; sermo doctrinæ alium non ædificans, mercedem docentis multos recipere non potest. Minus tamen istis duobus habet, qui licet legem obseruet, tamen eam non intelligit, nec alios docet, quia vt dicit Hie- G
ronymus in epistola ad Paulinum. Sancta Idem. rusticitas, solum sibi prodest, & quantum ædificat ex vitæ merito Ecclesiam Christi; tantum nocet, si destruentibus nõ resistat. Sancta enim rusticitas si habeat opus non tamen habet intellectum; & si aduersarij fidei insurgant, contradictionis vocem nõ habet; & si contradiceret, aliquando plus obesset, quam prodesset, cum frequenter infidelibus occasionem deridendi doctrinam veritatis daret, dicente Aug. 1. super Gen. ad litteram, cap. 20. Quid enim mo- H
August. lestiæ, tristitiæque ingerant prudentibus fratribus temerarij præsumptores, satis dici non potest, cum si quando de praua & falsa opinione sua reprehendi, & conuincti cœperint ab eis, qui nostrorum librorum auctoritate non tenentur ad defendendum id, quod leuissima temeritate, & apertissima falsitate dixerunt, eosdem libros sanctos, vnde illud probent, proferre conantur, & ita quandoq; dum resistere volunt fidei aduersarijs, plus fidei obsunt frequenter, quam prosunt; & ideo I
sancta rusticitas in infimo gradu est, cæteris paribus per comparationem ad dictum magistrum, quamuis non docentem, sed solum secundum legem Dei viuentem. Vnde, & de tali viro scriptum est in Psal. Psal. 1. In lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Doctor enim qui necessitatem alios docendi non habet, debet facere illud quod dicit Aug. August. 19. de Ciui. Dei, cap. 19. In ocio non iners vacatio delectare debet, sed aut inquilitio, aut inuentio veritatis: vt in ea quisq; proficiat, & quod inuenit teneat, & alteri K
non inuideat. Talis enim Doctor & resplendet in intellectu, & cognitione diuinæ legis; & in opere bene se habet; quia facit secundum legem, & si occasio, vel necessitas immineat, docet alios, & resistit aduersarijs legis, & habet scientiam, qua prædicta facere potest. Vnde est seruus habens duo talenta, intellectum scilicet, & operationem, sed ille est optimus inter omnes, qui, & legem rectè intelligit, & F
secundum eam operatur, & viuit, & quantum præualet, & verbo, & facto alios instruit, & aduersarijs legis viriliter, & fortiter resistit. Vnde quia hęc omnia ad Episcopum spectant. Ideo Apostolus dicit ad Titum 1. Oportet Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, nõ percussorem, nõ turpis lucri cupidum: sed hospitalem, benignum, sobrium, iustum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem. Vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere. Et Hieronymus in Epistola ad Oceanum, dicit. Quòd doctrina à sacerdotibus expectatur Hieron & veteris præcepta sunt legis, & ad Titũ plenius scribitur. Innocens enim, & absq; sermone aduersario quantũ exemplo prodest, tantum silentio nocet. Nam latratu canum, baculoque pastorum, luporum rabies deterrenda est. Et idem super epistolam ad Titum dicit: Si Episcopi tantum Idem. sancta sit vita, sibi potest prodesse sic viuens: porro si & doctrina, & sermone fuerit eruditus, potest cæteros quoq; instruere, & non solum instruere, & docere suos; sed, & aduersarios repercutere: qui enim refutati fuerint, atque conuicti: facilè queunt simplicium corda peruertere. Vnde, & Dominus ostendens, qui sunt magni in regno cœlorum; non dicit solum, qui faciunt student sibi ipsis proficientes, sed qui faciũt, & docent sibi, & alijs vtiles existentes, quia ij inter alios sunt maiores. Vnde & hîc in homeliario Chrysost. Chrysost. dicit. Neq; nobis ipsis oportet vtiles esse homil. solum; sed & alijs. Etenim non æqualis est merces eius, qui se ipsum regit, & eius qui etiam alios acquirit. Quemadmodum enim docere sine facere iudicat docẽtem, docens enim alium se ipsum non docet; ita facere quidem, alijs autem non annunciare, minorat mercedem.

SVMMARIVM.

Quare ille Doctor magnus dicitur esse in regno cœlorum, qui & veritatem mandatorum Dei, & diuinæ legis rectè percipit, & opere implet; & alios ad intelligendum & faciendum instruit, & informat, per prædicationem vel doctrinam.

XXI

REctè autem Dominus illum, qui magnus debet esse in regno cœlorum, in vtroque perfectum docet esse, scilicet, & faciendo, & indocendo: quia alterum, sine altero, non faceret hominem perfectum: dicente Hylario in principio octaui libri

de

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

de Trinitate. Non ſtatim boni, atque vtilis ſacerdotis eſt, aut tantummodo innocenter agere, aut tantummodo ſcienter prædicare: cum & innocens ſibi tantum proficiat, niſi doctus ſit, & doctus ſine doctrinæ authoritate ſit, niſi innocẽs ſit. Sed perfectũ Eccleſiæ principem perfectis maximarum virtutum bonis inſtruit, vt & vita eius ornetur docendo, & doctrina viuendo. Vnde, & in lege rationale, cum ſuper humerali catenis aureis coniungitur, vt operatio, & ſcientia ſacerdotis, conueniant, & concordent: & tunica ſuper humeralis inferius habet tintinnabula, vt ex ſcientia, & opere, doctrina, & prædicatio ſacerdotis progrediantur, quia vt dicit Hieronymus in Epiſtola ad Fabiolam. Iungitur ephot, id eſt, ſuper humerale rationali, vt hæreant ſibi inuicẽ, & auxilio ſint. Ratio enim operibus, & opera ratione indigent, vt quod mente percepimus opere perpetremus: Et in rationali doctrina, & veritas ponuntur, quia conſequens eſt, vt veritatẽ, quam ſacerdos corde retinet ſermone proferat: & ideo in rationali veritas eſt, id eſt, ſcientia, vt nouerit, quæ docenda ſint, & manifeſtatio, atque doctrina vt poſsit inſtruere alios illud, quod mente concepit. His autem omnibus exiſtentibus in Doctore, magnus eſt, & dignus omni honore: iuxta illud Apoſtoli 1. ad Timo. 5. Qui benè præſunt presbyteri duplici honore digni habeãtur, maximè qui laborant in verbo, & doctrina, Ad quod attendens Dominus dicit: [*Qui faciunt, & docent magni ſunt in regno cælorum,*] id eſt, & in præſenti Eccleſia, & in futura.

Hieron. — 1. Tim. 5.

SVMMARIVM.

Quare Dominus loquens de bonitate Doctorum, qui faciunt, & docent, quod Dei lex præcipit, præmiſit facere doctrinæ.

XXII

BEnè autem præmiſit facere ipſi doctrinæ, quia vt dicit Hieronymus in dicta Epiſtola ad Fabiolam: Non prius eſt rationale, & ſic ſuper humerale, ſed ante ſuper humerale, & ſic rationale. A mandatis enim tuis intellexi, prius faciamus, & ſic doceamus, ne doctrinæ authoritas caſsis operibus deſtruatur. Parum enim doctrina auditoribus proficit, cum vident docentem contraria facere eorum, quæ dicit: nec exiſtimant infirmi vera eſſe, quæ dicit, dum vident docentem contraria facere, eorum, quæ dicit agenda non eſſe: communis enim error humanus eſt, vt illud ſubditi agant, quod vident facere ſuũ rectorem, ſed vt in pluribus magis imitan-

Hieron. — Pſal. 118.

tur ad malum faciẽdum, quàm ad bonum. Quia vt dicit Auguſtinus 2. lib. de Ciuita. Dei cap. 26. Decus latet, & dedecus patet. Quod malum geritur, omnes conuocat ſpectatores, quod bonum dicitur, vix inuenit aliquos auditores; propter quod Doctor, vt ſibi, & alijs proſit, prius debet facere, deinde docere. Quomodo enim Chriſtus exemplar Doctorũ, prius fecit, deinde docuit. Actu. 1. Cepit Ieſus facere, & docere: propter quod prius hîc ponit facere, quam docere: Non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabũtur, & qui proſpexerit in lege perfectæ libertatis, & permanſerit in ea, non auditor obliuioſus factus, ſed factor operis, hîc beatus in facto ſuo erit.

Auguſt. — Actu. 1. — Rom. 2. — Iacob. 1.

SVMMARIVM.

Quòd Doctores legis etiam minima Dei mandata obſeruare debent, & opere adimplere.

XXIII

ESt etiam attendendum, quòd Doctores non ſolum maiora præcepta legis, ſed etiam minima præcepta facere, & docere habent: quia vt dicit Chryſoſt. 3. lib. de dignitate ſacerdotali cap. 16. Errores Pontificum abſcondi nõ poſſunt, ſed etiã exigua eorum celeriter innoteſcunt, horum igitur, vt virtutes multos ſæpe ad ſimile ſtudium prouocarunt: ita etiam vitia ignauos alios circa ſanctitatis ſtudium reddiderunt. Delicta quippe perſonarum vilium, ſicut in tenebris acta, ſolos eos à quibus ſunt commiſſa mortificant. Viri autem conſpicui, & in multorum notitia poſiti, peccatum comuniter omnibus nocet. Et infra. Si modicis quibuſq; præueniantur delictis; alijs grandia videbũtur; & ſi parua aliqua deſpexerint, atque neglexerint, nihil eis ante acta probitas ſuffragatur, vt poſsint accuſatorum ora ſufſugere, ſed obumbrat vniuerſam eius conuerſationem delictum illud exiguum. Modicum enim fermentum, totam maſſam corrumpit 1. ad Corint. 5. Vnde, & Dominus attendens ad hoc dicit. [*Quòd qui fecerit, & docuerit*] etiam minimum mandatum, hæc enim pars refertur ad ſuperiorem.

Chryſoſt. — Idem. — 1. Cor. 5.

SVMMARIVM.

Quòd Doctores noui teſtamenti facientes, & docentes minima Chriſti mandata, maiores ſunt Doctoribus veteris teſtamenti facientibus, & docentibus legis veteris mandata.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

XXIIII

SIcut autem maioris iuſtitiæ, & perfectionis ſunt mandata noui teſtamenti, quàm veteris, vt ſupra dictum fuit, profundioris enim, & excellentioris conditionis eſt doctrina noui teſtamenti, quàm veteris; ſic etiam Doctor noui teſtamenti faciens, & docens illa, quæ ſunt in nouo teſtamento, maior eſt Doctore, qui faciebat, & docebat vetus teſtamentum. Vnde in comparatione Doctorum bonorum noui teſtamenti, Doctores veteris teſtamenti non debent dici magni, licet in ſe magni ſint: magnum enim & paruum comparatione dicuntur. Vnde Aug. 1. lib. de ſer. Domini in monte, dicit. Qui illud impleuerit, vt non occidat, non continuò magnus erit, & idoneus regno cœlorum: ſed tamen aſcendit aliquem gradum. Perficiet autẽ, ſi nec iraſcatur ſine cauſa quod cum perfecerit, multò remotior eſt ab homicidio. Vnde, vt ſimpliciter ſit magnus Doctor, atque illi regno aptus, facere debet, & docere ſicut Chriſtus nunc docet. Sic ergo ille, qui facit, & docet omnia, quæ ſunt in lege Chriſti, magnus eſt ſimpliciter; ſed qui facit, & docet illa, quæ continentur in veteri teſtamẽto, magnus eſt ſecundum quid, ſed in comparatione noui teſtamenti eſt paruus.

Augnſt.

F

G

H

I

K

SVMMARIVM.

Ponitur prima continuatio, & expoſitio iſtius verbi Domini, Niſi abundauerit iuſtitia, & oſtenditur quòd Doctores noui teſtamenti debent habere abundantiorem iuſtitiam, quàm habuerint Doctores veteris teſtamenti.

XXV

Dico autem vobis, quia niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum, & Phariſeorum, non intrabitis in regnum cœlorum.] Vbi oſtendit, quòd non qualiſcunque legis obſeruatio ſufficit Doctoribus noui teſtamenti: ſed oportet, quòd perfectè, & completè legem obſeruent. Vt enim dicitur Sap. 6. Iudicium duriſsimum his, qui præſunt fiet: exiguo enim conceditur miſericordia; potentes autem potenter tormenta patiẽtur, & cui plus committitur, plus exigitur. Vnde quia plura Doctoribus noui teſtamenti ſunt data, quàm Doctoribus veteris teſtamenti, quia, & copioſior ſciẽtia, & abundantior gratia: iccirco plus Dominus requirit ab eis, quàm à Doctoribus, vel iuſtis hominibus veteris teſtamenti: quod Dominus inſinuat cum dicit. [*Dico vobis niſi abundauerit.*] Vnde & hîc dicit Hylarius. Pulcherrimo ingreſſu opus legis cepit excedere, id eſt, aditum in cœlum Apoſtolis, niſi iuſtitiã Phariſæorum excederent denuncians non futurum. Et Chryſoſtomus hîc dicit. Diſcipulos ſuos adhuc rudes: magiſtris, qui in veteri teſtamẽto erãt, meliores, vult eſſe. Vnde ne crederent ſibi ſufficere, quòd mandata veteris teſtamenti obſeruarent, ſicut faciebant boni Scribæ, & Phariſæi, cominando dicit, quòd niſi eorum iuſtitia ſuperabundet iuſtitiæ Scribarum, & Phariſæorũ, non intrabunt in regno cœlorum.

Sap. 6.

Hylar.

Chryſoſt. hom. 16.

SVMMARIVM.

Quòd abundans iuſtitia diſcipulorum Chriſti, eſt obſeruare mandata moralia legis, cum additionibus mandatorum.

XXV.

HAEc autem ſuper abundantia iuſtitiæ primò poteſt intelligi, quod non ſolum obſeruentur mandata veteris legis, & parua, & magna, ſed etiam quòd vltra illa mandata compleantur illa, quę Dominus hîc addidit. Ille enim, qui aliquid facit, abundè non ſolum facit, quod iniunctum eſt; ſed etiã ipſe ponit, quod ſcit gratum eſſe imperanti. Vnde, & Luc. 17. dicitur de ſeruis, qui ſolum faciũt illud quod eis eſt imperatum, nunquid gratiam Dominus habet ſeruo illi, qui fecit quod imperauerat? non puto: ſic & vos cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite ſerui inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus. Vbi dicit Cyrillus. Si non perſoluat debitum periculum nimium, ſi verò perſoluas nullam gratiam facis. Vnde ille, qui ſolum legem Moyſi implet, nõ habet iuſtitiam abundantem, quia ſolum facit, quod eſt ei iniunctum in lege; ſed ille abundat, cui non ſufficit legem Moyſi implere, ſed etiam implet legem Chriſti. Vnde & ſi ſuffecit patribus ſub lege exiſtentibus obſeruatio legis; quia adhuc nõ erat data lex Chriſti; tamen poſtquam data eſt, non ſufficit chriſtiano, quòd mandata moralia legis Moyſi obſeruet; niſi etiam opere impleat, quod Dominus addidit legi, & tunc eius iuſtitia abundat ſuper iuſtitiam, Scribarum, & Phariſæorum. Et hoc modo hanc partem Chryſoſtomus in homil. exponit dicens. Diſcipulos ſuos magiſtris, qui in veteri teſtamento erant, meliores eſſe vult, quia aliter iuſtitia eorum non inducit eos, qui poſt Chriſti præſentiam, hac vrbanitate frueretur in regno cœlorum, ſeu ampliori virtute potitos, & maiores debentes agones ſubire. Et in expoſitione dicit idem. Scribarum, & Phariſeorum iuſtitiæ ſunt mandata Moyſi: Impletiones autem mandatorum illorum, ſunt mandata Chriſti: hoc

Luc. 17.

Cyril.

Chryſoſt. hom. 16.

Idem.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

est ergo quod dicit, Nisi quis supra legis mãdata & hęc mea quę apud illos minima æstimãtur, impleuerit, non intrabit in regnum cęlorum; quia illa de pęna liberant, scilicet temporali, non autem inducunt in regnum: hæc autem & de pęna liberant, & in regnum inducunt. Et Glossa dicit.

Glos. Nisi non solum minima legis præcepta impleueritis, sed & ea quæ addo, non intrabitis &c. Quando autem & legis veteris mãdata implentur, & etiam illa, quæ Christus addidit; tunc est abundans iustitia:

Prou. 16. iuxta illud Prouer. 16. In abundanti iustitia virtus maxima est.

SVMMARIVM.

Quòd hic non accipitur iustitia pro virtute particulari, cui opponitur auaritia, sed pro virtute vniuersali, vel legali, quæ duas partes habet, scilicet declinare à malo & facere bonũ: quarum si altera non perficiatur, homo efficitur iniustus, licet plus peccet faciens malum, quàm non faciens bonum.

XXVII IVstitia autem hîc non accipitur pro virtute particulari, quæ opponitur auaritiæ, sed pro iustitia legali, qua homo implet omnia, quæ sunt præcepta in lege. Vnde, & hîc in homil. dicit Chrysost. Hîc iustitiam omnem virtutem dicit, quemadmodum, & Iob dicitur, Erat homo sine

Chrysost. hom. 16. Iob 1. quærela iustus, & rectus. Et est hîc attendendum, quòd cum duæ sint partes iustitiæ: dicente Hierony. in Epistola ad Virginem, scilicet recedere à malo, & facere

Hiero. bonum. Nolo in hoc putes constare iustitiam, vt malum non facias, cum & bonũ non facere malum sit, & in vtroque legis præuaricatio continetur; quoniam qui dicit recede à malo, ipse dicit fac bonum: si à malo recesseris, & non feceris bonum, transgressor es legis; quæ non tantum in malorum actuum abominatione, sed etiã in bonorum operum perfectione completur. Quia ergo legis transgressor est, & per consequens iniustus, qui facit quod lex prohibet, & qui non facit quod lex iubet: Iccirco Dominus contra facientem quod lex prohibet, supra dixit, quòd minimus erit in regno cœlorum: sed non contra illos, qui non faciunt quod ipse iubet, dicit, [*Quòd non intrabunt in regnum cœlorum.*] Et quia maius peccatum est facere iniquitarem, quàm non facere iustitiam: iccirco si non faciens iustitiam non intrat in regnum cœlorum; minus itaque intrabit qui soluit legem, cum plus peccet. Et sic supra dicebatur quòd soluens legem minimus erit in regno cœlorum, ideſt, minimè erit in regno cœlorum, vel abiectus, vel inter peccatores in gehenna erit.

SVMMARIVM.

Quòd iustitia Euangelij non est contraria iustitiæ legis Moysi, sed eius perfectiua: alioquin iustitia Euangelij non diceretur abundans supra iustitiam legis Moysi, sed destruens, vel eam abijciens.

XXVIII Est etiam attendendum, quòd per ea quę hîc Dominus dicit, manifestè ostẽdit quòd illa, quæ ipse dicit, non sunt contraria legi, sed sunt legis perfectiua; Plus enim, & minus, quia sunt comparatiua, eiusdem naturæ sunt, vel generis, vel speciei, cum propriè comparatio secundum magis, & minus, in eadem specie specialissima habeat esse: & ideo cum hîc Dominus dicat quòd abũdantior iustitia requiratur in suis, quàm in Scribis, & Pharisæis, Manifestum est, quòd iustitia legalis hæc, & illa, eiusdem conditionis, & naturæ sunt: propter quod, & lex Euãgelio contraria non est: quia si sic esset, iustitia Euangelij excluderet legis iustitiam, & non perficeret ipsam: quia contraria non se perficiunt, sed corrumpũt, & se mutuo ab eodem subiecto expellunt: nec vnum contrariũ facit abundare per se aliud contrarium, sed destruit ipsum; sicut calor frigiditatem, & nigredo albedinem: & sic de alijs contrarijs. Ad quod attendens hîc Chrysost. in homil. dicit. Vide qualiter facit constare vetus testamentum, comparationem faciens noui testamẽti ad illud, quod monstrat homousion in eisdem tribuẽs id existere, & cognatum. Plus enim & minus eiusdem generis est. Non igitur detrahit veteri testamento, sed intendere illud vult: si autem esset pernicioſum, non vtique quod plus est quæsijsset, nec direxisset illud, sed expulsisset. Et quòd supra, & nunc de lege Moysi locutus sit, & non de lege naturali, vel gentium, vt Faustus confinxit, manifestum est quòd hîc ponit Scribas, & Pharisæos, qui apud alias gentes, exceptis Iudæis, nunquam leguntur nominati.

Chrysost. hom. 16.

SVMMARIVM.

Quòd iustitia vera iustos veteris testamenti ad salutem perducebat, si præcepta decalogi cum adiutorio gratiæ obseruabant, quę iustitia christianis nunc non sufficit ad salutem: nisi etiam impleant cum adiutorio gratię præcepta decalogi, & illa, quę Dominus legi addidit, & dicit.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

XXIX

Est etiam attendendum secundũ Chrysost. quòd hîc non comparat iustitiam Scribarum, & Pharisæorum, ad iustitiam Christianorum, nisi illorum veram iustitiam. Habebant enim Pharisæi iustitiam carnis, quę constabat in obseruatione obseruantiarũ carnalium, de qua dicit Apostolus ad Hebr. 9. Solummodo in cibis, & potibus, & varijs baptismatibus, & iustitijs carnis, vsque ad tempus correctionis impositis, in quibus iustitijs carnales Pharisæi multum se iustificabant: Quemadmodum Dominus dicit infra. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocrite; quia mandatis quod deforis est, calicis & paropsidis, intus autem pleni estis rapina, & immunditia. Alia iustitia eorum erat obseruatio decalogi, quam credebant se posse obseruare viribus proprijs: & credebant etiam se posse iustificari per se ipsos, quæ non erat iustitia, sed vanitas maxima, iuxta illud, Ignorantes Dei iustitiam, & quærentes suam statuere, iustitiæ Dei nõ sunt subiecti. Vbi dicit Glossa. Cum legem suis viribus implere se posse credebant, vt merita præcederent gratiam, hoc facientes, iustitiæ Dei, qua Deus, scilicet, iustificat credentes, non sunt subiecti. Alia iustitia est vera, qua scilicet credebant non suis viribus, sed Dei gratia se legem implere posse: & cum adiutorio gratiæ eam conabantur implere. Et hæc est vera iustitia legis, de qua dicitur. Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. Et ad Gala. dicit Apostolus. Prouidens autẽ scriptura, quia ex fide iustificat gentes Deus, prænunciauit Abrahæ. Igitur qui ex fide sunt, benedicentur, cum fideli Abraham. Et isti, qui talem iustitiam habebant, verè iusti erant, & digni pro illo tempore regno cœlorum; licet non possent ingredi illud vsque post Christi passionem. Quo supposito, vult Dominus dicere secũdum Chrysostomum, quòd nisi discipuli sui essent iustiores Iudæis, qui verè iusti erant, non ingrederentur in regnum cœlorum. Sufficiebat enim illo tempore, quo lex Euangelica data non erat, quòd fideles Iudæi legem tertio modo custodirent; sed postquam lex Christi data est, quę obligat credentes in Christum, non sufficit quòd homo Christianus legem Moysi obseruet, nisi Christi præcepta, quæ super addidit legi, custodiat; Cum antequã fit data lex, non obliget: sed postquam data est, & diuulgata, vim habeat obligãdi. Vnde Chrysost. in homel. hîc dicit. Scribarum hîc & Pharisæorũ simpliciter non dixit iniquorum. Non enim nisi dilexissent, habere dixisset eos iustitiam: neq; vtiq; iustitiam, quæ non erat, comparasset ei, quæ erat. Et qualiter inquiens talis iustitia in regnum non inducit nunc? & respondens subdit. Non inducit eos, qui post Christi præsentiam vrbanitate fruuntur, vt ampliore virtute potitos, & maiores debentes agones subire, sed suos alumnos inducit: Et enim multi ab Oriente, & Occidente venient, & requiescent in sinibus Abrahæ, & Isaac, & Iacob: sed & Lazarus magnis potitus præmijs, in illis finibus videtur cõsistens. Et omnes, qui cum super abundantia fulserunt in veteri testamento, per id fulserunt vniuersi. Sic ergo Christi discipuli nõ solum si legem soluant non ingrediuntur in regnum cœlorum, sed nec si secundum eã solum viuant: sed oportet quòd supra legem Moysi præcepta, quę Christus super addidit legi, impleant. Quia nisi super abundauerit iustitia eorum, plusquam Scribarum, & Pharisæorum, etiam iustorum, non intrabunt in regnum cœlorum. Vnde Augustinus lib. de sermone Domini in monte, dicit. Nisi non solum illa minima legis præcepta impleueritis, quæ inchoant hominem, sed etiam ista quę à me adduntur: [*Qui non veni soluere legem, sed adimplere,*] non intrabitis in regnum cœlorum.

Chrysost. — Heb. 9. — Matt. 23. — Rom. 10. — Glos. — Gen. 15. — Gal. 3. — Chrysost. — Chrysost. hom. 16. — Augustinus

SVMMARIVM.

Quare homo dicitur intrare in regnum cœlorum, quando Dei visione, & fruitione eius anima impletur, quia excedit in infinitum Deus humanæ animæ capacitatem; sed gaudium dere creata dicitur intrare in animam, & non anima in ipsum.

XXI

Propriè autem Dominus loquẽs de ijs, qui debent esse in regno cœlorum, dicit quòd intrabunt in regnum. Maius enim sẽper est, velut in pluribus, in quod intratur, quam ille qui intrat in illud: & intrans continetur, & super exceditur ab illo, in quod intrat. Anima autẽ humana, quæ per se, & immediatè est apta nata consequi Dei regnum, à nullo quo ad capacitatem intelligendi, & volendi, supergreditur, vel superatur, nisi à Deo, cuius scientia est capax: quem, quia totaliter comprehendere non potest, propter infinitatẽ virtualem Dei; quia magnitudinis eius, vt dicitur in Psal. non est finis: Iccirco, quando anima à Deo impletur per apertam visionem, & fruitionem, & tamen nõ comprehendit totaliter Deum, dicitur intrare in regnũ, quia intrat in illud, quod eam implet totaliter, & adhuc in infinitũ superexcedit eam: quia plus est Deus in infinitum amabilis, & intelligibilis, quàm

Psal. 144.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

ab anima humana, vel intellectu angelico amari, vel intelligi possit: vnde & infra dicitur seruo bono. Euge serue bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui: Nullum enim gaudium de re creata habitum potest animam implere, & ideo tale gaudium in animam intrat. Et anima non intrat in ipsum: sed gaudium beatitudinis superexcedit animam, quia oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Vt dicit Apostolus 1. ad Corint. 2.

Matt. 25.

1. Cor. 2.

SVMMARIVM.

Quòd post generalem resurrectionem, sancti homines completè intrabunt in regnum cælorum, quia Deum in se habebunt, nec extra se Deum quærent, & cum corporibus suis glorificatis in cœlis corporeis intrabunt: & quòd animæ impiorum in corporibus proprijs aliquo modo in qualitatem cælestem commutatis, intrabunt, nunquam ex tunc de dictis corporibus egressuræ.

XXXI

REgnum autem cælorum, quod hîc frequenter nominatur, nunquam nominatum fuit in veteri testamento, dicente Augustin. 19. lib. contra Faustum, cap. vlt. Testimonijs vitæ æternæ, & resurrectionis mortuorum, abundat scriptura veteris testamenti; sed hoc nomen, id est, regnum cælorum de nullo inde loco mihi occurrit, quod ori eius etiam nominandum seruabatur: quem Regem ad regendos, & Sacerdotes ad sanctificandos fideles suos, vniuersus ille apparatus veteris testamenti in generationibus, factis, dictis, sacrificijs, obseruationibus, festiuitatibus, omnibusque eloquiorum prçconijs, & rebus gestis, & rerum figuris parturiebat esse venturum. Tunc autem completè, & perfectè in regnum cælorum sancti perfectè intrabunt, cum complebitur illud, quod dicit Apost. 1. ad Corint. 15. Deinde finis cum crediderit regnum Deo & Patri, cum euacuauerit omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & nonissima mors erit destructa, & filius erit patri subiectus, vt Deus sit omnia in omnibus: tunc enim sancti intrabunt in regnũ cælorum, quando post resurrectionem sancti occurrent Christo in aera, & in cœlum ascendent, vt semper sint cum Domino, vt dicit Apost. Et tunc propriè ingredi dicentur, quia Deum non extra se quærent: sicut fit tẽpore isto, quando per creaturas vel scripturas Deus inuestigatur, quia præsens nõ

Augustin.

1. Cor. 15.

A est in ratione obiecti clarè se manifestantis nostro intellectui, iuxta illud, Longè Dominus apparuit mihi: sed tunc Deus nostro intellectui per se præsentabit, propter quod non extra quæretur. Sed intellectus beatus intra se Deum præsentem intuebitur, quando complebitur illud Apocal. 21. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus. Tunc etiam propriè verificatum erit illud Luc. 17. Ecce regnum

B Dei intra vos est. Vnde Augu. 22. de Ciui. Dei, cap. 29. dicit. Tunc ita Deus erit nobis notus, atque conspicuus, vt videatur spiritu à singulis nobis in singulis nobis: Videatur ab altero in altero, videatur in seipso, videatur in cœlo nouo, & in terra noua; atque in omni, quæ tunc fuerit, creatura: & sic in omni re, intus omnem rem, videbitur diuina natura, quæ omnibus rebus magis est intima, quàm ipse sibi: propter quod & bene dicitur quòd tunc intrabunt in regnum cœlorum. Vel

C etiam sancti dicuntur intrare in regnum cœlorum: quia tunc reintrabunt animæ in corporibus sanctorum glorificatis, quę corpora vocantur regnũ cœlorum. Quandiu enim sumus in vita præsenti, corpora nostra spiritui contradicunt! Caro enim concupiscit aduersum spiritum, spiritus aduersus carnem, & hæc sibi mutuo aduersantur, vt nõ quod volumus, faciamus. Propter quod spiritus noster nondum regnum accipit super carnem, sed in resurrectione: corruptione, & impugnatione ad malum ablata de carne nostra, spiritus

D omnino regnabit super carnem; quia caro non contradicet, immo omnino obediet spiritui; propter quod tunc spiritus regnabit super carnem. Quæ caro, substantia non perdita, in qualitatem cœlestem mutabitur, quia erit incorruptibilis, impassibilis, agilis, spiritualis, id est, spiritui subdita: & fulgebit sicut sol in regno patris iustorum. Propter quod quasi corpus cœleste, tunc nostra caro erit effecta. Et ideo cœlum poterit dici habens cœlestis

E corporis, quo ad aliquid consimiles qualitates. Propter quod & tunc corpora nostra regnum cœleste poterunt dici. Vnde & Glossa super illud, Sunt corpora cœlestia, & corpora terrestria, dicit. Cœlestia corpora sunt resurgentia, terrestria verò antequam moriantur, in quibus corporibus animæ sanctorum intrabunt, nũquam de cætero exiturę. Tunc enim sancti accipient regnum Dei immobile, ad Hebr. 13. quia nunquam eorum status in deterius commutabitur. Vnde hoc modo regnum

Hiere. 31.

Apoc. 21.

Luc. 17.

August.

Galat. 5.

1. Cor. 15. Glos.

Heb. 13.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

cœlorum declarans Auguſt. 19. lib. contra Fauſtum cap. vlt. dicit, Illa corpora, quæ terrena fuerant, mutatione illa, quam Paulus apertius commemorat in reſurrectione, fient ſpiritualia, & per hoc cœleſtia, in quibus poſſideamus regnum cœlorum. Sic igitur complectens Moyſi legem, & illa, quæ Dominus addidit, intrabunt in regnum cœlorum: quia Deo replebuntur, eum attingendo, & tamen quia non tantum eum intelligent, vel amabunt; quantum intelligibilis, & amabilis eſt; ſed ipſe ſuperexcedet omnem eorum ſenſum. Pax enim Dei exuperat omnem ſenſum; intrabunt in ipſum; intrabunt etiam cœlorum regnũ; quia Deum non extra ſe quærent, vel per alia intelligẽt, ſed in ſe ipſis, & per ſe ipſum, ipſum intelligent: intrabunt etiam in regnum cœlorum, quando poſt reſurrectionem cum Chriſto in cœlis etiam corporalibus Sanctorum corpora aſcendent. Sicut & Chriſtus poſt reſurrectionem ad cœlos corporales aſcendit. Intrabunt etiam in regnum cœlorum, quando eorum animæ glorificatæ in corporibus glorificatis introibunt. Et è contra, qui nolunt illa implere, quæ Chriſtus legi ſuper addidit, non intrabunt in regnum cœlorum; ſed dicetur eiſdem. Diſcedite à me maligni in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius.

Auguſt.

Philip. 4.

Matt. 25.

SVMMARIVM.

Quòd licet impij poſt reſurrectionem duo mala ſint habituri, ſcilicet excluſionem à Regno Dei, & gehennam; tamen Dominus qui promptus eſt dare beneficia, ſolum vnum pœnam impiorum, ſcilicet excluſionem à regno dicit, per illam dans intelligere aliam, ſcilicet gehennam.

XXXII

QVamuis autem non facientibus iuſtitiam ſcriptura cõminetur, & excluſionem à regno, & miſſionem in ignem æternum, iuxta illud ſupra tertio. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Cum Dominus, qui ſemper ad præmia danda eſt promptus, & ad pœnas inferendas tardus; hîc non ponit niſi ſolum vnam pœnam, ſcilicet. [*Non intrabitis in regnum cœlorum.*] per quam tamen tacitus dat intelligere aliam pœnam, quia qui non erit in regno cœlorum, neceſſario erit in inferno, vbi vltra pœnam damni, patientur impij pœnam ſenſus. Modus etiam loquendi eſt attendendus, cum dicit, dico vobis, quia hoc dicendo, magnam vim, & profundam intelligentiam, ac attentionem cogitandi, excitauit, & oſtendit in ſuis verbis eſſe, vt hîc dicit Gloſſa.

Matt. 11.

Gloſ.

SVMMARIVM.

Ponitur ſecunda continuatio, & expoſitio accipiendo iuſtitiam Scribarum, & Phariſeorum, pro ſimulata, & ficta iuſtitia; quæ in verbis, & exterioribus geſtis ſine recta intentione oſtenditur, & talis iuſtitia non perducit ad regnum cœlorum; ſed illa iuſtitia, quæ corde, ore, & opere coram Deo exercetur, perducit, quæ iuſtitia debet eſſe chriſtianorum.

SEcundò poteſt intelligi Scribarum, & Phariſæorum iuſtitia; non quidem vera: ſed per eos æſtimata; quæ ſcilicet conſiſtebat in obſeruatione cerimonialium præceptorum legis, & in docendo iuſtitiã, & non faciẽdo ipſam, quia dicebãt, & non faciebãt. Vnde apparebãt iuſti cum tamẽ eſſent iniqui: de quorum iuſtitia Dominus dicit infra 23. Vos à foris apparetis hominibus iuſti: intus autem pleni eſtis hypocriti & iniquitate. Vbi dicit Hieronymus. Peruerſi magiſtri, quia alia docẽt, & alia faciunt; munditiam vitę habitu veſtis, & verborum humilitate demonſtrãt; intus autẽ pleni ſunt omni ſpurcitia, auaritia, & libidine. Et ſi hoc modo iuſtitia Scribarum, & Phariſæorũ hîc accipiatur, non quidẽ vera, ſed ſimulata, non exiſtens in corde, ſed ſolummodo in verbo, & exteriori conuerſatione; tunc ſenſus eſſet; quòd, niſi Chriſti diſcipulorum iuſtitia, abundet, & abũdantior ſit iuſtitia tali Scribarum, & Phariſæorum, non intrabunt in regnum cœlorum. Non enim cultus exterior corporis, vel bona verba, reddunt hominem bonum in conſpectu Dei, qui corda hominum conſpicit, niſi virtus, & recta intentio in corde ſit bona. Homo enim videt ea, quæ patent. Deus autem cor intuetur, vt dĩ 1. Reg. 16. Sic ergò Doctores, qui exterius ſimulant iuſtitiã, quam in corde non habent, ſicut faciebant Scribæ, & Phariſæi, non intrabunt in regnum cœlorum. Et hoc modo, hanc partem exponẽs Remigius dicit. Iuſtitia Scribarum, & Phariſæorum erat magna, alios docere, cum ipſi nec minima implerent. Iuſtitia vero chriſtianorum, qui intraturi ſunt in regno cœlorum, eſt hæc: quod verbis docent operibus implere, & tunc eorum iuſtitia ſuperabundat, quia corde, ore, & opere, ſeruant iuſtitiam; quam Scribæ, & Phariſæi non ſeruabant, niſi ſolo verbo, vel cultu exteriori, de vera iuſtitia non curantes.

XXXII

Matt. 23.

Hieron.

1. Reg. 16.

Remig.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

SVMMARIVM.

Ponitur tertia expositio, accipiendo iustitiam Scribarum, & Pharisæorum pro intellectu & interpretatione, quæ Scribæ, & Pharisæi dicebant lege habuisse, in hoc verum intellectum legis corrumpendo: quam qui sic obseruaret, non intraret in regnum cœlorum, nisi Domini interpretationem, qui verum intellectum legis aperuit, sequeretur.

XXXIV Si vero iustitia Scribarum, & Pharisæorum accipiatur pro obseruantia legis, & intellectu, non quem lex habebat, sed quomodo Scribæ, & Pharisæi interpretabantur, qui scripturas corrumpebãt, propter traditiones suas: dicẽte Domino infra 15. Vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram. Tunc est sensus, quòd nisi christiani obseruent legem, Matt. 15. III secundum eius verum intellectum, & non secundum interpretationem Scribarum, & Phariseorum, non intrabunt in regnum cœlorum. Pharisæi enim grossè legem intelligentes, solum corporalem occisionẽ, & adulteriũ corporale, dicebant esse prohibita per Dei legem. Cum tamen in rei veritatem, secundum legem, & fraternum odium in homicidij genere includatur, & oculus incontinens, in adulterium cadat, propter quod, & Dominus non addens legi, sed malum intellectum Pharisæorum excludẽs dixit, [*Qui irascitur fratri suo &c.*] *Et qui viderit mulierem ad concupiscendũ &c.*] quæ si quis non impleuerit, non intrabit in regnum cœlorum. Et Augustinus 19. August. libro contra Faustum cap. 5. dicit. Quia Iudæi non intelligebant homicidium nisi per peremptionem humani corporis, per quam vita priuaretur, aperuit Dominus omnem iniquum motum ad nocendum fratri in homicidij genere deputari; & quoniam putabant tantummodo corporalem cum fœmina illicitam commixtionem mœchiam vocari, demonstrauit magister etiam talem concupiscentiam, nil Idem. aliud esse. Et infra cap. 28. Omnia, vel penè omnia, quæ dominus monuit, seu præcepit, vbi adiungebat, Ego autem dico vobis, inueniuntur. Et in illis veteribus libris. Sed malitia, & iniquitate peruersorum Iudæorum, male legem interpretantium, quasi destructa erant. Propter quod Dominus volens quòd Dei mandata, iuxta Dei intentionem implerentur, posuit legem sequentem dicens nunc, quòd nisi secundum suam interpreiationem, vel expositionem, lex obseruaretur, & non secundum interpretationem Scribarum, & Pharisæorum, homines non intrarent in regnum cœlorum.

Tractatus sequens protenditur vsque ibi. (Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur.) *continet in se viginti Capitula, ponitur diuisio, Capitulum primum.*

A *Audistis quia dictum est antiquis, Non occides.*] Postquam ostendit Dominus, quales debent esse Doctores in scientia, in vita, & in animi firmitate, & in prædicatione, & quid etiam debent prædicare, nempe Dei legẽ. Hîc vult ostendere qualiter omnes Dei præcepta debeãt obseruare. Sicut enim ad Doctorem pertinet docere, & ad discipulũ audire. Sic ad vtrũq; eorum pertinet opere Dei præcepta adimplere, dicente Augu. 3. serm. de verb. Dñi. Cum nobis pro officio competat dicere, August. vobis autem conueniat pro deuotione audire, quid tam necessarium, tamque pertinens poterit vtrisque contingere, quàm vt quod religiosè dicitur, & deuotè auditur, obsequijs competentibus teneatur? quamuis enim dissimile sit Doctoris, discentisque officium, tamen vtrosq; decet sanctarum legum obsequium: vt iungantur factis, qui separantur officijs, copulentur opere, qui diuersi sunt nomine. Vnde II non solum debẽt prædicari à Doctoribus; vel à discipulis audiri mandata diuina, sed etiam ab vtrisq; opere adimpleri: cum sint communia præcepta, omnes, & singulos obligantia. Propter quod & præsente toto populo, & audiente, per Deum fuerunt data, vt patet Exod. 20. Mandata autem, quæ hîc per Dominum exponuntur, Exo. 20. & etiam eis aliquid additur; sunt prohibitiua iniuriæ; vel ostensiua, qualiter ad iniuriantem iniuriatus se debet habere; & secũdum hoc diuiditur in duas partes. Quia primò ostenditur, quòd homo non debet alteri iniuriam inferre, & secũdum quod homo iniuriatus debet iniuriam patienter ferre supra ibi. [*Audistis quia dictum est, oculum pro oculo.*] Prima in duas, quia primò ostendit, quod non est homini facienda iniuria; & secundò, quòd Deo nõ est facienda irreuerentia supra ibi. [*Iterum Audistis, quia dictum est antiquis, non periurabis.*] prima in tres, secundum quòd homini tripliciter iniuria inferri potest. Primò quidem in persona propria, occidendo, mutilando, verberando, vel aliter debilitando

bilitando. Secundò in persona coniuncta ad speciei conseruationem. Circa quam duplex iniuria fieri potest; primò si ad eã extraneus accedat, quia per hoc impeditur, & frequenter, conceptio, & semper ex hoc causatur prolis incertitudo. Et secundò si illa, quæ est accepta in coniugium expellatur. Vnde primò ponitur præceptum de non occidendo proximum. Secũdò de non committendo adulterium. Et tertiò de non faciendo discidium. Secunda ibi. [*Audistis quia dictum est antiquis, non mœchaberis.*] Tertia ibi. [*Dictum est autem, quicunque dimiserit vxorem suam.*] Prima in duas, quia primò repetitur præceptum antiquum de non occidendo hominem: Secũdò ponitur dicti præcepti expositio; vel interpretatio; vel ad dictum præceptũ additio. Secunda ibi. [*Ego autem dico vobis quia omnis qui iratus fuerit, &c.*] Prima in tres; quia primò ostenditur quibus datum fuit præceptum, quia antiquis. Secundò ponitur præceptum, Non occides; & tertiò pœna debita transgredientibus præceptum. [*Qui autem occiderit reus erit iudicio.*]

F

G

H

I

SVMMARIVM.

Assignantur duæ causæ, quare Dominus loquens de præceptis veteris legis datis in Monte Synai, non dixit vidistis; sed audistis dixit, & quomodo verificatur hoc dictum de Apostolis, qui nondum nati erant, quando dicta præcepta Deus dedit.

II

DIcit ergo [*Audistis quia dictum est antiquis.*] Benè autem dicit [*Audistis*] Illa enim quæ procul sunt à nostra præsentia, quia non possunt videri, audiuntur referri per alios, dicente Aug. 11. de Ciuit. Dei, cap. 3. Quę remota sunt à sensibus nostris, quoniam nostro testimonio illa scire non possumus, de his alios testes requirimus, eisq; credimus: à quorum sensibus remota esse, vel fuisse non credimus. Vnde quia Apostoli non fuerunt præsentes in monte Synai quando Deus præcepta populo Israelitico dedit, sed ab illis, qui præsentes fuerunt, ista posteris narrata sunt: Iccirco dicitur eis. [*Audistis quia dictum est*] non quòd audiuerint hęc dum dicebantur, sed audiuerunt à narrantibus quòd ista eis dicta fuerunt, iuxta illud Psal. Deus auribus nostris audiuimus: Patres nostri annunciauerunt nobis; & alibi. Quanta audiuimus, & cognouimus ea, quę Patres nostri narrauerunt nobis. Vel etiam audistis, ad totum populum referendo: quia licet partes populi oriantur, & moriantur per successionem; tamen totus populus est vnus à principio vsque ad finem: sicut & fluuius est vnus, licet partes diuersæ in eos succendant. Vnde quia populo Israelitico, quando Deus dedit eis præcepta, non se ostendit eorum oculis, sed solum voces factæ fuerunt huiusmodi præcepta exprimentes, iuxta illud Deut. 4. Locutus est Dominus ad vos de medio ignis. Vocem verborum eius audistis, & formam penitus non vidistis; iccirco non dicitur eis vidistis, sed audistis.

Augustin. de ciuit. Dei

Psal. 43.

Deut. 4.

SVMMARIVM.

Quòd non homines iusti, qui fuerunt antequam daretur lex in monte Synai, intelliguntur per antiquos, de quibus Dominus hic loquitur, vt Faustus dixit; sed illi homines qui præsentes fuerunt, quando dicta præcepta data fuerunt populo per Dominum.

III

VOcantur autem antiqui, illi, quibus dictum est. Non secundum Fausti intellectum, qui dixit quòd ista præcepta fuerunt data antiquis iustis ante legem, qui hîc vocantur antiqui. Vnde dicit Faustus lib. 19. Antiquiora præcepta recenset, quæ sunt non occides, non mœchaberis, non periurabis: hæc ante erant antiquitus in nationibus, vt est in promptu probare, olim promulgata per Enoch, & Seth, & cæteros eorum similes iustos, quibus eadem illustres tradiderant Angeli temperandæ in hominibus gratia feritatis: sed illi, quibus lex Moysi data fuit, qui licet sint ante legem, huiusmodi præcepta seruauerunt per legem naturalem; iuxta illud Apost. ad Rom. 2. Gentes quæ legem non habent naturaliter ea quæ legis sunt faciunt. Tamen lege scripta non erant ista prohibita; sed tunc prohibita fuerunt, quando in monte Synai, ista Dominus prohibuit verbo; & deinde in tabulis lapideis digito suo ipsa scripsit. Et ex tunc homines ista mandata transgredientes, non solum fuerant iniqui, contra legem naturalem agentes; sed etiam præuaricatores contra Dei mandata facientes, vt dicit Apostolus ad Rom. 4. Vbi non est lex, nec præuaricatio. Vbi dicit Glo. Qui legem non acceperunt iniqui dici possunt, præuaricatores autem dici non possunt. Vnde non vocantur hîc antiqui primi iusti ante legẽ, quia eis ista non fuerunt dicta, vt patet per scripturam: sed vocantur antiqui illi, qui legem Moysi acceperunt. Nec mirum si tẽpore Domini vocati sunt antiqui, cum in libro Ruth mos introductus fuit per legẽ, de soluendo calciamento, quando renunciabatur vxori propinqui, quæ homini ex

Fauſt.

Roma.

a

Idem & Gloſ.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

lege debebatur. Vocetur mos antiquus, vnde dicitur Ruth 4. Hic erat mos antiquus in Israel inter propinquos, vt si quãdo alteri alter suo iure cedebat, vt esset firma concessio, soluebat homo calciamẽtum suum, & dabat propinquo suo. Sic ergo antiqui dicti sunt illi, qui audiuerunt Deum dantem ista præcepta; quia longum tempus effluxerat ab illo tempore, quo hæc dicta fuerunt eis: vsque ad illud, quo Deus ista dixit. Vnde & Chryso. hîc dicit; dicendo quando dictum est antiquis, mostrauit tempus ex quo mandatum hoc acceperunt.

Ruth 4.

Chrysost. hom. 16.

SVMMARIVM.

Quare illi Iudæi, quibus lex Moysi data fuit, vocantur à Domino antiqui, assignantur tres causæ.

IIII QVod primo fecit, vt eos excitaret ad percipiendam, & attendendam doctrinam suam, eorum pigritiam, & tepiditatem arguendo; quemadmodum solet dici pueris quando addiscunt. Longum tẽpus consumpsistis in syllabizando: nunc iam tempus est, quòd leges, construatis, & sic vltra procedatis. Hoc enim cõmune debet esse in doctrina, quòd à facilioribus addiscens debet incipere: sed non debet addiscens ibi sistere: sed vltra progredi, & de facilioribus ad difficilia transire. Deridendus est enim, vt dicit Seneca ad Lucillum, elementarius senex. Et tunc est sensus. Per longum tempus stetistis in isto mandato; iam vel tempus est, vt progrediamini ad excelsiora mandata. Vnde & hîc in homeliar. Chrysost. dicit. Non simpliciter hîc posuit [*Dictum est antiquis*] sed monstrare volens quoniam tempus decẽs venit ad præcipiendum subsequẽtia. Hoc autem fecit, vt prouocet auditorem cunctantem ad excellentiora exire præcepta. Sicut magister puero negligẽti dicit, Non nouisti quantum tempus consumpsisti syllabas meditans? Hoc itaque & ipse insinuans nomine antiquorum, vocat iam eos ad excellentiores doctrinas. Ac si diceret. Sufficiens habetis tempus hoc meditãtes, & oportet iam ad altiora his festinare. Secundo hoc facit propter aliud, quia sicut quando homo à iuuentute sapiẽtiam addiscit, in senectute efficitur sapiẽs, iuxta illud Iob 12. In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia. Et Hiero. in Epistola ad Nepotianum dicit. Senectus eorum, qui adolescentiam suam honestis actibus instruxerunt, & in lege Domini meditati sunt die ac nocte, ætate fiunt doctiores, vsu certiores, processu tẽporis sapientiores, & veterũ studioru dulcissimos fructus metũt. Sic è contra homines, qui in iuuentute inertiæ, & vitijs se dederunt; quando sunt senes, magis stolidi, & vitiosi redduntur, iuxta illud Eccles. 4. Melior est pauper sapiens rege sene, & stulto, qui nescit prꝛuidere in posterum, & Sapien. 4. Condemnat iuuentus celerius consummata longam vitam in iusti. Et Ecclesiast. 22. dicitur. Quod in iuuentute tua non congregasti, in senectute tua qualiter reperies? Et quia populus Israel malè nutritus fuit, & vitiosè in Aegypto; ideo inueteratus erat, & antiquatus in malo: propter quod de eis dicitur Iudic. 10. Filij Israel peccatis veteribus iungentes noua, fecerunt malum in conspectu Domini. Quando autem homo nimis malus est, si homo velit eum corrigere, non debet ei à principio grauia, vel difficilia præcepta virtutis iniũgere: sed paulatim sunt ei primo grauiora peccata, deinde leuiora prohibẽda; & manifestare bona opera primo iniungenda, deinde alia; ne si à principio peccata minima prohiberẽtur, desperatus quòd ipsa obseruare non posset, recederet: & si magna, & ardua virtutum opera ei iniungerentur, totum etiam dimitteret. Propter quod sufficit à principio ei magna prohibere peccata, à quibus vix potest se abstinere mala consuetudine superatus; & cum à magnis se custodierit, prohibenda sunt peccata minora, vt sic paulatim ad meliora promoueatur. Quod attendens Dominus populo Israelitico peccatis inueterato, grauiora peccata prohibuit, quæ vix complere potuit; deinde Dominus peccata minora prohibuit populo iam facto nouo. Et ideo bene dicit [*Dictum est Antiquis*] quasi dicat, Antiquatis in peccato sufficit grauiora peccata prohibere; sed vobis melioratis, & in vigore virtutis existentibus, etiam minora prohibeo, vt sic gradatim discatis semper esse meliores. Vnde Hiero. in Epistola exhortatoria ad pœnitentiam, ad Rusticũ dicit. Parua fides Loth, quia maiora non potuerat, saltem minora seruauit. Neque enim Gomorræ quondam & erroris habitator statim ad meridiem poterat peruenire; in qua Abraham amicus Dei suscepit Angelos cum ipso Domino. Tertio vocãtur antiqui illi, quibus vetus lex data fuit, quia primi homines per comparationem ad posteriores, grossi, & rudes fuerunt; propter quod & eorum ordinationes, & leges fuerunt grossæ, & solum magna mala, & euidentia prohibentes. Quemadmodum enim, & scientia, & alia ab eis

Seneca.

Chrysost. hom. 16.

Iob 12.

Hieron.

Eccl. 4.

Sap. 4.

Eccl. 22.

Iudic. 10.

Hieron.

inuenta fuerunt multum grossa, & modici intellectus, & rationis habẽtia, ita erãta & eorum leges fuerũt, vt in pluribus, malè, & grosse ordinatæ, & positæ. Vnde 2. Politicor. dicitur de legibus Cretensium, Aristot. Plurima antiquorum minus dearticulata sunt iunioribus, & 1. Metaphysic. dicitur. Idem. A principio homines pauciora dubitabilium mirantes, deinde paulatim sic procedentes, ad maiores dubitationes peruenerunt. Vnde, & Deus condescensiuè se habens ad Iudæos primos, qui grossi, & rudes erant, solum prohibuit à principio magna, & euidentia mala; & deinde paulatim minora mala, quousq; Dominus minora mala prohibuit. Vnde, dicẽdo quòd ista præcepta data erant antiquis, ostendit quòd non perfectam iustitiam & omnimodam continebant, quia data erant hominibus rudibus, & grossis: qui vix mala euidentia, & manifesta, peccatum esse æstimabant. Vnde & Chrysost. super illud infra. [*Si quis dimittit vxorem suam*] dicit, Chrysost. hom. 12. Quòd quando Moyses filios Israel eduxit de Aegypto, genere erant Israelitæ: moribus autem Aegyptij. Sic ergo propter peccata Dominus dicit, [*Audistis quia dictum est antiquis.*] Vnde & hîc Remigius dicit. Remig. Antiquis per Moysen dictum est [*Non occides.*] Ego nouus homo noua præcepta vobis loquor.

SVMMARIVM.

Quare Dominus loquens de præceptis veteris legis, impersonaliter dixit, Dictum est.

V

ATtendendus est autem modus loquẽdi, quia loquitur impersonaliter, Dictum est non exprimendo, quis hoc dixit: Si enim dixisset, sicut & dicere potuisset, Dixi antiquis, nõ faciliter eius sermo susceptus fuisset, cũ & postea quando dixit. Antequam Abraham fieret, ego sum, eum Ioan. 8. lapidare Iudæi voluerunt. Multò autem difficilius erat ad credendum quòd ipse erat Deus, qui legem dedit; quamquam ante Abraham fuisset; & ideo à principio se nõ dicit Deum, licet operibus se Deum ostendat, vt eius sermones facilius susciperentur: Non enim gratãter recipiũtur sermones illius, qui à principio de se magna, & excelsa dicit: quia iactator sui estimatur. Non etiam dicit, Audistis quòd à Patre meo dictum est Antiquis, quia maior iactantia videretur cum inferret. [*Ego autem dico vobis*] Quia cum excelsiora præcepta ipse daret, videretur quòd se Deo Patri præferre vellet; propter quod non dixit, Dixi antiquis: vel dixit Pater meus antiquis. Non dixit etiam, Moyses dixit antiquis, quia ista præcepta immediatè dicta sunt à Deo populo, non per Moysen, sed per se ipsum, vel per Angelum, loquentem in Dei persona. Sed dixit, dictum est impersonaliter; quia sic dicendo, omnis calumnia est sublata: & tamen veritas est retenta. Quicunque enim prædicta præcepta dederit; dicendo de ipsis præceptis, dictis à quocũque, potest dici, dictum est. Vnde, & Chrysostomus hîc in homil. dicit. Quamuis & ipse illa præcepta dederit, sed interim ipsa ponit impersonaliter; Chrysost. hom. 16. Siue enim dixisset, quoniã dixi Antiquis, difficilè susceptibilis sermo efficeretur, & cunctis audientibus inaccessus: siue rursus dicẽs quoniam audistis quòd dictum est Antiquis à Patre meo, postea induxisset, Ego autem dico vobis. Maior vtique videretur importunitas esse, ideoq; simpliciter id posuit dicens, dictum est.

SVMMARIVM.

Quare Dominus volens præcepta legis declarare, & eis sua præcepta addere, non incipit à præceptis primę tabulę, quę ordinabantur ad dilectionem Dei, sed à præceptis secundę tabulę, quę ordinabantur ad dilectionem proximi.

VI

NOn occides.] Vbi ponitur primum præceptum negatiuum secundæ tabulę. Circa quod primò attendẽdũ, quòd Hugo lib. 1. de sacramentis par. 12. cap. 5. dicit. Hugo. Lex naturalis in duobus præceptis comprehensa fuit, in vno, bona præcipiendo, in altero, mala prohibendo. Hæc autem duo præcepta naturalis legis per legem scriptam latius explicata sunt, & distincta per septem illa præcepta, quæ secunda tabula cõtinebat; in quibus ostenditur qualem se exhibere debet homo erga proximum, quemadmodum in tribus præcedentibus demonstratur qualem se exhibere debeat erga Deum. Vnde prima tabula continet mandata, quæ pertinent ad dilectionem Dei, secunda, illa, quæ pertinẽt ad dilectionem proximi. Quamuis autem charitas, quę radix est omnium præceptorũ, magis per se, & propriè respiciat Deũ, & per consequẽs proximũ, propter quod, & præcepta primę tabulę, quæ sunt de dilectione Dei, præcedant præcepta secundę tabulæ, quæ sunt de dilectione proximi; tamen secundum tẽpus, & ordinẽ actuum dilectio proximi præcedit dilectionẽ Dei: iuxta illud 1. Ioan. 4. Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere? Non etiã potest diligi proximus ex charitate, nisi di- 1. Ioan. 4.

ligatur

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

ligatur Deus: cum propter Deum proximus diligatur, non autem diligatur Deus propter proximum. Et ideo dilectio proximi propter Deum necessariò includit dilectionem Dei: propter quod & dilectio proximi plenitudo legis ab Apostolo vocatur. Et propter hoc quia ex dilectione proximi peruenimus ad dilectionem Dei: iccirco in scriptura frequenter primo ponuntur præcepta de dilectione proximi, & postea de dilectione Dei, sicut hîc primo ponitur. [*Non occides,*] quod spectat ad dilectionem proximi: & deinde. [*Non periurabis,*] quod pertinet ad dilectionem Dei. Aliquãdo vero solum ponuntur præcepta ad dilectionem proximi, nulla facta mẽtione de præceptis de dilectione Dei, sicut patet infra 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, quæ sunt, Non homicidium facies &c. Et Ioan. 15. Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem sicut dilexi vos. Et ad Rom. 13. dicit Apostolus. Qui diligit proximum, legem impleuit. Vnde quòd hîc Dominus non prosequens, primo de mandatis primæ tabulæ, non imperfectè, vel inordinatè facit, vt patet ex dictis.

Matt. 19.
Ioan. 15.
Rom. 13.

SVMMARIVM.

Quare Christus non incepit legem declarare inchoans à primo præcepto affirmatiuo secundæ tabulæ, quod præceptum est de honorando parentes, sed à secundo præcepto negatiuo dictæ tabulæ, cum dicit Non occides.

VII

PONitur autem prius præceptum negatiuum, quàm affirmatiuum, quia maius malum est nocere proximo, quàm non benefacere ei; & quia inter omnia nocumenta quæ homini possint inferri, eius est occisio: iccirco repetens primum præceptum negatiuum legis secundæ tabulæ dicit. [*Non occides.*] Vnde & hîc Chrysosto. dicit in homil. Vide sapientiam Christi. Volens ostendere quòd ipse est Deus, qui aliquando locutus est in lege, & qui nunc mandat in gratia illud mandatum, quod ante omnia mandata posuit in lege, illud ipsum mandatum posuit ex nunc in principio mandatorum suorum, dicens, [*Non occides.*]

Chrysost. hom. 11.

SVMMARIVM.

Distinguitur de homicidio, & ostenditur quòd non omnis, qui hominem occidit, facit contra hoc Domini præceptum, Non occides. Quia si occidat Deo iubente, vel lege data, vel mandato à Deo præcepto, non tenetur de homicidio. Si etiam habens legitimè publicam potestatem hostes reipublicæ occidat in bello, vel criminosos, per iudicium iustum, non tenetur, priuata etiam persona in aliquibus casibus potest occidere malefactorem, sed in alijs non, & si faciet, de homicidio tenetur.

VIII

CIrca quod attendendum, quòd homicidium, secundum quòd Hugo dicit primo libro de sacramentis parte 12. cap. 16. Multis modis fit, scilicet, manu, lingua, consensu. Manu fit, cũ aliquis actualiter alium vita priuat, vel in locum mortis, vbi vita priuatur, præcipitat: vt in carcerem, vel in alium quemlibet alium locum talem. Lingua fit duobus modis, id est, præcipiendo, vel suggerendo. Iudæi quippe Christum occiderunt, dum vt occideretur iudici suggesserunt. Consensu similiter fit duobus modis, vel cum mortem alterius desideramus, & cupimus; vel si dum eum à morte liberare possumus, vitam eius negligamus, id est, adiutorium non impendimus: iuxta illud Ambrosij. Pasce fame morientem; quia si non pauisti, occidisti. Cum igitur istis sex modis homicidium perpetretur, quocũque istorum modorum aliquis non habens legitimam potestatem alterum occidit, contra hoc Domini præceptum facit. Sed si de mandato Dei, qui habet potestatem vitæ, & mortis nostræ, quis nocentem, vel innocẽtem occiderit, non agit contra istud Domini præceptum; qui solum exhibet Domino iubenti ministerium. Ille etiam, qui habens publicam potestatem, vel hostem publicum interficit in iusto bello, vel criminosum secundum legem diuinam, vel humanam, occidit, non tenetur reus peccato homicidij. Idem enim Dominus qui præcepit hominem non occidere, postea dixit Maleficos non patieris viuere, & leges dedit de occidendis hominibus sceleratis: & præcepit quòd contra publicos hostes bellum gereretur, vt ipsis interfectis, pax, & tranquillitas contra crimina habeatur. Vnde Augustinus 22. lib. contra Faustum, cap. 70. dicit. Ille vtitur gladio, qui vlla superiori, aut legitima potestate, vel iubente, vel concedente in sanguinem alicuius armatur. Et cap. 73. dicit idem. Abraham si filium sponte immolaret, quid nisi horribilis & insanus? Deo autem iubente, quid nisi deuotus, & fidelis apparuit? Et 74. Nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, hæc sunt quæ in bellis iure culpantur, vt etiam iure puniantur. Aduersus violentiam resistentium, sine Deo,

Ambros.
Augustin.
Idem.
Idem.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

sine aliquo legitimo imperio iubente, gerenda ipsa bella suscipiuntur à bonis. Et
Idem. infra. Ioannes non dixit militibus abijcite arma, militiam istam deserite, neminem percutite, prosternite neminem; sed quia sciebat eos, cum hæc militando facerent, non esse homicidas, sed ministros legis, & non vltores iniuriarum suarum, sed salutis publicæ defensores, non prohibuit eis arma, vel occisiones inimicorum ciuitatis, cum ad hæc teneantur, & puniri debeant, si ad præceptum superioris non facerent prædicta. Et idem primo de ciui-
Idem. tate Dei cap. 20. dicit. Non occides, nec alterum, ergo nec te, quasdam tamen exceptiones eadem ipsa diuina fecit auctoritas. Sed ijs exceptis, quos Deus iubet occidi, siue data lege, siue ad personam pro tempore expressa iussione. Non autem ipse occidit, qui ministerium debet iubenti, sicut adminiculum, gladius vtenti: Et ideo nequaquam contra hoc præceptum fecerunt quod dictum est. [*Non occides.*] Qui Deo authore bella gesserunt, aut personam gerentes publicæ potestatis secũdum eius leges, hoc est iustissimè rationis imperium sceleratos morte punierũt; Et secundum hæc, contra hoc præceptum non faciunt, qui manu, lingua, vel consensu hominem occidunt; quem Deus vel lege data, vel secreta visione mandat occidi. Illi etiam non tenentur, qui publicam exercent potestatem, & secundum leges diuinas, vel humanas iustas, & rationabiles, sceleratos occidunt, priuata etiam persona in casu sibi promisso à lege, potest aliũ occidere sine culpa. Et in veteri lege fuit concessum, quòd fur nocturnus domũ effringẽs interfici posset à domino domus; & quòd propinquus occisi posset occidere homicidam sui propinqui interfecti per eum, vt patet Exod. 22. & Numer. 35. Sed
Exo. 22. Num. 35. aliter hominem interficiens quocunque modo, & publicam potestatem gerens, si interficiat contra legem iustam, vel det legem iniustam occidendi innocentes, vel priuatam personã in casibus non concessis à lege, homicidium cõmittit faciens contra hoc Domini præceptum, in quo dicitur [*Non occides.*]

SVMMARIVM.

Quòd nullus potest occidere, nisi in casibus supra positis, nec alium hominem, & minus se ipsum, pro quacunque causa, nisi hoc Deus homini reuelaret.

IX Quod præceptum intelligitur de homine non occidendo. Vnde, & lex.

F Exod. 29. quæ dixerat. Non occides, dicit postea eodem 21. Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur, & Dominus, qui dicit hîc [*Non occides*] infra 19. repetens mandata, dicit. Non homicidium facies. Quod exponens Augustinus primo de ciuitate Dei, cap. 20. dicit. Non occides, non alterum, ergo nec te; Neque enim qui se occidit, aliud quàm hominem occidit, quod homicidium scelestius est quolibet alio homicidio, in quantum in se plus sęuit, quem tenetur diligere plus quàm quemcunque alium hominem. Dilectio enim proximi, ex dilectionem sui ipsius, regulam, & modum sumit; quia Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Vnde cum homicidium alterius ex hoc sit malum, quia est cõtra dilectionem proximi; maius vtique malum est homicidium sui, quia est contra dilectionem sui ipsius; Vnde pro nulla causa, vel occasione homo se ipsum occidere debet, quia si iustus est, magis debet conari vt in iustitia quotidie crescat, Iustus enim ad huc debet iustificari. Apoc. vlt. Si verò est peccator, debet pœnitere de peccatis, & non se ponere in tali statu, in quo pœnitere non possit; post mortem enim non est pœnitentia fructuosa. Et sic quando homo se interimit, grande peccatum contra se committit, de quo postea pœnitere fructuosè non potest. Vnde Augustinus primo de ciuitate Dei cap. 26. dicit. Hoc dicimus, hoc asserimus, hoc modis omnibus approbamus, neminem spontaneam mortem sibi inferre debere, velut fugiendo molestias temporales, ne incidat in perpetuas: Neminem propter peccata aliena, ne hoc ipso incipiat habere grauissimũ proprium, quem non polluebat alienum; neminem propter peccata sua præterita, propter quæ magis hac vita opus est, vt possint pœnitendo sanari; Neminem velut desiderio melioris vitæ, quæ post mortem speratur: quia reos suæ mortis melior post mortem vita non suscipit; Sed etiam, ne in peccatũ irruat, vel blandiente voluptate, vel dolore sęuiente debet se aliquis interficere.
K Non ergo vobis ò fideles Christi sit tædio vita nostra, vt eam nobis auferamus. Sic ergo nullo modo licet homini se ipsum interficere. Occideret autem se ipsum homo, vel si manus violentas sibimet inferret, se ipsum occidendo, vel letale vulnus sibi inferendo, vt fecit Saul 1. Reg. vltimo. Vel etiam si homo in tali se loco ponat, vel tale quid faciat, propter quod necessario habeat mori, sui ipsius est interfector. Vnde, & illi, qui comedere nolunt vt moriãtur, sui ipsius homicidæ sunt, qui etiam præ-

Exo. 20. Idem 2. Augus. Leuit. Apoc. vlt. Augus. 1. Reg.

cipiunt

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

cipiunt alicui, quòd ipsos occidat, sunt sui ipsius homicidæ, & qui etiam consentiũt, vt ab alio occidantur. Et non est nisi causa vna, in qua homo licitè se possit occidere, quando scilicet homini diuinitus reuelatur quòd se occidat: Quemadmodum dicit Augustinus de Sanson, & quibusdam mulieribus, quæ se ipsas tempore persecutionis, ne castitatem perderẽt, in flumine se submerserunt; quarũ martyria celebrat Ecclesia. Vnde dicit primo lib. de ciuitate Dei cap. 21. Sanson non aliter excusatur, quòd se ipsum cum hostibus ruina domus oppressit; nisi quia spiritus latenter hoc iusserat, qui per illum miracula faciebat. Et cap. 26. dicit de Sanson aliud nobis fas non est credere, nisi quòd hoc diuinitus iussum fuit. cum autem Deus iubet, seque iubere sine vllis ambagibus intimat, Quis obedienti an in crimen vocet? Quis obsequium pietatis accuset? Qui ergo audit nõ licere se occidere, faciat si iussit Deus, cuius non licet iussa cõtemnere. Tantummodo videat, vtrum diuina iussio nullo nutet incerto: Sic ergo hoc mandatũ Non occides, intelligitur quòd homo hominem non occidat, vel se, vel alium, nisi illis modis, & propter illas causas, quæ dictæ sunt.

Augustinus. Idem. Idem.

SVMMARIVM.

Reprobatur error Manichæorum, qui dicũt quòd per hoc præceptum. Non occides, prohibetur occisio omnis rei viuę sicut plantarum, & animalium brutorum; & ostenditur quòd solum prohibetur hominis iniusta occisio.

CONtra autẽ hoc mandatũ duplex hæresis insurrexit: prima quidem Manichæorum, & secunda Valdensium. Manichæi quidem, quia dictum est, Non occides; dixerunt quòd hoc mandatum intelligitur de omni re viua. Vnde dixerũt, quòd perfectè apud eos nullam rem viuã occidere debent; sed occisam per credentes, eorum comedere possunt perfectè. Vnde etiam dicunt quòd non licet eis cucurbitam, vel quemcunque fructum de arbore, vel planta auferre; quia facerent cõtra istud præceptum Non occides: Qui error ex hoc nascitur, quia credunt quòd in omni re viua sit rationalis anima; propter quod æquale peccatum esse reputant occidere cucurbitam, sicut & occidere hominem; & occidere animal brutum, sicut & hominem; sed quia oportet ipsos comedere fructus, quia nõ vescuntur carnibus, in alio contra huiusmodi præceptum faciũt; quia licet ipsi non occidant plantas, tamen benè volunt, & præcipiunt quòd credentes eorum non solum interficiãt fructus plantarum, sed etiã homines, qui eorum errori contradicunt, non æstimantes se peccare, si dicunt credentibus talia, per quæ ipsi intelligant quòd homo catholicus per eos occidatur. Et sic qui habẽt conscientiam ne interficiant plantam, non habent conscientiam quòd consentiant, vel præcipiant hominem occidi: lingentes cucilicem, & deglutientes camelum. Hæc autẽ dicta eorũ sunt vanitates, quia Gen. 9. dicitur ad Noe. Omne quòd mouetur, & viuit, erit vobis in cibum, quasi olera virentia tradidi vobis omnia. Et Dominus in cœna Agnũ comedit, quem ipse, vel discipuli occiderunt. Et Apostolus dicit 1. ad Timo. 4. dicit. Omnis creatura Dei bona, & nihil reijciendum, quod cum gratiarũ actione percipitur. Et Paulus Actu. 28. Viperam, quæ inuaserat manum eius, excussit in ignem: Sic ergo non prohibetur occidi animalia, nec plantæ per hoc dictum præceptum: sed solummodo homines, cuius tamen contrarium faciunt Manichæi; occidentes homines præcepto, vel consensu, qui tamẽ bestias, vel plantas occidere nolunt. Vnde Augustinus primo de Ciuitate Dei cap. 20. dicit. Quidam hoc præceptũ, scilicet Non occides, etiam in bestias, ac pecora conantur extendere, vt ex hoc nullum etiam illorum liceat occidere. Et infra. Cum audimus: Non occides, virgultum euellere nefas dicimus: & Manichæorum errori insanissimè acquiescimus. Sed cum hoc dictum non accipiamus de fructetis, quia nullus est eis sensus, nec de irrationabilibus animantibus, volatilibus, natautibus, ambulantibus, reptilibus, etiam accepimus; quia nulla nobis ratione sociantur, quoniã non eis datum est nobiscum habere commune. Vnde ordinatione iustissima creatoris, & vita, & mors eorum nostris vsibus subditur. Sic igitur occidere plantas, vel bruta animalia, non est prohibitum per hoc præceptum Non occides, vt dicũt Manichęi, sed hominis interfectio iniusta: quem tamen ipsi præcepto, vel consensu occidere non verentur.

Genes. 9. 1. Tim. 4. Actu. 28. Augustinus. Idem.

SVMMARIVM.

Reprobatur error Valdensium, qui dicunt quòd non licet Principibus legitimam potestatem habentibus occidere malefactores per iustitiam, vel hostes publicos in bello: & ostenditur quòd si tales occidant recta intentione non peccant, nec faciunt contra hoc Domini præceptum.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

XI

CONtra autem Valdenſes hæretici dicunt quòd in noua lege non licet interficere poteſtati ſeculari, vel Eccleſiaſticæ hominem, quantumcunque malefactorem, nec in bello, nec aliter, nec aliquid facere, propter quod vita hominis abreuietur; cuius tamen contrarium ſupra dictum eſt per Auguſtinum. Petrus etiam in actibus contra Ananiam, & Saphyram ſententiam mortis dedit, vt patet Actu. 5. Et Paulus ſententiam cęcitatis cõtra Elymas Magum, Actu. 13. Et ad Rom. 13. dicitur, Quòd poteſtas non ſine cauſa gladiũ portat, Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malè agit. Et infra, Miniſtri Dei ſunt, in hoc ipſum ſeruientes. Vbi dicit Gloſſa, Principes non ſine cauſa gladium portant, id eſt, habent iudiciariam poteſtatẽ, ſed vt malos puniãt, & loco Dei vindicent offenſas: ſine qua vindicta humanæ res ſubſiſtere non poſſent, iniquis, & malignantibus præualentibus contra bonos: dicente Auguſt. 4. de Ciuitate Dei, cap. 4. Remota iuſtitia, quid ſunt regna, niſi magna latrocinia? Et idem in Epiſtola ſecunda ad Macedonium dicit. Ipſos criminum vltores, atque in hoc officio, non ira propria concitatos; ſed legum miniſtros, nec ſuarum, ſed alienarum iniuriarum examinatarum vindices, non improbauit Dominus, nec legem, quæ reum iuſſit occidi; ſed illos terrendo ad miſericordiam reuocauit. Et infra, Non fruſtra ſunt poteſtas Regis, vis gladij cognitoris, vngulæ carnificis, arma militis, diſciplina dominantis, ſeueritas etiam boni patris. Habent iſta omnia, modos ſuos, cauſas, rationes, vtilitates. Hæc cum timentur, & coercentur mali, & quietius inter malos viuunt boni: & ideo non inutiliter etiam metu legum humana coercetur audacia, vt & tuta ſit inter improbos innocentia, & in ipſis improbis, dũ formidato ſupplicio refrenatur facultas, inuocato Domino ſanetur voluntas. Et infra, Cum homo ab homine occiditur, multum diſtat, vtrum fiat nocendi cupiditate, vel iniuſtè aliquid auferendi, ſicut fit ab inimico, ſicut à latrone; an vlciſcendi ordine, ſicut à iudice, ſicut à carnifice; an euadendi vel ſubueniendi neceſsitate, ſicut interimitur latro à viatore, hoſtis à milite. Et aliquando qui cauſa mortis fuit, potius in culpa eſt, quã ille qui occidit, nec tamen omnis qui cauſa alienæ mortis eſt, reus eſt. Propter quæ manifeſtum eſt quòd iuſtè peruerſi homines occidi per iuſtitiam poſſunt. Vnde primo de ciuitate Dei cap. 25. dicit Auguſtinus, Miles cum obediẽs poteſtati, ſub qua legitime cõſtitutus eſt, hominem occidit, nulla ciuitatis ſuæ lege reus eſt homicidij, immo niſi fecerit, reus eſt imperij deſerti, atque contempti. Sic ergo, licet interficiens innocentes reus ſit homicidij, tamen interficiens nocentem, ſi habet legitimam poteſtatem, & iuxta iuſtam legem occidat, non peccat, nec tenetur de homicidio.

Actu. 5.
Idem 13.
Rom. 13.
Ibidem.
Gloſ.
Auguſt.
Idem.
Auguſt.

F
G
H
I
K

SVMMARIVM.

Quòd ille, qui neſciens, & nolens, caſualiter interficit hominem, non facit contra hoc Domini præceptum; dummodo rei licitè det operam, & debitas circumſtantias obſeruet; & concluditur intellectus iſtius præcepti, Non occides.

XII

ILle etiam, qui præter intentionem, vel contra intentionem ſuam, cùm tamen daret rei licitę operam, hominem occidit; dum tamen diligentem circunſpectionem habuerit, non tenetur reus homicidij: ſecundum quòd patet Num. 35. vbi dicitur, Si fortuitu, & abſque odio, & inimicitijs, quis hominem occiderit, & hoc audiente populo fuerit comprobatum, atque inter percuſſorem, & propinquum ſanguinis queſtio ventilata; liberabitur innocens de vltionis manu. Et Deut. 4. Confugiat ad has ciuitates, qui occiderit nolens proximum ſuum, nec ſibi fuerit inimicus, ante vnum & alterum diem, vt ibi poſsit euadere. Et cap. 19. Qui percuſſerit proximũ ſuum neſciens, & qui heri, & nudius tertius nullum contra eum habuiſſe odium comprobatur, & cætera, quæ ibi ſequuntur, non eſt reus mortę. Sic igitur ex dictis patet quòd hoc præceptum Non occides, non ſe extendit ad beſtias, & plantas; ſed ſolum ad homines. Qui etiam aliquos homines interficit, nõ tenetur, ſicut ſi iudex habens poteſtatem gladij, ſecundum leges iuſtas iudicans malefactores occidit, vel miles, vel carnifex iuxta mandatum iudicis, vel priuata perſona in caſibus conceſsis; vel ille, qui neſciẽs, nolens, vel à caſu, & contra intentionem ſuam hominẽ occidit, ſeruatis debitis circunſtantijs; Et etiam illi non tenentur, qui Domino obediendo, ſe, vel alios etiam innocentes occidunt: ſolummodo quòd certum ſit quòd Deus hoc iuſſit, vel precepto exteriori, ſicut in lege iubet occidere malefactores, vel inſpiratione interiori, ſicut præcepit Abrahæ, vel ſi ex parte Dei præcipiatur per Prophetam alicui quòd alterum lędat, vel occidat. Sicut contigit de quodam filio Prophetarum, qui dixit ad ſocium ſuum in ſermone Domini; Per-

Num. 35.
Deuter. 4.
Idem 19.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

cute me, at ille noluit percutere; Propter quod, quia noluit audire vocem Domini, percussus fuit à leone 3. Reg. 20. Sed in alijs casibus occidens hominem, facit contra hoc Domini præceptum.

3. Reg. 20.

SVMMARIVM.

Quare Dominus non dixit quòd occidens hominem iniustè, reus esset mortis; sed dixit, Quòd reus erit iudicio, id est, si per iudicium constet quòd iniustè hominem occidit, debeat interfici secundum legem. Si autem non cõstaret in iudicio, propter hoc, quia secretè fuit commissum, & probari non potest quòd homicidium perpetrauerit, per humanum iudicium non debeat interfici.

XIII

QVI autẽ occiderit reus erit iudicio] id est, reus erit mortis, iuxta illud Gen. 9. Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis eius. Et Exod. 21. Qui percusserit hominem volẽs occidere, morte moriatur. Et Deut. 19. Siquis odio habens proximum suum, insidiatus fuerit vitæ eius, surgensq; percusserit illum, & mortuus fuerit, morietur, nec misereberis eius. Non dicit autem Dominus reus erit mortis, sed dicit reus erit iudicio; quia si veniat causa ad iudicium, & sit vel confessus, vel conuictus homicida de interfectione proximi, per iudicium debet adiudicari morti. Vnde & Num. 35. dicitur de homicida. Si profugus fuerit, qui sanguinem fudit, ad vnam de ciuitatibus, quæ sunt in præsidia fugitiuorum, cognatus occisi eum non poterit occidere, donec stet in conspectu multitudinis, & causa illius iudicetur. Et infra. Homicida sub testibus punietur, ad vnius testimonium nullus cõdemnabitur. Hoc enim commune est in omni iudicio humano, quòd nisi fiat notoriè, & palàm coram multis; vel nisi quis confessus, vel conuictus legitimè fuerit; iudicari non debet de proprio crimine. Sicut enim manifesta facinora pertinent ad humanum iudicium, sic peccata occulta pertinent ad iudicium diuinum; & sicut iniquus esset iudex, qui peccata manifesta per cõfessionem, vel legitimam conuictionẽ non puniret: ita & iniquus, qui peccata occulta punire vellet, quia illa peccata ad Dei iudiciũ pertinent. Vnde Augustin. 1. de Ciuitate Dei, cap. 26. dicit. Nos per aurem conscientiam conuenimus, occultorũ nobis iudicium non vsurpamus. Vnde Glo. super illud 1. ad Tim. 5. Quorundam hominum peccata manifesta sunt, ad iudicium; quorũdam autem subsequuntur, dicit. De manifestis iudicemus, occulta verò Dei iudicio relinquamus. Et quia multi perpetrant homicidia occultè, & nullus se ipsum debet prodere, nisi ad iudicium sit vocatus: Iccirco non omnis, qui facit homicidium occiditur, sed ille solum debebat occidi secundum legem, qui ad iudicium vocatus, vel per cõfessionem, vel per testium conuictionem; vel per facti euidentiam, manifestum erat ipsum dictum homicidium perpetrasse. Vnde, & Dominus ad hoc attẽdens; dixit homicidam reum esse iudicio, id est, si in iudicio manifestum erat ipsum homicidiũ perpetrasse, iudicari debebat ad mortem. Vnde, & Num. 35. dicitur. Non accipietis pretium ab eo, qui reus est sanguinis, statim & ipse morietur. Non polluatis terrã habitationis vestræ; quæ insontium cruore maculatur, nec aliter expiari potest, nisi per eius sanguinem, qui alterius sanguinem fuderit. Et Deut. 19. dicitur de homicida quòd morietur, nec misereberis eius, & auferes innoxium sanguinem de Israel. Sed si perpetrans homicidium esset occultus, nec per testes, nec per alia legitima documenta poterat probari, quis homicidium fecerat: non debebat interfici aliquis, sed fiebat secundum legem illam, quæ ponitur Deut. 21. Quando inuentum fuerit in terra tua hominis cadauer occisi, & ignoratur cædis reus, & cætera, quæ ibi sequuntur. Sic ergo non semper homicida interficiebatur secundum legem, sed quando in iudicio costabat ipsum homicidium perpetrasse. Vnde, & hîc dicit Glo. Qui occiderit, reus est iudicio, id est, iudicio puniatur legis, quia reus est legis accusatione: propter quod Dominus non dicit. [*Qui occiderit, reus erit mortis, sed reus erit iudicio.*]

Num. 35.

Deut. 19.

Idem 21.

Glos.

SVMMARIVM.

Quòd homicida est reus mortis, id est, obligatus ad pœnam mortis, ex hoc quòd interfecit proximum suum; & ideo iudex qui mandat eum interfici, non facit aliud, nisi quòd mandat quòd illud, in quo proximo interfecto tenebatur, soluat, & sic non peccat, immo iustè, & benè facit, &c.

EX hoc autẽ quòd dicit [*Reus est*] ostendit ipsum obligatum ad pœnam. Reatus autem nihil aliud est, nisi obligatio ad pœnam pro peccato petpetrato: cui talis pœna secũdũ legem debetur. Vnde iudex, qui iudicat malefactorem talem pœnam sustinere debere, qualem lex imponit tali maleficio, non facit aliud, nisi, quòd declarat ipsum malefactorem ad tale factum

XIIII

Ibidem.

Augustin.

1. Tim. 5. Glos.

obliga-

obligatum: propter quod præcipit quòd talem pœnam soluat, & ideo nullam iniustitiam ei facit: quemadmodum cum declarat quòd debitor soluat creditori illud ad quod ei est obligatus, nullam iniustitiam ei facit: immo reddit eum iustum, quia quãdiu rem alienam, Domino inuito detinebat, iniustus erat: & quando reddit ei, quod suum est, iustus efficitur. Vnde cũ interfectus iniustum passus sit ab interfectore; quando iudex interfectorem mandat interfici, facit quòd reddat illud, ad quod est obligatus proximo interfecto propter quod iudex non peccabat, immo merebatur, quando talem in lege Moysi interficiebat.

F

G

SVMMARIVM.

Quòd licet secundum legem homicida reus esset mortis, tamen iudex, & maximè, qui non habebat superiorem, attentis circunstantijs facti, poterat dictam pœnam legis mitigare: & maximè quando ex officio procedebat: sed vbi ad istantiam partis procedebat, ipsa parte nolente, non poterat.

XV VErum est tamen, quòd iudex, & maximè ille, qui superiorem non habebat; sicut Rex, vel habebat potestatem regalem, pensatis circunstantijs particularibus, poterat, & potest pœnam legis mitigare. Quemadmodum & Dauid proposito sibi casu per mulierẽ Thecuites 2. Reg. 14. Quòd duo filij Israel rixati fuerant ad uersum se in agro, & vnus alterum interfecerat; & populus volebat interficere fratris interfectorem, & sic mulier totaliter manet desolata, respondit. Vade in domum tuam, & ego iubebo pro te, & etiam ipsemet pepercit Absalõ, qui Amnon fratrem suum interfecerat. Quia vt dicit Augustin. in quadam epistola ad Marcellinum. Soleo audire in potestate esse iudicis mollire sententiam, & mitius iudicare, quàm leges. Et in epist. ad Paulinum dicit idem. Nec te in partem prouidentiorem, leuioremque sententiam: quod licet iudicibus facere etiam nõ in causis Ecclesiæ. Et hoc tunc maximè facere iudex potest, quando ex officio procedit: vel etiam ad preces illorum, qui iniuriam passi sunt, sicut patet in locis allegatis. Cæterum si pars, quę passa est iniuriam, instet, quòd fiat iustitia, vt reddatur æquiualens, nec aliquid obsistat, quare hoc fieri non debeat, iudex hoc non deberet, quia iudex inter partes constitutus est, vt reddat vtriq; quod est suũ; & inuita parte non potest aliquid sibi de suo iure auferre, dicente Aug. in quadam epistola ad Macedonium. Pro istis malefactoribus, magis apud eos qui repetunt, quàm apud eos qui iudicant, intercedere conuenit, nec ipse videat auferre, qui cum habet potestatem, non cogit reddere.

H

I

K

2. Reg. 14.

Ibidem.

August.

Idem.

Idem.

SVMMARIVM.

Ponuntur duo errores orti ex isto dicto Domini, quia in lege præcepit quòd homicidæ interficerentur, quorum primus est Marchionistarum, qui dixerunt Deum veteris testamenti esse iustum, & non bonum. Et alter Manichæorum, qui dixerunt Deum veteris testamenti esse malum.

EX hoc autem, quòd in veteri testamento pœna mortis per legem inferebatur homicidæ; & etiam pena talionis; quia oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, & cætera mandabat auferri. Aliqui hæretici æstimauerunt quòd Deus, qui dedit vetus testamentum, esset iustus, sed non bonus. Sed quia in nouo testamento tales pœnę corporales non ponuntur, crediderunt quòd Deus noui testamenti esset bonus, & non iustus. Vnde & hîc Chrysost. dicit in homel. Marcionistæ, qui sunt mansuetiores Manichæis, dicunt Deum veteris testamenti iustum; sed priuatum ab esse bono, qui neque fecit aliquid eorum, quę sunt: & hunc Patrem dant Christo, & hunc non bonum, sed iustũ in suis manere, & sua cõseruare aiunt. Alium autem Deum, quem dicũt bonum, aliena concupiscere, & quorum nõ factus est conditor, horum repente velle effici Saluatorem. Alij verò, vt Manichæi dicũt, quòd Deus malignus, quem ipsi vocant vel diabolum, vel hylen fecit mundum quo ad omnia corporalia: sed Deus bonus fecit omnes spiritus. Sic quòd primi dicunt, & distinguunt Deos in duos, scilicet in Deum iustum, & ille nihil facit, qui Deus iustus est Pater Christi; & in Deum bonum, quem vocant Christum. Et etiam dicunt legem Moysi fuisse datam per Deũ iustum, & nouum testamẽtum per Deum bonum. Secundi autem dicunt, quòd vetus testamentum fuit datum per Deum malignum; sed nouum testamentum fuit datum per Deum bonum. Vnde Isydorus 8. lib. Ethymologiarum, cap. 5. loquens de hæresibus dicit. Marcionistæ à Marcione stoico philosopho appellati, qui Cerdonis dogma secutus, alterum bonum, alterum iustum Deum asseruit. Et infra. Manichæi à quodam Persa extiterunt, qui vocatus est Manes: Hic duas naturas, & duas substantias introduxit, id est, bonam, & malã,

XVI

Chrysost. homil.

Isyd.

Idem.

testa-

testamentum vetus respuunt, nouum ex parte recipiunt: Vterque autem istorum contra hanc sententiam, ex eadem radice mouentur. Quia enim Deus præcipit interfici homicidas in veteri testamento; iccirco Manichæi dicunt, quòd ille, qui legem veterem dedit, malus fuit, quia tot mortes, & mutilationes præcepit, secundum quòd satis deducitur ex 22. lib. contra Faustum. Idem etiam Marcionistæ dicunt, quòd Deus iustus dedit vetus testamentum, quia interfectoribus, & mutilatoribus præcepit inferri æqualem vindictam damno, quod dederunt: quod est opus iusti, & non boni, id est, pij: sed nouum testamentum, isti, & illi dixerunt datum esse à Deo bono, distinguendo bonũ Deum contra iustum, secundum primos; & distinguendo bonum contra malum, secundum secundos.

SVMMARIVM.

Ponitur reprobatio dictorum errorum.

XVII Vterque autem error vanus est. Non enim malus est Dominus, vel vindex, qui infert vindictam, cum vindicta sit pars iustitiæ commutatiuæ: & iustum est quòd ille qui commisit culpam, puniatur per pœnam, alioquin culpa permaneret multa. Vnde quando Deus punit culpam, signum est euidens quòd ipse est iustus; cui culpa displicet, quam vult emendare per pœnam, quam si per pœnam non emendaret, vtique iniustus esset. Vnde & Apostolus ad Rom. 3, dicit, Nunquid Deus iniquus est, qui infert iram? Vbi dicit Gloss. Non vult Deus nos peccare: & quia iustus est, ideo infert iram peccanti. Cum ergo peccatori iusta pœna additur, non est iniquitas, sed iustitia apud Deum; Quomodo enim ex hoc iniustus videbitur Deus, cũ aduersetur iniustitiæ? Omnino ergo iustus videbitur Deus, qui est ipsa iustitia, cum irascitur aduersus iniustitiam. Sicut enim iustus cõuenit cum iusto, & iniquus cum iniquo; sic iustus dissonat ab iniquo in iniquitate, & ei contrariatur. Vnde punire iniquitatem non est opus iniqui, sed opus iusti. Sed dimittere iniquitatem impunitam, est opus iniusti. Vnde si Deus in veteri testamento non mandasset malefactores puniri, sic esset euidens quòd ipse iniquus esset, sed quia eos mandat puniri, manifestum est ipsum iustum esse; & per consequens bonum, omne enim iustũ est bonum. Vnde arguens quòd Deus dator veteris testamẽti est malus, quia præcepit punire malos, est argumentum ad contrarium, cum hoc ostendatur manifestè ipsum esse bonum, & iustum. Si etiam ex hoc Deus veteris testamẽti malus probaretur, quia præcepit puniri malefactores, Deus noui testamenti multo peior esset. In veteri enim testamento pro morte corporali, redditur mors corporalis. Sed in nouo pro ira redditur mors; quæ ira multo minor est culpa, quàm homicidiũ; & illi qui vocat fratrem suum fatuum infligitur pœna gehennæ ignis, quæ vtique pœna peior est quacunq; corporali morte. Ideo, si ex hoc Deus veteris testamenti est malus, quia pœnam mortis corporalis infligit: Deus noui testamenti vtique peior esset. Sic ergo Manichæorum dictum omnino nullum est cum se ipsum destruat.

SVMMARIVM.

Ostenditur quòd non ex hoc, quòd Deus posuit, diuersas pœnas pro peccatis in veteri testamento, à pœnis positis per eum in nouo testamento, sequitur quòd sint duo Dij, vt Marchion, & Manichæus confingebãt, sed vtriusque testamenti datorem vnus verũ Deum, qui secundum varietates temporum, personarum, & locorum, dat diuersa præcepta, & etiam transgrediendibus infligit diuersas pœnas.

XVIII NOn sequitur etiam quòd si Deus in veteri testamento posuit alias pœnas peccatorũ, quàm in nouo, quòd propter hoc sit alter Deus veteris testamenti, & alter noui: sed vnus, & idem Deus, secundum varietatem temporum, personarum, & aliarum circunstantiarum particularium, alias, & alias leges dedit: nulla mutatione facta in ipso, sed solum in recipientibus legem. Quemadmodum vna ars medicinæ, alia præcepta dat curandi vnam infirmitatem, & alia curandi aliam; & de vna infirmitate curanda, alia præcepta dat curandi in homine vno, & alia in alio (licet eiusdem speciei infirmitas sit in duobus) Et in vno, & eodẽ homine, vnam, & eandem infirmitatem speeie habente; alia præcepta curandi dantur in iuuentute, & alia in senectute, & sic de alijs circunstantijs. Vnde si mutentur leges ab illo, qui potest secundum diuersam dispositionem personarum, temporum, & locorum, & aliarum circunstantiarum particularium; non est signum mutationis legislatoris: alioquin in veteri testamento oporteret quòd essent multi legislatores; quia à principio non fuerũt nisi tria præcepta, scilicet crescere, & multiplicare, comedere de omni ligno paradisi; & non comedere de ligno scientiæ boni, & mali:

obliga-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Nec fuit illo tunc prohibitum quòd homo non posset accipere in vxorem suam sororem: quod tamen postea fuit prohibitum, non solum de sorore, sed de multis
Leuit. 18. mulieribus, vt patet Leuit. 18. Ipsi etiam Noe fuit concessum quòd comederet de omnibus animantibus terræ, & volucribus cœli, & piscibus maris: sed solum fuit
Genes. 6. ei prohibitum quòd non comederet carnem cum sanguine, & homicidium: & tamen postea in lege, commestio multorum animalium, volucrum, & piscium, prohibita fuit, vt patet Leuit. 11. Si igitur propter contraria præcepta, alter esset Deus in nouo testamento, & alter in veteri: alter vtique Deus fuisset vsque ad Moysen, & alter post eum in veteri testamento. Et non solum in veteri testamẽto, immo etiã in Euãgelio duo Dij essent: nam Deus qui
Luc. 10. præcepit Lucæ 10. Discipulis quòd non portarent sacculum, neque peram, neque calciamenta; postea circa passionem suam
Idem 22. dixit eis. Qui habet sacculum, tollat similiter & peram: & qui non habet vendat tunicam suam, & emat gladium; quod tamen nisi insanus non diceret: propter quod si secundum mutationes temporum, & personarum, sunt mutata præcepta; non est necesse quòd legislatores mutentur.
Chrysost. hom. 16. Vnde, & hîc Chrysostomus in homil. Nos vnum atque eundem vtriusque testamenti asserimus legislatorẽ, ad quem spectat omnia dispensare, & temporum differentiæ, differentiã vtriusque legis adaptare. Itaque nec illa crudelia sunt præcepta, neque hîc tristitia onerosa; sed vnius, & eiusdem procurationis sunt vniuersa. Et quòd
Esa. 55. vetus testamentum, & nouum ipse dederit: audi quod ait Propheta. Disponã, ait, testamentum nouum, non secundum testamentum, quod disposui patribus vestris: Si autem nõ recipit hoc testimonium, ijs, qui Manichæorum errore ægrotat, audiat Paulum docentem hoc idem. Abraham
Galat. 4. duos filios habuit, vnũ de ancilla, & vnum de libera: hęc autem sunt duo testamenta. Sicut igitur illic diuersæ quidem sunt mulieres, vnus autem vir: ita & hîc duo testamenta, vnus autem legislator. Non ergo ex hoc quòd alia sunt præcepta in lege noua, & veteri, sequitur quòd alter sit Deus veteris testamenti, & alter noui, vt dixerunt Marchion, & Manichęus.

SVMMARIVM.

Quòd legislator iustus, & bonus prohibens peccata per legem pœnas apponit, vt timore mali retineantur, ne peiores fiant, & vt quandoque à peccatis abstineant, & sic iusti fiant, & ne boni passi iniuriam in se ipsos, vindicare

F *vltra debitum velint; vel ne odio habeant iniuriantes, & sic mali fiant: & vt pax, & tranquillitas, in multitudine hominum obseruetur, punitis turbatoribus pacis; & propter hoc Deus iustus, & bonus, ac pius, in veteri lege pœnas contra peccantes apposuit.*

XIX

NEc ex hoc quòd in veteri testamento præcipit vindictã fieri de malefactoribus, Deus veteris legis est malus, vt dixit Manichæus: vel iustus, id est, crudelis, vel immisericors, vt dixit Marchion.
G Immo è contra sequitur, quia præcepit malefactores punire, quòd sit bonus: cum ex hoc sit iustus, & omnis iustus sit bonus, & etiã misericors, cum timore penè coerceat hominum malignorũ animositates; ne inferant nocumenta alijs: timentes ne consimile damnum, quod alijs intulerunt iniustè, cogantur per legẽ sustinere iustè. Non enim bonus legislator quando pœnam statuit, intendit ad pœnam infligendam. Sic crudelis esset, cum delectaretur in pœnis, iuxta illud Sap. 1. Deus mortem
H non fecit, nec lætatur in perditione virorum. Creauit enim Deus vt essent omnia; & sanabiles fecit nationes orbis terrarũ. Et Ezechi. 18. Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Sed iccirco pęnam apponit, vt illi, qui nolunt facere bonum, vel se cohibere à malo amore iustitię, saltẽ timore pœnę faciant opera iustitiæ: vel se abstineant à malo culpæ. Vnde & 10. Ethycor. dicit. Multi necessitati magis, quàm sermoni obediunt, & iacturæ quàm bono. Propter quod existimant legis positores oportere quidem aduocare
I ad virtutem, & prouocare boni gratia, vt obediẽtibus his, qui ephyjches cõsuetudinibus præcedẽtibus, inobediẽtibus autẽ & degeneris rebus existẽtibus; & pœnas, & punitiones apponere. Insanabiles autẽ totaliter exterminare. Vnde quia Deus nõ intendit ad pœnas per se, quia sic crudelis esset; sed ponit pœnas, vt timore earum mali se cohibeant à peccatis; & sic paulatim disuescentes mala agere efficiantur boni quandoque, non est crudelis censendus, sed magis misericors, & pius;
K quia homines ad bonum timore pœnæ inducit. Vnde & Chrysost. dicit in hom. Lex quæ iubet oculum pro oculo, dentem pro dente eruere: hoc facit ex maxima phylantropia, id est, amore hominum. Non enim vt adinuicem abscindamus oculos, hanc ponit legem: sed vt timore non patiendi, ab alijs secedamus à non faciendo aliquid tale alijs. Vnde, & ijs qui paratè insiliebant aliorum oculis, & pœnam posuit, vt si ex electione bona nolunt absiste-

Sap. 1.
Ezech. 18.
Aristot.
Chrysost. hom. 16.

re,

re, à crudelitate; à timore prohibeantur obesse proximorum oculis. Si etiam peccata per pœnas nõ cohiberẽtur, & iniqui peiores efficerentur, & boni ad malitiam exercendam frequenter conuerterentur; & innocentes, & simplices per improbitatem malignantium destruerentur, & tota respublica nulla tranquillitate, & pace frueretur, vel vteretur: quæ maxima mala sunt. Quæ cum per pœnam legi appositã, tollantur, manifestum est quòd pœna apposita, lege prohibente peccata, non est signum mali, vel immisericordis legislatoris: immo boni, & pij, ac etiam misericordis. Cum enim maligni homines nec tot pœnis appositis in lege possint retineri à faciendis malitijs; si nullam pœnam timerent sibi infligi: vtique pessimi essent. Idem ho. eadem. Vnde & in homil. hîc Chrysost. dicit. Ponamus solutam esse legem vniuersam, & nullam pœnam quæ est ex lege formidare, sed licere perniciosis vniuersis, cum ociò vniuerso suis vti modis; & adulteris, & homicidis, & periuris, & furibus, & patricidis: nonne vniuersa confusa sunt multis contagionibus, & occisionibus, ciuitates, & domus, & fora, & terra, & mare, & omnis repletus est orbis terrarum? Omni homini vtique manifestum est. Si enim legibus existentibus, & timore, & minis, vix pernicioſa detinentur consilia: si hæc destructa esset stabilitas, quid esset prohibẽs malitiam? Quanta vegetaretur humanam vitam iactura? Contingeret etiam quòd frequenter boni iniuriã passi à malis, quia non haberent legem vindicantem, eos de iniuriãtibus vindicare. Ex quo posset contingere quòd vel iniuriantes eorum eos occiderent, vel boni iniuriati vindictã immoderatam de iniuriantibus expeterent, cum iniuriam passus (vt in pluribus) non attendat quòd tantum damnum inferat, quantum est passus: immo vix videtur ei, quòd satis magnum damnum inferre possit iniurianti. Vnde Gregorius super illud Nonne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? dicit in his verbis superbia nostra confunditur, quæ si exagitata vel leuiter fuerit, atrociores iniurias reddit, quàm accepit, facit mala quæ potest, minatur & quæ facere non potest. Et Augustinus 19. lib. contra Faustum cap. 25. dicit. Quis facile contentus est tantum reponere vindictæ, quãtum acceperit iniuriæ? Nonne videmus homines leuiter læsos moliri cędem, sitire sanguinem, vixque inuenire in malis inimici, vnde satientur. Boni etiam passi iniuriam à malignis si nolunt se vindicare, ne à malignis occidantur, vel grauius lędantur quàm læsi fuerant à principio, maius damnum sustinent: ex quo odium, & rancor animi contra malignantes, vt in pluribus, insurgit, & sic boni mali efficiuntur. Si verò de malignantibus se vindicare possint, quia vt frequenter modum vindictæ excedunt, quia non tantum lædunt, quantum læsi fuerunt, sed plus efficiuntur iniusti: dicente Augustino 19. lib. contra Faustum cap. 25. Peccat qui exigit vltra debitum, non peccat autem qui exigit debitũ. Idem. Vindicta autem iustè debetur ei, qui fuerit passus iniuriam; quod autem debetur non iniquè repetitur, & ideo non peccat qui modũ adhibens, iustè vult vindicari, sed peccat qui per immoderationem iniustè vult vindicari. Quia ergo quando quis se vindicat, vt in pluribus, modũ excedit vindictæ, nec contentus est, tantum damnum inferre iniurianti quantum passus est ipse: Iccirco se vindicãs, & frequenter, malus efficitur. Et sic si cuilibet permitteretur quòd se vindicaret, vt in pluribus malus efficeretur: Quod nõ fit dum per legem, & iudicium, quæ non mouentur ex passione, vel ira, sed ex iudicio rationis vindicta exercetur; Quia sufficit legi quòd tanta vindicta exerceatur de iniuriante, quantum damnum proximo intulit. Et quia legis minister est publica potestas, cui non facilè per vnum, vel paucos resistitur: Iccirco sic vindictam exercet in malefactorem, quòd periculum non imminet alicui: & sic temperatè eam facit, quòd non excedit vindicta illata per eam damnũ, quod intulit malefactor proximo suo. Et sic vt boni non opprimantur per malos, vel ipsi mali efficiantur, lex opposuit pœnas iniuriatoribus aliorum. Non enim derelinquit Dominus virgã impiorum, super sortem iustorum, vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas, vt dicitur in Psal. Si etiam malignantes per Psal. 124. pœnas legis non coercerentur, nulla pax, & tranquillitas in rebus humanis esset, multiplicatis stultis, quorum infinitus est numerus, qui semper volunt bonorum pacem turbare, vt possint sua desideria complere. Vnde & Augu. authoritate Scipionis secundo libro de Ciuitate Dei cap. 21. dicit. Sicut harmonia se habet in cantu, Auguſt. sic & in ciuitate concordia, quæ concordia est arctissimum atque optimum omni in Republica vinculum incolumitatis, eamque sine iustitia nullo pacto esse posset. Et sic concordia, & pax ciuitatis, per iustitiam, cuius vna pars est vindicatiua, tenetur & habetur. Vnde qui talem iustitiam, aufert res humanas per discordiam destruit, & turbat. Vnde, & Chrysost. hîc

Chryſoſt. hom. 16.

dicit, Quòd qui nullam pœnam cunctis malignis imponit, aſſimilatur ei, qui homines infeſtos vndiq; congregat, & enſibus armatis iubet eos in ciuitatem ambulare, & vniuerſos obuiantes occidere: quo nihil eſt ferocius. Et ille, qui iubet oculum pro oculo effodere, aſſimilatur ei, qui miſſos pernicioſos armatos in ciuitatem ab alio, ligat, & coercet cum vehemẽtia vniuerſa, & eos, qui debebant occidi ab iniquis, de eorum manibus eripit. Timor enim ne homo patiatur quod alij intulit, eſt forte vinculum immiſſum animabus pernicioſorum, ne faciant alijs quod formidãt ſuſtinere. Sic igitur patet quòd non eſt ſignum mali vel crudelis legiſlatoris, pœnas peccantibus imponere, immo è contra, cum ex hoc mali retineantur ne ſint peiores, & aliquando efficiantur boni, & boni cuſtodiantur ne efficiantur mali, vel opprimantur per malos, & pax, & trãquillitas publica procuretur, quæ ſunt maxima bona: Et ſignũ eſt optimi, & miſericordis legiſlatoris pœnas imponere peccãtibus. Propter quod omnis lex iuſta, & bona pœnas & præmia habet vt à malo homines declinẽt timore pœnę, & bonum operentur deſiderio præmij conſequendi. Ad quod attendens Deus iuſtus, & bonus in veteri teſtamento, non ſolum præcepit Non occides, ſed & pœnam appoſuit contra occiſores, dicẽs, Qui hominem ex intentione, & contra legem occiderit, occidatur ipſe. Quod attendens Dominus dixit. Dictum eſt [*Non occides, qui autem occiderit reus erit iudicio.*]

SVMMARIVM.

Quòd lex vetus præcipiens homicidam non condemnari ad mortem, niſi præuio iudicio, oſtendit legiſlatorem, & talem eius legem eſſe plenam pietate, & miſericordia.

XX EX hoc autem quòd lex homicidam dignum morte non iubet interfici, niſi præuio iudicio, magnæ pietatis, & manſuetudinis oſtẽditur legiſlator. Quia qui vocatur ad iudicium poteſt vel cauſas excuſantes ſuum factum proponere, ex quibus quandoq; iudicatur innoxius: Habet etiam tempus pœnitentiæ, in quo ſua peccata poſsit per pœnitentiam delere, vt ſi corpus occidatur, anima nõ pereat. Quandoq; etiam ſi per teſtes ſufficienter non conuincitur, nec tortus confitetur ſuum peccatum, per iudiciũ liberatur. Si etiam iudicetur ad mortẽ, non ei ſeuerior mors infligitur quàm lex iubeat, nec per inimicum occidetur: propter quæ magnę manſuetudinis eſt lex, quæ iubet non interfici homicidam, niſi per iudicium condemnatum; cum tamen ſi iniquitas eius atenderetur, & redderetur ei æquale, vt fecit, hæc ſibi fieri non deberent. Ipſe enim non audita cauſa proximi, nec ei dato ſpatio pœnitẽdi, nec confeſſo de crimine, vel conuicto, immiſericorditer proximum ſuum interfecit: Ira enim non habet miſericordiam, nec erumpens furor, vt dicitur Prouer. 27. Vnde cum tot pietates per legem exhibeantur homicidæ interficiẽdo, quas ipſe nõ obſeruauit dum interfecerit proximum, Manifeſtum eſt quòd legiſlator præcipiens quòd homicida non interficiatur niſi per iudicium, multum miſericors eſt cenſendus, cum dignum morte, & immiſericordem tot miſericordijs circũdet. Vnde Ioan. 7. dicit Nicodemus. Lex noſtra non iudicat hominem, niſi audierit ab ipſo prius, & cognouerit quid faciat. Et Actuum 25. dicit Feſtus. Non eſt conſuetudo Romanis damnare aliquẽ hominem priuſquam is qui accuſatur præſentes habeat accuſatores, locumq; defendendi accipiat ad abluenda crimina. Sic ergo Dominus dicens homicidam non niſi per iudicium eſſe condemnandum, oſtendit magnæ manſuetudinis, & miſericordiæ eſſe Deum, qui tãtam miſericordiam vult exhibere etiam homicidę, vt non niſi per iudicium condemnetur. Vnde qui contra hanc legem, etiam homicidam, vel quemcunque alium malefactorem interfecerit, niſi in caſibus à lege permiſſis, puniri vt homicida debet. Vnde Exo. 22. dicitur de fure. Si fur effringens, ſeu ſuffodiens de nocte fuerit inuentus, & accepto vulnere mortuus fuerit, percuſſor nõ erit reus ſanguinis. Quòd ſi orto Sole hoc fecerit, homicidium perpetrauit, & ipſe morietur. Et Auguſt. 22. lib. contra Fauſtum cap. 70. dicit. Conſulta æterna lege, reperio non debere hominem, ab illo, qui nullam ordinatam poteſtatem gerit, quamuis iniurioſum, & improbum, occidi: Qui gladio ſic vſus fuerit, cadet: Ille autem vtitur gladio, qui nulla ſuperiori ac legitima poteſtate vel iubente, vel concedente, in ſanguinem alicuius armatur.

Tractatus ſequens protenditur vſque ibi. (Si ergo offers munus tuum ad altare,) *& continet in ſe* 38. *capitula. Ponitur diuiſio, capitulum primum.*

Prou. 27.

Ioan. 7.

Actu. 25.

Exo. 22.

Auguſt.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

I

EGo autem dico vobis quòd omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.] Vbi ponitur expositio prædicti præcepti, vel additi ad dictum præceptum. Et tria facit, quia primò prohibet iram subitam; secundò prohibet iram diuturnã, & tertiò prohibet ne vsque ad mortem odium, vel iracundia seruetur in corde. Iram enim subitam etiam perfecti quandoq; habent. Sed ira inueterata iam transit in odium, & non nisi malorum est. Sed continuare iram vsque ad mortem, est animi obstinati. Peccare enim hominum est: sed in peccato perseuerare vsque ad mortem, diabolicum est; secunda ibi. [*Si ergo offers munus tuum ante altare,*] tertia ibi. [*Esto consentiens cum aduersario tuo.*] Prima in tres. Quia ira subita contra fratrem, quãdoq; solum est passio interior irati, quandoq; prorumpit in voce, vel in signis exterioribus; nõ tamen certum, vel expressum conuicium, siue per iratum infertur. Et secundum hoc diuiditur in tres partes; quia primò agitur de prima ira. Secundò de secunda. Tertiò de tertia, secunda ibi. [*Qui autem dixerit fratri suo Racha.*] tertia ibi. [*Qui autem dixerit fratri*] prima in duas, quia primo indicat se velle addere dicto præcepto. Et secundò ponit præceptum, secunda ibi. [*Quia omnis qui irascitur.*]

A

SVMMARIVM.

Ponitur continuatio, & expositio istius dicti Domini. [Ego autem dico vobis.]

II

EGo autem dico vobis] quasi dicat. Antiquis hominibus in peccatis inueteratis, & in malam consuetudinem vix valentibus se abstinere à magnis & euidentibus criminibus, qui etiam propter intellectus grosi, vix peccata euidentia ex ratione naturali intelligebant esse peccata, dictum fuit, & præceptum, [*Non occides.*] Sed vobis, quia benè discernitis propter acumen intellectus inter bonũ, & malum, nec estis per malam consuetudinem deprauati: & qui iam per longum tẽpus stetistis in istis minimis, sicut renouatis sensu mentis, hęc maiora præcepta iustitię, quæ sequuntur, do. Vnde & infra 9. dicitur. Non mittunt vinum nouum in vtres veteres; sed vinum nouum in vtres nouos mittant, & ambo conseruantur. Vnde Gregorius Nicenus exponens hoc super Luc. cap. 5. dicit. Vinum nouum, nouum testamentum est, quod antiqui vtres, qui propter incredulitatem inueterati sunt, non capiunt: immo scinduntur excellentia doctrinæ, nec non, & gratiam spiritus incassum fluere faciunt. Vnde animæ nondum innouatæ, sed in vetustate malitiæ perseueranti, nouorum ministeriorum sacramenta committi non debent. Ergo è contrà in mentibus innouatis noua præcepta altæ iustitiæ sunt immittenda, vt semper proficiant ad maiora; quales Apostoli fuerunt, qui contemptis omnibus, secuti sunt Christũ. Vnde, & hîc dicit Remigius: Antiquis per Moysen dictum est, Non occides. Ego nouus homo noua vobis loquor præcepta, Non irascamini fratribus vestris.

B

Matt. 9.

Gregor. Nic.

Remig.

III

SVMMARIVM.

Ostenditur quare diuerso modo loquitur Christus, legem suam ponendo, à Prophetis veteris, vel noui testamenti, quia Prophetæ dicebant, Hæc dicit Dominus, vel locutus est Dominus, Dominus autem dicebat. Ego autem dico vobis.

MOdus autem loquendi est attendendus, quia nullus Prophetarum sic locutus est. Narrabãt enim populo illa, quæ Dominus fuerat eis locutus; & propter hoc præmittebant, quòd factum erat eis verbum Domini, vel quòd locutus erat eis Dominus; & deinde dicebãt populo, Hęc Dominus dicit. Quia autem dicitur 2. Petri 1. Hoc primum intelligẽtes, quòd omnis prophetia scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim in voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirata locuti sunt sancti Dei homines. Et 2. Reg. cap. 23. dicit Dauid de se: Spiritus Domini locutus est per me, & sermo eius per linguam meã. Et quia non loquebantur propria, sed illa quæ Deus immittebat eorum mentibus, ideo non dicebant, Ego dico vobis: sed dicebant, Hæc dicit Dominus. Timentes ne si ex proprijs loquerentur, quia mendax est omnis homo, mendacia loquerentur; iuxta illud Io. 8. Qui loquitur mendacium, ex proprijs loquitur. Qui enim à semetipso loquitur, gloriã propriã quærit: qui autem quærit gloriam eius, qui misit illum: hîc verax est, & iniustitia in eo non est. Ioã. 7. Sed Christus, qui est verbum Dei Patris, non aliena, sed suã propria dicebat; habet enim vitam, & scientiam, & omnia in semetipso, sicut & pater, licet ipse habeat à Patre, & ideo non loquitur, vt ab alio doctus, sed vt Dominus, dicens. [*Ego autem dico vobis.*] Vnde quemadmodum præcepto, vel verbo infirmitates corporales sanabat, quod non faciebant prophetæ, nisi per interpretationẽ; ita & nunc loquitur charitatiuè, auctori-

C

D

E

2. Pet. 1.

2. Reg. 23.

Ioan. 8.

Idem 7.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

tatiuè, & vt à se, & non vt ille, cui verba dicenda imposita sunt ab alio.

SVMMARIVM.

Quòd conueniens fuit quòd Dominus addens, vel exponens legē veterem vsus esset hoc modo loquendi, Ego autem dico vobis; & non sit vsus illo modo loquendi, quo prophetæ vsi sunt.

IIII ET conueniēter hoc fecit. Quando enim in veteri testamento Deus dedit decē præcepta populo, Scriptura dicit, quòd locutus est Deus cūctos sermones hos. Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo seruitutis, Nō habebis Deos alienos coram me. Vnde si præcepta decem ipsemet Deus dedit, & non per Moysen populo; conueniens erat, quòd interpretatio, vel additio, quæ fieri debebat dictis præceptis, non per Prophetam, vel alium purum hominem; sed per se ipsum Deus faceret, & diceret, ne videretur quòd homo purus adderet, vel perficeret illud, quod quasi imperfectum Deus videbatur dimisisse. Non enim præcepta maiorum per minores sunt supplenda, vel perficienda; sed legislator debet supplere, addere, vel exponere, secundum suam legem. Illius enim est interpretari legem, cuius est condere. Vnde & præceptum fuit filijs Israel Deut. 12. Quod præcipio tibi, hoc tantum facito. Non addas quicquam, nec minuas; Et cap. 4. dicitur eis. Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, neque auferetis ex eo. Vnde si populus non poterat addere, vel minuere legi Dei, nō propter hoc præscribatur quod Dominus legis non posset addere, interpretari, vel exponere: & ideo vt ostendat se legis Dominum, non loquitur vt legi subiectus, sicut Prophetæ faciebant; sed loquitur vt legis Dominus dicens. [*Ego autem dico*,] vt ostendat quòd tantam auctoritatē habet eius legis interpretatio, vel additio, quantam habuit & lex ipsa. Quia ab eodem, à quo fuit data lex, ab eodem fuit interpretata, vel legi fuerunt aliqua addita. Propter ergo prædicta dicit, [*Ego autem dico vobis.*] Vnde Chrysostom. hîc in homiliar. dicit. Vidistis potestatem completam, vidisti prædicationem legislatoris dicentis. Quis enim Prophetarum, ita vnquam locutus est? Quis iustorum, Quis Patriarcharum? nullus. Nam illi sæpius inferebant, Hæc dicit Dominus, Sed non filius. Illi enim Domini verba, hic verò Patris annunciat. Cum autem dico Patris, sua vtique dico. Mea enim, ait, tua sunt, & tua mea, & illi quidem conseruis loquebantur, hic autem seruis suis loquitur.

Exo. 20.

Deut. 12.

Idem 4.

Chrysost. hom. 16.

SVMMARIVM.

Quòd Dominus prohibendo iram, prohibuit omnem iniustam occisionem fratris, vel aliam læsionem: quia ex ira, vel odio, homicidium iniustum, & voluntarium habet ortum.

QVia omnis qui irascitur fratri suo reus erit iudicio.] Rectè autem volens homicidium prohibere, vel aliam corporis læsionem iniustam, prohibet iram. Ira enim causa est principium iniustæ occisionis; qua non existente, homicidium non perpetratur: propter quod qui prohibet iram, quæ est homicidij iniusti causa, & homicidium iniustum totaliter prohibet. Vnde & Nume. 35. dicitur. Si quis per odium hominem impulerit, vel iecerit quippiam in eum per insidias, aut cum esset inimicus, manu percusserit, & ille mortuus fuerit: percussor homicidij reus erit. Si fortuitu, & absque odio, & in inimicitijs, eorum quipiam fecerit, & hoc audiente populo fuerit comprobatum, liberabitur innocens de vltoris manu.

Num. 35.

SVMMARIVM.

Distinguitur triplex hominis occisio, scilicet malefactorum per iustitiam publicam, & casualis, vel fortuita; quæ contingit præter occidentis intentionem; & dictæ duæ primæ occisiones non sunt iniustæ; & illa quæ fit per iram, vel per odium, est occisio iniusta. Principium est ira; & ideo prohibendo iram, prohibuit omnem occisionem iniustam.

CIrca quod attendendum, quòd homicidium tripliciter perpetratur: vno quidem modo, per iustitiam, qua malefactor per iustam legem diuinam vel humanam cōdemnatur ad mortem. Secundo casualiter, quando scilicet aliquis non intēdens, nec ad hoc dans operam, nec faciens rem, ex qua, vt in pluribus, homines lædi solent in corpore, occidit hominem, quod homicidium in lege fortuitum, vel casuale vocatur. Tertium homicidium perpetratur ex appetitu vindictæ, vel propter quamcūque aliam causam iniustam, quod homicidium vocatur propriè. Ille enim qui hominem interficit propter iustitiā, per se, & directè non intendit hominis occisionem, sed peccatorum castigationem; Ille etiam, qui fortuitu, & casualiter hominem interfecit, non intendebat hominem occidere; quia quod fit à casu, vel fortu-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

na, præter intentionem fit. Sed ille, qui ratione vindictæ, vel per aliam causam iniustam hominem interficit, per se, & directè homicidium perpetrare intendit, & ideo talis propriè cēsendus est homicida; huius autem homicidij causa, & principium, ira est; & ideo, qui irasci prohibet fratri, & fraternum homicidium similiter prohibet; Destructa enim causa, destruitur & effectus. Vnde, & hîc dicit Glossa.

Glos. Qui non irascitur, non occidit; sed si è contra, licentia irascendi detur, quæ est causa homicidij, & homicidium fit. Vnde quia non omnis hominis occisio est prohibita in lege, sed illa, quæ est iniusta, quæ maximè causatur ex ira; ideo Dominus non prohibuit causas alias homicidij, sicut iustitiam publicam vindicatiuam, vel casum, vel fortunam; sed solum prohibuit causam homicidij iniusti, cum dicit, [*Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.*]

SVMMARIVM.

Quid sit ira materialiter, & formaliter, & ex quibus causis ira in homine causetur contra alium.

VII Secūdò vt melius videatur Christi præceptum, sunt aliqua notāda. Et primò videndum est, quid sit ira: & vt dicit Damascenus 2. lib. cap. 16.

Damasc. Ira est feruor eius sanguinis, qui est circa cor. Ex vaporatione fellis, vel per returbationē fiens, ideoq; exsuscitationeve bilis proueniēs, qua propter & bilis, & biliosa dicitur. Est autem etiam quandoque ira desiderium, vindictæque appetitus. Nam iniuriati, aut arbitrantes iniuria affici, irascimur. Et fit tūc mixta hęc perturbatio ex cōcupiscentia, & ira. Est enim id, quod audax est mētis, vindex concupiscentiæ. Cum enim concupiscimus quid, & prohibemur ab aliquo, irascimur aduersus eum: proinde ac iniuria affecti cogitatione videlicet iudicante dignum quærela, & indignatione

Aristot. quod factum est. Et Aristot. 2. Rethoricæ diffiniens iram dicit, Quòd ira est appetitus cum tristitia paruipensionis apparentis, propter apparentem paruipensionem eorum, quæ in ipsum, aut in ipsos, aut in aliqua non conuenienter sibi facta. Tres autem sunt species paruipensionis, despectus, epyriasmus, & contumeliatio. Qui enim despicit, paruipendit, quia putat illum nullo dignum esse. Qui autem nullo dignum esse putat aliquem, paruipendit eum. Epyriasmus autem est impedimentum voluntatibus, non vt aliquid sibi, sed vt non illi: sed contumeliatio est voluntas nocendi, vel contristandi in quibus confusio est patiendi, non vt aliquid fiat sibi aliud, sed vt delectetur. Vnde attendendum quòd causæ iræ sunt, quando aliquis alium dignum nulla re magna æstimat propter quod nullum honorē ei vult impendere, vel ab alio impendi: quia non reputat eum dignum aliquo magno, quod dum vilipensus attendit contra vilipendentem insurgit: Qualiter Dauid vilipensus à Nabal, qui dixit. Quis est Dauid, & quis est filius Isai? Hodie increuerunt serui, qui fugiunt Dominos suos, iratus contra eum fuit, & eum voluit interficere, vt patet 1. Reg. 25. Secundò quis irascitur, quādo illud, quod multum desiderat, cōsequi non potest, alio impediente; qui ipsum impedit: non vt ipse impedieus habeat, sed vt ille, qui desiderat, non possit habere quod optat. Quod causari videtur ex vilipensione. Si enim bonum quod aliter desiderat impediens per se habere vellet, non propter hoc impeditus per eum irasceretur rationabiliter, quia non esset vilipensus: sed quando videt quòd non appreciatur eum; tamen quia rem, quam ipse non vult pro se, non vult etiam pro alio: vilipensum se æstimat, quasi non dignum aliqua re bona. Tertiò homines irascuntur contra alios, quando res confusibiles, eis dicunt, vel faciunt, vt eis noceāt, vel vt eos contristent: intendentes talia facientes solum delectari in nocumento, vel tristitia illius, contra quem confusibilia dicunt, vel faciunt. Ex quibus tribus illatis homini, vel æstimatis ei inferri: vel alicui de suis, vel si homo timeat pati talia ab alio, accenditur sanguis circa cor ex euaporatione fellis, ex quo ira materialiter causatur, & contristatus ex hoc mouetur ad puniēdum illum. Qui cum sic vilipendit, vel impedit, ne quod appetit assequatur, vel confusibilia ei dicit, vel facit, vt delectetur de eius nocumento, & tristitia. Vnde secundum hoc, ira est desiderium repunitionis. Vnde, & Glossa hîc

Glos. dicit, Quòd ira est motus animi ad nocendum.

1. Reg. 25.

SVMMARIVM.

Ponitur prima distinctio iræ, quæ est in passione, & in iram, quæ ex amore iustitiæ nascitur: & in iram quæ separat, & trahit ad se rationem, vel absorbet eam: & ostenditur quòd prima ira peccatum non est in renatis. Secunda verò ira virtuosa est, dummodo non sit diuturna, nec modum vindictæ excedat. Tertia vero ira est vitiosa, & peccatum mortale,

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

le, ac principium homicidij, vel læsionis iniustæ proximi.

VIII Secundò ponendæ sunt aliquæ distinctiones iræ, & primò quòd cum ira sit quædam passio appetitus sensitiui irrationalis; qui tamen subditus est rationi, triplex est ira. Vnà quidem, quæ præuenit deliberationem rationis, & hæc non est in nostra potestate: propter quod talis ira non est peccatum aliquod, & maximè in renatis, & hæc vocatur propassio. Alia verò ira est, quæ est passio appetitus irrationalis superans rationem, sic, quòd ratio eam sequitur; cum eam tamen compescere posset, & deberet, & ista ira est vitiosa, & peccatū, & in pluribus mortale. Alia ira est, quæ stat infra limites appetitus irrationalis, & rafrenatur à ratione; vel etiam ratio ipsam cessare facit; quia quã cito ratio ipsam videt insurgere, sciẽs irrationabilem esse, ipsam facit cessare: Si verò sit rationabilis, refrenat eam ne rationem precedat, vel superet, sed vt rationi subdet, & obtemperet, vt ratio vtatur ipsa ira ad opus virtutis temperatè, secundum quod rectè ratio dictauerit. Vnde Augustinus exponens illud Psalmi, Irascimini, & nolite peccare, dicit. Si surgit iam propter pœnam peccati, non est in potestate, saltem moueat vos conscientia, vt non ei consentiat, ratio, & mens, quæ intus est regenerata, scilicet, secũdũ Deum, vt mente seruiamus legi Dei; si adhuc seruimus legi peccati. Et Cassiodorus ibidẽ dicit. Venialis est ira, quæ ad effectum indignationis suæ non peruenit. Motum siquidem animi feruidum, propter humanam fragilitatem in potestate habere non possumus; suffragante tamen Dei gratia, ratione disciplinabili continemur. Nam si irascamur, nec Domini consideratione refrenemur; sed à voto nostro impediamur aliquo necessitatis obiecto: tunc vtique constat nos facti crimen portare; & etiam si non possumus quæ volebamus, efficere. Sed de ira cui dominatur ratio, & vtitur ipsa ad actum virtutis, dicit Chrysost. hîc in homil. Vtilis est passio iræ, si cum decenti tempore ea vti nouimus. Intende enim qualia operata est bona Pauli ira, quæ aduersus Corinthios tunc facta est, etenim illos à magna iactura eruit: sed ad Galatarum gentem excidentem hac rursus recreauit: Et in expositione dicit idem. Si ira non fuerit, nec doctrina proficit, nec iudicia stant, nec crimina compescuntur. Iusta ergo ira, magister est disciplinæ. Itaque non solum non peccat, qui cum causa irascitur, sed ècontra, nisi iratus fuerit peccat: quia patientia irrationabilis vitia seminat, negligentiam nutrit: & non solum malos, sed etiam, & bonos iniicit ad malum. Ex quibus patet, quòd ira præueniens rationem, quæ propassio dicitur, non est peccatum, maximè in renatis, sed ira refrenata per rectam rationem, & accepta à ratione, ad melius, & perfectius exercendum virtutis actum, est virtuosa. Sed cauenda sunt duo in ipsa: primò ne nimis progrediatur, & duret, ne forte in odium conuertatur: dicente Augu. in Epistola ad Profuturum. Inueteràscens ira fit odium, dum quasi iusti doloris admixta dulcedo, diutius eam in vase detinet, donec totaliter accuset, vosq; corrumpat. Quapropter multo melius nec iustè cuiquam irascimur, quàm velut iustè irascendo, in alicuius odium malum hominum occulta facilitate delabimur. In recipiendis hospitibus, ignotis solemus dicere, multo esse melius iræ perpeti, quã forsan per ignorantiam excludi bonum, dum cauemus ne recipiatur malus. Sed in affectibus animi è contra est. Nam incomparabiliter salubrius est etiam iræ iustæ pulsanti nõ aperire penetrale cordis, quã admittere non facile recessurã, & per venturam de furculo, ad trabem. Audet quidem impudenter etiã crescere citius quã putatur. Et Gregorius 5. lib. moralium cap. 31. exponẽs illud Iob, Virum stultum interfecit iracundia, dicit. Aliquando ira perturbato animo, quasi ex iudicio silentium indicit. Et non nũquam hæc silentij seueritas per disciplinæ dispensationẽ geritur: si tamen sollicitè in intimis discretionis forma teneatur. Non nunquam verò, dum accensus animus à consueta locutione restringitur, per accessum temporis penitus à proximi dilectione separatur, atque in irati oculo festuca in trabẽ vertitur, dum ira in odium permutatur. Secundò cauendum est ne ira, quæ ex iusta causa excitata est, nimis progrediatur, & rationem velit perimere, sic quòd vindictam immoderatam de peccante velit expetere; & dum nimis cupit eradere rubiginem, vas frangit. Vnde & Gregorius dicto libro & cap. dicit. Per iram iustitia relinquitur sicut scriptum est. Ira viri iustitiam Dei non operatur, quia dum perturbata mens iudicium suæ rationis exasperat, omne quod furor suggerit, rectum putat. Et 26. lib. Moral. cap. 28. dicit idem. Plerunque mentem sub obtentu iustitiæ, iræ immanitas vastat, & dum quasi sæuit Zelo rectitudinis, rabiem explet furoris, iusteq; facere estimat, quicquid ira nequiter dictat. Vnde, & modum sæpe vlciscen-

Augustin. Psal. 4.

Cassiod.

Chrysost. hom. 16.

Idem ho. 11.

Augustin.

Gregor.

Idem.

Idem.

di transgreditur; quia mensura iustitiæ non frenatur. Et infra. Non autem correctio delinquentis, sed magis oppressio sequitur, si in vltione, ira vltra quantum culpa meretur, extenditur: In correctione quippe vitiorum subesse mẽti debet iracundia, non præesse: vt executionem iustitiæ non dominando præueniat, sed famulando subsequatur. Vnde, quia dum homo iratus est, frequenter modum puniendi peccata excedit, consiliũ est quòd nunquam iudex procedat ad inferendam vindictam, dum est iratus: iuxta illud. Prius mens à sua accensione deferueat, prius intra semetipsam zeli sui impetum tranquilla æquitate componat, ne si ad animaduertendum vitia obrupto furore trahimur, peccatum corrigendo peccemus, & qui culpam dijudicando insequimur, immoderatè feriendo sæuiamus. Vnde, & Valerius Maximus 4. lib. dicit de Pythagora. Pythagoras intuens rura sua per negligẽtiam rustici perdita, & corrupta, dixit. De te supplicium sumpsissem nisi iratus essem. Maluit enim impunitũ dimittere, quàm propter iram grauius iusto punire. Sed ira tertia, quæ rationi dominatur, & eam vel suffocat, vel extinguit, vel facit eam sibi seruire, mala est, & peccatum. Vnde & hîc dicit Glossa. Ira est omnis malus motus ad nocendum; subitus autem motus, cui non consentitur, passio est, accedente cõsensu, passio est mors in domo. Et Grego. lib. 5. Moral. cap. 31. Cum tranquillitatem mentis ira diuerberat, dilania tam quodammodo scissamq; perturbat, vt sibimetipsi non congruat. Per iram sapientia perditur, vt quid, quove ordine agendum sit, omnino nesciatur. Intelligentiæ lumen subtrahitur cum mentem permouendo confundit: qua confusa animus nequaquam explet, etiam siquid intelligere prudenter valet. Per iram iustitia relinquitur, & gratia vitę socialis amittitur, quia si se ex humana ratione nõ temperat, necesse est vt bestialiter solus viuat. Per iram concordia rumpitur, lux veritatis amittitur, sancti spiritus splendor excluditur; quo recedente, animus vacuus ad apertam mox insaniam ducitur, & vsque ad superficiem ab intimo cogitationum fundamento dissipatur. Nam iræ suæ stimulis accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies ignescit, exasperantur oculi, & nequaquam recognoscuntur noti. Ore quidem clamorem format, sed sensus quid loquatur ignorat. In quo itaque iste ab abreptitijs longè est, qui actionis suæ conscius non est, nec seipsum retinere animus valet; qui factus est potestatis alienæ? Vnde qui taliter fratri irascitur, quia ratione passio non retinetur, facillior est ad fratris occisionem. Vnde & hic dicit Glossa. Qui non irascitur, non occidit, sed licẽtia irascendi causa est homicidij: Tolle iram, & homicidiũ non fit. Propriè autem irasci vitiosum est, quod hîc prohibetur. Non accipitur pro passione, quia illa non est in potestate nostra, nec accipitur pro ira quæ nascitur ex amore iustitiæ: quia vt hîc dicit Chrysost. Iracundia propriè intelligitur commotio passionis; qui autem cum causa irascitur, ira illius iam non ex passione est, sed ex causa, ideo iudicare dicitur non irasci. Sed propriè iracundia accipitur, vel irasci, quando passio iræ superat rationem, vel etiam absorbet eam. Vnde & in græco ponitur hoc, sine causa. Vbi sic dicitur. Qui irascitur fratri suo sine causa. Alioquin, & Dominus contra istam sentẽtiam fecisset, de quo dicitur Mar. 3. Circũspiciens eos cum ira contristatus super cęcitatem cordis eorum, dixit homini. Extẽde manum tuam. Vbi dicit interlinearis. Incredulitati eorum irascitur. Sic ergo ille, quem passio iræ superat, hîc condemnatur, cum dicitur. [*Qui irascitur fratri suo sine causa,*] Quem textum exponunt hîc Chrysost. & Augustin. 1. lib. de serm. domini in monte.

Ibidem. Ibidem. Valerius Maximus. Glos. Gregor. Glos. Chrysost. hom. 11. Mar. 3. Glos.

SVMMARIVM.

Ponitur secunda distinctio iræ, cuius prima species est fel, scilicet pauco tempore durans; tamen superãs rationem, & ducens eam secum; & secunda species est mania, dicta à manendo, quia causas iniuriarum sibi factarum per longum tempus retinet. Tertia autem species est cotos, quæ dissimulans iram, quia non videt tempus vindictæ paratum, differt; & statim, vt tale tẽpus inuenerit ad vindictam procedit. Dominus autem prohibendo primam speciem iræ, magis prohibet secundam, & tertiam.

IX Damasc.

SEcunda distinctio est irę secundum Damascenum 2. libro cap. 16. Quòd ira quædam vocatur fel, quędam mania, quędam cotos, ideſt feruor. Ira, quæ ẽst fel, est principium motus iræ; sed mania est fel permanens, scilicet memoria mali; & dicitur à manendo, & à memorię tradendo. Cotos autem, ideſt feruor, est ira obseruans tempus in vindictam. Ira autem quę est fel, quia est quædam passio naturalis, & si aliquando sit mala (quia rationi dominatur) tamẽ minus mala est inter iras, quia tales solent statim pęnitere, nec memores sunt iniuriarum acceptarum. Sed

cum

cum ira illa deficit, etiam pausat fratris iniuriantis inimicitia. Vnde & Leuit. 19. præcipitur. Non memor eris iniuriæ ciuium tuorum. Et Apost. ad Ephe. 4. præcipit: Sol non occidat super iracundiam vestram. Vbi dicit Glossa. Ipsa ira non duret vsque ad occasum Solis; intelligitur quidem simpliciter, & secúdum tempus; quia si ex ipsa infirmitate, quã portamus surripit ira in christiano, non debet diu teneri, & fieri pridiana; sed ejcienda est de corde antequàm occidat lux ista visibilis. Et Chrysostom. in homil. secundum Matth. dicit. Si iniustitiam quis passus fuerit, non æternaliter irascatur, magis autem nec tẽporanee. Vno enim nobis plus non dedit Apostо. die ira abuti. Sol enim (ait) non occidat super iracundiã vestrã, & decenter; Amabile enim est, & rationabile in tempore nil fieri indelectabile. Si verò nox assumpserit, versutiora fiũt, quæ facta sunt infinitò igne ex memoria nobis collecto; & secundum vacationẽ amarius nobis scrutantibus eam. Igitur antequàm pernicioſa hęc assummatur vacatio, & vehementer accendatur pyra, iubet præassummere, & extinguere hanc nequitiam, vel versutiam. Acuta est enim hæc versutia, & flamma omnium acutior; ideo multa opus est velocitate nobis ad hoc vt prę assummamus hanc flammam, vt non permittamus eam in altum eleuari. Qui autem sic iram nõ retinet, & si peccet quandoq; ex ira eius rationem superante; tãmen quia cito pœnitet, & fratri satisfacit, cito remissibilis est hæc iracundia, quia præoccupatus videtur esse talis in aliquo delicto, & propter hoc instruendus est, & etiam pro eo est orandum secundũ quod dicit Apostolus ad Gal. 6. Sed ira secunda scilicet mania dicta à manendo; quia in memoria retinentur iniuriarũ causæ; grauior est; quia peccata continuè multiplicantur, & in odium transit. Vnde prima ira respectu huius secundæ est, vt festuca respectu trabis, quæ iam non turbat oculum mentis, sed totaliter extinguit. Vnde Hierony. exponens illud infra. Qui vides festucam, dicit. Quantum est inter festucam & trabem, tãtum inter iram distat & odium; Odium enim est ira inueterata: fieri autem potest vt si irascaris homini velis eum corrigere, non autem si eum oderis. Et August. lib. 1. de ser. Domini in mon. dicit. Si irasci fratri fas non est sine causa, multo minus fas est animo tenere aliquid, vt in odium indignatio conuertatur. Vnde & ille, qui sic causas iracundiæ in corde retinet, non meretur quòd Deus ei peccata sua relaxet, iuxta illud

Leuit. 19.

Ephe. 4. Glos.

Chrysost. hom. 18.

Ephe. 4.

Galat. 6.

Hieron. Matt. 7.

August.

F Eccl. 28. Relinque proximo tuo nocenti te; & tunc deprecanti tibi peccata soluentur. Homo homini seruat iram, & à Deo quærit medelam? Quasi dicat quòd frustra hoc facit; iuxta illud infra. Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater cęlestis delicta vestra; si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra. Vnde Augu. in enchiridion 75. cap. dicit. Quisquis roganti, & peccati sui pœnitenti ex corde non dimittit, nullo modo æstimet à Domino sua peccata dimitti, quoniam mentiri veritas non potest. Et Chrysost. Moral. 38. super Ioan. dicit. Tales fiamus circa conseruos, qualem volumus esse futurum circa nos Dominatorem nostrum, vt quemadmodum Deo dicimus, Ne memineris peccatorum nostrorum; sic nos non meminerimus peccatorum conseruorum nostrorũ, quæ in nos facta sunt. Et sicut Christus non dixit nobis, hæc & hæc peccastis; sed dimisit, & deleuit chyrographum; sic faciamus & nos, & à mente deleamus omnia, & ita deleamus, vt neque semita remaneat. Vnde ille, qui retinet causas iracundiæ contra proximũ multo deterior est, quàm ille, qui subito contra eum irascitur. Sed inter alias iras acerbior, & grauior ira est, quæ vocatur cotos, idest feruor; quia tẽpus vindictæ expectat; vnde talis frequenter dissimulat odium, & amicitiam fingit, vt nondum exterminatus inimicus, grauius, & dolosius se vindicet de illo, qui aliquando ei iniuriam fecit; vnde de tali dicitur Eccl. 6. I Est amicus qui conuertitur ad inimicitiam, & est amicus, qui odium, & rixam, & conuicia denudabit; & 19. Si ab imbecillitate virium vetetur peccare; si venerit tempus malefaciẽdi malefaciet; & 12. In labijs suis indulcat inimicus, & in corde suo insidiatur vt subuertat te in foueã. In oculis suis lachrymatur inimicus, & si inuenerit tempus non saciabitur sanguine. Et Hierony. in Epistola ad Asellam de fictis amicis dicit. Quidam osculabantur mihi manus, & ore vipereo detrahebant; K dolebant labijs, & corde gaudebant. Et Rabanus exponẽs illud 2. Reg. 20. Tenuit Ioab manu dextera mentum Amasæ quasi osculans eum; & percussit eum in latere, & mortuus est, dicit. Dextera mentum tenere est quasi benignitate blandiri; sed sinistram ad gladium mittit, qui latenter ex malitia percutit. Cum ergo tres sint species iræ idest fel, mania, & cotos, cum Dominus prohibet primam speciem iræ, idest fel, quæ minoris culpę est inter alias, magis prohibit & alias species iræ, quæ

Eccl. 28.

Matt. 18.

Augus.

Chrysost. hom. 38.

Eccl. 6.

Idem 19.

Idem 12.

Hieron.

2. Reg. 20.

Raban.

maioris

maioris culpę ſunt, qui enim prohibet peccatum minus, prohibet & maius eiuſdem generis.

SVMMARIVM.

Ponitur tertia diſtinctio iræ, cuius vna ſpecies eſt ira per zelum, quæ inſurgit ex hoc in homine perfecto; quia videt quòd aliquid fit iniuriosè contra Deum, vel contra proximum; & iſta bona eſt, dummodo ſit à ratione refrenata, vt modum vindictæ non excedat. Secunda ſpecies eſt ira per vitium, quæ ex impatientia excitatur; quãdo ſcilicet quis à proximo lęditur, vel moleſtatur, & iſta ſemper eſt mala; & prima turbat ad tempus oculum mentis, ſecunda verò excęcat.

X TErtiò ponenda eſt alia diſtinctio iræ, quæ eſt, quòd quædam ira excitatur ab impatientia, alia formatur à zelo; prima ira vocatur ira per vitiũ, ſecunda vero ira per zelum. Prima ira mentis oculum excæcat, ſecunda vero ira oculum mentis turbat. Vocatur autẽ ira per zelum, quando ex hoc quòd homo videt quòd aliqui Deum contemnunt, vel malè viuunt, vel proximos corrumpunt, vel etiam lædunt, inſurgit homo contra illos, qui talia operantur; non potens patienter ferre quòd talia fiant: Quomodo Phinees occidit virum Iſrahelitam, & mulierẽ Madianitam in lupanari, quia zelatus eſt pro Deo ſuo Num. 15. & Mathathias occidit Iudæum ſacrificantem idolis ſuper aram, quia zelatus eſt legem, vt dicitur 1. Macab. 2. Et quia talem zelum & iram non habuit Epiſcopus Pergami, qui habebat in ſua dioceſi tenentes doctrinam Balaham, & Nicolaitarum, reprehenditur, Apoc. 2. Qui enim Deum, & legem eius diligit, non poteſt patienter videre illos, qui Dei legem præuaricantur; & Deum inhonorãt, iuxta illud Pſal. Vide præuaricantes & tabeſcebam, quia eloquia tua non cuſtodierunt. Vide quoniam mandata tua dilexi Domine, & iniquos odio habui, & legẽ tuam dilexi. Vnde Auguſt. exponens primum verſum dicit. Vidit iſte præuaricatores, & tabeſcebat, quia diligebat; zelus enim ille bonus eſt, de amore veniens, non de liuore. Et exponens hunc verſum, dicit. Cum dixiſſet, Iniquos odio habui, expoſuit quare, addendo & legem tuam dilexi, vt demõſtraret non ſe in hominibus iniquis odiſſe naturam, qua homines ſunt; ſed iniquitatem, qua legi, quam diligit, inimici ſunt. Et alibi dicitur in Pſal. Non ne, qui oderunt te Domine oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebã? perfecto odio oderã illos, & inimici facti ſunt mihi. Quod exponens Caſſiod. dicit. Perfectum odium eſt homines diligere, & eorum vitia ſemper horrere. Nam in illa parte, qua creaturæ Dei ſunt, amandos eſſe dubium non eſt; quia opera Domini bona ſunt: In illa vero iniquitate horrendi ſunt, in qua ſe fędis ſceleribus polluerunt; quoniam tales placere non poſſunt, niſi eis, qui factis ſimilibus implicantur. Talis autem ira, vel odium, & ſi oculum mẽtis turbat, quia dum durat mentis oculus turbatus non poteſt aſſurgere ad diuina cõtemplanda, quæ maximam ſerenitatem mentis requirunt; tamen poſtquam talis ira deficit, clarius mentis oculus contemplatur diuina, quàm ante, dicente Gregor. 5. Moral. cap. 31. Ipſe zelus rectitudinis, quia inquietudine mentem agitat, eius mox aciem obſcurat, vt altiora in commotione non videat, quæ prius bene cernebat. Sed inde ſubtilius ad alta reducitur, vnde ad tempus ne videat reuerberatur: ſicut infirmanti oculo cum collyrium mittitur lux penitus negatur; ſed inde eam poſt paulum veraciter recipit, vnde hanc ad tempus ſalubriter amittit. Sed iram per vitium impatientia excitat, qua homo non poteſt tolerare iniurias, damna, vel contemptus illatos ſibi à proximo; ſed vult ſe vindicare de eis, quæ ira mentis oculum excęcat, dicente Gregor. in dicto libro, & capite. Ira per zelum ſapientes turbat; ira vero per vitium ſtultos trucidat; quia illa ſub ratione reſtringitur; hæc vero irrationabiliter deuictæ menti dominatur. Et Auguſt. ſuper illud Pſal. Turbatus eſt in ira oculus meus, ſecundo ſermo. ſuper Pſal. In te Domine ſperaui, dicit. Conturbatur oculus in ira, ſed cauendum eſt ne ira vertatur in odium, & oculus extinguatur. Hinc Ioan. ait. Qui odit fratrem ſuum in tenebris eſt vſque adhuc. Et quia ira per zelum eſt virtuoſa, ſolum quòd metas rationis non excedat, non prohibetur hîc per dominum; Vnde & de Moyſe, qui erat fideliſſimus ſeruus in tota domo Dei, vt dicit Apoſtolus ad Heb. 3. dicitur Exod. 32. Quòd cum vidiſſet vitulum, & choros, iratus eſt valde; & proiecit de manibus tabulas, & confregit eas ad radicem montis. Et Num. 16. dicitur de eo, quòd iratus Moyſes valde, ait ad dominum. Ne reſpicias ſacrificia eorum. Et, vt ſupra dictum fuit, Dominus Ieſus Chriſtus conſpiciens Iudæos cum ira, contriſtatus eſt ſuper cæcitatem cordis eorum. Verum tamen quia ſolum perfectorum eſt iram per zelum tenere refrænatam ſub regula rationis, ne nimis progrediatur; ideo non

Num. 25. 1. Maca. 2. Apoc. 2. Pſal. 118. Auguſt. Pſal. 138. Caſſiod. Idem. Auguſt. Pſal. 30. 1. Ioan. 2. Heb. 3. Exo. 32. Num. 16. Gregor.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

cuiuslibet est sic irasci; quia non omnes sunt perfecti, propter quod imperfectis magis expedit nõ irasci per zelum, quàm irasci, ne eorum ira forte ad immoderantiam perueniat. Vnde Augu. super dictum August. locum Psal. dicit. Hæc ira per zelum me tuendum est; ne tanta sit, vt in odium vertatur, & Gregor. in prædicto lib. & cap. Gregor. moral. dicit. Cum per zelum animus mouetur, curãdum summopere est, vt ne hæc eadem, quæ instrumento virtutis assumitur, menti ira dominetur; nec quasi domina præeat, sed velut ancilla ad obsequiũ parata, à rationis tergo nũquam recedat. Nam quantumlibet ira ex rectitudinis zelo surgat, si immoderata mentem vicerit, rationi protinus seruire contemnit, & tanto se impudentius dilatat, quanto impatientiæ vitium virtutem putat. Vnde necesse est, vt hoc ante omnia, qui zelo rectitudinis mouetur, attendat, ne ira extra mentis dominium transeat, sed in vltione peccati tempus, modumq; considerãs, surgentem animi perturbationem subtilius retractando restringat; animositatem reprimat, & motus feruidos sub æquitate Glos. disponat. Vnde & hîc Glossa dicit. Omnis occasio iræ infirmis aufertur, vel tollitur; & hoc pro tanto quia ipsi ira nesciunt benè vti: Quemadmodum in medicina aliquibus medicaminibus vti conceditur peritis; quibus non conceditur vti imperitis; quia primi sciunt vti temperatè, imperiti autem nesciunt eis vti, dicente Hie- Hieron. rony. 1. lib. ad Paulam, & Marcellam aduersus Ruffinum accusatorem suum. Condimento, atque medicamine vti licentia medicis danda est, ab imprudentibus autem remouenda. Sed ira per vitium semper est mala, & ideo ipsa hîc prohibetur cum dicitur. [*Qui irascitur &c.*]

SVMMARIVM.

Ponitur quarta distinctio iræ; quando aliquando quis irascitur alteri propter peccatũ, vel contemptum, quod in Deum commisit. Aliquando quis irascitur alteri propter peccatum, quod commisit in se, vel in proximum; sed hoc dupliciter, vel quòd ira feratur in substantiam fratris per se; per accidens autem in peccatum eius, vel è contrario, quòd per se feratur in peccatum fratris; & per accidens in fratrem, vel quòd aliquis irascatur contra se propter peccatum, quod ipsemet commisit. Et quia irasci contra Dei contemptorem, vel contra peccatum fratris quod in se, vel in alium commisit; vel contra seipsum quia peccauit, est bonum: iccirco Dominus solum iram, quæ fertur in fratrem peccantem prohibuit.

F Q Varta distinctio iręest, quòd aliquando homo irascitur propter hoc, quòd videt Deum contemni; aliquando quia videt fratrem malè agentem, & tunc vel ira fertur contra substantiam fratris per se, & directè; & contra eius peccatum per accidens, & indirectè, vel ira fertur contra vitium fratris per se, & directè, sed contra fratris substantiã indirectè, vel homo irascitur contra se ipsum, volens punire peccata, quæ commisit. Ira primo modo, & etiam odium sunt virtuosa. Vnde & Chry- G sost. supra dixit in homil. 16. in expositione. Nostras iniurias illatas ab impijs siue in dicto, siue in facto magnanimiter sustineamus: Dei autem iniurias, & contemptum, nec vsque ad auditum sufferamus; Quoniam in proprijs iniurijs esse quempiam patientem laudabile est, iniurias vero Dei dissimulare nimis impium est. Et super illud Psal. Nonne qui oderũt te Domine oderã, & super inimicos tuos tubescebam? dicit Cassiodo. Non superfluè videtur inquiri: Cur inimicos nostros amare præcipimur; Dei autem odisse deuotum est; quoniam in vtrisque magna di- H stãtia est. Nostri quippe inimici interdum contra nos iusta indignatione consurgũt, & irritãtur; quare illis officia debita non præbentur? quare detrahimus? quare bonis eorum visibus inuidemus? Merito ergo aduersarios nostros iubemur diligere, quos nos nostro vitio contingit offendere: Dei verò inimici quãdo obstinati sunt, competẽti, & religiosa execratione damnantur; quoniam cum ab ipso creati sint, I ipsique debeant omne quod viuunt; suo tamen contumaces redduntur auctori; Quapropter tales abhorrẽdi sunt, qui tantorum benefactorum memores non fuerunt. Vnde & Petrus cum indignatione dixit Simoni Mago, Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri; & Paulus dixit ad Elimas Magum. O plene omni dolo, & omni fallacia, fili Diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis subuertere vias Domini rectas Actu. 13. Sed ira quæ per K se, & directè fertur cõtra substantiam fratris deliquentis in proximum, vel se ipsum, non est bona; cum etiam inimicos nostros, & odientes nos præcipiamur diligere, & eis benefacere, ac etiam pro eis orare. Vnde & hîc Chrysost. dicit. Ira hîc penitus tollitur, si enim iubemur orare pro persequẽtibus, omnis iræ occasio tollitur; & sic frater peccans in nos est diligendus, & tamen eius vitium est odiendum, dicente Gregor. in quadam homil. Compassio homini, & rectitudo vitijs de-

XI

Chrysost. hom. 16.

Psal. 138.

Cassiod.

Actu. 8.

Idem ly.

Chrysost.

Gregor.

betur,

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

betur, & in vno, eodemq; homine & diligamus bonum, quod factum est, & persequamur mala, quæ fecit; ne dum culpas incautè remittimus, non iam per charitatem compati, sed per negligentiam condescendisse videamur: Vnde ad hæc Dominus attendens dicit, quòd non irascamur fratri. Et Aug. in libro Retractationum dicit. Non fratri irascitur qui peccato fratris irascitur; qui autem fratri, non peccato irascitur, sine causa irascitur. Sed si per accidēs, & indirectè feratur ira contra illum qui peccat, vt per punitionem reuertatur ad bonum, non est mala ira, imo bona; Vnde & de Domino dicitur 3. Reg. 11. Iratus est Dominus Salomoni, eo quòd auersa esset mens eius à domino Deo Israel. Et Apostolus ad Ephe. 5. dicit enumeratis quibusdam criminibus. Propter hæc venit ira Dei in filios diffidentiæ. Sic enim & Prophetæ mala pœnæ imprecabantur peccantibus, vt per pœnas ad bonum virtutis reducerentur, iuxta illud Psalm. Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine. Sed irasci contra peccata, vel vitia hominum iustè, & rectè debemus: Sic enim sunt diligendi homines, vt eorum non diligantur errores. Vnde & contra quosdam, qui aliorum errores laudabant, dicitur Isa. 3. Populi meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt. Vbi dicit Hieron. 2. lib. super Isa. Magistros appellat, qui propter munera, quę excęcant oculos, non solum peccatores in populo non corripiebant; sed pro diuitijs, atque compendijs laudibus efferebant. Et August. 14. de Ciuit. Dei. Homo, qui secūdum Deum viuit, oportet vt sit amator boni; vnde fit consequēs, vt malum oderit: Et quoniam nemo natura malus est, sed quisquis malus est, vitio malus est, perfectum odium debet malis, qui secundum Deum viuit; nec propter vitium oderit hominem; nec amet vitiū propter hominem, sed oderit vitium, amet hominem. Irasci etiam contra se ipsum peccantem, vel quia peccauit, vtile est, & bonum; quia per hoc quòd aliquis est iratus contra se, quia peccauit, præseruatur ne in posterum peccet; & hoc modo exponitur à Cassiodo. illud Psalm. Irascimini & nolite peccare. De præteritis peccatis contra nos ipsos irasci debemus, vt præsentē nequitiam effugere possimus. Delicta enim recentia declinare non possumus, nisi vetusta laudabili executione dānemus. Quid enim aliud est pœnitere, nisi irasci sibi, vt horreat quod fecit, & cruciatus à se exigat, ne iudex potius iratus affligat? Et Gloss. super illud dictum Psal. quod tangitur ad Ephe. 4. dicit. Indignamini vobis tanta vehementia vt peccare desistatis; Volo enim vos irasci, vt non peccetis; vt autē non peccetis, quibus habetis irasci, nisi vobis? Quis est enim homo pœnitēs nisi homo irascens sibi? qui vt accipiat veniam, de se ipso exigit pœnam. Sed tamen cauere debet ne sic cōtra se irascatur propter peccata præterita, vt se perimere velit; dicente August. 1. lib. de Ciuitate Dei cap. 26. Hoc dicimus, hoc asserimus, hoc modis omnibus approbamus, neminem spontaneam mortem sibi inferre debere, velut fugiendo molestias temporales, ne incidat in perpetuas. Neminem propter aliena peccata, ne hoc ipso incipiat habere grauissimum proprium, quem non pol luebat alienū: neminem propter sua peccata præterita, propter quæ magis hac vita opus est, vt possint pœnitendo sanari. Sic ergo cum quis irascitur contra alium, vel propter Deum, vel propter odiū, quod habet contra fratris substantiam, vel contra eius peccatum, vel contra se ipsum, hîc Dominus iram contra fratris substantiam prohibuit, & non iram propter alias causas, cum dicit. [*Qui irascitur fratri suo.*

SVMMARIVM.

Ponitur quinta distinctio iræ, quia quædam ira vocatur ipsa animi commotio ad vindictam contra peccantem inferendam, aliquando ira vocatur ipsa vindicta, quæ sine animi commotione infertur. Et licet aliquando expediat iram, quæ dicitur animi commotio, adiungere iustitiæ vindicatinæ, tamen quia frequenter talis ira modum vindictæ excederet, expedientius est homini quòd vindictam exerceat sine animi commotione.

QVintò ponēda est alia distinctio iræ. Quia ira aliquādo accipitur pro animi commotione, qua quis cupit se de alio vindicare. Aliquando accipitur pro ipsa vindicta, quæ etiam sine animi commotione infertur. Vnde August. 25. de Ciuitate Dei cap. 25. dicit. Ira Dei non perturbatio animi eius est, sed iudicium, quo irrogatur pœna peccato. Et super illud Psalm. Cum exarserit in breui ira eius, dicit idē, id est, cum vindicta venerit, quæ impijs, & peccatoribus præparatur. In nobis autem quandoq; cōtingit, quòd vindictam, quæ est iræ effectus, inferrimus sine ira, id est, sine commotione animi, quādoq; cum animi commotione, quæ dicitur ira, vindicta infertur. Et licet quādoq; expediat in corrigendis peccatis, quòd virtus animi passioni irascibilis appetitus adiunga-

XII

tur, quia per triſtitiam vultus corrigitur animus delinquẽtis. Et vt dicitur 3. Ethi. auctoritate Homeri. Virtutem immitte furori, & virtutem in furore erige. Tamen quia multum periculoſum eſt quòd ira iuſtitiæ addita puniat vltra debitũ; melius, & ſecurius eſt, quòd vindicta, quæ eſt effectus iræ, exerceatur ſine paſſione iræ, quã ſi paſſio iræ adiungatur iuſtitiæ. Ira enim viri iuſtitiam Dei non operatur, vt dicitur Iacob. 1. Vnde ſi poſſibile eſſet nobis, melius eſſet non omnino iraſci contra fratrem peccantem, quàm iraſci; & tamen iuſtitiam vindicatiuam exercere contra peccatum eius. Vnde quanto poſſibilius eſt, debemus nos cuſtodire, & maxime dum iuſtitiam vindicatiuam exercemus, ne irati ſimus; Vnde & ibidem dicitur Iaco. Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram.

Ariſtot.

Iacob. 1.

Ibidem.

SVMMARIVM.

Ex prædictis diſtinctionibus concluditur quæ ira ſit bona, & quæ mala, & qua ira bona non debeat vti imperfectus, & qua ira bona poſſit vti perfectus; & contra quod iraſci debeant perfecti, & contra quod iraſci non debeant, & quòd ſecurius eſt (ſi commode fieri poſſet) vindictam de peccato exercere ſine ira, quàm cum ira.

XIII

CVm igitur tot ſint iræ diſtinctiones; quia quædam ira eſt propaſſio rationi præueniens; quædam ira eſt rationem ſequens; quædam rationem ſuperans; quędam ira ſubita; quædam perſeuerans, & manens; quędam ſimulans pacem, & tempus vindictæ obſeruans; quædam per vitium; quædam per zelum; quædam propter Dei iniuriam; quędam contra vitium fratris; quædam contra fratrem; quædam contra ſe ipſum; quędam ſine commotione paſſionis vindictam inferens; quædam cum paſſione vindicans, videndum eſt de qua ira hîc loquatur Chriſtus. Et certum eſt quòd nõ loquitur de propaſſione; quia illa non eſt in poteſtate noſtra; nõ eſt enim in poteſtate noſtra quibus viſis tãgamur. Vnde & hîc Chryſoſt. dicit. Non de iracũdia carnis loquitur Chriſtus, ſed de ſpiritu; Nec ad carnem loquitur, ſed ad animam; quia ſi mãdauerit carni, caro ei non obaudit. Non enim eſt poſſibile, vt caro non turbetur; Sapientia enim carnis inimica eſt Deo; legi enim Dei non eſt ſubiecta. Non loquitur etiam de ira, quæ ſequitur rationem; quia illa frequenter iuuat virtutis actum, vt ſupra dicebatur; ſolum quòd non perſeueret; & quòd non ſuperet rationem, expetendo vindictam, vel debitum, quia tunc mala eſſet; huiuſmodi enim ira temperata contra vitium eſt, & non contra fratrem. Sed ira rationem ſuperans, ſiue ſit ſubita, ſiue manẽs, ſiue tempus vindictæ expectans, mala eſt, & vitioſa. Ira etiam per vitium mala eſt, ſed per zelum, ſiue quia videt homo Deum iniuriatum; ſiue contra delictum fratris, ſiue contra delictum ſui ipſius, eſt bona. Sed quia magnum eſt periculum, niſi ſit homo nimis perfectus in virtute, quòd paſſionem iræ quis poſſit refrẽnare, vt non ſuperet rationem etiam in ira iuſta; iuxta illud Prouerb. 27. Graue eſt ſaxum, & oneroſa arena; ſed ira ſtulti grauior vtroque. Ira non habet miſericordiam, nec erumpens furor; & impetum concitati ſpiritus ferre quis poterit? Ideo homini imperfecto in virtute, omnis ira cõtra proximum quanto eſt poſſibilius eſt fugienda, propter quod quo ad eos generalis, quaſi eſt prohibitio. Propter quod Gloſſa dicit quòd omnis iræ occaſio aufertur infirmis. Sed quia homines in virtute perfecti, qui ſciunt iram ſuam moderare, & ſciũt propter quod, & cui; quia propter peccatum, & peccato iraſcuntur, ſciuntq́; alias circunſtantias actus virtuoſi cuſtodire, iraſci poſſunt; quia fratri non iraſcũtur, ſed pro fratre iraſcuntur, nec eorum dicitur ira, ſed iudicium, vt dicit hîc Chryſoſt. Attamen licet iuſtè iraſci poſſint, melius tamẽ eſt propter humanam fragilitatem, quòd effectum iræ, id eſt vindictam, inferãt peccantibus ſine ira, quàm ſi cum ira facerẽt. Vnde & Apoſtolus ad Ephe. 4. dicit. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia tollatur à vobis cum omni malitia. Quia vt ibi dicit Gloſſa. Quia hæc perniciem præſtare poſſunt niſi amoueantur, & quia etiam ſi fiant accidentibus cauſſis, tamen temperanda ſunt, ſed quia illis preſſis, & non ablatis, malum in corde poterat retineri, ideo addit. Tollatur à vobis cum omni malitia cordis. Vnde Dominus ſciens humanam fragilitatem, quæ procliua eſt ad peccandum, ab imperfectis, qui neſciunt ira bene vti; remouet omnem iræ occaſionem; ſed à perfectis, qui ira vti ſciunt, oſtendit contra quæ non debeant iraſci; quia non contra fratrem, nec contra vitium, ſi poſſibile eſt quòd vitium fratris ſine ira corrigi poſſit; & ſi nõ poſſit aliter corrigi peccatum, quia peccans non curat de dulci admonitione iuxta illud Prouerb. 29. Seruus non poteſt verbis erudiri, quia quod dicis intelligit, & reſpondere contemnit; accipiatur ira temperata, & tardius quàm fieri

Chryſoſt. hom. 11.

Rom. 8.

Prou. 11

Gloſ.

Chryſoſt. hom. 11.

Ephe. 4

Gloſ.

Prou. 29.

poteſt.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

poteſt, nedum alium volumus corrigere, nos in peccatum labamur, iuxta illud Eccle. 7. Ne ſis velox ad iraſcendum, quia ira in ſinu ſtulti requieſcit. Sic ergo Dominus prohibet iraſci fratri, diſtinguendo illo modo iram iuſtam, & iniquam, vt ſupra dictum eſt; quia prohibet malam, & iniuſtam iram, & non bonam, & iuſtam; licet ſecurius ſit non iraſci nobis etiam iuſtè, quàm iraſci. Et ex prædictis multæ contrarietates ſcripturæ, & ſanctorũ ſoluuntur, quia aliquando videntur concedere iram, aliquando laudare, aliquando etiam ipſam præcipere, aliquãdo iram damnant, aliquando prohibent, aliquando etiã magnas pœnas apponunt, quæ non poſſunt ſimul ſtare, niſi diuerſæ de ira fierent diſtinctiones.

Eccl. 7.

SVMMARIVM.

Quòd ille, qui iraſcitur non contra vitium fratris, ſed contra fratris ſubſtantiam, etiam ſi ipſum non manualiter interficiat, reus homicidij tenetur apud Deum, qui cor reſpicit peccantis.

XIIII. CONtra autem iniuſtè, vel immoderatè fratri iraſcentem Dominus apponit pœnam ſubdens. [*Reus erit iudicio.*] Et vt dicit Gloſſa. Pœnam quam ſupra lex poſuit in homicidio, ipſe nunc ponit contra iraſcentem fratri; quia vt dicit, quia Iudei neſciebant homicidium eſſe, niſi corporis peremptionem, aperit omnẽ motum animi ad nocendum in homicidium computari; vbi clarè aperit ex pœna, quid ſit fratri iraſci. Ille enim qui peccatum fratris vult corrigere, vult quidem ipſius fratris manere ſubſtantiam; ſed culpam per pœnam emendare, & ideo tantam, & talem pœnam infligit fratri, quantam, & qualem ſcit eſſe ſufficientem ad peccati emendationem. Quemadmodum Chyrurgicus tantam, & talem infligit ægrotanti plagam, quantã, & qualem cognoſcit ad morbi curationem neceſſariam. Non enim infligit plagam niſi vt morbum curet, nam ſi ſine plaga morbũ curare poſſet, nullam plagam inferret; ſed quia non poteſt ſine plaga, eam facit moderatam, & cum minori quàm poſſit leſione. Et ideo quia corrigens delinquentem, & iraſcens contra eius peccatum non intendit niſi curare, licet feriat vt ſanet, non tenetur de homicidio fraterno; quia hoc non intendebat; ſed qui iraſcitur contra fratrem per ſe, intendit ſe vindicare, nocumentumq; fratri inferre; ideo non attendit qualiter percutiat, ſed ſolum vt ipſum lædat; propter quod & ſi mors non ſequatur in effectu, non tamen excuſatur à fraterno homicidio; quia in corde ſuo nocere fratri intendebat qualitercunq; ei nocere poſſet, dicente Auguſt. in Epiſtola ad Vincentium Donatiſtam. Mali ſemper perſecuti ſunt bonos, & boni perſecuti ſunt malos; illi nocendo per iniuſtitiam; illi conſulendo per diſciplinam; illi immaniter, illi temperanter; illi ſeruiẽtes cupiditati, illi charitati, Nam qui trucidat, non conſiderat quemadmodum laniet, qui autem curat, cõſiderat quemadmodum. Ille enim perſequitur ſanitatem, ille putredinem; & in his omnibus quid attenditur, niſi quis eorũ pro veritate, quis pro iniquitate, quis nocendi cauſa, quis emendandi? Vnde qui iraſcitur fratri non intendit niſi ad nocumentum eius; & propter hoc non curat in quo loco, vel qualiter percutiatur; immo ſemper, vel vt in pluribus intendit magis ad nocumentũ præſtandum, & quãuis fratrem non interimat; tamen reus fraterni tenetur homicidij. Vnde & de Cain ante fraternum homicidium actuale dicitur, quòd iratus eſt Cain vehementer, & concidit vultus eius; quia iam homicidium frarernum commiſerat in corde ſuo. Vnde ſuper illud Pſal. Etenim in corde iniquitates operamini in terra, iniuſtitias manus veſtræ concinnant, dicit Auguſt. Iniquitates fortè in corde ſolo ſunt, ſed audi quid ſequatur. Cor ſuum ſequuntur manus, & cordi ſuo famulantur, manus cogitatur, & fit; aut ideo non fit; non quia nolimus, ſed quia nõ poſſumus; quicquid vis, & non potes, factum Deus computat. Et Caſſiodo. ibidem dicit. In corde veſtro iniquitates operamini; vbi perfectum crimen eſt antequã fiat; & omne malum plectibile fit, quod deſiderium prauæ voluntatis accuſat. Vnde quia fratri iraſcens occiſionem eius vult, reus tenetur homicidij; quãuis adhuc frater viuat; quia quod viuat non eſt quòd iraſcẽs ipſum occidere noluerit, ſed quia perficere non potuit; Propter quod apud Deũ qui iudicat cor, reus eſt homicidij. Qui enim odit fratrem ſuum, homicida eſt, vt dicitur 1. Ioan. 3. propter quod hîc Dominus dicit. [*Quòd qui iraſcitur fratri ſuo reus erit iudicio,*] quomodo ſupra locutus fuerat de pœna homicidij dicens. [*Qui autem occiderit reus erit iudicio.*] Vnde & hîc dicit Remig. Sicut in veteri teſtamento occiſio reũ faciebat iudicio, ita nunc ira reum facit iudicio.

Gloſ. Auguſt. Gen. 4. Pſal. 57. Auguſt. Caſſiod. 1. Ioan. 3. Remig.

SVMMARIVM.

Quod licet ille, qui iraſcitur fratri, & ille qui

fratrem

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

fratrem manualiter occidit, sint rei iudicio, id est morte, non tamē propter hoc sequitur quòd ista peccata sint æqualia; quia in præsenti vita etiam secundum Dei legem non æqualibus peccatis æqualis imponitur pœna.

XV QVamuis autem & occidens iniustè, & irascens fratri, vterque sit reus iudicio, attamen grauius peccatum est, & maiori pœna dignū occisio fratris, quàm ira contra fratrem; quia ira est passio irascentis, & non transit in alterum, inferendo ei nocumētum; sed occisio non solum est malus occidentis actus, sed etiam grauissimum est nocumentum occisi; cum per mortem vitam istam temporalem, quæ inter omnia huius vitæ plus amatur, occisus amittat, & facultas ei auferatur pœnitendi de peccatis, & merita agendi. Ira etiam in corde concepta contra fratrem non videtur esse tanta, cum in corde irascentis retinetur, sicut quando per iram occiditur; Vnde & hîc grauior pœna ponitur vocanti fratrem fatuum, quàm fratri irascenti; & per consequens maior pœna H debetur occisori fratris, quàm illi, qui fratrem vocat fatuum. Vnde licet in veteri testamento occisioni fratris pœna inferatur iudicij; & in nouo irascenti fratri eadem imponatur pœna, non tamen propter hoc ira contra fratrem, & occisio fratris iniustè, sunt peccata æque grauia. Non enim æqualiū criminū frequēter sunt pœnæ æquales; & maxime vbi mors pro vtroque infertur; quasi non habentes pœnas maiores morte, quæ possint inferre maiorem pœnam merentibus. Vnde & in lege occidenti hominem, & furanti hominem I ipsum aliquando, vt eum vendat; vterque præcipitur interfici, & adulter, & adultera præcipiuntur interfici; sicut & homicidæ; & tamen constat quòd maius peccatum est occidere hominem, quàm furari, & ipsum in seruum vēdere, vel etiā quàm committere adulterium; & ideo si ira & homicidium æquantur in pœna, non propter hoc æquantur in culpa; tamen vterq; secundum Dei legē est reus iudicio. Quare si irascens reus est iudicio, magis vtiq; K occidens reus iudicio erit.

SVMMARIVM.

Quòd licet in vita præsenti non æqualibus peccatis æqualis pœna reddatur, tamen in vita futura iuxta qualitatem, & quantitatem peccati pœna debita reddetur; maior maioribus peccatis, & minoribus minor; propter quod & Dominus distinxit de pœna irascentis fratri, & eum vocantis Racha; & vocantis eum fatue; per hoc distinguens pœnas gehennæ maiores & minores. Quid tamen dictæ pœnæ in vita futura significent, ignotum est; sed circumscribuntur per reum esse iudicio, concilio, & gehennæ ignis.

F VErum est tamen quòd licet in præsenti in æqualibus peccatis æquales XVI reddantur pœnæ, quia non possumus vltra mortem punire aliquem; in futuro tamen secundum maioritatem delictorum erit maioritas pœnarum. Vnde & hîc ponitur G irascenti quòd reus erit iudicio; & dicenti Racha quòd reus erit concilio, & vocanti fatue quòd reus erit gehennæ ignis. Quia licet gehenna in ipsa omnibus debeatur iniquis; tamen in ipsa secundum qualitatem criminum erit diuersitas afflictionum; Quātum enim se glorificauit, & in delicijs fuit, tantum dabitur ei tormentum, & luctum, Apoc. 18. Et Grego. lib. 9. moral. cap. 29. dicit. Qui æterno igni tradendi sunt, pares paribus sociantur: vt quos similis culpa inquinat, par etiam pœna constringat: & qui nequaquam dispari iniquitate polluti sunt, nequaquam dispari tormento crucientur. Quia quāuis gehenna cunctis vna sit, non tamen cunctos vna, eademq; qualitate succendit. Nam sicut vno sole omnes tangimur, nec tamen sub eo vno ordine omnes æstuamus; quia iuxta qualitatem corporis sentitur etiam pondus caloris; sic & damnatis & vna est gehenna, quæ afficit, & tamen non vna omnes qualitate cōburit; quia quod hîc agit dispar valitudo corporum, hoc illic exhibet dispar causa meritorum. Vnde quia hîc Dominus non loquitur de pœnis infligendis in vita præsenti, sed loquitur de pœnis peccati debitis in vita futura: iccirco diuersis criminibus diuersas imponit pœnas. Omnes enim qui iniustè fratri irascūtur, & qui dicūt Racha, & qui dicūt fatue, digni sunt gehenna. Si enim non benefacientibus fratribus sunt damnatione digni, vt patet infra 25. quanto magis malefacientes fratribus digni sunt damnatione? Sed quia in gehenna est diuersitas pœnarum secundum diuersitatem criminum: iccirco non gehennæ pœna generalis hîc distinguitur in diuersas species pœnæ; cum aliqui dicantur alij rei iudicio, alij rei concilio, & alij rei gehennæ ignis, non quòd tales pœnæ sint in gehenna (excepta vltima) sed vt per illa, quę nobis nota sunt, infernales pœnæ aliquo modo cognoscantur. Vnde & hîc Glossa dicit, Quod proprijs & certis modis exprimi non potuit, quibusdam similitudinibus distinctū est. His enim tribus, iudicio, concilio, gehen-

Apoc. 18. Grego.

Matt. 25.

Gloss.

na,

na, diuersæ mansiones in æterna damnatione pro modo peccati signanter exprimuntur. Vnde per illa, quæ hic in humanis iudicijs videmus, pœnarũ infernaliũ diuersa grauitas insinuatur. Videmus enim quòd reus ad iudicium vocatus licet iam sit à sua fama, & libertate diminutus; & etiam sit in periculo, & timore condemnationis cõstitutus, quia nescit quid probabitur contra eum; vel quibus supponetur tormentis, vel veritas extorquebitur, anxius est, & turbatus; tamen quia adhuc locum defensionis habet, & sperat quòd non possit probari crimen impositum, adhuc non diffidit de se ipso. Et ideo licet sit in angustia constitutus, adhuc tamen cõfidit, quòd iustè liberari possit; sed iam concluso negocio, si vel iam confessus est, vel testibus superatus, & causa eius iam ad prudentum deuenit consilium; cum se videat esse reum, non iam iustitiam, sed misericordiam exorat: adhuc tamen non diffidit, credens quòd consilium secum misericorditer agat; sed tamen multo plus timet, & angustiabitur quàm timebat, vel angustiabatur, quãdo causa, vel iudicium agitabatur. Sed quando iam sentẽtia damnationis certa lata est contra eum, plus timet sibi; quia videt non se posse effugere damnationem. Et eodem modo quo ad aliquid quantum scilicet ad tribulationẽ, iram, indignationem, & angustiam, quæ sunt pœnæ infernales secundum Apostolum ad Rom. 2. Sunt diuersi gradus pœnarum contra iniustè irascentem, vocantem fratrem fatuum, vel Racha; licet non sit aliquis istorum in spe euadendi damnationem, cum desperatio sit annexa æternæ damnationi. Quales autem isti gradus sint, omnino nõ est ignotũ; sed Dominus, qui scit quantitatem peccatorum nostrorum ipse moderabitur pœnas iuxta qualitatem peccatorũ; vt sit iuxta modum culpæ etiam plagarum modus, secundum illud Deuter. 25. Pro mensura peccati erit & modus plagarum. Vnde Augustinus. 1. lib. de ser. domini in mon. dicit. Gradus sunt in peccatis istis, quia in primo vnum est, id est, ira sola: in secundo duo, & ira & vox, quæ iram significat: in tertio tria, scilicet & ira, & vox, & in voce ipsa certæ vituperationis expressio. Vide & nunc etiã tres sunt reatus, iudicij, concilij, & gehennæ ignis. Nam in iudicio adhuc locus est defensioni, sed ad consiliũ videtur pertinere sententiæ prolatio: quãdo iam non cum ipso reo agitur, vtrum damnãdus sit, sed inter se, qui iudicant, conferunt quo damnari oporteat supplicio, quem cõstat esse damnandum. Gehenna vero ignis, nec damnationis dubium habet sicut iudiciũ, nec damnati pœnam, sicut concilium. In gehenna quippe ignis certa est damnatio, & pœna dãnati. Videntur ergo aliqui gradus in peccatis & in reatibus, sed quibus modis inuisibiliter exhibeãtur pœnæ meritis animarum quis dicere potest?

Rom. 2.

Deut. 25.

Augustinus.

SVMMARIVM.

Quòd hæc Domini sententia multum est formidanda cum dicit, quòd irascens fratri reus erit iudicio, id est gehenna, quę grauior pœna est, & in se, & quia perpetua est quacunque pœna, quam homo in præsenti vita pati possit.

XVII

TImenda tamen multum est hæc Domini sententia, quæ tam duram imponit pœnam irascenti fratri; quia æterna pœna infernali eum damnat, qui solum fratri irascitur; quæ pœna, & si modicum duraret, grauior tamen erit quacunque pœna, quam homo in præsenti vita pati possit; & quia æterna erit, omni pœna huius mundi grauior erit. Vnde Augustinus super illud Psal. Domine ne in furore tuos arguas me, neque in ira tua corripias me, dicit de igne purgatorij, in quo venialia purgantur; scilicet lignum, fœnum, stipula, quia dicitur quòd saluus erit, qui ista superædificat; sic tamen quasi per ignem; contemnitur ille ignis quamuis grauior sit, quàm quicquid homo pati possit in hac vita. Et nostis quanta hîc passi sunt mali, & possint pati, tamẽ tanta passi sunt, quanta pati potuerũt & boni. Quid enim malefieus latro, adulter, sceleratus, sacrilegus pertulit legibus, quòd non pertulerit martyr in confessione Christi? & tamen ista, quę passi sunt hîc, multo fortiora sunt, quàm illa: Et tamen videte quemadmodum homines, ne ea patiantur, quicquid iusserit, faciũt; quãto melius faceret quod iubet Deus, ne illa grauiora patiantur? Si ergo ignis emundatorius diuturnus, & quo purgantur saluandi, & faciliora peccata mũdantur, tàm grauis est, quàm grauior erit ignis æternus, quo damnati pro peccatis mortalibus in perpetuum cruciabũtur? Et ideo multum custodire nos debemus, non solum à fratris occisione, vel iniusta percussione, sed etiã à verbis contumeliosis, cũ sola ira in corde contra fratrem concepta, perpetuo igne sit digna, quod hîc Dominus vocat iudicium.

Augustinus. Psal. 6.

SVMMARIVM.

Quòd grauius Deus punit peccata facta tempo-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

re noui teſtamenti, quàm punirentur peccata facta tempore veteris teſtamenti, quia ira iniuſta contra fratrem nunc punitur pœna æterna in inferno, tunc vero occiſio hominis corporalis iniuſta puniebatur morte corporali; quæ leuior, & breuior eſt quàm ſit pœna gehennæ.

XVIII EX his autem patet quòd grauius eſt iudiciũ Dei, quàm hominis. Nemo enim pro homicidio infligit mortem corporis; qui etiam ſine hoc moriretur, quæ mortis pœna etiam cito tranſit; ſed Deus pro ira iniuſta contra fratrem animam ad perpetuas pœnas ignis æterni damnat, niſi per pœnitentiam in vita præſenti quis ſatisfecerit. Vnde & Apoſtolus hoc attendens dicebat ad Heb. 10. Terribilis eſt quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt aduerſarios; Et infra. Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis. Vnde & ex hoc apparet quòd grauius vindicantur peccata in nouo, quàm in veteri teſtamento. In veteri enim pœna talionis imponebatur, vt oculum pro oculo; ſed hîc pro ira pœna iudicij ponitur, quia ibi occidebatur corpus pro homicidio, hîc verò occiditur anima; quia mors ſecunda eſt ſtagnum ignis, vt dicitur Apoc. 20. Et ſic homicidium illud carnale carnali homicidio vindicabatur, & morte prima; hîc vero homicidium mortale vindicatur morte animę, & morte ſecunda. Vnde & hîc dicit Augu. 1. lib. de ſer. Domini in mon. Quantum interſit inter iuſtitiam Phariſæorum; & iuſtitiam maiorem, quæ in regno cœlorum introducit, hîc patet, quia cum grauius ſit occidere, quàm verbo irrogare conuitium, ibi occiſio reum facit iudicio, hîc autem ira facit reum iudicio, quod trium illorum peccatorum leuiſſimum eſt: quia illic quæſtionem homicidij inter homines agitabant; hîc autem omnia diuino dimittuntur iudicio, vbi finis damnatorum eſt gehennæ ignis.

Heb. 10. Ibidem. Apoc. 20. Auguſt.

SVMMARIVM.

Quòd illa peccata, quæ apud homines quaſi parua, vel nulla æſtimantur, quia etiam puniũtur per eos, vel non grauiter, apud Deum magna æſtimantur; quia per eum puniuntur pœna infernali perpetua.

XIX EX quo etiam patet, quòd peccata quę humano iudicio modica, vel quaſi nulla æſtimãtur; & propter hoc impunita relinquuntur, in diuino iudicio grauiſſimè puniẽtur; cum hîc ira iniuſta in corde retenta, & modica fratris iniuria verbalis, quæ apud hominem quaſi nulla æſtimantur, perpetua damnatione puniãtur, cum Dominus dicat. [*Qui iraſcitur fratri ſuo reus erit iudicio.*] Vnde & Grego. 21. lib. moral. cap. 4. exponens illud Iob. Ipſe conſiderat vias meas, & cunctos greſſus meos dinumerat, dicit. Sicut Dominus vniuſcuiuſque cõſiderat vias, ſic dinumerat greſſus, vt ne minutiſſimæ quidem cogitationes eius iudicio, aut verba tenuiſſima, quæ apud nos vſu viluerunt, indiſcuſſa remaneant. Hinc etenim dicit. [*Qui iraſcitur fratri ſuo reus erit iudicio*] Prius ergo ira reprehenditur ſine voce; poſtmodum vero ira cum voce: ſed nec dum pleno verbo formata, ad extremum quoque cum dicitur fatue, ira redarguitur, quę cum exceſſu vocis expletur etiam perfectione ſermonis. Et notandum quòd in ira perhibet reum eſſe iudicio, in voce iræ, quod eſt racha, reum concilio, in verbo vocis, quod eſt fatue, reum gehennæ ignis. Per gradus etenim culpæ creuit ordo ſententiæ; quia in iudicio adhuc cauſa diſcutitur, in concilio cum cauſæ ſententia diffinitur; In gehenna vero ignis, ea, quæ de concilio egreditur ſententia, expletur. Quia igitur humanorum actuum Dominus ſubtili examine greſſus enumerat, ira ſine voce iudicio, ira in voce concilio; ira verò in voce & ſermone, gehennæ ignibus mancipatur.

Iob 31. Gregor.

SVMMARIVM.

Ponitur expoſitio Chryſoſtomi quid ſignificent iſtæ tres pœnæ, ſcilicet iudicium, concilium, & gehenna ignis; qui dicit, quòd duæ primę pœnę ſunt in præſenti; tertia vero in futuro.

VEl ſecundum Chryſoſtomum iudicium & concilium ſunt pœnæ vitæ præſentis, ſed gehenna ignis eſt pœna vitæ futuræ. Vnde hîc dicit Chryſoſt. in homil. Chriſtus eum, qui iraſcitur ſine cauſa, condemnabit iudicio; eum autem qui dicit Racha, concilio, ſed nondum hæc magna ſunt; hîc enim ſunt hæ pœnæ; poſuit autem hęc nunc, vt non vbique videatur aliena docere, & noua inducere. Circa quod attendendum, quòd ira aliquando poteſt eſſe veniale peccatum, ſicut quandoq; zelo iuſtitiæ exceditur vindicta; vel etiam quando adhuc ipſa ira irrationabilis mentem nõ ſuperat, ſed adhuc aliqualiter obedit rationi; & tunc hæc ira ex natura ſua, quia eſt digna venia, in præſenti vita poteſt puniri, & eius punitio vocatur hîc iudicium, vel concilium; ſed ita quæ eſt peccatum mortale ex ſua natura, digna eſt

Chryſoſt. homil.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

pœna æterna; quæ in vita præsenti ex se, ex natura sua non potest sufficienter puniri. Licet enim per Christi gratiam, omne peccatum in præsenti vita deleri possit; etiam peccatum mortale, quod hîc ex sua natura sufficienter puniri non potest. Vnde & Prouerb. 2. dicitur de muliere aliena inclinata est ad mortem domus, & ad inferos semitæ ipsius. Omnes qui ingrediuntur ad eam non reuertentur, nec apprehendent semitam vitæ. Vnde dictum Chrysost. intelligitur de ira, quæ est peccatum veniale; quia dicit quòd pœnę istæ sunt in præsenti; scilicet iudicium, & concilium. Sed dictum August. secundum primam expositionem inductam, intelligitur de ira, quæ est mortale peccatum; quia dicit quòd in gehenna damnabuntur tales: licet pœna eorum sit mitior, quàm aliorum qui grauius peccant. Dicitur autem pœna iudicij & concilij in præsenti, secundum eum, ad similitudinem pœnę, quæ inferebatur per iudices Iudæorum, qui condemnabant homines secundum legem. Vnde Chrysost. in homilia. Concilium hoc, iudicium Iudæorum, ait. Quod duobus modis intelligi potest. Vno modo quòd reus iudicij vocetur, quem iudex non vocato consilio aliquo, potest punire; quia est culpa leuis, & pœna leuis, quæ per iudices sine aliquo consilio expediri potest. Sed reus cõcilio diceretur, cuius culpa tam grauis est, quòd oportet iudices, & prudentes congregari, vt legitimè possit puniri; non solum quia lex est dubia punitionis eius; sed quia agitur de perditione substantiæ, exilio, vita, vel membro, quæ non debent infligi nisi consilio prudentum præhabito: iuxta illud Exo. 18. Electis viris strenuis, constituit eos Principes populi, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui iudicabant plebem omni tempore. Quicquid autem grauius erat, referebant ad eum, faciliora tantummodo iudicantes. Et secundum hæc, ille qui reus esset in dicio, leuius peccasset, & puniretur; quàm ille qui reus esset concilio: quia faciliora particularibus iudicibus committuntur, grauia autẽ & difficilia Principi, vel consilio magno dimittuntur. Et sic nil aliud esset esse reum iudicio, quàm reum esse, quòd iudex per se puniat, iuxta legem, vel bonum arbitrium suum. Sed reus concilio esset, quia propter grauitatem criminis oporteret multos prudentes congregari; & sic alia pœna esset etiam corporalis, & vitæ præsentis; cum supra dictum sit. [*Qui occiderit, reus erit iudicio;*] & alia cum dicatur hîc. [*Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio*] quia in prima agitur de morte corporis, hîc vero de alia minori pœna, & mitiori per iudicis iudicium imponenda.

Prou. 2.

Exo. 18.

SVMMARIVM.

Ponitur tertia exceptio, in qua ostenditur, quòd magis expediret irasci fratri iniustè, quod morte corporali in præsenti vita puniretur; quàm si in hoc peccato decedens, pœna infernali puniretur.

XXI. SEcundò potest intelligi, quòd irascens reus sit iudicio, idest morte corporali; non quòd hæc pœna per iudicem hominem infligi debeat, sed quòd expediret irascenti; quia pœna mortis ei imponeretur magis, quàm si illã pœnam in alio seculo sustineret; quæ irascenti iniustè per Deum imponetur. Et hoc modo Dominus loquitur infra 18. Qui scandelizauerit vnum de his pusillis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Vbi dicit Hieron. Maiorum criminum ista apud veteres Iudæos pœna fuit, vt in profundum ligato saxo demergerentur; Expedit autem ei, quia multo melius est pro culpa, breuem recipere pœnam, quàm æternis seruari cruciatibus. Et Chryso. ibi dicit. Quòd expedit ei hãc pœnam sustinere, quoniam eos alia grauior expectat: & eodem modo sicut scandalizanti vtile esset, quòd necaretur, vel submergeretur; ita irascenti melius esset quòd occideretur, quàm si haberet sustinere alterius seculi pœnas. Quod non solum de ira, quę est mortale peccatum, intelligitur, sed etiam de ira, quæ est peccatum veniale. Quia ipsa in alio seculo in igne purgatorij habet mundari; qui ignis (vt supra dictum est) grauior est omni pœna, quam in hac præsenti vita homo pati possit. Si enim Paulus dixit, sibi melius fore quòd moreretur, quàm si viuens de Euangelio prædicaret; quod tamen licitum erat, quia per hoc gloria eius, quæ erat sine sumptu, Euangelium prædicare euacuaretur, iuxta illud 1. ad Cor. 9. Bonum est mihi magis mori; quàm vt gloriam meam quis euacuet. Vbi dicit Glo. Malo ego mori, quàm vt quis euacuet gloriam meam; quod esset si sumptus acciperem. Maximam igitur habet gloriam Apostolus apud Deum, non exigendo stipendium debitum ab infirmis, sed de suis laboribus transigendo quotidianum victum, quam gloriam non vult amittere, immo magis mori vellet; quanto magis

Matth. 18.

Hiero.

Chrysost. hom. 16.

1. Cor. 9.

Glos.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

homo velle debet corporaliter mori, quã committere peccatum. Vnde ſic reus pœnis æternis, vel etiam pœnis temporalibus ignis infernalis, vel purgatorij? & ſic hæc pœna iudicij intelligeretur de morte corporis; non quòd imponatur iraſcenti per iudicem; ſed expediret ei quòd imponeretur ſibi, vt à pœna quæ ſibi in alio ſeculo debetur, liberaretur; ſicut expediret ſcandalizanti puſillos, quòd mola aſinaria circundaretur, vel ligaretur in collo eius, & in profundũ maris demergeretur.

SVMMARIVM.

Quòd Dominus prohibens iraſci fratri, accepit fratrem non carnalem, vel omnem hominem; ſed fratrem in fide Chriſtiana, quæ potior fraternitas eſt quacumq; alia; & ſic non prohibet iraſci contra infideles, ſiue Gentiles, ſiue hæreticos, ſiue etiam incorrigibiles Chriſtianos; cum contra tales non ſolum iraſci poſſimus, ſed etiam ipſos odio habere.

XXII

INtelligendum tamen, quòd hîc ſub magna pœna prohibetur homo iraſci, non cuicumq;, ſed fratri ſuo; frater autem noſter nullus eſt vt dicit hîc Hiero. niſi qui eundem nobiſcum habet patrem: Vnde & infra 24. dicitur. Omnes vos fratres eſtis, & patrem nolite vocare vobis ſuper terram, vnus eſt enim pater veſter, qui in cœlis eſt. Omnes enim Chriſtiani fratres ſunt, quia per nouæ natiuitatis generationem, filij ſumus Dei Patris. Affectũ enim fratres dici poſſunt; quia affectus diuiditur in duo, in ſpiritualem, & communem: In ſpirituali autem affectu, omnes Chriſtiani fratres vocantur; quia ſunt vnanimes in fide, & charitate, & ad vnam æternam hæreditatem habendam, omnes vnaniniter tendunt; Sed communis affectus & fraternitas inter homines, eſt naturæ vnitas; quæ ab vno parente Adam deſcendit. Hîc autem loquitur de fraternitate Chriſtiana, & non de fraternitate communi; Quia licet omnes homines diligere debeamus affectu naturæ, & maxime dum ſunt in præſenti vita, quia ignoramus ſi debeant conuerti, vel non; tamen Chriſtiano affectu omnes Chriſtianos diligimus, & benefacere eis debemus, & a malo faciẽdo cuſtodire; quia fratres in Chriſto ſumus. Vnde & Ioſeph proficiſcẽtibus fratribus ſuis dixit. Ne iraſcamini in via, fratres enim eſtis. Gen. 45. Vnde & Chryſoſt. hîc dicit in Homiliario. Philanthropos Deus, id eſt amator hominum, & quæ paruiſsima ſunt uellet decenter nos vti nobis inuicem iubens, & ideo Chriſtus neruos odij abſcindens, hãc legem introduxit; Etenim multus erat ei ſermo amoris. Bonorum enim vniuerſorum mater eſt; & nihil Deo ita eſt ſtudioſum, vt vniri, & copulari nos ad inuicem. Ideoq; per ſe ipſum, & per Diſcipulos ſuos multum pro mandato hoc facit ſermonem, & vehemens vendicator & punitor eſt contemptorum huius mandati. Etenim nihil ita malitiam omnem inducit, & radicat, vt amoris deſtrũctio. Et quia ira iniuſta contra fratrem, eſt odij cauſſa, & principium, & odium amori eſt contrarium; ideo vehementer iram prohibet, quę principium eſt, & cauſſa deſtructionis amoris fraterni; quo inter nos fratres ſumus, filij, & hęredes patris. Et quia hæc fraternitas potior eſt, & melior quàm fraternitas communis, qua omnes homines ſunt fratres; iccirco prohibet iraſci nos fratribus, id eſt Chriſtianis maxime, licet omnes homines diligere, & cum eis pacem habere debeamus ſi eſt poſsibile: iuxta illud ad Roma. 12. Si fieri poteſt quòd ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes. Sed quia infidelium malitia multum ſubcreuit, & ad fidem dedignantur conuerti; non ſolum propter eorum iniquitatẽ cõtra eos iraſci poſſumus, ſed etiam eos odire: iuxta illud Pſal. Nonne qui oderunt te Domine oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Et ſic prohibemur iraſci contra fratres noſtros, id eſt Chriſtianos, & non contra infideles. Vnde & Apoſtolus, infideles homines odibiles vocat: ad Titum cap. 3. Eramus etenim nos aliquando (ſupple) quando infideles eramus; inſipientes, increduli, errantes, ſeruientes deſiderijs, & voluptatibus varijs, in malitia, & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem. Et de Iudæis iam in ſua incredulitate induratis, dicit idem ad Theſſalo. 2. Iudæi Dominum Ieſum occiderunt, & prophetas, & nos perſecuti ſunt; & Deo non placent, & omnibus hominibus aduerſantur; prohibentes nos gentibus loqui, vt ſaluæ fiant; vt impleant peccata ſua ſemper; peruenit enim ira Dei ſuper illos vſque in finem. Si etiam fratres noſtri à recta fide, id eſt Chriſtiana deuient, vel ad peccata & vitia (deſertis fide, & virtutibus) declinent; tunc iraſci debemus cõtra eos, vt ad rectam viam reducamus: quia aliter perditionis eorum conſcij eſſemus. Hoc enim modo Paulus Galathas ad Iudaiſmum declinantes, ſtultos vocat, & fatuos: ad Gal. 3. O' inſenſati Galathæ, quis vos faſcinauit veritati non obedire? Et Dominus Chriſtus Mart. vlt. exprobrauit incredulitatem, &

Hiero.

Matth. 24.

Gen. 45. Chryſoſt. hom. 16.

Roma. 12.

Pſal. 138.

Tit. 3.

Theſſ. 2.

Gal. 3.

Marc. vlt.

duri-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

duritiam cordis Discipulorum, quia ijs qui viderant eum resurrexisse non crediderant. Et Luc. 24. Discipulos vocat stultos dicens. O stulti, & tardi corde ad credendũ. Et ad Corint. qui nõ redarguebant corinthũ fornicãtem, inflatos vocat Apostolus, & dicit eis. Quid vultis? in virga veniã ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis? 1. ad Cor. 4. Vbi dicit Glo. Terroris verba infert, vt inflati humilientur. Et infra. Melius est erudiri in virga patris, quàm perire in blandimento prædonis. Vnde & Chryso. hîc contra fratres dicit in homiliario. Irascendũ non esse propter ista: Galatarũ enim gentẽ (ait) quæ ferè à Christo iam exciderat, Paulus reformauit. Iræ enim decens est tempus, cũ nos ipsos defendimus, & cum alios insolentes conuertimus. Vnde & Eccl. 3. Inter temporum diuersitates ponitur tempus dilectionis, & tempus odij; Sic ergo patet quomodo, vel qualiter, & quare sit irascendum fratri.

Luc. 24.
1. Cor. 4.
Glos.
Chryso. Hom. 16.
Eccl. 3.

SVMMARIVM.

Quòd maioris culpæ est ira, quæ in vocem prorumpit in iniuriã fratris, etiam si illa vox non sit significatiua; quàm illa ira, quæ in corde retinetur; & non prorumpit in vocem, & plura mala facit, & irato, & illi, cui irascitur; & ideo maiori pœna digna est; propter quod Dominus dixit, quòd qui dixerit fratri suo Racha, reus erit iudicio.

XXIII. QVi autem dixerit Racha, reus erit concilio] Vbi prohibetur ira, quæ prorumpit in vocem, & conuicium fratris, licet non determinatum, & certum. Circa quod attendendum est, quòd passiones animæ quando sunt magnæ non possunt in corde retineri; & maxime passio, quæ totaliter quando magna est, corpus immutat, & in vocẽ prorumpit aliquando etiam nolẽtis. Vnde & Heliu iratus de se dicit Iob. 32. En venter meus quasi mustum absq; spiraculo; quod lagũculas nouas disrumpit. Loquar, & respirabo paululum. Et ante prẽmittitur; Iratus, indignatuq; est Heliu filius Barachel, Buzites. Et infra. Cum videret quòd respõdere nõ potuissent, iratus est vehementer. Et sic quando magna ira est in corde, vix retineri potest, quin prorũpatur in indignationis voce. Vnde & ad Eph. 4. post iram, & indignationem, Apostolus addit clamorem, & blasphemiam; dicens. Omnis amaritudo, & indignatio, & clamor, & blasphemia, tollatur à vobis. Quod exponens Hiero. in lib. 3. super epistolam ad Ephe. dicit. Post amaritudinem, furorem, & iram, rectè clamor & blasphemia prohibentur. Qui enim furore semel fuerit superatus, necesse est vt prosiliat in clamorem, & turbine fremens, hûc atq; illûc, in modum folij venti letur; quia qui solent loqui per indignationis furorem, mentis iudicium perdiderunt. Et Grego. mor. lib. 5. cap. 31. dicit de iracundia. Lingua quidẽ clamorẽ formar; sed sensus quid loquatur ignorat. Se quidem ipsum retinere animus non valet, quia factus est potestatis alienæ; & si aliquando manus non exerit, tamen in maledictionis iaculum linguam vertit. Vnde signum abundantis iræ cordis est, quando homo se retinere nõ potest, quin in male dictionem, vel iniuriam fratris prorumpat in voce. Et ideo maiori pœna dignus est, quia maiori succeditur ira; & cuius signum est fratris iniuriatio. Et etiam quia per talem locutionem iniuriosam, proximus vel frater lædit; quia honor ei debitus per opprobrium dictum, ab irascente aufertur. Et etiam quia ipse ad iniquitatem & iracũdiam excitatur; & ideo qui fratri improperat, se & illum (quantum in ipso est) malos esse affectat. Nihil enim magis solet homines commouere, quàm iniuria & opprobria dicta ei ab illo, qui contra eum iniustè iratus est; Quia quicquid dicit iratus, tempore iracundiæ contra eum, cui irascitur; totum malitiosè, & iniuriosè sibi dictum reputat iniuriatus. Vnde & hîc in Homiliario Chryso. dicit. Inimicitiæ tempore, ira accensa, & animo ardente, & quod minimum est, magnum apparet: & quod non valdè iniuriosum est, oneroſum esse videtur; & multotiens parua hæc, & occisionem perpetrant, & ciuitates integras euertunt. Sicut enim amicitia existente, & quę onerosa sunt, leuia videntur: ita inimicitia subiacente, & quæ parua sunt, importabilia apparent: & si simpliciter dicantur, ea pernicioſa suspitione dicta esse æstimantur. Et quemadmodum in igne si quidem parum scintillet, si decẽ millia adiaceantur ligna, non facilè ea occupat; si autem vehemens est, vel alta generetur flamma, non solum ligna, sed & lapides, & omnem facilè incidentem materiam adipiscitur; & per quæ assueuit extingui, per hæc magis accenditur: Tunc enim non ligna solum, & stuppa, & alia combustibilia; sed & aqua proiecta magis eius flabellat virtutem; Sic itaq; est in ira, quodcunq; loquitur inimicus, esca factum est cõfestim, illi pernicioſæ iræ. Et infra. Conniciator pacis, vel amoris, bono nocet, & mille proximum inuoluit incomodis, & continuas

Iob. 32.
Ibidem.
Eph. 4.
Hiero.
Grego.
Chryso. hom. 16.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

inimicitias operatur; & Christi euellit mẽbra, & Deo dilectam pacem assiduè abigit; & multam Diabolo per contumelias dans spaciositatem, & fortiorem illum faciens. Ideoq; Christus neruos iræ & odij abscindens, hanc legẽ induxit. Nihil enim ita malitiam omnem inducit & radicat, vt amoris destructio. Et quia per iniurias, conuicia, & contumelias; ira, & odiũ, crescunt; quibus amor proximi destruitur: iccirco Dominus contradicentem fratri suo; Racha, dicit: Quòd qui dixerit fratri suo, Racha, reus erit concilio.

F

G

SVMMARIVM.

Ponitur differentia inter Contumeliam, Detractionem, Susurrationem, Derisionem, & Maledictionem. Licet autem hîc solummodo Dominus agat de contumelia, quæ frequẽter prorumpit in vocem irascentis; tamen damnando contumeliam, magis supradicta vitia damnat.

XXIIII

CIrca quod attendendum quòd verborum iniurię, sunt Contumeliæ, vel cõuicia, Detractiones, Susurrationes, Derisiones, Maledictiones, & Blasphemię. Per contumeliam enim, vel conuicium, detrahitur honori alicuius; quia reuelatur peccatum occultum, vel alicui imponitur; vt ex hoc eius honori detrahatur: & quia honor est de maioribus bonis exterioribus, iccirco cum per vitium, vel cõtumeliam, tali honore per conuiciantem (quantum in eo est) priuetur, grauem iniuriã infert conuicians conuiciato. Sed per Detractionem, famæ hominis occultè detrahitur; cũ aliqua mala per detractionem, de homine occultè dicuntur; & quia post honorem fama est maximum bonũ, iuxta illud Prouer. 22. Melius est nomẽ bonum, quàm diuitiæ multæ; Iccirco post cõtumeliosum, peior est detractor, cum sit periculosior; quia detractor occultè nocet, contumeliosus verò manifestè; & detractor fingit se amicum, cum tamen sit inimicus; & vt amicus mala de proximo dicit; propter qđ ei creditur; cõtumeliosus verò, est manifestus inimicus; & ideo non facilè, ei creditur. Sed Susurro, dicit aliqua de proximo occultè, quæ audienti habeant displicere, vt separet amicitiam, quæ est inter illum cui loquitur, & contra quem loquitur. Vnde non semper dicit mala de proximo contra quem susurrat, sed solum illa dicit, per quæ, potest commoueri animus audientis eum, contra illum, contra quem susurrat. Et quia amicitia est maximum bonum inter exteriora, & etiam ipsi honori præfertur: iccirco Susurro, vel bilinguis, qui intendit scindere amicitiam, pessimus est inter alios. Sed Derisor dicit malum de proximo, intẽdens eum in conspectu aliorum confundere; & sic eum parui pendit; quia eius facta opprobriosa, in ludum, & risum vult deducere. Vnde & inter alias iniurias verborum, hæc grauior est; quia maior est contemptus, & maior fit ei inhonoratio, quàm si ei inferretur contumelia. Sed Maledictio est quando quis optat, quòd malum eueniat alicui; & quia malum pœnæ, minus est quàm malum culpæ: iccirco maledictio per quã malum per se imprecatur, vel optatur, minus peccatum est (quantum est ex ratione sui) quàm alia supradicta. Cum igitur ex ira, dicantur contra proximum, vel conuicia, vel detractiones, & alia supradicta; propter quæ illi contra quos dicuntur, irascuntur, contradicentes; iuxta illud 2. Rethoric. Irascuntur & deridentibus, & subsanantibus, & conuiciantibus; contumeliam enim inferunt, & in talibus nocentibus, quæcumque sunt contumeliæ signa. Hîc solum agitur de iniuria illata proximo, per verba cõtumeliosa, vel etiam conuicia; quia irati (vt frequentius) in talia contumeliæ vel conuicij verba, prorumpunt ex iracundia; & non in verba detractionis, vel susurrationis; nisi fortè contra superiores suos, & contra quos palàm loqui non audent, irati fuerint; quia tunc detrahunt eis, vel susurrant contra eos; quia palàm contra ipsos loqui non audẽt. Prorumpunt etiam quãdoque irati in verba derisoria, & frequenter etiam in maledicta, iuxta illud Eccl. 22. Ante ignem camini vapor, & fumus ignis inaltatur; sic & ante sanguinem maledicta, & cõtumeliæ, & minæ. Sed tamen dum dãmnat Christus verba contumeliosa, vel conuicia; damnat omnes iniurias verborũ, quæ contra proximum inferuntur. Si enim iracundiæ passio, verba contumeliosa, vel conuicia, non excusat; multò minus possunt excusari verba detractionis, susurrationis, quæ frequẽter ab animo, extra passionem iracundiæ existente, proferuntur. Passio enim diminuit de ratione voluntarij, & peccatũ animi ideo peccatũ, quia volũtariũ: quod si non esset voluntarium, non esset peccatum; vt dicit Augu. lib. de vera religione.

H

I

K

Prou. 22.

Iuxta illud Eccl. 22.

Augu.

SVMMARIVM.

Distinguitur duplex contumelia; scilicet facti, & dicti; & deinde contumelia dicti, in conuicium; quando scilicet improperatur alicui vitium morale; & in conuicium quando defectus naturales alicui improperantur; & deinde osten-

ditur

ditur quid significet, Racha, secundum diuersos sanctos; & ex hoc ostenditur, quòd dicens fratri Racha, non improperat vitium morale; sed, solum defectum naturalem, vel fortunæ; ex quo etiam sequitur quòd inter iniurias verborum, minor iniuria est dicere alicui, Racha.

XXV Glos. Rom. 2.

EST autem attẽdendum quòd contumelia in verbis cõsistit, & in factis, dicente Glossa ad Rom. 2. super illud, Contumelioſos, superbos. Contumelioſi sunt qui dictis, vel factis, contumelias & turpia inferunt. Vnde & de contumelia facti dicitur 1. Paralipo. 19. Quòd Anon Pueros Dauid decaluauit, & rasit dimidiam barbam; & præscidit tunicas eorum à natibus vsque ad pedes, & dimisit eos. Qui cum abijssent, & hæc mandassent Dauid, misit in occursum eorum. Grandem enim contumeliam sustinuerunt. Et de contumelia verborum dicitur Prouer. 10. Qui profert contumelias, insipiens est. Grauior autem est contumelia facti, quàm sit contumelia verbi. Sed & contumelia verbi diuiditur; quia aliquando dicitur contumelia, quando solum vitia naturalia alicui improperantur; aliquãdo cum vitia moralia alicui iniuriosè exprobantur: quia contumelia propriè dicitur conuiciũ. Grauior autem est contumelia, qua vitia moralia homini exprobrãtur, quàm qñ defectus naturales improperãtur. Nõ enim pp naturales defectus iuste vituperamur, sed propter morales: Dominus autem vt omnino verborum iniurias damnet; contumelias, & exprobrationes naturalium defectuum, hîc prohibet dicens. [*Qui dixerit fratri suo Racha &c.*] vt ex hoc ostẽdat qꝑ omnino nos custodire debemus, ne aliquam verbalem iniuriam proximo iniustè inferamus. Racha enim (secundum Hierony. in interpretationibus nominum) tantum significat, quantum, vanus. Vnde & in illo loco Psal. vbi nos habemus. Decidam merito ab inimicis meis inanis, in hebræo ponitur (vt dicit Augu. 1. lib. de ser. domini in mon.) pro inani, Racha. Secundum autem Aug. in lib. de serm. domini in mon. est interiectio indignantis animi motum exprimẽs; non tamen plenè significans aliquam iniuriam certam. Secundum autem quòd ibidem dicit; aliqui putauerunt quòd Racha tantum significaret, quantum pannosum. Secundum autem Chrysost. in homil. Racha non est magnæ contumeliæ verbum, sed magni contemptus, & paruipensionis. Sicut enim nos vel famulis, vel quibusdam alijs minoribus iniungentes, dicimus. Vade tu; dic illi, tu; ita & qui Syrorum vtuntur lingua, Racha dicuntr pro tu, hoc ponentes; & sic Racha esset tuizatio. Vel secundũ eũdem in expositione, Racha idem est quòd vacuus, & sine cerebro. Tamẽ secũdum consuetudinem hebręam, hoc verbum non ex ira, nec ex odio; sed ex aliquo motu vano magis dicebant fiduciæ causa quàm iracundiæ: Nam vnaqueque prouincia, habet in cõsuetudine aliquod exprobratiuum verbum; quod non rixæ causa, sed familiaritatis gratia, dicere solent ad eos, quorum fiduciam habent; vt puta diues pauperi; aut vrbanus rustico; contemnens eius personam magis, quàm honorans. Siue autem Racha significet vanum, vel vacuum, siue pannosum, siue sit interiectio significans indignantis animi motum, & nullam certam iniuriam significans; siue ponatur pro tu; siue etiam sit verbum contemptus, & vilipensionis; nullum tamen crimen obijcitur illi, cui Racha dicitur; sed solummodo, vel vitia naturalia improperantur; vel defectus fortunæ, vel cõtemptus personæ; propter quod non est verbum conuicii, sed solummodo verbum contumeliæ. Contumelia enim à contemptu est dicta; quia nemo taliter alicui iniuriatur, nisi ipsum contemnat; vt dicit Seneca in Prouer. Si igitur qui dixerit fratri suo Racha, reus erit concilio; multo magis qui aliter iniuriam fratri suo dixerit, reus erit pœna maiori.

Idem ho 18.

Seneca.

SVMMARIVM.

Quòd si talia verba quæ significantur per Racha, dicantur ab aliquo alteri, non animo iniuriandi eum; nec ille cui hæc dicuntur ex hoc se reputet iniuriatum; talia verba non puniuntur illa pœna, quam hîc Dominus ponit: quia nec sunt contumelioſa; ideſt ex cõtemptu personæ cui dicuntur; sed vel animo corrigendi, vel propter communem modum loquendi.

Hieron.

Psal. 7.

August.

Chrysost. hom. 16.

XXVI

VErum est tamen, quòd iniuria maximè ex animo inferẽtis iudicanda est, Quia aliter nisi ille, qui dicit verbum iniuriæ, si non ex animo iniuriandi, sed alia causa dicit; vtpote animo corrigendi, vel propter modum communem loquendi, vel propter alias causas, non est iniuria, nec contumelia; cum nec sit contemptus, quod est de ratione contumeliæ. Vnde quando talia verba dicuntur non ex ira, vel odio, non reputantur iniurioſa; & per consequens non sunt tali pœna punienda; cum nec propter talia verba proximus lędi, vel iniuriari se credat; Nec dicens talia verba, animo iniuriandi dicat ipsa: sed si perciperet quòd proximus talibus verbis, sibi iniuriam inferri putaret, omnino

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

abstinendum est, ne proximus huiusmodi verbis offendatur. Vnde & Daniel, filios Israel fatuos vocat, animo corrigẽdi. Dan. 13. Et Apostolus Galathas vocat à Christo euacuatos, & etiam fascinatos: Gal. 5. & tamen non incidit in hanc culpam, quia non iniuriandi animo, sed corrigendi præ dicta dixit.

Dan. 13.

Gal. 5.

SVMMARIVM.

Quòd si accipiatur reum esse concilio pro pœna, quæ in futuro seculo, reddetur contumeliosis fratribus, dicentibus Racha, tunc hæc pœna grauior est, quàm pœna iudicij; & assignantur causa, & ostenditur quòd tales extra Dei regnum erunt, & per consequens in infernum.

XXVII *Qui autem sic Racha dixerit fratri suo reus erit concilio*] quæ pœna grauior est quàm sit pœna iudicij; sicut grauius est contumeliam inferre fratri, quàm irasci contra fratrem; & nihil loqui contra eum. Hæc autem pœna concilij, si sit inferenda in futuro pœnam inferni significat grauiorem, quàm significet pœna iudicij; & mitiorem quàm significet gehenna ignis, vt supra dicebatur. Nec mirum si plus patietur qui contumeliam verbalem fratri intulerit, quàm pœnam iudicij; cum de verbis ocioſis omnibus, reddituri sint rationem homines, in die iudicij; vt dicitur infra 12. Verbum autem ocioſum dicitur, quod sine vtilitate loquentis, vel audientis profertur; sed verba friuola, fabulosa, & scurrilia non sunt ocioſa, sed criminosa. Si ergo de verbis ocioſis, quamuis bonis, inutilibus tamen audienti & dicenti, reddetur ratio in die iudicii, & pro iis adducemur ad iudiciũ: quanto magis pro verbis malignis iudicabimur, & grauiorem pœnam sustinebimus? Vnde & in Epistola Iudæ dicitur. Ecce dominus venit in sanctis millibus suis, facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorũ, quibus impiè egerunt; & de omnibus duris quæ locuti sunt cõtra Deum peccatores impii. Vnde Chrysost. hîc dicit in expositione. Si ergo nec verbum bonũ sine causa dicere debemus, nisi fuerit pro ædificationis occasione, ne ipsum verbum bonũ, dum sine causa dicitur, inueniatur etiam ocioſum, & fiat malum: quãto magis illud non debemus dicere verbum, quod à semetipso naturaliter malum est, & ad audiẽtis pertinet iniuriam? Membrum enim oris nostri, quod ad aliorum creatum est ædificationem, aut ad vsum corporis, aut ad Dei gloriam, non debemus tradere ad

Matt. 12.

Iud. 1.

Chrysost. hom. 11.

F

G

H

I

K

vanitatis ministerium. Si enim vasa sanctificata, ad priuatos vsus transferre peccatum est, & periculum; sicut docet nos Balthasar, qui bibens in sacratis calicibus de regno depositus, & mortuus est; quãto magis vasa nostri corporis, quæ sibi Deus ad habitaculum præparauit, non debemus accommodare sermoni malo, & vano, ne locum demus Diabolo agendi quod vult de membris nostris? Omnis enim sermo vanus qui dicitur, immundo dictante spiritu profertur. Vnde Iaco. 3. de lingua dr. In ipsa benedicimus Deũ, & Patrẽ; & in ipsa maledicimus homines qui ad imaginẽ & similitudinẽ Dei facti sunt. Ex ipso ore procedit benedictio, & maledictio. Non oportet fratres mei hæc itaque fieri. Nunquid fons de eodẽ foramine emanat dulcem, & amarã aquã? Si ergo verba vana digna sunt iudicio, multo magis verba mala & cõtumeliosa digna sunt damnatione. Vnde & in catalogo illorum qui excluduntur de regno Dei, maledici ponũtur, dicẽte Apostolo 1. ad Corint. 6. Neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt. Et Chrysost. hîc dicit in homil. Paulus non adulteros solum & molles, sed iniuriatores à regno expulit, & valde decenter. Non enim est aliquid cõtumelia molestius, & quod maximè potest mordere hominis animã: Conuiciator enim pacis, & amoris, bono nocet, & circumittit proximum in multis malis, & continuas operatur inimicitias, & Christi euellit mẽbra, & Deo dilectam pacem assiduè ambigit. Et quia de regno Dei maledici expelluntur; non restat eis nisi gehenna, cuius pœnæ gradum, Dominus nomine concilii exprimit dicens. Qui dixerit, Racha, reus erit concilio. Vnde & de operiente fraudolenter odium, dicitur Prouer. 26. Qui operit odium fraudolenter, reuelabitur malitia eius in concilio. Et Ezech. 13. dicitur de prophetis qui locuti sunt vana. In consilio populi mei non erũt, & in scriptura domus Israel nõ scribentur, nec in terram Israel ingrediẽtur. Vnde sic erunt rei concilio, quòd per sanctorum concilium damnabuntur, & expellentur de sanctorum concilio, iuxta illud Psal. Non resurgent impii in iudicio, neque peccatores in consilio iustorum.

Dan. 5.

Luc. 3.

1. Cor. 6.

Chrysost. hom. 11.

Prou. 26.

Ezech. 13.

Psal. 1.

SVMMARIVM.

Ponitur secũda expositio Chrysost. quid significet reũ esse cõsilio, & declaratur dicta expositio.

Secun-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

XXVIII. Chryſoſt. hom. 16.

SEcundum autem Chryſoſt. Reum eſſe concilio, perinde eſt, ac ſi diceretur, quòd erit vnus ex illorum conſilio, qui aduerſus Chriſtum fuerunt; ſicut Apoſtoli in canonicis ſuis interpretantur. Si enim Chriſtus humanitatem, vel crudelitatem exhibitas ſuis minimis ſibi reputat factas; Quod enim vni ex minimis meis feciſtis, vel non feciſtis, mihi feciſtis, vel non; Et infra 25. eodem modo contumelias factas ſuis, ſibi reputat factas. Et quia contumeliæ & opprobria quæ Chriſto facta fuerũt in paſſione, ordinata fuerunt in conſilio Iudæorum, vt patet infra 27. Mane facto conſilium inierunt omnes principes ſacerdotũ, & ſeniores populi, aduerſus Ieſum vt eum morti traderent; Et Act. 2. Hunc definito conſilio, & præſcientia Dei traditum per manus iniquorum, affligentes interemiſtis: Iccirco illi qui contumelias inferunt fratribus; iudicantur, vt illi, qui deliberato conſilio, contumelias, & terrores Chriſto intulerunt; Non tamen ita graiter ſunt puniendi ſicut Chriſti contemptores in perſona ſua. Vnde prima expoſitio magis eſt clara, & ad propoſitum, vt videtur; licet etiam ſecunda teneri poſsit.

Matth. 25. Idem 27. Act. 2.

SVMMARIVM.

Declaratur quid importetur per nomen Fatui; vt oſtendatur quòd magna infertur iniuria homini quando vocatur, Fatue; ſiue ſit fatuus per naturam, ſiue ſit fatuus per vitium.

XXIX.

QVi autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.] Vbi oſtenditur quam mereatur pœnam ille, qui certum & expreſſum conuicium iniuſtè dicit fratri ſuo. Quia qui vocauerit fatuum fratrem ſuum reus erit gehennæ ignis. Dicitur autem fatuus homo excors, ſtultus, inſipiens, imprudens; qui neq; quod ipſe dicit, neq; quod alij dicunt, intelligit; ita quòd deficit in ſenſu, & ratione; qui licet ſibi ſapiens videatur, omnino tamen eſt inſipiens. Vnde & Prouer. 13. dicitur. Qui fatuus eſt, appetit ſtultitiam. Et Eccl. 22. dicitur. Super fatuum plora; defecit enim ſenſu; Et ibidẽ. Et quod eſt illi aliud nomen quàm fatuus? Arenam, & ſalem, & maſſam fratri facilius eſt portare, quàm hominem imprudentem, fatuum, & impium. Vnde ille propriè fatuus eſt, qui nullam, vel modicam diſcretionem habens, credit ſe magnam habere prudentiam; & ex hoc alijs ſe præferens, vult quòd alij eius ſequantur ſenſum; & tamen ipſe omnino imprudens eſt. Maximus autem defectus eſt in homine talis fatuitas, quia cum ipſe diſtet a Beſtia per intellectũ, & rationem; qui caret intellectu, & prudentia parum diſtat a Beſtia. Vnde Prouer. 17. dicitur. Expedit magis Vrſæ occurrere raptis fœtibus, quàm fatuo confidenti ſibi in ſua ſtultitia. Vnde qui alium vocat fatuum, omni honore humano eum priuat. Dicente Chryſoſt. Non parum extimes vocare ſtultũ vel fatuũ; cum id quo ab irrationabilibus diſtamus, & quo maxime ſumus homines, id eſt intellectu, & prudentia; auferas fratri; cum eũ nobilitate priuas. Et ſic hæc contumelia eſt magna, licet per naturam aliqui ſint fatui; tamen maior iniuria eſſet ſuę fatiuitatis cauſſa, quã quando per naturam eſt fatuus. Et ſic ad hunc conuicia talia dici poſſunt homini, quæ maioris contumeliæ, & conuicij eſſent.

Prou. 17. Chryſo. hom. 16.

SVMMARIVM.

Quòd maior iniuria eſt, vocare Chriſtianum fatuum, qui Deum cognoſcit per fidem; & in quo Chriſtus habitat; quàm infidelem, qui Deum non cognoſcit, nec ipſum in ſe habet.

XXX.

MAior autem iniuria eſt vocare Chriſtianum fatuum, quàm infidelem; quia infidelibus Chriſtus, qui eſt ſapientia & virtus Dei, per fidem in ipſis habitat; & ipſi eum per fidem cognoſcunt, dicente hîc Chryſoſt. Indigna res eſt illi dicere fatue, qui habet in ſe ſapientiam ſpiritualem, in agnitione Dei Patris & Chriſti. Et ideo talis non debet vocari fatuus; quia nemo eſt fatuus, qui Chriſtum cognoſcit. Sed infideles, qui Chriſtum in ſe non habent, nec eum cognoſcunt, quantumcumq; in alijs prudentes videantur, ſtulti tamen ſunt, & fatui: Dicente Hiere. 10. Tuum eſt decus inter cunctos ſapientes gentium, pariter inſipientes & fatui probabuntur, doctrina vanitatis eorum lignum eſt. Et Apoſtolus 1. ad Cor. 1. dicit. Stultam fecit Deus ſapientiam huius mundi. Sic ergo frater, id eſt Chriſtianus, fatuus non debet vocari, qui Chriſtum in ſe habet, & ipſum Patrem cognoſcit; ſed infideles ſunt fatui, quia non habent ſpiritum cognoſcendi Chriſtum, nec ipſum in ſe habent. Vnde & ad Galathas 3. qui ad infidelitatem conuertebantur vocat ſtultos. Sic ſtulti eſtis vt cum ſpiritu cęperitis, nunc carne conſumamini.

Chryſoſt. hom. 16. Hier. 10. 1. Cor. 1. Gal. 3.

SVMMARIVM.

Ponitur differentia inter ſtultum, & fatuum; & oſtenditur, quòd ſtultus eſt peior quàm fatuus. Vnde ſi vocare fratrem fatuum, iniurioſum

eſt,

Pon. 131 Eccl. 22. Ibidem.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

est, & dignum magna pœna; maiori pœna dignum est si frater vocetur stultus; quia quanto iniuriæ verbales sunt maiores, tanto maiori pœna dignus est, qui illas infert fratri, iniuriandi animo.

XXXI

Circa quod attendendum quòd licet stultus & fatuus pro inuicem ponantur; tamen secundum Isidorum in libro Ethimologiarũ; Differentia est inter stultum, & fatuum. Stultus enim dicitur homo stupidus; vnde etiam & stultitia à stupore dicta est. Vnde ille dicitur stultus, qui licet iudicandi habeat habitum inter bonum, & malum; tamen propter quendam stuporem mentis, & pigritiam, non vult laborare; vt inter bonum, & malum iudicet. Et si iudicat, quia bonum ei non sapit, non delectatur in opere bono; iccirco non mouetur ad bonum cogitandum, vel etiam faciendum. Vnde & Apostolus 1. ad Cor. cap. 2. dicit. Animalis homo non percipit ea quę sunt spiritus Dei: stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. Vbi dicit Glos. Animalis homo non credit posse fieri, nisi quod nouit; & dicitur animalis, vel vita, vel animi sensu. Vita animalis dicitur, qui fertur dissoluta lasciuia; quam intra naturalis ordinis metas, spiritus rector non continet, eo quòd ipse spiritus Deo se regendum non subijcit; Sed animalis dicit animi sensus, qui iuxta corporum phantasiam de Deo, vel secũdum legis literam, vel secundum rationẽ physicam, iudicat. Quare autem animalis homo non percipiat ea quæ sunt Dei, subdit. Stultitia enim est illi (supple) secundũ humanum sensum; & ideo non potest intelligere spiritualia. Vnde quia stulti habẽt intellectum, & sensum, & tamen bona eis non sapiunt; propterea monẽtur in Psal. Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite. Sed fatuus quia totaliter est sensibus spiritualibus priuationis, ideo caret sensu iudicandi inter bonum, & malum. Vnde etiam moriones, id est fatui, naturaliter fatui & non stulti dici solent. Vnde quia fatuitas defectum naturalem magis sonat quàm moralem; stultitia vero magis sonat defectum moralem quàm naturalem, iccirco maior iniuria est quando quis vocatur stultus, quàm quando fatuus vocatur; quia fatuitas est vitium naturale, stultitia vero est vitium morale; & naturalibus vitijs non vituperamur, sed voluntarijs; licet quo ad naturã melior sit stultus, qui habet sensum, quàm fatuus qui sensu caret; sicut melior est naturaliter qui fingit se esse claudum, vel cæcum, cum non sit; quàm ille, qui cęcus, vel claudus est. Vnde si dicere fatuũ, (quod pót esse ex naturali defectu) ex iracundia, facit reum esse gehennæ, quanto magis fratrem stultum vocare? Sed si hoc non dicatur ex iracundia, sed corrigendi, vel denunciandi animo; non facit reum gehennæ. Vnde Luc. 11. dixit Dominus Pharisæis. Stulti nonne qui fecit quod deforis est, etiam illud quod intus est fecit? Et infra 23. Stulti, & cæci, quid maius est, aurum, an templum quod sanctificat aurum? Cum ergo & iniuriæ paruæ verborum, tam grauiter vindicẽtur; dubium non est, quòd maximæ iniuriæ verborum, & maiores factorum, grauissimè vindicabuntur; & hoc pro tanto, quia amor & charitas proximorum, per tales iniurias destruitur, & odium seminatur inter eos, & crescit. Vnde quemadmodum charitas proximorum, est maximum bonum, & illa quæ ipsam nutriunt; ita odium est maximum malum; & quæ ipsum caussant, & nutriunt, cuiusmodi sunt iræ, & iniuriæ, quæ magna mala sunt; & propter hoc graui punitione sunt digna. Vnde & hîc Chrysost. in homil. dicit. Quia Christo multus erat sermo amoris bonorum, ideſt charitas vniuersorum mater; & Discipulorum cognitio: & quia omnia continet, & quæ secundum nos sunt, ipse maximè omnibus est, decenter radices, & fontes odij nocentis ei cum multa destruit vehementia. Nihil enim Deo ita studiosissimum vt vnire, & copulare nos ad inuicem. Ideoq; per seipsum, & per Discipulos suos, & quæ in nouo, & quæ in veteri testamento sunt, multum pro mãdato hoc facit sermonem, & vehemens vindicator, & punitor est huius præcepti contemptorum, etenim nihil ita malitiam omnem inducit, & radicat, vt amoris destructio. Ita namque Cain fratris occisor factus est: ita Esau Iacob: ita Ioseph fratres. Ita decem millia vegetata sunt mala, hoc non euulso; Propterea & ipse ea quæ huic nocent amori, cum multa vndiq; destruit diligentia.

Isidor.

1.Cor.2.

Glos.

Psal.93.

Chrisost. homil.

Luc.11.

Matt.23.

Gen.4. Idem 27. Idem 37.

SVMMARIVM.

Vnde nomen gehennæ tractum sit, & quòd hoc nomen pro inferno accipiatur in nouo testamento.

XXXII

Apponens autem pœnam illi qui dicit fatue; subdit, quòd reus erit gehennæ ignis: vbi certa & euidens pœna inferni, imponitur illi qui fratrem suũ fatuum vocat. Gehenna enim pro inferno ponitur. Vnde & Hieron. in libro quæstionum

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

hebraicarum, ſuper ſecundum librum Paralipo. exponens illud dicti libri 30. cap. & 33. Tranſire fecit Manaſſes filios ſuos per ignem in valle Benēnon; dicit in valle Benemon, quæ alio loco dicitur Gehennon, ideſt vallis filiorum Ennon. Eſt enim hæc vallis non procul ab Hieruſalem, de qua à Hieron. in libro Regnorum plenè ſcribitur; ab ea enim originem accepit nomen, Gehenna. Et Rabanus ſuper 4. lib. Reg. exponēs illud dicti libri cap. 23. Contaminauit Thophet, quod eſt in valle filij Ennon; dicit, quòd dicitur contaminauit Thophet, frequēs eſt in ſcripturis horum mentio locorum; maxime in lib. Reg. & Hiere. Prophetæ. Eſt autem vallis Ennon ſiue filij Ennon iuxta murum Hieruſalem contra Orientem; nemus pulcherrimum, quod Siloe fontibus irrigatur. Thophet autem erat locus in eadem cōualle, iuxta piſcinam fullonis, & iuxta agrum Acheldemā, qui vſque hodie monſtratur ad auſtralem plagam montis Sion. Solebant autem in Thophet (quia locus erat ameniſſimus, vnde hodie quoque hortorum præbet delitias,) poſita ara ſacrificare Dæmonibus, nefandoq; igne, ſuos conſecrare liberos; ſiue in holocauſtum offerre; ſicut in libro verborum dierum de Achaz Rege ſcriptum eſt. Ipſe eſt qui adoleuit incenſum in valle Beennon; & luſtrauit filios ſuos in igne. Vallis autem Ennon dicitur hebraicè Gehennon; cuius nomine in nouo teſtamento, pœna infernorum cognominatur. Vnde Iſa. 30. Infernus Thophet quæ eſt (vt dictum eſt) pars vallis, Ennon vocatur; vbi dicitur. Præparata eſt enim ab heri Thophet, à Rege præparata, profunda, & dilatata; nutrimenta eius ignis, & ligna multa flatus Domini, ſicut torrens ſulphuris ſuccendens eam. Quod exponens Hieron. 10. lib. ſuper Iſa. dicit. Ab heri, ideſt præterito tēpore, præparata eſt à Rege Thophet Domino, ideſt lata & ſpacioſa gehenna, quæ eos externis vrat ardoribus. Nutrimētum eius & fomes ignis eſt, & ligna multa; ideſt flamma perpetua, & ſupplicia peccatorum; quæ flatu & ſpiritu, ideſt voluntate Domini ſuccendetur mixto ſulphure, quod flammas excitet, & acriora tormenta faciat Sic ergo nomine gehennæ; hîc infernus intelligitur.

1. Par. 30. & 33.

Raba. 4. Reg. 23.

Iſa. 30.

Hiero.

SVMMARIVM.

Quare gehenna in nouo teſtamento pro inferno accipiatur, tres aſſignantur cauſæ.

XXXIII. ET hoc rectè, ſi attendantur illa quæ fiebant in valle Ennon, vel in Gehennon. A Gehennon enim in hebreo idem eſt quòd vallis apud nos. In dicta enim valle Ennon, viui homines cremabantur Dęmonibus in holocauſtum, vel conſecrabantur, per ignem eos tranſire faciendo. Vnde & 2. Paralip. dicitur de Achaz. Ipſe adoleuit incenſum in valle Gehennon, & luſtrauit filios ſuos in igne iuxta morem gentium. Et de Manaſſe dicitur eodem libro 33. Tranſire fecit filios ſuos per ignem in valle Benennon. Et Hiere. 7. dicitur. Aedificauit excelſa Thophet quæ eſt in valle filij Ennon, vt incenderent filios ſuos, & filias igni; iuxta illud Pſal. Et immolauerunt filios ſuos & filias ſuas dæmonijs. Et quia in inferno poſt generale iudiciū homines viui cremabuntur, & tamē non conſumentur; ſed in igne perpetuo viuent, quod erit dęmonum gaudium, iuxta illud Apoc. 19. Viui miſſi ſunt hi duo in ſtagnū ignis ardentis, & ſulphuris; Et 20. Diabolus qui ſeducebat eos miſſus eſt in ſtagnum ignis & ſulphuris, vbi & beſtia, & pſeudo prophetæ cruciabuntur die, ac nocte, in ſecula ſeculorum. Et Iudith 16. Dabit ignem, & vermes in carnes eorum vt vrantur, & ſentiant vſque in ſempiternum. Quia ergo homines viui comburebantur in holocauſtum Dæmonū, vel tranſibunt per ignem vt in gehenna conſecrarentur; rectè gehenna infernum ſignificat, in quo homines viui ponētur, vt ibi vrantur, & non conſumantur. Secundò vallis Ennon ſignificat infernum; quia idolatræ qui propter delitias dicti loci ibi peccauerunt, dæmonibus honorem Deo debitum exhibendo; poſtea Caldęorum perſecutione adueniente ibidem fuerunt interfecti, ac etiam ſepulti. Vnde & Hiere. 7. dicitur. Ecce dies veniunt dicit Dominus, & non dicetur amplius Thophet; & vallis filij Ennon, ſed vallis interfectionis, & ſepelient in Thophet, eo quòd non ſit locus. Et cap. 19. dicitur. Ecce dies veniunt dicit Dominus, & non vocabitur amplius locus iſte Thophet, & vallis filij Ennon, ſed vallis occiſionis, Et infra. In Thophet ſepelientur, eo quòd non ſit alius locus ad ſepeliendum. Quod ſecūdum Remigium factum fuit quādo Chaldęi Ieruſalem expugnauerunt, & multos Iudæorum interfecerunt, & ibidem ſepelierunt. Et conſimiliter peccatores, qui propter huius mūdi delectationes diabolum ſequūtur, propter eaſdem delectationes in inferno ſepelientur, iuxta illud Luc. 16. Mortuus eſt diues, & ſepultus eſt in inferno. Vnde & Caſsiod. exponens illud Pſal. Conuertantur peccatores in infernum, omnes gentes qui obliuiſcuntur Deum, dicit. Conuer-

2. Par.

Idem. 33. Hier. 7.

Pſal. 105.

Apoc. 19

Iodith 16

Hier. 7.

Idem. 19.

Remi.

Luc. 16.

Pſal. 9. Caſſiodo.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

tantur; ideſt ab huius mundi delectatione tollantur, ne diutius poſsint in ſua gaudere voluptate. Et ne crederent ſe alibi eſſe mittendos; ſequitur, in infernum; per quod vult intelligi mortem perpetuam, ad quam ſine dubio peruenturi ſunt qui Domini præcepta contemnunt. Vnde & Raban. Raban. in ſupradicto loco dicit. Sicut in conualle Ennon qui idolis ſeruierunt, in ea prophetis teſtantibus perierũt; ſic peccatores ex ijs qui peccauerunt, æterna punientur damnatione. Tertiò hoc idem patet, ſi nominum interpretationes attẽdantur. Ge enim vallis interpretatur. Ennon autem curſus mæroris, vel oculus mæroris, ſeu fons triſtitiæ, aut fons murmurationis. Thophet vero interpretatur oris periculum, ſeu latitudo; infernus autem vallis dicitur, quia in inferno eſt conſtitutus: iuxta illud Pſal. Liberaſti me de inferno inferiori. Pſal. 85. De qua valle dicitur. Ezech. 39. Dabo Gog locũ nominatũ ſepulchrũ in Iſrael, vallẽ viatorum, ad orientẽ maris, quę obſtupeſcere faciet prętereũtes. Infernus autẽ eſt curſus mæroris, vel oculus mę roris, ſeu fons triſtitiæ, aut fons murmura tionis; quia in eo eſt omnis mæror, & triſtitia: & oculus eorum, ſemper eſt in mærore; eſt enim ibi fletus & ſtridor dentiũ: vt dicitur infra 13. Mittent eos in caminum ignis; ibi erit fletus & ſtridor dentiũ. Matt. 13. De quo mærore dicitur Iaco. 4. Riſus veſter in luctum conuertetur, & gaudium in mærorem. Iacob. 4. Et Ezechi 32. dicitur. Omnia luminaria cœli mærere faciam ſuper te, & dabo tenebras ſuper terram tuam. Infernus etiam fons eſt murmurationis; quia in damnatis ſyndereſis ſemper remurmurat contra culpam commiſſam: & propter pœnam exteriorem, & interiorem, damnati ſemper remurmurant contra Deum. Ezech. 32. De qua murmuratione dicitur Naum 2. Ancillæ eius mirabantur gementes, vt columbæ murmurantes in cordibus ſuis. Naum 2. Et Sap. 1. Tumultus murmurationũ non abſcondetur. Sap. 1. Vnde, quia infernus eſt vallis profunda, in qua eſt eis mæror, & triſtitia, & murmuratio continua: Iccirco bene vocatur gehenna. Quòd etiam Thophet vocatur, quia habet os opertum ne aliquid exinde egrediatur; & tamen habet latitudinem magnam, vt omnes peccatores in ſe recipere poſsit. Vnde Auguſtinus in quodam ſermo. de reſurrectione Domini, exponens illud Pſal. Non abſorbeat me profundum, neq; vrgeat ſuper me puteus os ſuum, dicit. Ardens puteus inferni aperietur, deſcenſus erit, reditus non erit. Ideo dicit; Neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum: quia cum ſine pœnitentię remedio, Auguſt. Pſal. 68. F infernus infelices peccatores exceperit, claudetur ſurſum, aperietur deorſum; ac dilatabitur in profundum: nullum ſpiramen, nullus liber anhelitus clauſtris deſuper angẽtibus relinquetur, detrudentur illuc; vale dicentes rerum naturę, vltra ne ſciẽtur à Deo qui Deum ſcire noluerunt morituri, vitæ, & morti ſine fine victuri. De quo dicitur Iob 36. Saluabit te de ore anguſto latiſsimè, & non habente fundamentum ſubter ſe. Iob 36. Quod exponens Gregorius lib. 27. moral. cap. 22. dicit. Infernus rectè fundamentum habere non creditur, quia quiſquis ab illo rapitur in immenſo deuoratur: immenſam eius namq; latitudinẽ explicare volens Propheta ait. Dilatauit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque vllo termino. Gregor. Sicut ergo ſine termino dilatatus dicitur, quia ad ſe plurimos trahit, ita ſine fundo altus, non incongruè dicitur, quia eos quos ipſe ſurripit, quaſi in quodam abyſſo ſuę immenſitatis abſorbet. Propter ergo præmiſſa infernus hîc à Domino gehenna vocatur. G H Quo tamen nomine in veteri teſtamento non appellatur, licet Thophet in Iſaia appelletur, vt ſupra dictum fuit.

SVMMARIVM.

Quare gehennę, Dominus addidit ignem, dicẽdo reus erit gehennę ignis.

APponitur autem gehennæ ignis, ne enim eſtimetur, quòd nomine gehennæ Dominus intelligeret illã vallem quæ eſt iuxta Ieruſalem, quæ apud eos Gehennẽ, vocatur, ideſt, vallis Ennon, quæ multum aliquando delitioſa fuit; Ideo addit ignem, vt non locum delitioſum, ſed pœnalem inſinuet, cum dicit, [*reus erit gehennę ignis*] de qua dicitur Mar. 9. Bonum eſt tibi debilem introire ad vitam æternam, quàm duas manus habentem ire in gehennam ignis inextinguibilis, vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur, Vnde & infra, Ignis inferni, æternus vocatur, cum dicitur impijs, vel ſterilibus. Ite in ignem æternum: ſupra autẽ dictum fuit, quare ignis æternus, dicitur inextinguibilis, & æternus, ad differentiam illius ignis, ad ignem noſtrũ, propter quod non oportet iterum repetere. Quamuis autem in gehenna ſint pœnæ ignis aduran tis, & niuis infrigidantis, iuxta illud Iob 24. Ad nimium calorem, tranſiet ab aquis niuium, & vſque ad inferos peccatum illius; tamen quia pœna ignis actiuitate grauior eſt, quam pœna frigoris: iccirco XXXIV Mar. 9. Matt. 25. Iob 24. I K

non

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

non additur gehénæ nisi solum ignis, cum tamen pars pœnæ infernalis sit ignis.

SVMMARIVM.

Quòd Dominus hîc primo ponit nomen gehennę, licet frequenter supra posuit cęlorum regnum; quia eius benignæ voluntatis est dare præmium: sed inferre tormenta non eius voluntatis, nisi per nostram malitiam quasi ad hoc inducatur.

XXXV ESt etiam attendendum, quòd Dominus cum supra frequenter regnum cęlorum promiserit, & bona quæ in dicto regno sunt, nunc primò pœnas comminatur. Quia suæ intētionis est dare præmia, præter vero eius intētionē est inferre tormenta: quia vellet omnes homines saluos fieri, & nullum vellet perire. Deus enim mortem non fecit, nec lętatur in perditione viuorum. Creauit enim vt essent omnia, & sanabiles fecit nationes orbis terrarum Sap. 1. Quia etiam ille, qui ob timorem pœnæ dimittit mala operari, non est bonus, quia bonam voluntatem non habet: qui verò spe præmij cœlestis operatur bona, bonus est, quia rectam intentionem habet, & primum quærit regnū Dei, & iustitiam eius: Ideo Christus volēs nos bona operari, & desistere à malis operibus propter ipsum regnum, frequēter nominat Dei regnum, vt propter ipsum addipiscendū faciamus quæ agenda sunt, & dimittamus facere non agenda: sed vt vel timore pœnæ desistamus à malis operibus: Quod licet in se non sit bonum, tamen est principium boni, vel ad minus non faciendo mala timore pœnæ, simus minus mali, quàm si mala opera faceremus. Ideo quasi vltimò pœnas inducit, vt qui non vult esse bonus propter præmia, saltem sit minus malus ob pœnæ timorem. Vnde & Chrysostomus hîc dicit. Nunc primum gehennæ nomen dicit. Prius enim de regno multa disputans, tunc huius gehennæ meminit, monstrans quòd illud quidem dare suę philantropiæ, id est amoris hominum, & consilij est, hoc autem nostræ desidię. Et vide qualiter paulatim procedit in pœnis, mostrans quoniam nihil tale vult minari, nos autem ipsum ad tales trahimus enunciationes: Intende enim dixi, ait, ne iraſca ris inaniter; quoniam debitor es sententiæ, cōtempsisti quod prius est. Vide quid peperit ira, in contumeliā confestim eduxit, Racha enim vocasti fratrē. Rursus posui aliam pœnam consilium, sed si & hanc despiciens, ad id quod difficilius est processeris, non amplius te moderatis his pu

Sap. 1.

Chrysost. hom. 16.

niam, sed gehennæ immortali supplicio, vt non iam ad occisionem prosilias.

SVMMARIVM.

Quòd æstimatio fuit quorundam quòd pro talibus verbis, de quibus hîc Dominus facit mentionem contra fratrem prolatis, non debetur pœna inferni: sed quòd Dominus hyperbolicè, idest, excessiuè locutus est, vt timore tantæ pœnæ, homines desisterent irasci contra fratrem, & verba contumeliosa ei dicere, quæ opinio, vel potius error, ibidem reprobatur.

XXXVI Chrysost. hom. 16. SEd etiam attendendum secundū Chrysostomum hîc, quòd aliquorū opinio fuit, quòd hîc Dominus non loqueretur veraciter, & secundum rem, scilicet, quòd talis tali pœna dignus esset, vel talis pœna tali culpæ imponeretur: sed quòd locutus fuerit hyperbolicè, idest excessiuè, vt ex timore pœnæ homines desisterent ab ira, & contumelia contra fratres. Quæ tamen opinio vera non est. Cum enim ista sint mortalia peccata, secūdum se eis debetur pœna damnationis: & ideo non hyperbolicè, sed magis condescensiuè locutus est in primis duabus pœnis; sed in tertia expresse pœnam damnationis ponit. Vnde & hîc dicit Chrysostomus in homil. Multis hæc grauis & onerosa videtur esse iniunctio; si verbi nudi tantum sumus daturi vindictam, & ideo quidam hyperbolicè, idest, superabundanter magis dictum esse aiunt; sed timeo ne verbis nos ipsos hîc decipientes, operibus illic vltimum sustineamus supplicium. Propter quid enim, dic mihi, onerosum æstimas hoc præceptum? Non nouisti quòd plures pœnarum, & peccatorum à verbis habent principium? Etenim blasphemiæ, negationes, contumeliæ, conuitia, periuria, falsa testimonia per verba fiunt, ne igitur quoniam verbum est nudū inspicias, sed si multum habet periculum, hoc inuestiga. Quia igitur hæ Domini sententię non sunt hyperbolicę, sed omnino reales, timendum multum est nobis, & maximè propter linguæ labilitatem, de qua dicitur in canon. Iaco. 3. Omnis natura bestiarum, & volucrum, & serpētium à natura humana domatur; linguam autem nullus hominum domare potest; ne in huiusmodi pœnis, & peccatis propter hoc, quia nullus domare linguam suam potest, incidamus.

Ibidem.

Iaco. 3.

SVMMARIVM.

Quòd sine adiutorio diuinæ gratiæ, ista peccata linguæ homo vitare non potest, quia linguam

nullus homo domare poteſt: & poſtquam commiſſa ſunt nullus effugere poteſt iſtas pœnas, quas hîc Dominus comminatur, niſi Deus ſua gratia iſta peccata deleat, & remittat.

XXXVII INcidemus autem in huiuſmodi peccatis verborum, & pœnis eis debitis, ſi credamus, quòd per nos ipſos ſine gratia Dei poſsimus domare linguam noſtram; quia eam nullus per ſe domare poteſt: ſed ſi domationẽ linguæ noſtrę Deoi attrbuamus, ipſe enim ſic eam domabit, quòd ad peccata verborum non prorumpet; & ſi prorumpat propter fragilitatem humanam, (quia quilin verbo non offendit perfectus eſt vir, vt dicitur in eodem cap.) per pœnitentiam, quam Chriſti gratia dabit, nobis illa offenſa delebitur. Qui enim dedit legem, quæ noſtris viribus impleri non poteſt, dabit ſuam benedictionem; vt quod per nos facere non poſſumus, per eius gratiam impleamus. Vnde quemadmodum irrationabilia pecora, non ſe domant, ſed à natura humana domãtur; ita, & linguam noſtram domare non poſſumus, ſed Deus illam domabit, vt domata in mala locutione non prorumpat. Vnde Auguſtinus in libro de verbis Domini ſermo. 4. exponens illud quod hîc dicitur, [*Qui dixerit fratri ſuo fatue &c.*] dicit. Quis non timeat loquentem veritatem, & dicentem, Qui dixerit fratri ſuo fatue, reus erit gehennæ ignis? Cum Iaco. dicat, Linguam nullus hominum domare poteſt? Ibunt ergo omnes homines in gehennam ignis, cum vtra que ſententia proceſſerit de oraculo veritatis? Abſit. Domine refugium factus es nobis, ira tua iuſta eſt, neminem in gehennam mittis iniuſtè. Ergo intelligamus, ſi linguam nullus homo domare poteſt, ad Deum confugiendum eſſe, qui domet linguam noſtram. Si tu eam domare volueris, non potes, quia homo es; linguam autem nullus homo domare poteſt. Attendite ſimilitudinẽ ab ipſis beſtijs, quas domamus. Equus, Camellus, Elephans, Aſpis, Leo, non ſe domãt; ſed vt dometur equus, bos, Camellus, Elephans, Leo, aſpis, quæritur homo. Ergo Deus quæratur, vt dometur homo. Conferimus nos ad te, & benè nobis erit de tè. Malum eſt nobis, de nobis; quia dimiſimus te, dimiſiſti nos nobis. Inueniamur ergo in te, quia perieramus in nobis. Nec dubitare debemus, quia manſuetos faciet nos Deus, ſi nos ei domandos præbeamus. Domuiſti enim Leonẽ, quẽ non feciſti; & non domabit te, qui fecit te? Vnde cauere iſta peccata non poſſumus, niſi Deus domet ſua gratia linguam noſtram; ſicut nec alia diuina præcepta implere poſſumus, vt implenda ſunt, niſi Spiritus ſanctus adiuuet infirmitatem noſtram. Tamen quantum eſt in nobis, conari debemus, & in conſuetudinem deducere, ne mala verba, & iniurioſa, de noſtro ore procedant; cum & Michael Arcangelus, cum Diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore, non fuerit auſus iudicium inferre blaſphemiæ, ſed dixit: imperet tibi Deus; vt dicitur in catholica Iudæ. Si ergo Michael non fuit auſus dicere impoperiũ Diabolo, minus vtique homo fratri ſuo; qui fortè melior eſt, eo quod æque bonus, & non eſt nequam, vt Diabolus; impoperium dicere non debet, & maximè non debet aſſueſcere in dicendis verbis improperioſis, iuxta illud Eccleſ. 23. Indiſciplinoſæ loquelæ non aſſueſcat os tuum, eſt enim in illa verbum peccati. Et infra. Homo aſſuetus in verbis impoperij, in omnibus diebus ſuis non erudietur.

Auguſt. — Iaco. 3. — Iudæ. — Eccl. 23. — Ibidem.

SVMMARIVM.

Quomodo iſtæ tres ſententiæ Domini, ſuppleri debent.

ESt etiam attendendum ſecundum Auguſtinum primo libro de verbis Domini, quòd in iſtis tribus ſententijs ſub auditio verborum faciẽda eſt; habet enim prima ſententia, omniaverba neceſſaria, vt nihil ſubaudiatur. [*Qui iraſcitur, inquit, fratri ſuo ſine cauſa, reus erit iudicio.*] In ſecunda verò cum ait. [*Qui autem dixerit fratri ſuo Racha, ſubauditur ſine cauſa, & ita iungitur reus erit concilio,*] ſed in tertia vbi ait. [*Qui autem dixerit fatue, ſubaudiuntur duo, & fratri ſuo, & ſine cauſa.*]

XXVIII Auguſt.

Tractatus ſequens protenditur vſque ibi. (Eſto conſentiens aduerſario tuo, &c.) *& continet in ſe 25. capitula. Capitulum primum.*

SVMMARIVM.

Ponitur diuiſio, & oſtenditur, quòd ira non debet in corde retineri, ne in odium conuertatur.

SI *offers munus tuum ad altare &c.*] Vbi poſtquam Dominus prohibuit iram ſubitam contra fratrem, & verba impoperij dicta fratri propter iram; nunc prohibet iram retinere in corde, ne in odium vertatur. Vnde & hîc dicit Auguſt. lib. 1.

de

de ser. Domini in monte. Si irasci non fas est fratri suo sine caussa, aut dicere Racha, aut dicere fatue; multo minus fas est animo tenere aliquid, vt in odium indignatio conuertatur. Si enim ira subita prohibetur, magis vtiq; odiũ quod est ira inueterata prohibetur; Et vt ostẽdat, quòd ira nullo modo per aliquod spatium temporis debeat in corde manere, præcepit actũ religionis, qui est inceptus, & iam prope finem peruenit, intermitti, vt iracundia fratris contra nos nata reconcilietur, Et sic primò ponit religionis actum inchoatum, & iam propè finem perductum. Et secundò præcepit cessationẽ à tali actu, vt reconciliatio fratris fiat. Et tertiò dicit, quòd facta reconciliatione actus imperfectus dimissus compleatur. Secundò ibi, [*Relinque ibi munus tuum*,] Tertiò ibi. [*Et tunc veniens offers munus tuum.*]

SVMMARIVM.

Distinguitur intellectus huius verbi, si frater noster habet aliquid aduersum nos; quia potest esse quod habeat iram, vel odium contra nos, cum tamen nullam ei iniuriam fecerimus; vel habet iram, & odium aduersum nos, quia iniuriam ei fecimus: vel non habet iram, & odium aduersum nos, sed habet caussam aduersum nos, quia ei iniuriam fecimus; de qua non satisfecimus; vt ostendatur multiplex intellectus istius dicti Domini.

II *Dicit primo si ergo offers munus tuum ante altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te.*] Circa quod atterẽdum, fratrem nostrum habere aliquid aduersum nos, tripliciter intelligi posse. Primò quòd frater noster habeat iram, indignationem, vel odiũ cõtra nos; & hoc ob culpam sui, quia eum, vel non læsimus, vel iniustum ei aliquid non fecimus: sed ipse, vel per se, vel propter aliquorum suggestionem, cõtra nos in iram, vel odium est excitatus. Et tunc dicitur habere aliquid aduersum nos, quia iram, vel odiũ contra nos habet, licet nos nõ dimus ei caussam, quod contra nos irasci, vel indignari deberet: & tunc nos habemus caussam contra eũ, & non ipse contra nos, quia iniustè, & siue caussa iratus est nobis. Secundò potest esse, quòd sciamus eum esse iratum, & indignatum contra nos; & sic habet aliquid aduersum nos, cuius tamen iræ, vel indignationis, nos caussa fuimus, quia iniustè eũ læsimus; & tũc dupliciter cõtra nos se habet; quia, & nobis est iratus, & ei dedimus caussam quòd sit iratus. Tertiò potest esse, quòd sciamus, quòd frater noster, quem læsimus, non sit contra nos iratus, vel indignatus; sed tamen de iniuria, quam ei fecimus nondum satisfecimus ei; licet non habeat contra nos iustam caussam, de qua tenemur satisfacere ei.

SVMMARIVM.

Ponitur prima cõtinuatio, & expositio, & ostenditur, quòd si frater noster habet iram, & indignationem contra nos, & hoc nos sciamus, cuius tamen irę, & indignationis nos caussam non simus; dare operam, vt nobis reconcilietur, & eum præuenire; hoc est magnę perfectionis, quia hoc facimus ne ipse perdat animam suam.

III Quo supposito potest ista sentẽtia Domini exponi, & continuari ad præcedẽtem tripliciter. Primo modo sic, quia ita est graue irasci contra fratrẽ suum sine caussa, & dicere Racha, vel fatuũ; quòd ille qui talia perpetrat dignus est iudicio, concilio, & Gehẽnæ ignis: & quilibet debet diligere proximũ sicut se ipsũ; & per consequens conari ne proximus pereat. Ideo si frater tuus habet aliquid aduersum te, id est, si iratus fuerit contra te, vel dixerit tibi Rachà, vel fatue, posito quòd tu nõ sis caussa indignationis eius; sed vel ipsemet, vel detractores tui; vt frater tuus non pereat, omnibus alijs omissis, vade reconciliari fratri tuo. Et hęc est Hieronymi expositio, qui hîc dicit. Hieron. Non dicit si tu habes aliquid aduersum fratrem tuum, sed si frater tuus habet aliquid aduersum te; vt clarior tibi reconciliationis imponatur necessitas. Et Chrys. hîc dicit in homeli. Mihi videtur iniusta patientẽ mittere ad eum, qui iniusta fecit; propterea neq; dixi permuta te ipsum fratri tuo, sed permutare: & videtur quidem pro contristante esse quod dicitur; sed totum pro contristato est; si enim illi permutaberis, (ait) per amorem, qui est in illum, & me habebis propitium, & cum multa libera propalatione poteris hostiã offerre; & non dixi cum magna iniusta passus fueris, tunc permutare, sed etsi quodlibet aduersum te habuit, & non apposuit siue iustè, siue iniustè, sed simpliciter si habuerit aliquid aduersum te; Hoc autem magnæ perfectionis est, quòd nos adeamus illum, & eum pacificemus, qui sua culpa, & non nostra, cõtra nos est commotus, timentes nè ex dicta commotione animam suam perdat; & taliter faciens magnum prẽmium acquirit; dicente Chrysost. in expositione. Nè dicas ille mihi no Chryso. hom. 16. Idem.

cuit,

Hom. 11. cuit, non ego illi : Ille mihi satisfacere debet, non ego illi. Si pro gloria salutis tuę iubet te Dominus amicitiam facere, magis nocitus debes rogare nocentem, vt duplicem gloriam consequaris: vnam, quia nocitus es, alteram, quia prior rogasti. Si enim tu illũ nocuisti, & ideo rogas eum, forsitan parcet tibi, quod nocuisti, quia prior rogasti; tamen nullam habes mercedem, quia reus cõstitutus rogasti. Si autẽ ille te læsit, & prius rogaueris, magnam mercedem habebis. Festina ergo prœuenire inimicum tuum ad amicitias, ne forte te tardante ille prœueniat ad rogandum, & rapiat de manibus tuis pietatis mercedem. Nam si ille tibi nocuit, & ille te rogat, infructuosa est amicitia tua; quã enim iustitiam fecisti ante Deum, si rogatus te placaueris? Non enim volens te Deus sustinere sub pedibus eius, qui tibi nocuit, iubet te prius rogare; sed volens tibi humilitatis gloriam prouidere. Vnde & Iaco. vlt. dicitur. Si quis ex vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum, scire debet, quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius a morte, & operiet multitudinem peccatorum. Hoc enim modo Dauid Saul inimicum suum, qui ei sine causa inimicabatur, & volebat eum occidere, amicitiam, & reconciliationem eius quærebat, & laborabat vt eum sibi reconciliaret; quẽ tamen non offenderat, immo multa bona ei fecerat. Vnde dicebat ei 1. Reg. 24. Quare audis verba hominum loquentium, Dauid quærit malum aduersum te? Ecce hodie viderunt oculi tui, quòd tradiderit te Dominus in manu mea; sed pepercit tibi oculus meus. Animaduerte, & vide quoniam non est in manu mea malum, neque iniquitas, neq; peccaui in te: tu autẽ insidiaris animæ meæ vt auferas eam. Vnde tales sunt illi de quibus in Psal. dicitur. Cum ijs qui oderunt pacem eram pacificus. Et de Christo dicit Apostolus, quòd nos, qui inimici eramus, reconciliauit sibi per mortem suam. Vnde dicit ad Rom. 5. Cum inimici essemus reconciliati sumus Deo, per mortem filij eius. Nos enim Deum offenderamus, & contra eum feceramus; & non ipse contra nos, & tamen ipse prœuenit nos, volens reconciliare nos sibi; & vt reconciliaremur sibi pro nobis dignatus est mori. Quod ergo fecit ipse facere nos docuit, vt simus perfecti, sicut & ipse perfectus est.

Iac. 5.

1. Reg. 24.

Psal. 119.

Rom. 5.

SVMMARIVM.

Quòd si non offendimus fratrem qui contra nos iratus est, non debemus ire ad eum, vt ab eo petamus veniam, cum in eum non peccauerimus; sed debemus ire ad eum vt ostendamus ei innocentiam nostram, & quòd male informatus iratus est contra nos, cum contra eum nihil fecerimus.

FIt autem ista reconciliatio inter nos & illum, qui iniustè contra nos est commotus, vel nos læsit sine causa, non quidem dicẽdo eidem quòd nos contra eum aliquid commiserimus, quia sic mentiremur, cum nos eum in aliquo non læserimus. Dicente Augu. in quodam sermone de Quadragesima, & concordia fraterna. Nolo concordare quia ille me læsit, ille in me peccauit, & non vult veniam postulare, quid ergo dicturus sum ei? Petã ab eo veniam? Absit. Nolo mentiaris, nolo dicas da mihi veniam, quia tu nosti non te peccasse in fratrem tuum. Quid enim, prodest tibi cum tu fueris tuus accusator? Quid expetis tibi ignosci à Deo quem nõ læsisti, aut in quem non peccauisti? Nihil tibi prodest, nolo facias, nosti bene, di scusasisti, quia in te peccauit, non tu, scis, in illum. Noli venire ad fratrem tuũ, & ab illo vltro petere veniam. Et 1. lib. de ser. Domini in monte, dicit August. Non veniam postulabis ab eo, qui tibi fecit iniuriam; Licet autem non sit ab eo venia postulanda, quia iniuriam ei non fecimus, & qui petit veniam ab aliquo confitetur se eum offendisse, tamen excusare nos debemus sibi, & ostendere quòd in eum non peccauimus, & etiam quòd ipse sine causa iratus est contra nos; vel quòd maligni homines ei falsò mala de nobis suggesserunt, vt fecit Dauid in auctoritate supra inducta, & sic eum nobis reconciliamus.

Y

August.

Idem.

SVMMARIVM.

Quòd perfectionis est ire ad illum sibi reconciliandum, post positis alijs rebus, qui nos offendit, vel ad illum qui contra nos commotus est sine causa sumpta ex parte nostra, sed debent mitti primo homines pacifici, qui tractent reconciliationem, & si audire non vult eos, perfectionis est ire ad eum vt reconcilietur nobis; qui si sic nec audire vult, rogandus est Deus pro eo, & nos debemus ei dimittere offensam.

VErum est tamen quòd perfectionis est, quòd eamus ad illum, qui nos læsit; vel contra nos est commotus, sine causa sumpta ex parte nostra: sed bene possumus mittere aliquos sibi pacificos inter ipsum, & nos, qui nostram innocen-

tiam

tiam demonſtrent ei; quòd ſi noluerit acquieſcere, perfectionis eſt, quòd eamus ad eum ad nos excuſandum: quòd ſi nec ſic reconciliari voluerit, nos fecimus quod in nobis erat, & ipſe ſuæ damnationis cauſsa eſt. Veruntamen nos eſse debemus in voluntate, & propoſito quòd ei ſemper offenſam noſtram ex corde remittamus; & ſic ex quo in nobis non remanet, quod ipſe nobis reconcilietur, pro ipſo offerre hoſtiam Deo poſsumus. Vnde, & in dicto ſer. dicit Auguſt. Noli venire ad fratrem tuum, qui in te peccauit; & vltro ab illo petere veniam; debent inter vos eſse alij pacifici, qui illum obiurgent, vt à te prius veniã petat, tu tamẽ paratus eſto cognoſcere prior; paratuſq; eſto ex toto cor de tuo dimittere; ſi paratus es dimittere iam dimiſiſti; habes ad quid ores, ora pro illo vt petat, dic Domino (in oratione tua) Domine ſcis me non peccaſse in illum fratrem meum, ſed ſcis illum potius peccaſſe in me, & obeſse illi quod peccauit in me, ſi veniam non petat à me, ego bono animo peto, vt agnoſcas ei. Et Chryſoſt. hîc dicit in homel. In iuſta facientem hîc mittit ad iniuſta patientem; in oratiune autem, iniuſta patientem ducit ad iniuſta facientem, ac permutat. Illic enim ait dimitte hominibus debita eorum; hîc autem ſi habet aliquid aduerſum te, abi ad ipſum. Vnde quòd homo vadat ad reconciliandum, ad illum, quem non læſit, vel cui iniuſtitiam nõ fecit, omnibus alijs omiſsis, vt ille non pereat, videtur eſse conſilium, & nõ præceptum, ſecundum quod ſatis ſupra deductum eſt; & iſto modo hęc ſententia Domini exponeretur ſecundum Chryſoſt. & Hiero. de illo reconciliando nobis, qui ſine cauſsa accepta ex parte noſtra, contra nos eſt commotus.

Auguſt.

Chryſo. hom. 16.

SVMMARIVM.

Aſſignatur cauſſa, quare debemus procurare reconciliationem fratris ad nos, illius, qui nos offendit.

VI QVando autem ille, qui alium non offendit, quærit reconciliari illi, qui contra eum eſt commotus, nõ ſolum eius iram mitigat, ſed etiam eum, (niſi omnino ſit beſtialis) ad ſuum amorem trahit; & ſic radicitus euellitur ira: quando enim homo videt, quòd ipſe eſt culpabilis contra alium, & tamen ille alter non ſolum, non quærit ſatisfactionem de offenſa, in eum commiſsa; ſed quęrit eius amicitiam, & pacem, niſi beſtialis ſit offendens, non ſolum iraſci deſinit contra innocentem, ſed amare incipit illum, qui eius amicitiam quæſiuit, dum ipſe inimicitias exercebat dicente Apoſtolo, ad Rom. 13. Si eſurierit inimicus tuus ciba illũ, ſi ſitit, potum da illi, hoc enim faciens carbones ignis congeres ſuper caput eius; noli vinci à malo, ſed vince in bono malum. Vbi dicit Gloſſa. In vitæ neceſſarijs ſubueni inimico tuo; quia ſi hoc feceris, cõgeres carbones ignis, id eſt, feruorem charitatis, vel Spiritus Sancti, vel vrentem pœnitentiæ ardorem ſuper caput eius, id eſt, ſuper mentem eius; & ſic non ſolum deſinet eſſe inimicus, ſed etiã efficietur tuus intimus amicus; & ſi non pœniteat, tamen tu noli vinci à malo, ſed vince in bono malum, id eſt, patiẽter ſuſtine malum, per eum tibi illatum, quia ſi repercutis ſimilis ei fies: bonitate ergo contende contra illum, & eſt vera contentio, & ſalubre certamen, vt ſis bonus contra malum, ne ſint duo mali. Vnde ſi tu iam non es malus; opta malo, vt ſit bonus; diſpliceat tibi quòd malus eſt, placeat vt fiat bonus. Et ſecundum hoc in præcedenti parte Dominus excluſiſſet iram: hîc vero excluderet iræ radicem, quemadmodum medicus primo apponit remediũ contra morbum, quod deſtruit ſubiectum infirmi, & deinde radicem morbi euellit, ne poſtea ſi radix remaneret, morbus ſubcreſceret. Sic Dominus primo deſtruit iram, & rancorem, quæ animam deſtruunt, & deinde præcipit amicitiam qua radicitus rancor, & iracundia euellitur ſicut per contrariũ ſuũ; quæ amicitia maior eſſe non poteſt, quã cum illã proſequitur ille qui eſt offenſus ab alio ſine cauſſa. Vnde & Apoſtolus ad Rom. dicit 5. Ex hoc commendat aut Dei, charitatem quia cum adhuc peccatores eſſemus. Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Vbi dicit Gloſſa. Cum inimicitias exercebamus aduerſus Deum operando iniquitatem, voluit ſuum filium mori, vt nos ſibi reconciliaremur. Vnde, & Chryſoſt. hic dicit in homel: Per hæc omnia, & radicem diſcordiæ, & fructum deſtruens; & primum quidem ait, non iraſcere, poſtea autem, non conuitiare; etenim vtraque hæc ab inuicem augeretur ab inimicitia conuicium, à conuicio inimicitia; propterea quidem radicem, nunc autem fructum ſanat; prohibẽs quidem, & oriri malum in principio, ſi enim germinauerit, fructum attulerit, qui eſt peſsimus vndique ipſum magis comburit.

Rom. 13.

Gloſſa.

Rom. 5.

Gloſ.

Cryſoſto. hom. 16.

SVMMARIVM.

Ponitur ſecunda continuatio, & expoſitio, &

oſten-

ostenditur, quòd si frater noster habet aliquid aduersum; id est, sit motus vel indignatus contra nos; quia eum læsimus, vel iniuriam intulimus; ex debito iustitiæ est, quòd prætermissis alijs de offensa, quam ei fecimus, satisfaciamus, & sic eum nobis reconciliemus.

VII Si vero intelligatur fratrẽ nostrũ habere aliquid cõtra nos, quia scimus eũ esse iratum nobis, vel odio nos habere, etiã quòd nos dedimus caussã suæ indignationis, eũ iniustè lædẽdo, vel iniuria eũ afficiẽdo; tũc tenemur ex debito iustitiæ ei satisfacere; de iniuria vel damno illato, & sic ad amicitiã nostrã eũ reducere; & etiã hoc facere prius quã Deo nostra munera offeramus. Et secũdũ hoc esset sẽsus; quòd si dũ munus nostrũ habemus ante altare; recordamur, quòd frater noster cõtra nos est iratus, propter iniuriã, quã ei fecimus; dimittere debemus munus nostrum ante altare, & ire ad fratrem, vt ei reconciliemur; & postea venire, & offerre munus nostrum, quòd ante altare dimiseramus. Et hoc modo exponit hanc partem Aug. hîc dicens in 1. lib. de ser. Domini in monte. Si in mentem venerit, quòd aliquid habet aduersum nos frater; id est, si nos eum in aliquo læsimus, (tunc enim ipse habet aduersum nos,) reliquendum est munus nostrum ante altare, & pergendum est vt reconciliemur fratri. Et Chrysost. in expositione dicit. Habet aliquid aduersus te frater tuus; si iratus ei fueris sine caussa, si dixisti ei Racha, vel fatue sine caussa: quod si de hoc fueris recordatus dum offers munus tuum ante altare, &c.

August.

Chrysost. hom. 16.

SVMMARIVM.

Quare prius reconciliari fratri, quem scimus nos offendisse; quàm munera vel sacrificia Deo offerre debeamus; assignantur tres causæ.

VIII Circa quod attendendum, quòd actus iustitiæ ad quem quis est obligatus, ex debito prius fieri debet, quàm actus supererrogationis: quia si dimittatur actus supererogationis, non peccatur. Dimittere autem actum iustitiæ, ad quem quis est obligatus, semper est peccatum; dummodo tempus, & opportunitas adsit. Non enim solũ peccatum committitur, in committendo, quod committendum non est; sed etiam in omittendo illud quod quis facere debet. Ille autem, qui iniuriam fratri fecit, ex debito iustitiæ tenetur ei satisfacere: quia abstulit ei de suo, s. vel honorem debitum, vel aliquid tale, & ideo obligatus est, quòd ei satisfaciat: à qua obligatione non absoluetur, nisi fratri satisfaciat. Sed offerre munus Deo, est supererogationis; quamuis enim in lege præceptum fuerit, quòd aliqua Deo offerantur ex debito: tamen vltra illa quæ ex debito præcipiebantur offerri Deo, ad quæ offerenda de necessitate præcepti populus obligabatur: aliqua erãt quæ gratuitò populus offerebat, ad quæ offerẽda non obligabatur de necessitate præcepti, & ista propriè munera vocabantur. Munus enim idem est quod donum. Donum enim est datio omnino voluntaria. Vnde & cum Exodi 35. dictum fuisset. Separate apud vos primitias Domino: Omnis voluntarius & prono animo offerat eas Domino. Et infra. Omnes viri, & mulieres mente deuota obtulerunt donaria; Postea hæc donaria vel dona dicta sunt munera: eodem lib. c. 36. cessatũ est à muneribus offerendis, eo quòd oblata sufficerent. Et de Salomone 3. Reg. 10. Salomon dedit Reginæ Saba omnia quæ voluit, & petijt ab eo, exceptis ijs, quę vltro obtulerat ei munere regio. Vnde cum munus offerre sit donum voluntarium; reconciliari autem fratri, per nos offensо, vel ei satisfacere de offensa, sit debitum, & necessarium; prius est hoc secundum faciendum, quod est necessitatis; quàm munus offerendum quod est voluntatis. Vnde Dominus non dixit de quacunque re, quæ Deo offerre debet, (quod deberet postponi quia multa sunt ad quæ obligamur ratione præcepti:) sed solum locutus est de munere, si offers (inquit) munus tuũ ad altare. Et propterea cum duo sint actus, quibus colitur Deus; scilicet actus interior, & actus exterior, actus enim interiores sunt, fides, spes, charitas; dicente Augusſt. Enchiridion 3. Deus colendus est, fide, spe, & charitate; qui actus sunt præcipui, quibus colitur Deus: Actus autẽ exteriores quibus Deus colitur, sunt oblationes sacrificiorum, & munerum, & talia quæ in Dei cultu exterius per hominem exercentur; quæ sunt signa cultus interioris. Sacrificium enim visibile, inuisibilis sacrificij sacramentum, idest sacrum signum est. Vt dicit Augusſt. 10. de Ciuit. Dei, cap. 5. Ideo actus interiores fidei, spei, & charitatis; quibus præcipuè Deus colitur, præcellunt, & præcedere debent actus latriæ exteriores, quæ sunt signa sacra actuum interiorum: inter quos actus interiores, est prȩcipuus actus charitatis, qui esse non potest nisi proximus propter Deũ diligatur. Si quis enim dixerit, quoniã diligo Deum: & fratrem suum odit, mendax est; qui enim non diligit fratrem suum quẽ videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere? 1.

Exod. 35.

3. Reg. 10.

Augst.

Idem.

1. Ioan. 4.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Ioan. 4. Cum igitur reconciliatio fraterna sit actus charitatis proximi, manifestum est, quòd præcedere debet actum latriæ exteriorem. Et ideo Dominus hîc præcipit, quòd reconciliatio cum fratre, qui aduersum nos habet aliquid prius fiat, quàm munus vel sacrificium Deo offeratur. Vt enim dicit Augustinus 10. de Ciuit. Dei, cap. 5. Quæcunque in ministerio tabernaculi, siue templi, multis modis de sacrificijs leguntur, diuinitus esse præcepta ad dilectionem Dei, & proximi significanda referuntur, ac per hoc misericordiam ad proximum prælatã esse oportet intelligi sacrificio exteriori, quoniam illud quod ab hominibus appellatur sacrificium, signum est veri sacrificij; porrò misericordia verum sacrificium est, & constat quòd reconciliari fratri opus misericordiæ est. Vnde & Apostolus ad Heb. 13. dicit. Beneficentię & communionis nolite obliuisci, talibus enim hostijs promeretur Deus. Et in Psal. dicitur, Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? quasi dicat, non; & subdit. Immola Deo sacrificiũ laudis, & redde altissimo vota tua. Sic ergo prius fratri contra nos habenti aliquid debemus reconciliari, & deinde Domini sacrificium offerre: quia prius debemus Deo offerre rẽ, quàm rei signum. Vnde & hîc dicit Chryso. in Homil. Interũpatur mea cultura, vt tuus amor maneat; quoniam & hæc est hostia ad fratrẽ reconciliatio; quia Deus meus appretiatur honorem, amorem proximi, & hanc maximam æstimat esse hostiam, & si non hic, ideſt amor ad proximum fuerit, nec illam, ideſt hostiam exteriorem assumit. Et in expositione dicit idem. Scire debemus, quòd quamdiu fideles homines aliquam dissensionem habuerint inter se, Deus illis non potest esse amicus; munus eorum non suscipitur, oratio eorum non exauditur, vel si aliquid aliud bonũ fecerint &c. Et infra. Vade primũ & reconcilia re fratri tuo, ego libenter cotemnor, libenter honoris mei patior damnum, & libenter expecto Dominus seruos, tãtummodo vt vos in amicitiã veniatis. Vade ergo, vt scias, quia plus diligo concordiam fidelium meorũ, quàm munera; quia munera hominum, nullum Deo faciunt lucrum: charitas autem illorũ, Dei gloriam operatur. Et propterea Deus qui respicit, prius acceptat cor offerentis, quã munus exterius. Respexit. n. Dominus ad Abel, & ad munera eius, vt dicitur Gen. 4. Vnde & Iob hoc sciẽs, primò sanctificauit filios, & deinde offerebat holocausta per singulos. Vnde si cor offerentis Deus non acceptat: nec munus oblatum per offerentem acceptabit. Vnde & Isaiæ 1. dicitur contra principes iniquos Iudæorum: Quid mihi multitudinem victimarum vestrarũ? plenus sum, holocausta arietũ, & adipem pinguium, & sanguinem taurorum & hircorum nolui. Et caussa subditur. Iniqui sunt cœtus vestri, manus vestræ plenæ sanguine sunt. Quod exponens Hieronymus 1. lib. super Isaiam dicit. Hoc potest accipi de ijs, qui cum Dei præcepta non faciant; donarijs atque muneribus Dominum redimere posse se credunt. Et quia ille, qui iniuriã fecit proximo suo, propter quem commotus est proximus contra eum, cui nõ dum satisfecit; est iniustus, & iniquus, quem Deus odit. Iuxta illud Psal. Odisti omnes qui operantur iniquitatem. Iccirco cum Deus hoc iniquitate eius manente, eum odiat, & non acceptet; manifestum est, quòd nec Deus eius munera acceptabit. Vnde si vult Deo munera grata offerre, primo oportet quòd recedat ab iniquitate, quòd tũc facit, quando reconciliatur. Vnde & in Eccl. 33. dicitur. Dona iniquorum non probat altissimus, nec respicit in oblationibus iniquorum, nec in multitudine sacrificiorum, eorum propitiabitur peccatis. Et super illud Psal. Sacrificium laudis honorificabit me, Dicit Cassiod. Non quale scelerati canunt; sed quale pura mens consuẽuit offerre, ipsum enim sacrificium laudis honorat Dominum, quod puritate fidei, & actione probitatis fuerit immolatũ. Vt ergo prius sit acceptus offerens munus Deo, & deinde eius munera, primò reconciliari debet fratri, & postea munus offerre. Propter ergo præmissa, reconcilatio fraterna præmittitur oblationi muneris ad altare: Vnde & de Antiocho Euparoris, dicitur 2. Machab. 13. Quòd reconciliatus obtulit sacrificium, honorificauit templum, & munera posuit.

Aug. — Heb. 13. — Psal. 49. — Ibidem. — Chryso. hom. 16. — Idem. hom. 11. — Ibidem. — Gen. 4. — Iob 1. — Isai. 1. — Hieron. — Psal. 5. — Eccl. 33. — Psal. 49. — Cassiod. — 2. Mach. 13

SVMMARIVM.

Ponitur tertia expositio, & ostenditur, quòd posito quòd frater quem offendimus non sit contra nos iratus, vel indignatus; tamen nos tenemur reconciliationem petere ab eo, & emendationem offerre, vt sic ei reconciliemur, sicut etiam homines peccatores Deo reconciliantur, cum pœnitentiam agunt, vel eis peccata remittuntur, quæ in eum commiserant.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

VIIII Tertiò modo potest esse, quòd frater noster quem scimus nos offendisse sit placatus, tamen nos ei nondum de offensa, vel iniuria satisfecimus; & sic habet cõtra nos caussam, licet non habeat contra nos rancorem; & isto adhuc modo debemus ire ad eum, antequam munus Deo offeramus, vt ei de offensa, quam commisimus in eum satisfaciamus; & ad nostram amicitiam eius animum reducamus, satisfaciendo de hoc, quod commisimus in ipsum. Sic enim facimus Deo, qui licet in se sit placatus, & non odiat nos, quos fecit: (nihil enim odit eorum, quæ fecit, & regit; & conseruat,) tamen quia nos peccando caussam ei dedimus, quòd contra nos, si eius benignitas pateretur, esset commotus, antequam ei munera offeramus de offensa, quam in eum fecimus, per pœnitentiam satisfacere debemus: Vnde, & Glos. super illud ad Rom. 5. Cum adhuc peccatores essemus, dicit. Ecce dum oderat nos secundum peccata, amabat secundum quòd opus eius eramus; Non enim ex quo reconciliati sumus ei, cœpit nos diligere, sed ante mundum, priusquam omnino aliquid essemus dilexit nos. Quod ergo reconciliati sumus Deo per mortem Christi, non est sic intelligendum; qnasi ideo nos reconciliauerit Christus ei, vt iam incipere amare quos oderat, sicut reconciliatur inimicus inimico, vt deinde sint amici & se inuicem diligant, qui ante se inuicem oderant; sed sic est intelligendum, quòd Deo diligenti nos iam reconciliati sumus, cum quo propter peccatum inimicitias habebamus. Habebat enim ille charitatem erga nos, & cum inimicitias exercebamus aduersus eum operando iniquitatem; quam iniquitatem Christus per suam mortem destruxit remissis peccatis, propter quæ Deus nos odierat, reconciliati sumus Patri. Vnde quando pœnitemus de peccatis nostris, Deo reconciliamur: non quòd ipse ante fuerit iratus, vel turbatus in se, sed quia nos in nos habebamus, vnde & ipse contra nos iratsci deberet. Vnde, & Apostolus 2. ad Corinth. 5. dicit. Omnia autem ex Deo qui reconciliauit nos sibi per Christum; & dedit ministerium reconciliationis, quoniam quidem Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum; & posuit in nobis verbum reconciliationis. Obsecramus pro Christo reconciliamini Deo. Vnde, & si nos fratri nostro iniuriam fecimus, propter quam rationabiliter iratsci contra nos deberet, & si ipse non iratscatur, tamen nos sic ei satisfacere debemus, ac si contra nos commotus fuisset: quia & si non fuit commotus contra nos propter bonitatem suam, tamen nos caussam dedimus commotionis propter iniquitatem nostram, quam commisimus in eum: & ideo habet aliquid contra nos, non quidem iram, sed iræ caussam.

Glos. Rom. 5.

2. Cor. 5.

F G H I K

SVMMARIVM.

Quòd per hoc quòd Dominus dicit, quòd actus offerendi Deo munus ad altare intermittendus est, vt prius reconciliemur fratri habenti aliquid aduersum nos, cum huiusmodi actus maximam attentionem mentis, & acceleration em requirat; ostendit quòd omnes alij actus, qui tantam attentionem, & acceleration em nõ requirunt, intermittẽdi sunt, vt prius fratri reconciliemur, quàm tales actus agamus.

QVibus suppositis circa litterã sunt tali qua cõsideranda, & primò, quòd Dominus ullum tempus, vel spatium tẽporis homini relinquit inimicitias exercendi, quod patet si attendantur circunstantiæ huius præcepti. [*Si offers, inquit, munus tuũ ante altare, & ibi recordatus fueris.*] Cum enim inter illa, quæ requirunt acceleration em, & continuationem actus, sint maximè illa, quæ Deo per nos fiunt, ne propter volubilitatem humanæ mentis, nostra intentio, quam Deus præcipuè respicit, ad alia feratur; si mora in talibus actibus fiat, & in ipsis actibus Deus vult discontinuationem, vt proximo reconciliemur: magis vtique in alijs actibus nostris, qui tantã attentionem, & continuationem intentionis non requirunt, debet fieri discontinuatio, vel cessatio à tempore à talibus actibus, vt nostro proximo recõciliemur. Videmus enim quòd animus noster vix in cogitatione de Deo per pausam modicam stare potest, quin ad cogitandum alia prolabatur. Dicente Augustin. 8. de Trinit. cap. 2. O anima prægrauata corpore, quod corrumpitur; & onusta terrenis cogitationibus multis, & varijs; ecce vides, si potes, Deus veritas est; cum audis veritas est, noli quærere quid sit veritas, statim enim se opponunt caligines imaginum corporalium, & nubila phantasmatum, & perturbant serenitatem, quæ primo ictu diluxit tibi, cum diceretur veritas. Ecce in ipso primo ictu quo velut coruscatione perstringẽs, cũ dicitur veritas, mane si potes: sed nõ potes. Relaberis in ista solita atq; terrena. Quo tandẽ põdere quæso relabe-

X

Aug.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

ris nisi sordium cõtractarum, cupiditatis viſco, & peregrinatio erroribus. Si etiam orare nolumus, ſtatim animus noſter ad alia cogitanda prolabitur ita, quòd vix oratione Dominicã ſine cogitatione alia dicere poſſumus: Propter quod & Dominus infra præcipit, Orantes nolite multũ loqui. Vnde & in collationibus Patrũ dicitur, quòd frequenter, ſed breuiter eſt orandum; ne immorantibus cordi noſtro aliquid inſerere poſsit inſidiator inimicus. Cum ergo in his actibus, qui ſunt ad Dum, continuatio intentionis requiratur, quæ non diu ſtare poteſt in talibus, patet, quòd tales actus, celeritèr, & non moroſè fieri debent; & minus ad alia diuertere debemus, quando ſumus in talibus actibus conſtituti, quàm quando ſumus in alijs actibus, qui ex natura ſua magis continuari poſſunt; propter quod, ſi in talibus actibus diſcontinuatio præcipitur, magis vtique in alijs actibus præcipitur. Ad quod Dominus attendens, ponit exemplum de offerente oblationem Deo. [*Si offers, inquit, &c.*] ac ſi diceret, ſi illud quod accelerationem maximã requirit ne cogitatio mẽtis ad alia trahatur, eſt intermittendum propter fratris recõciliationem; magis vtique omnis actus mundani, qui non requirunt tantam mentis attentionem, & in quibus mens diutius cogitando perſiſtere poteſt, intermittendi ſunt.

Matth. 6.

SVMMARIVM.

Quòd ſi oblatio quæ fit ad altare debet intermitti, vt reconciliemur fratri habenti aliquid aduerſum nos; magis oratio, & contemplatio, quæ ſunt res, quæ in ſecreto fiunt, intermitti debent, vt reconciliemur fratri.

XI

ET bene dicitur. [*Si offers*] & non ſi cogitas, vel ſi ores ſecreto; actus enim exteriores noſtri, quibus Deo ſeruitur, tot cogitationibus noſtris implicántur, quòd vix noſmet ſcimus vnde, vel tot cogitationes dum tales actus facimus habeamus: quia cum tales actus, non ſolũ fiant in conſpectu noſtræ mentis, & quandoq; dæmonum vel Angelorum; ſicut ſunt oratio, & contemplatio; ſed etiam fiant in cõſpectu hominum, ex quibus frequenter vanæ gloriæ, vel multæ aliæ cogitationes vanæ in offerente inſurgunt; ſic illud quòd Deo fit in conſpectu hominum, pluribus vanis cogitationibus noſtris inuoluitur, quàm illud, quod in ſecreto fit. Propter quod, & Dominus infra 6. orationem, ieiunium, & eleemoſinã præcipit

Matt. 6.

A fieri in occulto, ne videantur facientes ab hominibus. Si ergo oblatio quæ fit palàm pluribus vanis cogitationib⁹ magis eſt obnoxia; quã illud ꝙ in occulto fit; Iccirco maiorẽ attentionẽ mẽtis, & celeritatẽ requirit, quàm illa quę in occulto Deo fiũt; ideo ſi in talibus, quæ Deo exterius offeruntur, debet cadere interruptio, propter fratris reconciliationẽ, prius faciendam: magis vtique in alijs actibus interioribus ſicut ſunt oratio, & contemplatio, cadere debet interpoſitio, propter reconciliationem fratris.

B

SVMMARIVM.

Quòd non ſolũ præcipitur, quod reconciliemur fratri, poſtquã munus obtulimus, vel antequã munus offeramus, vel in offerẽdi propoſito ſimus; ſed dũ actu offerimus, & iuxta altare ſumus, vt oſtẽdatur, quòd oblationi, quæ Deo fit ad altare, reconciliatio fratris præferenda eſt.

ET quia maior attentio mentis requiritur, dum offerens eſt iuxta altare, & quaſi in actu offerẽdi quàm alibi; Iccirco non ſolum dicitur, quòd homo intermittat offerre munus ſuum, vt reconcilietur fratri, antequam velit offerre munus; ſed etiam dum eſt in offerẽdo, & propinquus altari, in quo munus offerri debet; vt ex hoc oſtẽdatur, quòd omne aliud intermitti debet pro reconciliatione fratris facienda; cũ munus iam ductum, vel portatũ ante altare ibi dimitti debeat; vt homo recõcilietur fratri ſuo. Vnde, & Chryſo in homel. hîc dicit. Propterea non dicit; Poſtquam obtuliſti, vel antequam offeras, ſed ipſo munere ibi iacente, & ſacrificio principiũ accipiente, mittit reconciliaturum fratri; mõſtrare volens, quod magis appręciatur amorem quàm munus.

C

XII

Chryſoſt. hom. 16.

D

SVMMARIVM.

Quòd ſi dum ſumus in offerendo munus Deo, recordemur quòd frater noſter habet aliquid aduerſum nos, prius debemus ire, vt ei reconciliemur, quàm offerre munus: magis ſi antequam offeremus memores eramus, quòd fratrem offendimus; antequam veniamus ad offerendum munus, ire debemus ad recõciliandum nos fratri; & ponitur differentia inter memoriam, & recordationem.

E

NEc his eſt contentus, niſi etiam dicat, quod ſi dum offerimus munus ad altare, ibi recordati fuerimus, vt oſtendat, quòd ſi tunc recordemur de offenſa fratris, de qua ante nõ recordabamur, dimit

XIII

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

tendum est munus, & eundum est ad fratrem offensum, vt ei reconciliemur; magis hoc faciendum est si antequam offeramus, vel ad offerendũ veniamus; vel etiam antequam offeramus, vel offerre proponamus, recordemur quòd fratrem offendimus, ire debemus prius ad reconciliandũ nos sibi, quàm proponamus offerre, vel eamus ad offerendum, vel etiã offeramus; quia si illud quod iam est in actu, dilationem patitur, magis potest pati dilationẽ illud, quod nondum fit, sed disponitur faciendum. Attendendum etiam, quòd non dixit, quòd si offerimus munus nostrum ad altare, & scimus, vel etiam memores sumus, quòd fratrem offendimus, sed dicit, si ibi recordati fuerimus; memoria enim cum scientia continuationem actus habet, sed recordatio includit intercisionem actus cognitionis, est enim recordatio quando aliquid prius sciuimus, vel de eo memores fuimus, & postea illud decidit à nostra memoria, & deinde per actũ rememorationis reducimus illud ad memoriam nostram, vt enim dicitur in
Arist. libro de memoria & reminiscentia, Cum homo resumit quam prius habuit scientiã, aut sensum, & cuius habitum ad memoriam duximus, hoc est reminisci, vel recordari; & sic ille qui pro aliquo tunc recordatur, licet aliquando sciuerit, vel memor fuerit de illa re, de qua pro tunc recordatur, tamen per aliquod tempus, quod præcedit illud tunc, quo incipit recordari, nec sciebat, nec memor erat de illo de quo incipit nunc recordari. Vnde si dum offerimus ad altare, recordamur ante illud tempus, tunc nesciebamus, nec memores eramus, quòd fratrem offendissemus, & propter hoc venire poteramus ad offerendum bono animo; quia non eramus memores delicti nostri præteriti; sed si nõ veniebamus, vel etiã antequã venire mus ad offerendũ sciebamus, vel eramus memores, quòd fratrẽ offenderamus, nec proponere offerre, nec venire ad offerẽdũ debebamus, nisi prius fratri reconciliaremur. Dona enim iniquorum non probat altissimus, quod Dominus insinuans dicit. Quòd si dum offerimus ad altare, ibi recordati sumus, quòd frater habet aliquid aduersũ nos; prius eundũ est ad recõciliandũ fratri, deinde offerendũ est munus: Ergo magis si antequam offeramus, memores sumus, quòd fratrẽ offendimus, prius eundum est, vt recõciliemur fratri, quàm offeramus munus. Vnde tale est, ac si dicat; quandocunq; memor eris, vel sci ueris te fratrẽ offendisse: vade, & recõcilia re ei, antequam munus Deo offeras.

F

SVMMARIVM.

Quare Dominus dixit, quòd si dum offerimus munus ad altare recordemur, quòd fratrem offendimus, non debemus dictum munus reportare ad domum, nec nostris vsibus applicare, sed ibi ante altare relinquere, & cito ire vt reconciliemur fratri; & ex dicta recõciliatione prius facta, debemus reuerti ad altare, ad offerendum munus nostrum.

G VT autem ostendat, quòd homo nullas moras debet facere ad eundum, vt fratri reconcilietur, non dixit, quòd homo munus referat ad domum suam, vel quòd alicui commendet, vel quòd illud munus non faciat; sed dicit, quòd ante altare relinquat munus suum, & vadat ad reconciliandũ fratri suo citò, & statim reuertatur, ne munus eius per longum tempus ante altare stet in confusionem offerentis. Vnde, & hîc Chrysost. in homeliario dicit. Qui missus est non prius offerre, donec permutetur, & si non propter
H amorem, qui est ad proximum, saltem vt non iaceat imperfectum munus eius, festinabit currere ad cõtristatum, & soluere inimicitiam: & propter hoc dixit. [*Dimitte munus tuum*] & non stetit vsq; ad hoc, sed adiunxit [*Ante altare*] à loco rursus horrorem ipsum inijciens, [*& abi*] & non simpliciter dixit, [*& abi*] sed apposuit primum [*& tũc veniens offeres munus tuum:*] non enim ille qui offert munus, debet dimittere offerre munus, sed recordatus de
I iniuria fratris, debet prius reconciliari, & postea offerre. Oportet enim iudicium misericordiam, & fidem facere; & illa sicut decimas dare, & talia non omittere. Ex hoc enim quòd quis proponit Deo aliquid offerre; non debet postea dimittere, quod offerat Deo; per hoc enim quòd proponit Deo offerre, iam illud in corde suo dat; propter quod Deus, qui cor intuetur, pro accepto habet; & ideo non debet offerens, quod Deo dedit ei auferre: si quis enim voverit aliquid Deo, quod
K immolari potest, Sanctum erit, & mutari non poterit; quòd si mutauerit, & ipsum mutatum est; & illud pro quo mutatum est, consecratum erit Domino, Leuit. vlt. Et ideo si aliquis offerat munus ad altare per hoc quia quod offert, *dominium* rei oblatæ, in Deum tranfert, non debet illud munus reportare ad domum, vel reducere ad proprietatem suam, sed dimittere ante altare, cuius est; sed vt ipse meritum reportet de oblatione sua, postquam reconciliatus est fratri, debet venire, & tũc

XIIII

Chrysost. hom. 16.

Leuit. vlt.

offer-

offerre munus suum. Sic ergo ex prædictis patet, quàm acceptabile Deo opus sit fratri reconciliari, qui habet aliquid aduersum nos; cum magis illud acceptet, quàm munera; & prius vult, quòd fiat, quàm ei munera offerantur; quia nisi hoc fiat, munera ei oblata, non placebunt. Patet etiam quòd opera omnia, etiam quæ maximam mentis attentionem requirunt, sunt intermittenda pro reconciliatione fraterna prius facienda; & quòd quando in memoria venit, quòd frater habet contra nos aliquid, omnibus alijs omissis, properandum est, vt fratri reconciliemur; quæ omnia Dominus denotat per circunstantias huius præcepti, vt supra satis declaratum est.

SVMMARIVM.

Quòd cum Domino offeratur, & substantia exterior, & ipsemet homo exterior, vt Deo seruiat, & actus nostri interiores, sicut sunt deuotio, & contemplatio, quodcunq; istorum, sit, quod quis Deo offerre possit, nihil ei valet, si memor sit, quòd frater habet aliquid aduersus eum, & non prius ei reconcilietur, vel faciat suum posse, quòd ei reconcilietur.

XV

Num. 8.

ATtendendum est autem, quòd munera quæ Deo offerimus, multiplicia sunt. Offerunt enim homines, vnde & Num. 8. dicit. Filij Israel ponent manus suas super Leuitas, & offeret Aaron leuitas munus in conspectu Domini à filijs Israel, vt seruiant in ministerio eius. Offertur etiã munus. Domino de exteriori substantia. Vnde & Gen. 4. dicitur, Factũ est

Gen. 4.

post multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino; Abel quoquè obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum. Et respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Offeruntur etiam munera Domino de interiori nostra substãtia, cuiusmodi munera sunt, oratio, deuotio, & contemplatio. Vnde

Eccl. 50.

Eccles. 50. Populus rogauit Dominum ex celsum in præce, vsque dum perfectus est honor Domini, & munus suum perfeceruntEt hîc Chrysost. dicit in homeliario. Munus, & hostiam, orationem dico, & eleemosinam, siue autem homines in seruitium Dei offerantur, siue etiam nostra interiora, vt orationẽ & deuotionem Deo offeramus; siue etiam offeramus Deo exteriorem substantiam, nihil nobis prodest, si charitatem non habeamus, quę etiã non prodest sine proximi dilectione. Vt

Chrysost. hom. 16.

1. Cor. 13.

& Apostolus 1. ad Cor. 14. dicit. Quòd nec loqui lingua hominum, & Angelorum ad aliorum conuersionem, & habere omnem prophetiam, & notitiã omnium mysteriorum, & omnem scientiam, & fidem, & dare corpus suum vt ardeat; (& hoc quantum ad oblationem sui ipsius;) & dare totam substantiam suam, sine charitate, nihil valet; vnde nec carnis afflictio nec oratio, nec alia opera religionis, nec offerre Deo hostias pro populo, vel labore ad hominum conuersionem, nec dare omnia sua, valent aliquid illi, qui nõ vult fratri quem offendit reconciliari, & reconciliatio fratris omnibus illis debet præponi. Vnde, & hic Chrysost. dicit in homel. Si orationem cum rancore fratris attuleris, melius est dimittere orationem, & ad permutationem venire fratris, & tunc orationem proferre: propter hoc enim omnia facta sunt, propter hoc, & Deus homo factus est; omnia illa est negotiatus, vt nos congreget. Et August. 1. lib. de

Chrysosto. hom. 16.

August.

sermone Domini in monte, dicit. Sana debet esse offerentis intentio, & propterea cum munus offerimus Deo, siue Prophetiam, siue doctrinam, siue orationem, siue hymnum, siue psalmum, siue aliquid tale oblaturi sumus, in corde nostro, hoc est in interiore Dei templo, si in mente venerit, quòd aliquid habeat aduersus nos frater, id est si nos eum in aliquo læsimus, pergendum est ad reconciliandum eum, quia si fortè eum in aliquo læsimus, & lapsi sumus, vnum est remedium, vt supplici animo, veniam deprecemur, quòd quisquis non fecerit, inanis iactantiæ spiritu inflatur. Vnde, & August. in regula

Idem.

dicit. Quicunque conuicio, vel male dicto, vel etiam criminis obiectu aliquem læserit, meminerit satisfactionẽ, quãtotius curare quod fecit: qui autem non vult petere veniam, aut non ex animo petit, sine caussa est in monasterio, etiam si inde non proijciatur.

SVMMARIVM.

Quod si offensus sit æqualis, vel inferior offendẽte offendens debet petere veniam ab eo, & facere suum posse, vt reconcilietur ei; quòd si ille à quo petitur venia ab offendente (dummodo debito modo eam petat, scilicet cum humilitate, & charitate, & paratus satisfacere) & offensus non vult veniam dare, recurrendum est ad eum, qui est Dominus vtrorumq; vt ipse veniam det, & offensus qui non vult veniam dare grauiter peccat, sed si talis offendens non vult veniam petere, grauiter peccat.

XVI

ESt tamen attendendum quod fratrem offendens in verbo, vel facto, vel po-

test

test esse æqualis, vel minor, vel est superior ipso fratre offenso; & siquidem sit æqualis, vel minor, debet ire, vt fratri offenso reconcilietur, petendo ab eo veniã, vel satisfaciendo quãtum possibile est de offensa, & laborare, & facere posse suum, quòd frater offensus sibi reconcilietur; quæ reconciliatio, nihil aliud est, quàm reamicare, id est ad amicitiam, quæ prius fuerat, redire: sed ille qui est offensus tenetur fratri offendenti, & veniam petenti, offensam dimittere, & ad amicitiam pristinam reuocare; quia aliter non esset reconciliatus ei, ille qui eum offendit, nisi esset reamicus; & si offensus frater non vult dimittere offensam fratri veniam postulanti, peccat, & oratio eius non exauditur, nec peccata eius, quibus dominum offendit ei remittentur. Vnde, & in oratione dicimus. Dimitte nobis debita nostra, sicut, & nos dimittimus debitoribus nostris. Et subditur si non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra. Et Augu. dicit in regula. Qui non vult dimittere fratri, in eum peccanti, non speret accipere orationis effectum. Et aliquantulum supra dicit. Quicunque conuitio, vel maledicto, vel etiam criminis obiectu, aliquem læserit, meminerit satisfactione, quàmtocius curare quod fecit, & ille qui læsus est sine disceptatione dimittere. Et sic peccans in fratrem æqualem, vel inferiorem, debet ab eo veniam petere ex corde, & ille qui est offensus debet etiam ei ex corde offensam dimittere. Si vero tantum sit obstinatus offensus, quòd nõ velit dimitte offensam cõtra eum commissam, nec reconciliari veniam petenti: Tunc offendens fratrem debet recurrere ad Dominum, qui est Dominus sui, & alterius offensi, vt ipse ei offensam fratris remittat. Dicente Aug. in quodam ser. de quadragesima, & fraterna concordia. Si dixisti ex toto corde tuo fratri offenso à te vera humilitate, non ficta caritate, quomodo Deus videt in corde; Dimitte mihi; sed ille noluit tibi dimittere, noli esse sollicitus; serui estis, ambo habetis dominum, conseruo tuo debes, noluit tibi dimittere, interpella dominum amborum; quòd tibi dimiserit dominus, si potest exigat seruus. Et eodem modo est agendum, quando frater offensus non potest inueniri, quia fortè nõ est, vel nescitur vbi est, vel multum a nobis distat; quia tunc in proposito, & voluntate, debet habere offendens, quòd veniam ab eo peteret, & ei reconciliaretur, si posset; & quia non potest, recurrere debet ad Dominum, vt ei

Matt. 6.

Aguſt.

Idem.

Idem.

F dimittat offensam, quam fratri fecit. Si vero fratrem habere potest, & non vult ab eo petere veniam de iniuria quam ei fecit, non agit pœnitentiam, sed simulat; nec consequenter remissionem peccatorum, sed peccata sua accumulat. Dicente eodem Augustin. in dicto sermone. Multi sciunt se peccasse in fratres suos, & nolunt eis dicere, dimitte mihi; non erubuerunt peccare, & erubescunt rogare; non erubuerunt de iniquitate, & erubescunt de humilitate: ipsos ergo in primis admoneo, quicunque habetis discordiam, cum fratribus vestris, & reuocatis ad vos, & consideratis vos, & inuenitis vos, non debuisse facere, quod fecistis, nec debuisse dicere quod dixistis, petite veniã fratres à fratribus vestris; facite, nolite erubescere veniã petere; Et in regula dicit Idem. Si dura verba emissa fuerint ex ore vestro, non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta, vnde facta sunt vulnera. Et in Epistola ad Macedonum dicit Idem. Sceleris pœnam cupiunt sibi homines relaxari, & H id propter quod scelus admissum est, possidere: pessimum hominum genus cõmemoras, cui pœnitendi medicina omnino non prodest. Si enim res aliena propter quam peccatum est, cum reddi possit, nõ redditur, nõ agitur pœnitentia, sed fingitur. Si autem veraciter agitur, non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum; & sic inter æquales vel inferiores, offendens debet petere veniam, sed offensus petenti veniam, debet dimittere offensam.

Idem.

Idem.

I

SVMMARIVM.

Quòd si superior, aut dominus vel prælatus offendat iniustè suum inferiorem, verbo, vel facto, non debet ab eo veniam petere, (quia hoc non expedit,) sed per blãda verba, & beneficia debet eum sibi reconciliari.

XVII

SEd si superior, vel prælatus offendat iniustè suum inferiorem, non tenetur ab eo petere veniam, maximè si extimaretur, quòd ex hoc inferior superbiret, vel K disciplina enerùaretur, sed de offẽsa quam fecit subdito suo debet ab eo veniam petere, & etiam fratrem offensum, debet sibi reconciliare, per amicabiles allocutiones, & etiam ministrando subsidia necessaria, vt sic subditus cognoscat; quòd eius superior, eius amicitiam quærit. Vnde dominus non præcipit, quod offendens alium, semper veniam debeat petere, nec quòd semper satisfaciat, sed quòd reconcilietur ei, id est, reamicum faciat offensum. In aliquibus enim offensis non po-

test

test interuenire satisfacio, quia plus perdidit offensus, quàm possit ei reddere offendens, vt puta vitam, vel membrum. Superior etiam non tenetur veniam petere à subdito suo; Dicente August. in dicto serm. Sunt personæ humiles per ordinem seculi huius; à quibus, si petamus veniam extolluntur in superbiam, hoc est quod dico; Aliquãdo dominus peccat in seruũ suum, & tamẽ durum videtur, vt iubeam, quòd si dominus homo peccat in seruum suum, iniustè litigando, iniustè cædendo: dicat illi, agnosce mihi, da mihi veniam, non quia non debet facere, sed nè ille incipiat superbire. Quid ergo faciet dominus? ante oculos Dei pœniteat eum, & si non potest dicere seruo suo, quia nõ oportet, da mihi veniam, blandè alloquatur illum, blanda enim alloctio, veniæ est postulatio. Et in regula dicit idem. Quando necessitas disciplinæ in moribus coercendis, dicere vos dura verba cõpellit, si etiã vos ipsi modum excessisse sentitis, non à vobis exigitur, vt à vobis subditis veniam postuletis; ne apud eos quos oportet esse subiectos, dum nimium seruatur humilitas, regendi frangatur auctoritas; sed tamen petenda est venia ab omnium Domino. Sic ergo non semper offenso fratri, potest fieri satisfactio de offensa, nec semper est, vt reconcilietur ab eo veniã petendo; sed semper est reconciliatio procuranda ab illo, qui eum offendit; propter quod, & Dominus præcipit, reconciliationem, & non satisfactionẽ, vel veniæ postulationem: dicens. [*Vade reconciliari fratri tuò.*]

August.

Idem.

SVMMARIVM.

Quòd si offensus rogatus ab offendente petente veniam ab eo, & offensam & satisfactionem remiserit; melius agit, & ex tunc offendens non tenetur ei satisfacere de offensa, licet teneatur eum diligere; sed si offensus postquam dimiserit offensam, non vult ei remittere satisfactionem, tunc tenetur offendens, ei satisfacere, cum illo modo quo peccauit in eum.

XVIII. VEruntamen, quia per iniuriam verborum, vel facti, aliquis iniurians aufert ab iniuriato quod sibi tenetur reddere si potest: iuxta illud Apostoli ad Roma. 13. Reddite omnibus debita: ideo iniurians debet satisfacere iniuriato, de illo quod abstulit ab eo iniustè, nisi iniuriatus, & offensam animi sui, & debitum, ad quod sibi erat obligatus iniurians, gratis & sponte remittat ei; quod facere potest si vult, cum de suo quilibet dare possit. Et ex quo offensam, & debitum offendi dimisit, offendens non tenetur ei satisfacere, sed benè tenetur eum diligere; iuxta illud quod dicitur Luc. 7. Duo debitores erant cuidam fœneratori, vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta, non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisque. Quis ergo cum plus diligit? Aestimo, quòd is cui plus donauit. Et sic quia maior amicus debet esse iniuriati, cui sine satisfactione, iniuriatus remittit offensam, & debitum, ideo hoc modo melius fit reconciliatio. Vnde Apostolus ad Rom. 12. dicit. Non vos defendentes carissimi; sed date locum iræ, vbi dicit Glossa. Non sitis referientes aduersarios; qui autem expetit satisfactionem referit iniuriantem suum: hoc enim modo Deus iniuriatus per nos remisit offensam sine satisfactione, quia non poteramus ei satisfacere de offensa, quam cõmiseramus in eum, nisi ipse nobis reconciliatus daret gratiam suam, qua mediãte ei satisfacere possemus, non secundum æqualitatem nostræ offensæ; sed secundum possibile. Sed si offensus non vult remittere damnũ, quod passus est ab iniuriante sine satisfactione, tunc iniurians tenetur, & debet ei satisfacere; & illo modo quo ei iniuriam intulit ei satisfacere de iniuria illata, vt si verbo eum offendit, verbo satisfacere debet; si facto factõ; si secretè, secretè; si publicè, publicè; vt pœna proportionetur culpæ: iuxta illud Deuter. 25. Pro mensura peccati, erit & plagarum modus. Vnde & hîc dicit Chrysost. in expositione. Qualis præcessit offensio, talis debet sequi reconciliatio, si cogitatu offendisti, verbis reconciliare; omne enim peccatum, quomodo committitur eo modo & pœnitetur; Et infra: Si verbis læsisti fratrem tuum, vade, & verbis satisfac ex corde, & pœnituisti; si autem operibus aliquem offendisti, puta alicuius caussam fraude abstulisti, aut rem aliquam per violentiam abstulisti, redde ei quòd abstulisti, quoniam abstractæ rei peccatum, rerum representatione dissoluitur. Si autem rem quidem alicuius non tuleris, sed fortè castigasti hominem iniustè, dona ei aliquid pro iniuria dignum, iniuriæ enim peccatum, beneficio est dissoluendum. Alioquin, nisi quem factis lesisti, factis placaueris, sine caussa eleemosynam facis: non enim de rebus quibus alios spoliasti, eleemosynam facere debes; quid enim prodest tibi, si alter oret pro te ad Deum, & alter aduersus te ipsum interpellet? melius est quod si nemini prodes, nemini noceas, quã vt alios spolies, alios vestias. Si ergo offensus non vult dimittere sine satisfactione iniuriam, vel dam-

Rom. 13.

Luc. 7.

Rom. 12.

Glos.

Deut. 25.

Chrysost. hom. 11.

Ibidem.

num

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

num quòd passus est; si satisfacere debet, illo modo quo peccatum est in eum commissum, & sic offendens reconcilietur offenso.

SVMMARIVM.

Quòd si frater offensus est præsens offendenti, vel faciliter adiri potest offendens, debet ire ad eum, etiam pedibus corporis, antequam munus offeratur, sed si multum distet ab eo, debet offendens affectu cordis ante Deum, adire offensum fratrem, & proponere in suo corde, & coram Deo, quòd si multum vellet reconciliari, quo affectu cordis præcedente, potest offerre munus suum.

XIX HOc tamen est intelligendum, quòd non debet prius offerri munus, nisi prius reconciliemur fratri contra nos habenti aliquid, si frater offensus præsens sit, vel in propinquo; sed si multũ absens esset, & non posset faciliter adiri, tunc offendens, qui recordatur se fratrem offendisse, debet coram Deo in corde suo dicere, quòd si frater præsens esset, ei reconciliaretur. Et quòd quãdo eum præsentem habebit reconciliabitur ei; qua intẽtione existente in mente, offerre munus suum potest, quia iam quoad Deum reconciliatus est fratri, qui voluntatem respicit pœnitentis, & satisfacere volentis, si possibilitas adesset sibi. Vnde primo lib. de serm. Domini in monte, hanc partem exponens Augu. dicit. Hoc præceptum, si accipiatur ad literam, fortassis aliquis crederet ista fieri oportere si præsens frater est. Non enim diutius differri potest, cum munus tuum relinquere ante altare iubearis, Si vero de absente (& quod fieri potest) etiam transmare cõstituto aliquid tale veniat in mentem, absurdum est credere ante altare munus relinquẽdum, quod post terras & maria peterrata, offeras Deo. Et ideo prorsus ad spiritalia refugere cogimur, vt hoc quod dictum est, sine absurditate intelligi possit. Debet esse tunc sana offerentis intentio, cum aliquid oblaturi sumus Deo, quòd si in mẽtem venerit, quòd aliquid habeat aduersum nos frater, id est si in mentem venerit, quòd nos fortè fratrem in aliquo læsimus: quòd eamus ad eum, non pedibus corporis, sed motibus animi, vt te humiliter prosternas fratri, ad quem cara cogitatione cucureris in conspectu eius cum munus oblaturus es. Sic ergo ad fratrem præsentem offensum à nobis prius ire debemus, etiam pedibus corporis, quàm munus Deo offeramus. Sed si frater, sit absens, ad eum eundum est, non pedibus corporis: sed affectibus mentis, vt ei quantum in nobis est recõciliemur, prius quàm Deo munus offeramus. Vnde & hîc dicit Remigius. Si præsens est frater offensus, pedibus etiam pergendum est; si vero absens, non est pedibus pergendum, sed celeri mentis affectu, vt humiliter prosternamus nos in cospectu Dei ante fratrem nostrum, & reconciliemur ei, facta verò reconciliatione offeramus munus, quod disposuimus.

Remig.

SVMMARIVM.

Quòd si prohibemur offerre munus nostrum ad altare, nisi prius reconciliati fuerimus fratri quem offendimus, magis vtique prohibemur sacrificare, vel corpus Domini in altari suscipere.

XX VBi etiam attendendum, quòd si munus offerre ad altare prohibemur, dum non sumus reconciliati fratri, magis vtique prohibemur Deo sacrificare, & adhuc corpus Domini, quod est sacrificium nouæ legis accipere; minus enim sacrum opus est munus ad altare offerre (hoc enim quilibet fidelis facere potest) quàm sacrificare, quod solum spectat ad sacerdotes, & corpus Domini sumere, quod est principium, fons, & causa totius sanctitatis. Vnde si prohibemur offerre munera ad altare, magis vtique prohibemur sacrificare Domino, vel etiam corpus Domini sumere. Dicente Bernardo in lib. de præcepto, & dispensatione circa finem. Interrogatis quid cõsulam homini, qui aduersus quempiam commotus fuerit; sed non adeo, vt eum lædere ipse velit, adeo tamen vt libenter accipiat, si quo modo aliunde lædi contigerit. Sit ne videlicet turum, ita commoto accedere ad altare, an se subtrahere interim debeat, donec compescatur commotio? Et respondens quæstioni subdit. Nunquam mihi contingat turbato, ad pacis accedere sacrificiũ, & cum ira & disceptatione contingere sacramẽtum, in quo Deus indubitanter est, mundum reconcilians sibi. Certè non recipitur munus quodcunque meum, quod defero ad altare, nisi antè placato fratre, quem me forte læsisse meminero: quanto minus si me ipsum non placauero prius? Et Chrysost. hic dicit. Per omnia quæ dicuntur monstrat, quòd non suscipit eos qui odiosè se habent adinuicem hæc mensa; audiant docti, & indocti, quicunque ad hanc mensam cum inimicitia aduniunt. Et Augustin. in quodam ser. de dedicatione Ecclesiæ dicit. A conuiuio eter-

Bernar.

Chrysost. hom. 16.

Augus.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

ni regis, id est, ab altari Domini, debet se vnusquisque inuidiæ, vel odij veneno per-
Matt. 14. cussus, iracundiæ furore repletus, cum re-
uerentia, & humilitate subtrahere, propter illud quod scriptum est, Vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc offeres munus tuum. Et iterum, Amice, quomodo huc intrasti, non habes vestē nuptialē? Et illo obmutescente dixit ministris, ligate illi manus, & pedes, & proijciteeum in tenebras exteriores vbi erit fletus, & stridor dentium. Ecce qualem sententiam merebitur audire, qui ad conuiuium nuptiale, id est, ad altare Domini, aut ebriosus, aut adulter, aut odium in corde retinens, præsumit accedere. Vnde, & Apostolus orationem communem præcipit fieri, sine ira dicens 1. Thim. 2. Volo viros orare, in omni loco, leuantes puras
Timo. 2. manus, sine ira, & disceptatione. Vt enim hîc dicit Chryso. in expositione. Quam-
Chryost. hom. 11. diu fideles homines aliquam dissensionem habuerint inter se, Deus illis non potest esse amicus, munus eorum nō suscipitur, eorum oratio non exauditur, vel si quid aliud boni fecerint, quia nemo inter duos inimicos, potest esse fidelis amicus amborum. Ideo, & Deus non vult esse amicus fidelium, quamdiu ipsi inter se fuerint inimici.

SVMMARIVM.

Quòd supra dicta sententia Domini si offers, &c. debet intelligi tàm in leuibus, quàm in grauibus offensis, iniuriosè factis per nos fratri nostro.

XXI ILla autē quæ supra dicta sunt, vera sūt, etiamsi inter se, fideles, ex leuibus causis irascantur, sicut quia vnus contra alium iratus fuit, vel ex ira dixit, Racha, vel etiam fatue. Vt ex hoc insinuet, quòd si fratri maiores iniuriæ, vel damna sunt illata, quòd donec inferens iniuriam, vel damnum, reconcilietur iniuriato, munus eorum non suscipitur. Vnde, & hic Chry-
Chryost. hom. 11. sost. dicit. Si ex ijs leuibus causis vtpotè, quia iratus fratri fuisti, vel dixisti Racha, vel fatue, sinè causa, offenso fratre, & non placato, impossibile est munus Deo offerre, & suscipi; quomodo ante conspectū Dei ingredientur, qui fratres suos conculcant, prædantur, & alia multa in viduis, & orfanis nefanda committunt.

SVMMARIVM.

Quòd quando concordiæ aliquorum sunt malæ, occasionem plus peccandi tribuentes, non est reconciliatio inter eos facienda, sed separatio; E contra vero est, quando concordiæ sunt bonæ, & ad meliora ordinatæ.

XXII ESt tamen attendendum, quòd aliquando inter homines melius est esse discordiam, quàm amorē, quia dum sunt concordes, in malo concordant, per discordiam autem à malo desistunt, & in talibus si discordent, non expedit fieri reconciliatio, imo magis expedit quòd odium sit inter eos, & etiam augeatur, & propter odium quòd est inter eos, non conueniant ad sua peruersa desideria exequenda; Et ideo Paulus dissensionem fecit inter Phariseos & Saduceos, qui conuenerant ad eum occidendum, dicens Act. 23. Viri fratres, ego
Act. 23. phariseus sum, filius phariseorū, de spe, & resurrectione mortuorum ego iudicor; & cum hæc dixisset, facta est dissensio inter phariseos, & Saduceos, & soluta est multitudo. Sic etiam si inter aliquos est amor venereorum, dissensio inter eos est procuranda, & odium, vt ex hoc ab actu libidinoso remoueantur. Quemadmodū & Ioseph dimisso palio in manibus dominæ suæ, quæ eum ad luxuriam excitabat, fugit extra, malens in carcerem detrudi, quàm cum amore libidinoso, cum sua domina remanere, vt patet Gen. 39. Vnde
Gen. 39. si dissensio nata sit inter tales, non est quærenda reconciliatio, vel reamicatio: sed potius dissensio, quia amor talis est malus, dissensio vero, & ira est bona. Vnde,
Hieron. & Hieronymus in Epistola ad Oceanum de vita Clericorum loquens contra quosdam Clericos, & Monachos, qui nimis moniales frequentabant, dicit. Proh dolor nephas est dicere, sed præterire nō decet. Christo istę vouerunt nubere non clericis. Vnde sine nuptijs nouū genus vxorum? Monachum, vel clericum, solitudo facit, non publicum. Quid te virginale delectat alloquium? Quæ si eos quos diligunt viderint, ridentibus oculis, salutationis tenera verba profeunt. Deinde cum salutauerint, si eas Dei viros præterire celerius viderint, contemptores suos iudicant, & irascuntur. Ordinatur deinde satisfactio desertæ; post satisfactionem prandium, quasi noua lætitia disponitur; inter pocula improperant verba contemptus; ille verò lamentari se simulat, quasi peccati genus inducens, quæ tamen mala, vt in pluribus, reconciliatio est. Et in Epistola ad matrem, & filiam
Idem. dicit idem. Fac præcor, quod moneo, vt primum matri, dehinc, si id fieri non potest, saltem fratri reconcilieris. Aut si ista

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

tam cara nomina, matris, & fratris, hoſtiliter deteſtaris, diuidere ab eo iuuene, quem tuis diceris prætuliſſe. Separentur domus veſtræ, diuidaturq; conuiuium, ne maledici homines ſub vno tectulo vos manentes, lectulum quoque criminentur habere communem.

SVMMARIVM.

Quòd Dominus ſciens peccatorum quantitates, & pœnas, eis debitas, ſciens etiam humanam fragilitatem, quę prona eſt ad peccandum, non ſolum peccatis pœnam adhibuit, ſed etiam ſi contingeret homines peccare, medicinam oſtendit, vt ſic ſe à pœna peccatis debita liberare poſſent, qua medicina ſi vti nolunt ad ſananda peccata, inexcuſabiliter in pœnas incidunt.

XXIII ESt etiam intelligendum, quod Dominus ſciens humanam fragilitatem, quæ prona eſt ad iraſcendum, & ad dicendum iniurias proximo, timore pœnæ cohibuit ſupra tales motus iracundiæ, dicens. [*Qui iratus fuerit proximo, reus erit iudicio; & qui iniuriatus fuerit, dicendo Racha, vel fatue, reus erit concilio, vel gehennę ignis.*] Ne omni no videretur ſpem veniæ excludere ab illis, qui taliter iraſcuntur, vel iniuriantur fratribus, ponit remedium, & medicinam, qualiter facere debent illi, qui talia peccata committunt, vt non incidant in futuro in ſupradictas pœnas, dicens, quòd ſtatim, & ſine omni mora, fratribus offenſis reconciliari debeant. Si enim homines ſolum cohiberẽtur à malo culpæ per pœnas, cum frequenter incidant in culpas, vel propter fragilitatem humanam, vel propter impetum paſſionis, vel propter alterius improbitatem, vel propter diaboli inſtigationem; ſi nullum refugium haberẽt; vel non haberent ſpem, quòd pœnas legis euadere poſſent, deſperarent, & ex deſperatione in grauioribus peccatis ſe implicarent, quia iã ſupponerent, quòd damnari deberent propter illa quæ commiſerunt. Dicente Aug. in lib. de natura, & gratia cap. 19. Quidam in peccato prolapſi deſperatione plus pereunt, nec ſolum pœnitendi negligunt medicinam, ſed ad explenda nepharia, & inhoneſta deſideria, ſerui libidinum, & ſceleratarum cupiditatũ fiant, quaſi perdant ſi non fecerint, quod inſtigat libido, cum eos iam maneat certa damnatio. Et ideo quia homines frequenter iraſcuntur, & dicunt alijs iniuriam, quibus dominus damnationem cõminatur, ne deſperent, quando talia commiſerunt; ponit medicinam, per quam poterunt à dictis pœnis liberari, vt iam homo ſit inexcuſabilis, qui nec voluit præcepto Dei obedire tam pœnali, nec poſt peccatum noluit medicina vti, qua tale peccatum remittitur. Vnde, & hic dicit Remigius. Ille medicus cœleſtis, de cœlis ad terras deſcendens, reperit genus humanum ægrotũ; ideoq; illi ſalutaria tribuit monita, quibus ſanaretur, & ideo docuit non iraſcendum, non Racha, nec fatue dicendum. Et quia genus humanum adeo procliuum, & infirmum cognouit ad malum, vt ſemper eius præceptum hoc ſeruare non poſſit: Iccirco ſi quis tranſgrederetur, dedit conſilium reconciliandi, quo ſubleuaretur. Egit namque Dominus in hoc facto medici more. Medicus enim dicit infirmo, abſtine te ab hoc cibo, vel ab illo, quòd ſi contigerit, vt infirmus ſumat cibum ſibi contrarium, mox addit ei ſalutare Antydothum quo ſanetur, quod remedium ſi accipere rennit, meritò moritur; Sic etiam homines iuſtè damnantur, quia peccare non timuerunt, & ſatisfacere de peccato erubuerunt. Vnde, & hîc dicit Remigius. Sciendum quod ſuperbi hoc præceptum Domini implere nõ valent; qui fratres ſuos deſpiciunt, & eos læſos, ad concordiæ paciſq; bonum reuocare nolunt. Et Aug. 1. lib. de ſer. Domini in monte dicit. Quiſquis hoc vnum remedium, vt ſimplici animo veniam depręcetur, non acceptat; inanis iactantiæ ſpiritu inflatur: ſed humiles corde hac medicina vtuntur, quia ſi ex humana fragilitate in talia peccata incidunt, ſtatim hoc remedio vti volunt.

Remig.

Idem.

Auguſt.

SVMMARIVM.

Quòd licet fratri, id eſt, Chriſtiano offenſo reconciliari debemus, & citò, non tamen debemus quærere reconciliationem ab infidelibus offenſis contra nos, vel etiam offenſis à nobis, & maximè hoc non debent facere imperfecti, quia amicitia inter fidelem imperfectum, & infidelem, periculoſa eſt fideli.

K ESt etiam attendendum, quòd hoc Domini præceptum, de reconciliatione fraterna intelligitur inter fratres, id eſt, inter Chriſtianos, qui vnũ Deum patrem habent, vt vnius domus ſunt: iuxta illud Pſal. Ecce quàm bonum, & quàm iocundum habitare fratres in vnum. Et alibi, Habitare facit vnanimes in domo: Sed cum infidelibus, qui fratres noſtri non ſunt, quia non recognoſcunt ſe Deum habere patrem, nec ſunt in vna domo, id eſt, Eccleſia nobiſcum, non præcipitur, quod

XXIIII

Pſal. 132. Idem 67.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

eis reconciliemur, immo à nobis eos ſepa
rare debemus, qui ſunt ethnici, & nō de-
bent intrare templum Domini. Vnde, &
Apoſtolus qui præcipit, quòd ſi mulier fi-
delis diſcederet à marito fideli, deberet
remanere innupta, aut viro ſuo reconci-
1.Cor.7. liari 1. ad Cor. 7. poſtea loquens de con-
iugio infidelium, vnius fidelis, & alterius
infidelis, qui ſibi mutuo non conſen-
tiunt, ſed fidelis vult ſeparari ab infideli:
non præcipit, quòd fidelis coniux quærat
reconciliationem infidelis, ſed ſi fidelis di
ſcedit, diſcedat, & tunc fidelis diſcedens
ab infideli, poteſt nubere alteri; nullo mo
do enim inimicis Dei, amici eſſe debe-
mus, ſed eos debemus odire, Iuxta illud
Pſal.138. Pſal. Nonne qui oderunt te Domine ode
ram? niſi fortè propter amicitiam noſtrā
eos reducere poſsimus, vel ſperemus ad
fidem noſtram; ſed quia hoc non eſt im-
perfectorum, qui faciliter poſſent ſeduci
ab infidelibus, ſed ſolum eſt perfectorum,
Ideo præcipitur in lege, quòd cum infide
libus, fideles amicitia non copulētur. Vn-
Deut.7. de Deut. 7. dicitur filijs Iſrael de Cana-
neis. Non inibis cum eis fœdus, nec mi-
ſereberis eorum, nec ſociabis eum eis con
iugia, filiam tuam non dabis filio eius,
nec filiam eius accipies filio tuo, quia ſe-
ducet filium tuum ne ſequatur me, ſed vt
magis ſeruiat Dijs alienis. Et propter hoc
etiam reprehenſus eſt Ioſaphat, Quia
2.Paral.19 cum Achab impio, & infideli copulatus
fuit amicitia. Cui dicitur 2. Paral. 19. Im
pio præbes auxilium, & ijs qui oderunt
Dominū amicitia iungeris; Iccirco iram
Domini mereberis. Vnde, & hic dicit
Chryſoſt. hom.11. Chryſoſt. in expoſitione. Deus fidem no
bis ſeruans, inimicorum noſtrorum ami-
cus fieri non vult, & nos fidem non ſerua-
mus: ſed inimicos eius diligimus, & ami
cos odimus, qui enim amicus eſt infide-
lium, amicos Dei odit, & inimicos diligit:
Si autem fidem Domino ſeruaremus, ſi-
cut ille nobis, nunquam infidelium ami-
citias celebraremus, nunquā nos in matri
monio cū eis iungeremus. Vnde, & Domi
nus attendens, quòd non infidelibus, ſed
fidelibus offenſis reconciliari deberemus
dicit [*Si recordatus fueris, quòd frater tuus ha
bet aliquid aduerſum te, & poſtea ſubdit. Vade
reconciliari fratri tuo.*] Vnde, & Auguſt. hic
Auguſt. dicit. Apparet de fratre dictum eſſe ſupe-
rius, quoniam ſententia quæ ſequitur, ea
coniunctione connectitur, vt ſuperiora te
ſtātur. Vnde, & Apoſtolus prohibet fide-
2.Cor.6. libus 2. ad Cor. 6. dicens. Nolite iugum
ducere cum infidelibus; quæ enim parti-
cipatio iuſtitiæ cum iniquitate? aut quæ
ſocietas lucis ad tenebras? quę autē con-
uentio Chriſti ad Belial? aut quę pars fi-
delis cum infideli? Quis enim conſenſus
templo Dei, cum Idolis? Vos enim eſtis
templum Dei viui, ſicut dicit Deus. Quo
niam inhabitabo in illis, & inambulabo,
& ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi po
pulus, propter quod exite de medio eo-
rum, & ſeparemini dicit Dominus.

SVMMARIVM.

Quòd in oblatione ſpirituali, debet eſſe templum, id eſt ſanctificatio animæ noſtræ, & altare, id-eſt fides recta, & munus ſpirituale, ſicut ordo, & deuotio, & intentio recta quòd propter Deum hæc fiant, quæ non ſufficiunt, niſi ſit ho mo proximo reconciliatus, quem offendit.

XXV Auguſt. 1.Cor.4. Idem hom.11.

SPiritualiter autem hanc partem Au-
guſtinus exponit primo lib. de ſermo.
domini in monte dicens, quòd per tem-
plum domini intelliguntur fideles, iuxta
illud Apoſtoli. Templum Dei ſanctum eſt
quod eſtis vos. Sed per altare, quod eſt in
ipſo templo, intelligitur fides recta, cuius
ſignum eſt altare viſibile, quia nullum bo-
num ſpirituale valet aliquid, niſi ponatur,
& ſtabiliatur ſuper rectam fidem, quæ eſt
omnium bonorum ſpiritualiū fundamen-
tum. Fundamentum enim aliud nemo po-
teſt ponere, præter id quod poſitum eſt,
quod eſt Chriſtus, id eſt fides Chriſti ſine
qua impoſſibile eſt placere Deo. Vnde &
hæretici fidem non habētes, nihil gratum
Deo offerre poſſunt: ſed per munus intel-
liguntur prophetia, vel doctrina, vel ora-
tio, vel hymnus, aut pſalmus vel aliquid
tale: ſed quia vltra prædicta requiritur re-
cta intentio, quam charitas facit, quæ in-
cludit dilectionē proximi propter Deum;
Iccirco ſi volumus Deo gratum munus of
ferre, iſta quatuor debent adeſſe, ſcilicet,
quòd nos ſimus templum ſanctum Dei, id
eſt mundi à peccatis; ſecundò, quòd habea
mus rectam fidem, quæ eſt altare; tertiò,
quod bona ſpiritualia, ſicut doctrinam, vel
orationem, ſeu rectam fidem Deo offera-
mus; & quartò quòd recta ſit intentio. Vn
de ſi prima tria adſint, ſcilicet, templum,
altare, munus, & etiam recta intētio, quo
ad Deum, ſcilicet, quia propter Dei amo-
rem munus offertur, niſi etiā adſit amor
proximi, non eſt accepta oblatio; ad quod
inſinuandum, hic dicitur, quòd ſi alijs prę
exiſtentibus recordemur, quòd frater no
ſter habet aliquid aduerſum, nos non eſt
munus offerendum, quouſque amor pro
ximi ſit rehabitus. Vnde & in antiqua
tranſlatione dicitur ad Cain. Si rectè offe-
ras quoad prima quatuor, & non recte di

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

uidas, quo ad Dei, & proximi dilectionẽ, peccasti. Sed iam reconciliato fratre, munus spirituale Deo est offerendum, [*quia tunc veniens offers munus tuum.*]

Tractatus sequens protenditur vsque ibi. (audistis quia dictum est antiquis. Non mechaberis, &c.) *continet 36. capitula.*

SVMMARIVM.

Ponitur diuisio, & continuatio, & bona pacis ponuntur, vt pax magis affectuosè cum omnibus hominibus haberi quęratur. Vnde & hîc dominus præcipit quòd cum inimicis & aduersarijs nostris, beneuoli, & pacifici simus quantum in nobis est. Capitulum primum.

I Esto consentiens cum aduersario tuo.] Vbi postquam ostẽdit, qualiter debeamus nos habere ad fratrẽ offensum, vult ostendere, qualiter nos habere debeamus ad aduersarium, vel inimicum. Vnde & hîc dicit Glossa. Glos. Si fratrem læsisti, recõciliare ei; si autem aduersarius extiterit, esto beneuolus, vt fiat amicus. Et iã tria facit. Quia primò ponit præceptum, qualiter nos habere debeamus ad aduersarium. Secundò comminatur pœnam nisi faciamus iuxta præceptum. Tertiò ponit pœnæ acerbitatem, & durabilitatem: secunda ibi. [*Ne fortè tradat te aduersarius iudici.*] tertia ibi. [*Amen dico vobis, nõ exibis inde.*] Dicit ergo [*Esto consentiens aduersario tuo cito, dum es in via cum eo.*] Circa quod attendendũ, quòd inter bona humana, pax, & tranquillitas, est maximum bonum, sicut & discordia, est malum pessimum. Dicente Augustino. 19. lib. de Ciuit. Dei, cap. 11. Tantum est pacis bonũ, vt in rebus terrenis, atque mortalibus, nihil gratius soleat audiri, nil desiderabilius concupisci, postremò nil melius possit inueniri, Et de verbis domini ser. 57. dicit idem. Pax est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, amoris vinculum, consortium charitatis: hæc est quæ simultates tollit, bella compescit, comprimit iras, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat, inimicos concordat cunctis est placita. Et infra. Non poterit ad hæreditatem domini peruenire, qui testamentum pacis noluerit obseruare, Non potest cõcordiam habere cum Christo, qui discors voluerit esse cum christiano. Et ideo quia tantorum bonorum

F pax caussa est, sicut & discordia, caussa est contrariorum malorum: iccirco dominus multum persuadet donum pacis, cum non solum compescit iras, & mandat reconciliari nos illi quem offendimus: sed etiam prȩcipit quòd cum inimicis & aduersarijs nostris cito concordemus, ac etiam conueniamus, ne nobis fortè deteriora contingant. Vnde & Apostolus ad Rom. 12. præcipit dicens. Si fieri potest quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Et cap. 14. dicit. Quæ pacis sunt sectemur, & quæ ad ędificationem sunt inuicem custodiamus. Ad quod attendens dominus post supradicta mandata addit. [*Esto consentiens*] Vnde & hîc Remigius dicit, Hactenus dominus de fratre, nunc incipit loqui de inimico, & aduersario. Et quantum ad literam attinet, Dominus in hac sententia, bonum pacis, & concordię, omnibus commendat: cum velit nos cum omnibus hominibus pacem habere dicẽs. [*Esto consentiens aduersario tuo.*]

Rom. 12. Idem 14. Remig.

SVMMARIVM.

Ponuntur gradus, quibus homo potest de aduersario suo vel inimico, facere amicum: Primò, scilicet, quòd sit ei benignus, nullam scilicet cordis asperitatem habẽs contra eum, vt eum odiat, vel malum eum habere velit. Secundò vt sit ei beneuolus, vt scilicet ei bona velit, & operetur. Tertiò quòd in móralibus virtutibus, cum eo conueniat, & tunc efficitur amicus, vel consentiens, & propter hoc diuersæ literæ in hac parte ponuntur, vt per tales gradus, ad amicitiam cum aduersario perueniatur.

II Est etiam attendendum, quòd in græco vnde translatum est hoc Euãgelium, ponitur per consentiens Ennon, quod interpretatur secundum Hiero. beneuolus, aut benignus. Vnde & hîc Chrysost. in homil. dicit. Sis Ennon, idest bonam mentem habens aduersario tuo. Et secundum hoc, qualiter ad aduersariũ vel inimicum nos habere debeamus, vt eum ad pacem reducamus, exprimitur secundum diuersas interpretationes; verbi gratia; primò enim debemus habere bonam mentem, vel benignitatem ad eum, quæ bona mens vel benignitas, nil aliud est, nisi quòd velimus & optemus ei bonum, & iniuriarum & inimicitiarum eius non simus memores, facientes illud quod dicit Apostolus ad Coloss. 3. Induite vos sicut electi Dei, sancti, viscera misericordiæ, id est affectũ pietatis erga omnes, benignitatem animi, id est ad benefaciendum fitis parati, suppor-

Hieron. Chrysost.

Coloss. 3.

tantes

tantes inuicem, & donãtes vobis metipsis siquis aduersus aliquem habet querelam, id est si alter, alterum offendit, non vindicet sed donet: ita quod inuicem nobis delicta donemus, & pro nostris delictis inuicem oremus, & sic simus benigni aduersarijs nostris, quoniam nullum rancorem, nullam asperitatem mentis, contra eos retinemus. Quo facto incipimus esse beneuoli. Beneuolentia enim est (vt dicit Ambro. lib. de officijs.) Vt largiendo prosis, ne noceas. Et ibidem dicit. Beneuolentia liberalitatem generat, amicitiã parit, in consilijs est fidelis, lęta in prosperis, męsta in tristibus, virtus non mediocris, fons reficiens, lumen indeficiens, à domesticis incipiens, ad ambitũ ciuitatis perueniens Ecclesiam auxit, mores obtulit, fortitudinem in se habet, iram fugat. Beneuolentia enim vt idem dicit 2. de officijs. Studet omnes vincere officijs, amplecti beneficijs, oppignorare gratia. Vnde sicut ad benignitatem pertinet donare querelam, quam habemus contra alium, & non retinere aliquam amaritudinẽ cordis contra eum, ita ad beneuolentiam pertinet, præstare beneficium, & gratiã facere illi, cui beneuoli sumus, volumus enim ei bonum & facimus, quando possumus, non autem adhuc amici eius sumus, licet amicitiam incipiamus. Beneuolentia enim (vt dicitur 9. Ethico.) Non est amicitia, nec amatio, sed est amicitiæ principium, sed si fit diuturna & in consuetudinẽ transeat, fit amicitia. Sed consentire, vel consentientem esse in moralibus, & in ijs quæ spectãt ad vitam virtuosam, idem est quòd amicum esse. Vnde & in eodem loco dicitur. Non est concordare sibi ipsis in eo quod volunt pro se, sed concordare in eodem, quod expedit omnibus. Et infra, Politica amicitia videtur concordia. Est autem talis concordia in ijs quæ epyiches. Isti enim & sibi ipsis cõcordant, & ad inuicẽ, in eisdem existentes, talium enim manent voluntates, & non transfluunt, quemadmodum Euripus, quia volunt iusta, & cõferentia, Hæc autem & communiter appetunt, Prauos autem non possibile est concordare. Vnde esse consentientem, vel concordantẽ, idem est in virtuosis moraliter, quòd amicum esse, amicorum enim idem est velle, & idem nolle, & ita idem simul sentiũt. Sed in sciẽtialibus, non est idem, esse concordem & amicũ, multi enim sunt vnius opinionis in aliqua cõclusione sciẽtiali, qui tamen adinuicem non sunt amici. Sic ergo vt ostendatur, qualiter aduersarij, vel inimici, ad amicitiã reducantur, ponitur in Græco. Ennon, quod interpretatur beneuolus, vel benignus, & interpres latinus, posuit consentiens, quod idẽ est, quod amicus, quia primo rãcor, & amaritudo cordis est tollenda ab eo, qui suum aduersarium vult sibi facere amicũ, quod fit per benignitatem; deinde bona sibi sunt conferenda, & signa amoris demonstranda, quod fit per beneuolentiam, & talia sunt continuanda, vt finaliter illi qui erant inimici, fiant amici, & sibi mutuò consentiãt, & sic erit concordia inter eos facta. Vnde & hîc dicit Glossa. Hactenus de proximo, hîc pacem habere iubet de aduersario, quia si aduersarius tuus extiterit, esto ei beneuolus, vnde fiat amicus.

Ambros. Ibidem. Idem. Aristot. Ibidem. Gloss.

SVMMARIVM.

Ponuntur diuersæ acceptiones Aduersarij, Iudicis, Carceris, Viæ, & Ministri iudicis; & secundum dictas acceptiones, hoc domini præceptum exponitur diuersimodè.

III

ADuersarius autem cui cõsentire debemus, secundum diuersos sanctos, est diuersus. Aliqui enim dicũt, quòd ille aduersarius, est Diabolus; Alij dicũt quòd est homo, & hic vel offendẽs, vel offensus. Alij dicũt quòd est caro nostra. Alij quòd est rationale iudicatorium nostrum, quod ab alijs syndęresis vocatur, Alij quòd est Deus, Alij quòd est præceptũ Dei. Iudex etiam est, vel Christus cui pater dedit omne iudiciũ; vel homo aliorum hominum iudex. Via autem est sæculum præsens; vel via qua itur ad iudicem hominẽ. Ministri autem iudicis, vel est Diabolus, vel carcerarius iudicis. Carcer autem, vel est infernus, vel est carcer temporalis, vel etiam miseria huius vitæ: Quibus visis, videndæ sunt diuersæ expositiones huius sentẽtię.

SVMMARIVM.

Exponitur primo modo hoc Domini præceptum, si aduersarius noster accipiatur pro Diabolo: Via, pro præsenti seculo: & Iudex pro Christo: & Minister pro bono Angelo: & Carcer pro inferno.

IIII

SI enim per aduersarium Diabolus intelligatur, tunc est sensus, quòd dum sumus in vita præsenti, citò debemus consentire cum Diabolo, qui noster aduersarius est. Secundum quod dicitur 1. Petr. vlt. Aduersarius vester Diabolus, tanquã leo rugiens, circuit quærens quem deuoret, ne fortè, si ei non consentiamus, ipse

1. Pet. vlt.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Diabolus tradat nos iudici, id est, coram Christo nos accuset de peccatis commissis, & Iudex, id est Christus, tradat nos ministro, id est Angelo bono, qui nos mittat in carcerem, id est in infernum. Mittet enim Angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem, & mittet eos in caminum ignis, vbi est fletus, & stridor dentium, vt dicitur infra 13. De quo carcere iniqui non egredientur, donec soluant nouissimum quadrantem, id est, nunquam egredientur, quia licet semper soluant pœnas peccatorum, tamē nunquam persoluent, cum eorum iniquitas maneat semper.

Matt. 13.

SVMMARIVM.

Ponuntur obiectiones Augustini, quas fecit contra illā primam expositionem, accipiendo scilicet aduersarium pro diabolo, & postea soluuntur, secundum dicta aliorum.

V Aug. SEd contra hanc expositionem obijcit Augustin. 1. lib. de ser. Domini in monte. Quia (vt dicit) ipsi Diabolo non debemus esse benevoli, vel concordes, vel etiam consentientes: Beneuolentia enim amicitiæ principium est; Nunquam autē cum Diabolo amicitiam facere debemus; concordare etiam non debemus cum eo, quia ei iam renunciauimus in baptismo, & bellum indiximus; nec etiam debemus ei consentire, cum ei consentiendo, in miserias huius vitæ inciderimus. Hic enim aduersarius est ille, de quo dicitur in Psal. Irritat aduersarius nomē tuum in finem. Propter quod, cum eo nullas amicitias, vel conuenientias facere debemus. Sed illi qui dicunt aduersarium, hic Diabolum intelligi, respondentes ad obiectionem Augustin. dicunt. Quòd consentire diabolo, vel concordare cum eo, potest dupliciter intelligi, vel ad eius voluntatem, vel ad cōmodum, & vtilitatem; ad vtilitatem cōsensit homo prius Diabolo, quando fecit quod Diabolus fugesit, quod inutile Diabolo fuit, Consensit etiā Deus Diabolo petenti tentare Iob, & etiam legioni dæmonum petenti mitti se in porcos. Sed ad commodum, & vtilitatē Diaboli consentimus, cum non facimus quod ipse suggerit nobis consulentes eius vtilitati, & nō volūtati; ne si ei consentiremus ad peccatum, maiores pœnas ei cumularemus, cū instigator ad peccatū, debeat esse particeps pœnarū, & quātò plures, & plus peccare fecerit, tantò eius pœna crescit. Et hoc modo exponens aduersarium pro diabolo, cui sic consentire debemus, dicit Ambro. 7. lib. super Lu. cap. 12. Si dum sumus in hac vita, exoluamus nos à vinculis Diaboli, nec propter nos ille dānabitur, & nos à vinculis eius erimus alieni, & ita erimus beneuolentes Diabolo. Bene enim consulis aduersario, si eius laqueis exutus, præstes hanc ei beniuolentiam, vt pœnam tui lapsus, & mortis euadat. Et Remigius hîc dicit. Diabolo consentimus, quando non facimus ea quæ ipse suggerit, ne fortè pro nobis luat pœnas, quoniam quò plures deceperit, eò sibi maior pœna augmentatur, & tunc consentimus ei, quasi ad salutem, vel ad vtilitatem, & non ad votum; nam si ad votum ei consenserimus, eundem habebimus accusatorem, quum habuimus intentorem; & Idem hîc dicit Hieron. Alio etiam modo hāc obiectionem soluit Hieronymus. Quando etiam aliquis est inimicus alterius implacabilis, & implacabilis, si inueniat alium inimicum implacabilem, & implacabilem dicimus, quòd ambo conueniunt, vel consentiunt, id est, Idem sentiunt, non quidem quòd sibi innicem sint amici, sed quia volunt semper discordes esse, & sibi adinuicem inimicari, & ita in hoc conueniunt; & quia Diabolus, continuè vult esse inimicus hominum, & implacabilis; si etiam homo vult ei esse perpetuus inimicus, nō faciendo aliquid, quod Diabolo placeat, sed magis contrarium, cōsentit Diabolo in inimicitijs continuè contra inuicem exercendis; & si hoc fecerimus, semper Diabolo resistendo, fugiet à nobis, & non poterit nos tradere Iudici puniendos, vt fecit Beatus Martinus, qui Diabolo in morte apparenti sibi, dixit. Quid hic astas cruenta bestia? nihil in me funestum reperies, sed sinus Abrahæ lętus me suscipiet; ad quam vocē Diabolus aufugit, quia nihil de suo in eo reperit, per quod eum tradere Iudici puniendum posset. Vnde & hic Hiero. dicit. Quidam hic cautius disputant, dicentes in baptismate, singulos pactum inire cum Diabolo, ei abrenuntiando. Si ergo seruauerimus pactum, benevoli, & consentientes erimus aduersario, & neqnaquam in carcerem recludemur. Sed secundum hanc expositionem, difficilè hæc pars ad superiorem cōtinuaretur, quia superius actum est de reconciliatione cum fratre offenso, hic vero de tali materia nihil ageretur; Nisi forte diceretur, quòd inimicus hominis, vel habens aliquid aduersum nos, (quod idem est quod aduersarius,) est duplex scilicet homo, qui non est implacabilis inimicus, cum de inimico, amicus fieri possit, & de illo præcipitur nobis, quod ei reconcilie-

Pſal. 73.

Iob. 2.

Matth. 8.

Ambro.

Remig.

Hieron.

Idem.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

mur, vel reamicemur. Alter autem aduersarius est Diabolus, qui est implacabilis inimicus, & non fingit se amicum nostrum, nisi vt nos grauius lædat: & ideo huic inimico, implacabiles esse debemus, vt sicut ipse est perpetuus inimicus noster, & nos simus eius inimici in nullo cõsentientes sibi, nisi in perpetuis inimicitijs, mutuò exercendis; & sic facilis esset continuatio: quia postquam ostendit qualiter nos debeamus habere cum aduersario nostro homine; hîc ostendit, qualiter nos debebamus habere cum nostro aduersario Dæmone.

SVMMARIVM.

Quomodo intelligi potest nobis esse præceptum, quod concordemus in via, id est, quamdiu sumus in præsenti sæculo cum Diabolo, non quidem faciendo eius voluntatem, sed sicut ipse habet continuam voluntatem contra nos pugnandi, vt nos subuertat, ita nos etiam habeamus voluntatem contra eum pugnandi, vt nos superare non valeat.

VI

PRæcipitur autem nobis, quòd dum sumus in via cum eo, consentiamus ei, in inimicitijs, & bello continuè exercendis. Licet enim Diabolus non sit in via, quia non est in statu merendi vel demerendi, sed est in termino, tamen nobiscum cum in via sumus ipse est. Vt dicit enim Origenes. Cunctis hominibus duos Angelos adesse legimus; malum, qui aduersa hortatur; bonum, qui optimum persuadet; & hoc durat, dum in vita præsenti sumus, quia sicut possumus bonum facere, ita possumus ad malum declinare. Et ita vterq; Angelus officium suum circa nos habet exercere. Sed post hanc vitam, boni non poterunt ad iniquitatem declinare, nec mali bonum velle, & ideo malus Angelus non appropinquabit, nec erit cũ bonis hominibus, nec bonus cum malis, Vnde, & in Psal. dicitur. Non accedet ad te malum, id est, Diabolus, quod intelligitur post hanc vitam. Vnde, & dum sumus in vita præsenti, & dum aduersarius noster est nobiscum, pugnandum, & resistendum est ei; quia post hanc vitam, finita pugna, & Diabolo superato, non erit necesse quod ei consentiamus in pugna, sed quòd requiescamus, victoria obtenta. Beati enim mortui, qui in Domino moriuntur, ammodo iam dicit spiritus vt requiescãt à laboribus suis. Sed quãdiu sumus in via ei est resistendum, & consentiendum ad pugnam, ne fortè si à pugna cessauerimus, & ei vt nobiscum habitet consenserimus, cõtingat nobis illud, quod legitur filijs Israel contigisse, quando inierunt fœdus cum hominibus terræ Chanaan, Quibus Angelus Domini dixit, Cur hoc fecistis? quamobrem nolui delere eos à facie vestra, vt habeatis hostes, & Dij eorum sint vobis in ruinam. Iudic. 2. Tamdiu enim Clipeus erat tenendus in sublime, donec interficerentur omnes habitatores Hay, Iosuè 8. Verum est tamen, quod hæc expositio extorta videtur, sed quia Sanctorum est (vt iam supra satis deductum est,) repudianda non est; licet aliquæ aliæ subsequentes, magis ad propositum videantur.

Iudic. 2.

Iosue 8.

SVMMARIVM.

Quòd Diabolus, nec bonos, nec malos punire potest quantum vult, sed quantum Deus iudicat puniendos. Et ideo ipse non dicitur peccatores mittere in inferno, vel tradere ministro puniendos; Sed Iudex, id est Christus hoc facit prout demeruerunt.

VII

ESt tamen attendendum, secundũ hanc expositionem, quòd Diabolus etiam in malos, non potest exercere suam crudelitatem, vt vult, sed solum, quantum Deus vult & ei permittit; voluntatem enim nocendi Diabolus à se habet, sed potestatem nocumentum inferendi non habet, nisi quantum Deus permittit. Vnde, & Glosa super illud Apostoli ad Rom. 8. Omnis potestas à Deo; dicit. Malitia hominum cupiditatem nocẽdi per se habet, potestatem autem, si Deus non dat, nõ habet. Et ideo Diabolus, antequam aliquid tolleret à Iob; dicebat Domino, Mitte manum tuam, id est, da potestatem, quia etiam nocentium potestas non est, nisi à Deo. Et 2. lib. moral. cap. 6. dicit Greg. Sciendum quia Sathanæ voluntas semper iniqua est, sed nunquam potestas iniusta, quia à semetipso voluntatem habet, sed à Domino potestatem. Quod enim ipse facere iniquè appetit, hoc Deus fieri non nisi iustè permittit. Vnde bene in lib. Reg. dicitur, Spiritus Domini malus irruebat in Saul; ecce vnus idemq; spiritus, & Domini appellatur, & malus; Domini videlicet per licentiam potestatis iustæ; malus autem per desiderium voluntatis iniustę. Formidari igitur non debet, qui nihil nisi permissus valet; sola verò vis illa timenda est, quæ cum hostem sæuire permiserit peccatori ad vsum iusti iudicij, iniusta voluntas hostis illius sæuit. Vnde nec contra damnatos Diabolus tantum sæuire potest, quantum vult; sed solum quantum Deus iudicat eos esse cruciandos, propter

Rom. 8. Glo.

Iob. 2.

Greg.

1. Reg. 16.

Orig.

Psal. 90.

Apoc. 14.

quod

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

quod non dicitur hîc, quòd ipse aduersarius dat ministro, vel in carcerem mittat, sed dicitur quòd tradit iudici, & iudex ministro: quia Diabolus accusat coràm Christo peccatores. Est enim accusator fratrũ, qui accusat eos ante conspectum Domini Dei nostri die ac nocte, Apoc. 12. Et sic eos Christo tradit, vt accusato tradit reum iudici; Christus autem, secundum quòd eorum iniquitas exigit, damnat eos ad carcerem infernalem ibi puniẽdos, secundum quòd eorum demerita requirũt: Cætera consimiliter, sicut in alijs expositionibus exponentur.

Apoc. 12.

F

G

SVMMARIVM.

Ponitur secunda continuatio, & expositio; si per aduersarium intelligatur homo, quem nos offendimus, cui nisi reconciliati fuerimus in via, tradet nos iudici, vt actor reum, & iudex tradet nos ministro, id est Diabolo crudeli, qui nos in carcerem inferni mittat.

VIII

SI verò per aduersariũ intelligatur homo alium offendens, tunc continuaretur & exponeretur sicut dictum est, [*quòd si frater tuus habet aliquid aduersum te, vade reconciliari ei,*] Sed quia contingit quandoque, quòd offensus, propter iniuriam ei illatam, non facilitèr vult reconciliari offendenti, præcipitur quòd offendens laboret, & det operam, quòd reconcilietur fratri offenso, dũ est in vita præsenti cum eo, ne si non faciat suum posse, offensus tradat eum iudici, per modum quo actor tradit reũ, & iudex tradat eum ministro, & mittatur in carcerẽ. Et hoc modo hanc partem exponit Chrysost. in expositione dicens. Si quandiu in via huius vitæ es, non feceris pacem cum aduersario, quem læsisti, & sic inimicantes, post mortem ieritis ante iudicẽ Christum, tradet te Christo conuicens te reum, iudex tradet ministro, id est Angelo crudeli, & ille mittet te in carcerem gehennæ.

H

Chrysost. hom. 11.

I

SVMMARIVM.

Quòd si per viam in qua sumus cum aduersario, antequam ad iudicem hominẽ veniamus, intelligatur via, qua offensus vadit ad iudicem contra offendentem, expedit offendenti, quòd antequam eius offensio perueniat ad iudicem, concordet cum illo, quem offendit; & offensus potest remittere offensam, & satisfactionem offendenti, quòd facere, iudex, vel minister non possunt dummodo offensus sit in satisfaciendo.

K

IX

VErum est tamen, quòd per viam secundum eundem potest intelligi via, qua itur ad iudicem hominem, vt ille qui passus est iniuriam, conqueratur iudici de iniuriante; per carcerẽ etiam intelligitur materialis carcer; per ministrum autẽ intelligitur commentariensis, vel tortor. Et tunc esset sensus, quòd si aliquid commisisti in fratrem, vel etiam aliquid ei debes, quia tunc frater habet aliquid aduersum te, & pergitis simul ad iudicem, vt ille de te conqueratur, & tu vt te defendas, antequam peruenias ad iudicem, dum es in via eũdo cũ illo quæ læsisti, vel cui damnũ intulisti, conueni cum eo, quia aliter accusabit te coràm iudice, & iudex iuxta legem tradet te commentariensi, & mittet in carcerem te, de quo non egredieris, donec satisfeceris de iniuria, & solueris totalitèr debitum, vltra damnum: & iniuriam, quam patieris carceris; & tamen si conuenires cum illo, quem læsisti, antequã venires ad iudicium, multo facilius & leuius cum illo transires. Et hoc modo exponens hanc partem idem hîc in homil. dicit. A præsentibus facit consilium, quæ grossiores, futuris magis detinere assueuerunt dicẽs. Sis ennon (id est bonam mentem habens) aduersario tuo velociter, & quousque es in via cum ipso, antequã ad ostia venias iudicis, antequam tribunali assistas, & fias iam sub iudicis potestate, ante ingressum enim omnia in te sunt; Si autẽ intraueris ostia illa neque vehementer festinans poteris, quæ secundum te ipsum sunt vt volueris disponere, sub alterius eris ditione; videtur enim mihi de iudicibus, qui hic sunt, dicere, & de via quæ ad hoc iudiciũ, & de carcere isto; frequenter enim ille, qui cum proximo suo læso pro modico cõuenisset cum eo, postquam offensus ad iudiciũ traxerit, non pro modico, imo quandoq; nec pro multo, potest manus iudicis, & cõmentariensis euadere nisi totaliter, & perfectè satisfaciat, & læso vel damnum passo, & rei publicę, quam offendit, dum iniuriam, vel damnũ intulit proximo suo, non enim sunt rogandi iudices, vt non totaliter, passis iniuriam per offendentes satis fiat, dũmodo satisfacere possint, dicente Augu. in Epistola ad Macedonium. Pro illis qui abstulerunt, apud eos qui repetunt magis, quàm apud eos, qui iudicãt intercedere conuenit, ne ipse videatur auferre, qui cum habet potestatem, non cogit reddere. Et infra. Neque apud cor meum (cui testis est Deus) ausim dicere, sentire, decernere, interueniendum esse pro aliquo, vt quod scelere abstulit, sceleris impunitate possideat: Sed,

Chrysost. hom. 16.

August.

Idem.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

vt remissa iniuria, quod iniuriosè abstulit reddat; si tamen habet quod abstulit, vel aliud vnde illud restituat. Vnde iudex debet cogere reum, vt iniuriam passo totaliter (si possibile est) satisfaciat. Vnde, & hîc dicitur, quòd postquam missus fuerit in carcerem, per iudicem, vel ministrũ iudicis, non egredietur inde donec reddat nouissimum quadrantem, id est donec totum debitum soluat. Minister etiam, vel exactor iudicis, non potest aliquid de debito dimittere, vt enim dicit. Origenes.

Orig. Si debitor fuero, mittet me exactor in carcerem nec patietur exire, nisi debitũ omne persoluero: non enim habet exactor potestatem, vt mihi saltem quadrantem concedat; qui enim donat debitori, dominus est; sed, qui exactor est, Dominus non est; & sic dare nõ potest, sed à Domino ad exigendum debita præpositus est. Sic ergo si offendisti fratrẽ, vel ei in aliquo teneris; vade ad eum, & fac tantum, quòd conuenias cum eo, antequam finias hanc vitam; vel etiam antequã peruenias ad iudicem hominẽ; quia ex tunc non reportabis gratiam, sed iudicium, quia offensus, potest remittere offensam, & debitum relaxare; Iudex autẽ vel minister eius, hæc non possunt facere, sed solum debitum exigere.

SVMMARIVM.

Quòd si per aduersariũ intelligatur homo qui ab alio passus est offensam, si offendens eum roget pro venia obtinenda, statim dum est in vita præsenti, remittere ei debet offensam; ne forte si hoc non fecerit, sed odium retinuerit, quam diu viuit contra offendentem, offendens post hanc vitam tradat eum Christo puniendum.

X SI verò intelligatur de homine offenso, vel damnum passo, tunc continuaretur & exponeretur sic. Dictum est supra, qualiter offendens aliquẽ, debet ire ad illum, quem offendit, vt eidem reconcilietur, sed quia contingit, quòd passi iniuriam, vel damnum, nolunt facere pacem, cum illis qui eos offenderunt: iccirco nunc eis præcipitur quòd ex quo aduersarij eorum petunt, & rogunt, vt reconcilientur eis: ipsi debent in hoc citò consentire, & facere pacem cum ipsis; & si reconciliari nolunt offendentibus eos, cum ipsi offendentes fecerint quod in eis est, vt reconciliarentur offensis, & propter hoc à Domino absoluantur; postea quando sic venient coràm Deo, offẽdẽtes accusabũt offensos, quia eis reconciliari noluerũt: & propter tale odium fraternũ, Christus mittet eos in carcerem inferni, de quo nunquam exibũt. Et sic hæ tres partes simul iũctæ, omne odium & rancorem inter homines eradicant, & ad pacem, & amicitiam eos reducunt. Vt enim non possit odium generari, præcipitur primo, quòd frater fratri non irascatur, nec iniuriam verbalem, & perconsequens minus facti, vnus alteri inferat: Secundò, si ita processum est, vt fortè sit facta iniuria fratri verbo, vel facto; præcipitur iniurianti, quòd dimissis omnibus alijs, vadat ad fratrem iniuriatum, & reconcilietur ei: Tertiò præcipitur iniuriam passo, quòd iniurianti, volenti reconciliari sibi, statim consentiat, & iniuriam remittat; & si hæc fierent, nunquam odium fraternũ inter homines esset quod nihil aliud est, nisi ira inueterata.

SVMMARIVM.

Quòd si offendens ab offenso veniam petat, & ille dare recuset; offendens damnationem imponat offenso, quia noluit petenti veniam dare.

XI D Icitur autem, quòd nisi offensus offendenti petenti reconciliari, in hoc consenserit, [*quòd offendens tradet eum iudici, & iudex ministro &c.*] Si enim offendens fecerit suum posse, quòd reconcilietur offenso, & ille non vult, offendens congregat carbones ignis, id est damnationem æternã, super caput offensi: iuxta illud Prouer. 25. Si esurierit inimicus tuus, Prou. 25. ciba illum: & si sitit da ei aquam bibere, prunas enim cõgregabis super caput eius. Quod exponens hic Chrysost. dicit. Tradet te iudici aduersarius tuus, si te prius rogauerit ille. Dicit enim Salomon. Si esurierit inimicus tuus &c. Congerere autẽ carbones ignis, quid aliud est, nisi magis reum facere eum ante Dominũ? Si ergo, qui benefacit inimico, magis illum reum facit ante Deum, consequẽter & qui prius rogat inimicum suũ, reum illum facit ante Deum. Et Aũgust. in quodam sermone, de diligendis inimicis dicit. Spes alia nobis non est, nisi dimittamus quicquid læserint nos homines. Et infra. Ad remissionem omnium peccatorũ, si substantia terrena non fuerit, charitas, & dilectio inimicorum, satis, abundèq; sufficiunt: quòd si non fecerimus, nulla nobis excusatio de hac re in die iudicij remanebit, nec dicere aliquis poterit, non se habuisse vnde peccata sua redimeret, & secundum hoc de fratre offenso intelligeretur, quod si consentire nollet offendenti vt ei reconciliaretur, tradendus erit iudici Christo, & ponendus in carcerem inferni.

Chrysost. hom. 11.

August.

Ibidem.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

SVMMARIVM.

Quòd si offensus sit pauper, & debilis, & offendens sit dives, & potens; expedit offenso reconciliari prius offendenti, quàm si per offendentem, ad iudicium trahatur, quia tunc plura mala poterit sustinere quàm ante passus fuerit.

XII VErum est tamen, quòd etiam isto modo adhuc exponi posset, secundum Chryso. de iudice homine, & carcere temporali. Contingit enim quandoque quòd offendens est homo potens, & dives; offensus autem est homo simplex, & pauper. Et si potens, & dives perpendat, quòd pauper offensus eum odiat, vel vindictam de eo appetat: fortè pro vna iniuria quam intulit, infert multas, nec hoc est contentus, nisi etiam iniuriosè, & sine causa ad iudiciũ eum trahat, vt totaliter eum destruat: iuxta illud Iacobi 2. Nonne diuites per potentiam opprimunt vos, & ipsi trahunt vos ad iudicia? qualiter fuit oppressus, & ad iudicium mortis adductus Nabot per Iezabel 3. Reg. 21. Quod cum cõtigit, melius est pauperi offenso, quòd humiliter quærat reconciliari diuiti, quàm si ille commotus contra eum, ad iudicium eum trahat, & in carcerem mitti faciat; quia tunc maiora mala tolerabit, & melius est sustinere vnum damnum, quàm multa. Vnde super illud ad Ephe. 5. Redimẽtes tempus, quoniam dies mali sunt; dicit Glossa. Quid est redimere tẽpus? ille tempus redimit, qui dat de suo vt vacet Deo, non litibus. Sic ergo perde de tuo, vt emas tibi quietem; & sic iniuriam acceptam debet remittere homo, ne vacet litibus, vel ne plus per potẽtiã maligni opprimatur: frequenter enim auditur dives iniquus, contra pauperem iustum, & antequã possit videri pauperis innocentia, pauper est valdè oppressus. Vnde & hic Chrysost. in homil. dicit. Ne dicas, quid igitur si iniusta patiar, quoniam potentior est, & iniusta mihi faciet? Et respondens subdit. Itaque tibi magis iniusta faciet, si non dissolueris inimicitiã, quia cogeris ad iudiciũ venire, & hoc maximè debes effugere, tũc enim rebus exutus corpus habebas liberũ, sub sentẽtia aũt iudicis veniẽs in vinculis detruderis, & vltimã dabis vindictã; si aũt effugeris inimicitiã, quę illic est, duo fructificabis bona, & nihil pati turpè, & tuam effectam esse directionem, & non amplius violentię illius. Si autem nolueris credere ijs quæ dicuntur, non illi iniusta facis tantum, quantum tibi ipsi. Et sic hæc pars exponeretur, si nomine aduersarij intelligeretur homo, vel offendens, vel offensus; & huic sententiæ videtur hîc Hieron. concordare dicens. Ex præcedentibus manifestus est sensus, quòd dominus nos ad cõcordiam proximi cohortatur. Nam supra dictum est. [*Vade reconciliari fratri tuo.*] Et postea subditur. [*Esto consentiens.*]

Iaco. 2.

3. Reg. 21.

Ephe. 5.

Glos.

Chrysost. hom. 16.

Hieron.

SVMMARIVM.

Ponuntur obiectiones Augustini contra istam expositionem, in qua per aduersarium intelligitur homo, vel offendens, vel offensus; & soluuntur.

XIII Sed contra hanc sententiam obijcit Augustinus 1. lib. de sermo. domini in monte, dupliciter: Primò cum omnes homines præsentandi sint antè tribunal Christi in iudicio, vnus homo alium non præsentabit, vel tradet iudici, sed quilibet per se, & pro se tradetur & præsentabitur: dicitur tamen hîc, [*quòd aduersarius, tradet nos iudici,*] & sic non videtur, quod de homine aduersario nostro hæc sententia intelligatur: Et propterea, hîc dicitur, [*quòd consentiamus aduersario nostro cito, cum simus cum eo, in via*] id est cum sumus cum eo in vita præsenti, quia si non consenserimus dum sumus cum eo in vita præsenti, ipse aduersarius tradet nos iudici, & iudex mittet nos in carcerem. Et si videtur quòd si aduersarius moreretur antequam conueniremus cum eo, quòd omnino in carcerem mittendi essemus, id est in infernum; & quòd nulla pœnitentia huius mundi, peccatũ deleri posset, quod tamen omnino falsum est. Ad quę obiecta, si sententia præcedens teneatur, scilicet, quòd pro aduersario intelligatur homo noster inimicus, potest respõderi sic. Quia ad primum dicitur, quod tradere aliquẽ iudici, duobus modis intelligi potest; primò, vt eum iudici puniendum representet, vel ad iudicem ducat, etiam inuitum; & isto modo vnus homo non ducet alium ad iudicium, sed omnes homines simul ad iudicium Christi præsentabuntur: Et hoc modo loquitur Augustinus. Alio modo tradit aliquis aliquem iudici, eum accusando, vt iudex eum puniat de offensa, quam fecit in proximum: Et hoc modo, homo potest tradere aliũ iudici homini, vel etiam Deo ad puniendum. Vnde & Iudic. 20. dicitur. Tradite homines de Gabaa, qui hoc flagitium perpetrauerunt, vt moriantur. Et infra 10. dicitur, Tradent vos in concilijs, & in synagogis suis flagellabunt vos. Et infra, Tradet frater fratrẽ in mortem, & pater filium, & insurgent

August.

Iudic. 20.

Matt. 10.

Ibidem.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

filij in parentes, & morte eos afficient. Et hoc modo loquuntur alij sancti de traditione ista. Vnde & hîc Chrysost. dicit in homil. Si inimicantes per mortem ieritis ante iudicem, tradet te Christo, conuincens te reum in iudicio eius. Ad hoc potest dici, quòd licet aduersarius noster, vel inimicus mortuus fuerit, antequam conueniamus cum eo, non propter hoc denegatur nobis pœnitentia, quia intelligitur quòd debemus properare ad reconciliandum ei, quem offendimus, ante quam moriatur: sed si morte inimicus noster præuentus est, Deus qui cor inspicit nostrum, & est dominus nostri aduersarij, pœnitentibus nobis, eo quod aduersarium læsimus, & volentibus sibi satisfacere si possibile esset, peccatum nobis dimittit. Et propter hoc secundum Glos. hîc dominus dicit, [*quòd consentiamus cum aduersario nostro cito dum est in via nobiscum, ne forte tradat nos &c.*] id est: Sic temperauit vt pœnitentiæ locum non auferret, putaretur enim quòd si obijsset aduersarius, & non posset ei in via esse beneuolus, necessario iudici traderetur: sed locum pœnitentiæ relinquit, & impœnitentem iudici tradit: dicens, [*ne forte tradat te.*] Et sic pœnitẽtia non negaretur, vel infructuosa esse diceretur, si noster aduersarius obijsset; quoniam ei reconciliaremur, sed quia facilior est remissio peccati, dum homo offensus remittit offensam illi qui eum offendit, quàm quando offenso mortuo homo petit à Deo sui peccati dimissionem, quia offendit fratrem mortuum: Iccirco dicitur, quòd consentiamus cũ eo citò dum sumus in via cum eo; si vero nos contingat mori, habentes inimicitias cum fratre, quem iniustè offendimus, & non sumus ei reconciliati in vita: tradendi sumus iudici &c. & isto modo hæc sententia exponeretur, si pro aduersario inimicus noster, scilicet, alter homo intelligeretur. Vnde Luc. 12. hæc sententia sic ponitur. Cum vadis cum aduersario tuo ad principem, in via da operam liberari ab illo; quasi dicat secundũ Theophylatum. Cum trahitur aduersarius ad iudicium omnibus modis excogita vt absoluaris ab illo, & si nihil habeas, mutuò accipe, vt absoluaris ab eo, ne te coràm iudice conueniat.

Chrysost. hom. 11.

Glo.

Luc. 12.

Theoph.

SVMMARIVM.

Quòd si pro aduersario caro intelligatur, quæ spiritui aduersatur, ponitur tertia expositio, & ostenditur, quòd spiritus carni dupliciter concordat, vel ad voluntatem sequendo scilicet carnis desideria, vel ad vtilitatem eius procurando gloriam: prima concordia est mala, & secunda bona.

A

B

C

D

E

SI vero aduersarius intelligatur pro carne nostra, vel sensualitate, quæ spiritui, vel rationi aduersatur, Iuxta illud Apostoli ad Rom. 7. Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati. Et ad Gal. 5. Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem, hæc enim sibi inuicem aduersantur. Tũc duplex sensus huius sententiæ esse posset; primus, quia hoc præceptũ daretur spiritui, vel rationi; scilicet quòd carni, vel sensualitati suæ consentiret, dũ sumus in vita præsenti; & hoc dupliciter intelligi potest: Primò, vt consentiret ei ad voluntatem, vt scilicet desideria carnis, vel sensualitatis, spiritus, vel ratio perficeret; nec in aliquo carni, vel sensualitati resisteretur; & hoc modo intelligendo non est diuinum præceptum, sed contrarium Deus præcepit. Dicente Apostolo ad Rom. 7. Qui in carne sunt, Deo placere non possunt, id est, secundum Glos. Qui post concupiscentias carnis eunt, & carnis voluptatibus delectãtur, Deo placere non possunt. Et infra. Si secundum carnem vixeritis moriẽmini, si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Et ad Gal. 5. dicitur. Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & cõcupiscentijs. Et Aug. 1. lib. de ser. Domini in monte, hanc sentẽtiam exponens dicit. Multò minus video quomodo beneuoli, vel concordes, vel consentientes carni esse iubeamur: Magis enim peccatores amant carnem suam, & concordant cum illa, & consentiunt ei. Qui verò eam seruituti subijciunt, non ipsi ei consentiunt, sed eam sibi consentire cogunt. Et ita non præcipitur nobis, quòd consetiamus carni, eius desideria perficiendo: imò contrarium, scilicet vt eam seruituti spiritus subijciamus. Si vero consentire carni dicatur non ad eius voluntatem, sed ad eius vtilitatẽ, tunc ille cõsentit carni suæ, qui eã spiritui subijcit, quia bonum carnis est, quòd spiritui subijciatur, sicut bonũ spiritus est, quòd Deo subdatur, quia per hoc quòd caro spiritui subditur, & spiritus Deo, procuratur, & agitur carnis beatitudo, quam cõsequetur spiritui subdita, quando mortale hoc induet immortalitatem, & incorruptibile hoc induet incorruptionem, & sic Sancti, qui suã carnem crucifigunt, cum vitijs, & concupiscentijs, sunt beneuoli, concordes, & con

XIIII

Rom. 7.

Gal. 5.

Rom. 7. Glos.

Rom. 7.

Gal. 5.

August.

V 3

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

sentientes carni suæ, quia faciunt, vt ipsa perueniat ad suã beatitudinem. Vnde, &
Bern. Bern. 6. ser. de Aduentu Domini dicit. Patere nunc corpus, vt carni suę pro se laboret, magis etiam collabora ei, quia si compateris, & conregnabis. Quantum eius impedis reparationem, tantum impedis tuam: quod nimirum ante reparare nõ poteris, donec suam in anima Deus videat imaginem reformatam. Et infra,
Ibidem. Noli ergo ò corpus, noli impedire reconciliationem illam: quoniam grandis tibi exinde gloria præparatur. Patienter, immo & libenter temetipsum expone ad omnia, nihil dissimules quod huic videatur reconciliationi posse prodesse, quod si feceris, anima dicet Deo pro tẽ. Hic omnia sua, dehinc, etiam semet ipsum exposuit vtilitatibus meis, non parcens sibi propter me, in ieiunijs multis, in laboribus frequenter, inuigilijs supra modum, in fame, & siti, in frigore, & nuditate, & tũc Deus retribuet carni suam beatitudinem, pro eo, quia spiritui Deo subiecto, dum fuit in præsenti vita, concors, & consentiens fuit, & spiritus ipsi carni, sic domitæ & obedienti; hoc enim modo in omnibus virtuosis, voluntas, & sensualitas, consentiunt sibi, quia, & si aliquando sensualitas propter corruptionem præfatã spiritui dissonat, tamen quia non rebellat, sed statim sub freno rationis se ponit, non dissentire simpliciter, sed magis consentire probatur, & si dum sumus in præsenti vita, sic non consentimus carni, caro tradet nos iudici, id est, accusabit spiritum, quia ipsam compescuit ad vtilitatem amborum, cum ipsa parata esset ei obedire, & ipse adiutus Dei gratia, poterat eam sibi subdere, vt amborum vtilitas, sic procuraretur.

SVMMARIVM.

Reprobatur ista positio, quæ dicit quòd per aduersarium nostrum, intelligatur caro nostra peccatis; quia spiritus noster carni aduersatur, vel etiã si dicatur, quia caro nõ aduersatur nostro spiritui, sed Spiritui sancto, à quo iudici, id est Christo est tradenda.

XV SEd quia non solum spiritus, sed etiam caro malorum hominum est tradenda in carcerem; non videtur, quòd caro spiritum tradat, cum seipsam sic in carcerem intruderet; & videtur hæc series literæ, quòd alter sit ille, qui traditur carceri; propter quod licet alia possent conuenire literæ, iuxta hanc expositionem; tamen hoc videtur dissonare, propter F quod non videtur iste sensus congruus esse. Sed si hoc præceptum detur carni, vt consentiat spiritui aduersario suo, nè forte tradatur in carcerem, magis videtur esse sensus huius sententiæ congruus; caro enim nostra, non est præcepti diuini capax. Iuxta illud Apostoli ad Rom. 8. Sapientia carnis inimica est Deo; legi enim Dei non est subiecta, neque enim potest. Et præterea spiritus non consentientem sibi carnem, non tradet iudici puniendã, sine seipso, cum spiritus possit puniri sine G carne, caro autem sine spiritu puniri non possit. Et propterea non imputatur aliquid carni ad peccatum, nisi ratione spiritus; & ideo, quia spiritus causa est peccati, non habet carnem tradere iudici, si ei caro resistat, sed vtrumque puniri habebit. Vnde, & Hieron. hîc dicit. Quo-
Hieron. modo caro mittenda est in carcerem, si anima non consenserit, cum, & anima, & caro, pariter recludendæ sint, nec quicquam possit caro facere, nisi quod animus imperauerit, & sic non videtur, quòd H pro aduersario spiritus nostri, caro nostra peccati accipi possit; nisi fortè diceretur, quod spiritus cui aduersatur caro, non est spiritus noster, sed spiritus Dei, scilicet Spiritus sanctus; & secundum hoc præciperetur carni, quòd consentiret Spiritui sancto, ne fortè non consentientem Spiritus sanctus tradat eam iudici, id est Christo, & Iudex tradat eam ministro, vt in carcerem mittatur. Sed solum obsistit huic expositioni, quòd tota Trinitas est iudex, licet in iudicio persona filij in humanitate assumpta apparere debeat: sed I tamen sententiæ executio, à tota Trinitate fiet. Vnde non videtur quòd Spiritus sanctus, qui est iudex, tradat carnem sibi non consentientem iudici, cum sic traderet sibi ipsi, dicente hîc Hieron. Quo-
Ibidem. modo esse potest, quòd Spiritus sanctus habitans in nobis, carnem sibi repugnantem iudici tradat, cum ipse sit iudex? Licet faciliter hæc obiectio solui posset, vt infra dicetur, quãdo pro aduersario, Deus intelligetur.

K

SVMMARIVM.

Ponitur quarta expositio, si accipiatur pro aduersario cõscientię, peccatorum remorsus, vel Syndęresis, cum qua debemus concordare, dum sumus in vita præsenti, dimittendo peccata, vt pacem nostræ conscientiæ habeamus; quòd si non fecerimus, nostra conscientia coram Deo, in futuro sæculo accusabit, & testimonium contra nos feret, quo condemnabimur.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

XVI Si verò pro noſtro aduerſario, intelligatur vel remordens peccatorum conſcientia, vel etiam ſyndereſis ipſa, quę ſemper malo peccati remurmurat: Tunc eſt ſenſus, quòd dum ſumus in vita præſenti, concordemus cum conſcientia noſtra, peccata dimittendo, & pœnitentiam faciendo, ne ipſa conſcientia, nos coram Chriſto accuſet, & contra nos teſtificetur, vt ſic in carcere includamur. Et hoc modo hanc ſententiam exponit Ambroſius lib. 7. ſuper Luc. cap. 12. dicens, Nemo nobis magis aduerſarius quàm noſter eſt lapſus, qui nos vitæ noſtræ accuſat indicijs non quòd accuſationis illius iudex futurus quærat officium; ſed quòd apud omnium cognitorem noſter nos actus accuſat, dum ab uſu virtutis apoſtoliciſq; præceptis inuenitur alienus. Itaque aduerſarius nobis eſt omnis vitiorum vſus, Aduerſaria nobis libido, aduerſaria auaritia, aduerſaria omnis improbitas, aduerſaria omnis iniqua cogitatio, omnis denique mala conſcientia, quæ nos, & hîc afficit, & in futurum accuſabit & prodet, ſicut teſtatur Apoſtolus dicens, Teſtimonium reddente illis conſcientia illorum, & inuicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus. Quòd ſi conſcientia vnumquemq; prodit; quanto magis geſtorum noſtrorũ opus ante Dominum præſto eſt, quod expreſſum in noſtro corpore, vltimo tempore recenſebitur, & ſecretum cogitationis ſcriptum in cordibus noſtris legetur? Demus igitur operam vt dum in hoc ſumus vitæ circulo conſtituti, tanquam à malo aduerſario, ita ab improbo liberemur actu, ne dum imus cũ aduerſario ad magiſtratũ in via, noſtrum condemnet errorem; de quo aduerſario dicitur Sap. 4. Venient in cogitatione peccatorum ſuorum timidi; & traducent illos exaduerſo iniquitates eorum.

Ambroſ. Rom. 2. Sap. 4.

SVMMARIVM.

Ponuntur obiectiones contra iſtam quartam expoſitionem, & ſoluuntur.

XVII Sed ſi ſic pro aduerſario cui iubemur cõſentire dum ſumus cum eo in via, intelligatur conſcientia peccati, vel malus actus mordens conſcientiam operantis, dubium eſt, quia conſcientia peccantis, vel peccatum cum operante peccatum, in carcerem mittentur. Vnde licet accuſet conſcientia, tamen, quia conſentit iniquitati, ſimul damnabitur cum operante iniquitatẽ. Iuxta illud Sapien. 14. Similiter odio ſunt Deo impius, & impietas eius. Etenim, quod factum eſt: cum illo qui fecit tormenta patietur, & ſic non videtur quòd licet conſcientia accuſet coram iudice, quod tãtum in carcerem nos mitti faciat, cum & ipſa cum peccante in carcerem mittatur. Et videtur quòd ſic aduerſarius accuſet nos, & faciat quòd in carcerem mittatur, quòd tamen ipſe nobiſcum in carcerem non mittatur, quia videtur loqui dominus de aduerſario, & de nobis tanquam de duabus perſonis diſtinctis. Licet etiam hæc obiectio ex ſupra dictis ſolui poſſet, quia nõ dicitur hîc quòd aduerſarius, non mittatur in carcerẽ, ſed dicitur ſolum quod tradet nos iudici. Benè autem poſſibile eſt, quòd tradens aliquem iudici, cum illo qui tradidit, ſimul in carcerem mittatur per iudicem, maximè quando inuenitur, quòd ambo ſunt criminoſi, & eiuſdem peccati commiſſores. Vnde licet conſcientia peccati accuſet coram iudice peccantem, tamen quia ipſa peccauit, ſimul cum peccãte punitur, & ſic conſcientia, & peccans, habent vim duarum perſonarum, quia conſcientia accuſat peccãtem, & ſunt vna perſona in reque commiſit peccatum, & ſic ſimul damnabuntur. Dicente Auguſt. 12. lib. de Trinit. cap. 12. Non ſicut in illis duobus primis hominibus per perſonam ſuam quiſque portabit, & ideo ſi ſola mulier cibum illicitum ediſſet, ſola vtique mortis ſupplicio plecteretur; ita in vno homine peccãte dici poteſt, quod ſenſualitas ſine ratione damnetur, Hæc quippe vna perſona eſt, Vnus homo eſt, totus damnabitur.

Auguſt.

SVMMARIVM.

Ponitur quinta expoſitio, ſi nomine aduerſarij Deus intelligatur, cui debemus concordare dum ſumus in via, id eſt in præſenti vita, faciendo quod præcipit: quòd ſi non fecerimus, tradet nos iudici, id eſt homini Chriſto, cui pater omne iudicium dedit.

XVIII Si verò per aduerſarium noſtrum intelligatur Deus, de quo dicitur Exo. 23. Inſontem & iuſtum non occides, quia aduerſor impium; & Deuter. 25. Abominatur eum dominus qui facit hoc, & aduerſatur omnem iniuſtitiam: Tunc eſt ſenſus, quòd dum ſumus in vita præſenti, quãdo Deus nobis propinquus eſt per miſericordiam, conſentiamus ei, faciendo eius mandata, ne fortè poſt mortem, Deus tradat nos iudici Chriſto, cui pater omne iudicium dedit, & propter noſtram culpam in carcerem inferni mittamur. Et hoc modo hanc ſententiam exponit Auguſt. 1. lib. de

Exo. 23. Deut. 25.

ſerm.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Augustin. serm. domini in monte dicens. Fortasse iubemur Deo consentire, & illi esse beneuoli, vt ei reconciliemur à quo peccando recessimus, vt aduersarius noster dici possit, quibus enim resistit rectè dicitur eorum aduersarius est. Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Quisquis ergo in hac via, id est in hac vita non fuerit reconciliatus Deo per mortem filij eius, tradetur ab illo iudici, id est Christo, quia pater nõ iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio: atque ita cætera quæ in hoc cap. scripta sunt consequuntur.

Iaco. 4.

F

G

SVMMARIVM.

Ponitur obiectio contra istam quintam expositionem, & soluitur & ostenditur, quòd aliud est esse cum Deo, & aliud in via cum Deo; & solum tempus reconciliandi Deo, est, dum sumus in via, id est in vita presenti cum eo, quia tunc est tempus reconciliationis, quòd post hãc vitam non erit.

H

XIX Sed contra hanc expositionem, est dubium, quia cum Deus sit vbique, & in omni creatura, & cum creatura sua, videtur quòd non magis nobiscum esset in presenti vita, quàm in futura, & etiam quod nos ita benè sumus cum eo in vita futura, sicut in vita præsenti; & tamen hîc dicitur, quòd dum sumus in vita cũ eo consentiamus ei. Est dicendum ad hoc, quòd licet Deus, & in vita præsenti, & in futurâ sit nobiscum, per essentiã, præsentiam, & potentiam; tamen in vita præsenti sic nobiscum est per misericordiã, & gratiam, quòd ei quantumcunque simus peccatores, reconciliari possumus: iuxta illud Apostoli ad Rom. 5. Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo, per mortem filij eius, per quem nunc reconciliationẽ accepimus. Vbi super illud per quem nunc; dicit Glossa, id est in præsenti vita. Quo modo cum eo non erimus post hanc vitã, quia ex tunc non erit reconciliatio: Propterquod non præcipitur nobis simpliciter, quòd cõsentiamus aduersario nostro, id est Deo cum sumus cum eo, quia hoc in vita præsenti, & in futura erit; sed præcipitur, vt consentiamus ei, dum sumus in via cum eo, id est dum sumus in vita præsenti, quia nunc est tempus reconciliationis, quod tamen tunc non erit. Dicimus autem esse in via cum Deo, non quòd ipse sit in via, quia semper beatus est, & in termino suæ bonitatis, & perfectionis; sed quia nos sumus in via in quibus Deus est; propter hoc dicitur, quòd dum sumus in via cum eo, ei reconciliemur. Licet autem propriè Deus sit cum bonis, quia eorum mentem inhabitat per gratiam, tamen etiã dicitur esse cum malis, licet non habitet in eis; quemadmodum lux solis est cum oculo sano, quia videt, & percipit eam, & est cum oculo cæco, qui tamẽ non percipit eam. Vnde licet lux sit, cum eo, tamẽ oculus cæcus non est cum luce, quia eam non percipit: & eodem modo Deus est cum sanctis, quia eum, & eius gratiam in se habent. Vnde qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo: & est cum impijs, sed impij non sunt cũ eo, quia Deus est vbique. Sic ergo dum sumus in vita presenti consentiamus Deo, eius voluntatem faciendo, ne fortè post hanc vitam in carcerem inferni mittamur.

1. Ioh. 4.

SVMMARIVM.

Quòd si aduersarius noster accipiatur pro Dei lege, in qua continentur præcepta bonæ vitæ exercendæ, & malæ vitæ fugiẽdæ; tunc dum sumus in vita præsenti, debemus concordare cum isto aduersario, faciendo quod iubet, & non faciendo quod prohibet; quod si non fecerimus trademur iudici, & ministro, & carceri.

Rom. 5.

Glos.

I

K

XX Si verò pro aduersario nostro intelligatur diuinum præceptũ, vel diuina præcepta, vel etiam lex diuina, quæ prohibet omne peccatum, & cõtraria est voluntati peccantium: iuxta illud 1. ad Thimot. 1. Scientes, quia iusto non est lex posita, sed iniustis, & non subditis impijs, & peccatoribus, sceleratis, & contaminatis, patricidis, & matricidis, homicidis, fornicarijs, masculorum concubitoribus, plagearijs, mendacibus, & periuris, & si quid aliud, sanæ doctrinæ aduersatur: Tunc sensus est, quòd dum sumus in vita præsenti, consentiamus vel concordemur cum lege diuina, faciendo quod præcipit, & abstinendo ab ijs quæ prohibet, vel si cõtingat nos facere contra legem Dei, quòd emendemus secundum legem Dei, ne si finierimus hanc vitam, non consentientes legi Dei, lex Dei nos accuset coram iudice, id est Christo, qui nos iudicet secundum legem, iuxta illud Ioan. 12. Qui spernit, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum; sermo quem locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die: & mittetur in carcerem &c. Et hoc modo exponit hanc sententiam Augustin. 1. lib. de serm. domini in monte dicens. Hîc per aduersarium præceptum Dei esse intelligimus, quid enim sic aduersatur peccare volentibus, quàm

1. Tim. 1.

Ioan. 12.

Augustin.

præ-

præceptum Dei, id est lex eius, & scriptura diuina, quæ data est nobis ad hanc vitam, vt sit nobiscum in via? cui non oportet contradicere, ne nos tradat iudici, sed ei oportet consentire citò. Et idem in quodam sermone de isto verbo dicit. Quis est iste aduersarius cui debemus consentire? quæramus illum, & consentiamus ei. Si enim peccas, aduersarius tuus sermo Dei est: verbi caussa, forsitan delectat te inebriari, delectat te spectare, & nugari, delectat te facere furtum, delectat te adulterari, & dicit tibi, noli in quibuscunque peccatis facere voluntatem tuam, noli aduersarius esse voluntati meæ, donec fiat salus tua. O quàm bonus aduersarius, quàm vtilis, non quærit nostram voluntatem, sed vtilitatem; quid facturi sumus cum aduersario isto, id est cum sermone Dei? Cõcordemus cũ illo, nescimus nãq; quãdo finiatur via, id est vita; cũ via enim finita fuerit, iudex restat, & minister, & carcer; at si seruaueris aduersario tuo; bonã vtilitatẽ, voluntatẽ, & cum eo consenseris, pro iudice inuenies patrem, pro ministro seruo, angelos tollẽtes te in sinu Abrahę, & pro carcere, paradisum. Et Ambro. lib. 7. super Lucam cap. 12. dicit, Aduersarius noster, iuxta Matthæum, est omnis virtutis vsus, & apostolicus, & propheticus sermo, qui nos ad superiora præcepta, & durioris vitæ documenta constringit, cui consentire nos conuenit vt eũ operibus emulemur.

Idem.

Ambros.

SVMMARIVM.

Quomodo debemus concordare cum lege Dei, quia scilicet cum bona voluntate, & ex diuino amore debemus eam obseruare, & cor nostrum voluntati eius applicare.

XXI

HVic autem aduersario debemus consentire, id est facere quod iubet, & abstinere ab ijs quæ prohibet; sed non sufficit hoc, nisi de bona voluntate, id est ex amore fiat, propter quod iubemur ei esse benenoli. Dicente Augu. in lib. de decem chordis circa medium. Non concordauit cum aduersario suo, qui cum timore adhuc facit; timet enim ne veniat Deus, & dãnet illũ: nã nondum delectat Castitas, nondum delectat iustitia sed iudiciũ Dei formidans, à factis tẽperat; nondũ concupiscentiã dãnat, quæ sæuit in eo; nondũ eũ delectat quod bonũ est; nondum habet ibi suauitatem, vt cantet canticum nouũ, sed de vetustate pœnas timet, nondum concordauit cum aduersario: quia non est benenolus ei, quia non bona voluntate opera legis facit; nec solum iubemur esse benenoli legi Dei, id est quòd de bona voluntate viuamus secũdum eam, sed etiam debemus esse concordes, id est eiusdem cordis, vt si & Dei lex non præcepisset, cor nostrum indicaret, hoc esse faciendum: & hoc etiam per se absque præcepto superioris faceret. Vnde & Apostolus ad Roman. 2. dicit de quibusdam, Cum gentes, quæ legem nõ habẽt, naturaliter, ea quæ legis sunt faciunt; eiusmodi legem non habẽtes; ipsi sibi sunt lex, qui ostendũt opus legis scriptum in cordibus suis. Tales enim consimile cor habent cum lege, vt legislatore. Propter quod hîc, & illud verbum, quod in Græco ponitur, scilicet Ennon; aliqui transtulerũt, esto consentiens, alij esto benenolus, vel bonæ mentis, alij esto concordans, quia ista tria conueniunt illi, qui legem Dei debitè vult obseruare, & ei consentire.

Rom. 2.

Augus.

SVMMARIVM.

Ponitur obiectio contra istam sextam expositionem, & soluitur.

XVII

SEd secundum hanc expositionem hîc dubium est de continuatione; quia cũ superius ageretur de reconciliatione fraterna, hic subitò secundum istam expositionem, generale præceptum daretur de consentiendo legi Dei, quòd connexum non videtur. Vnde, & hîc dicit Hiero. ex præcedẽtibus manifestus est sensus, quòd Dominus nos ad concordiã proximi coartatur. Vnde supra dictum est. [*Vade reconciliari fratri tuo.*] Et ad hoc dici posset, quia reconciliari fratri offendenti, est præceptum altum, & quasi nos excludens, consideratã infirmitate humana: Ideo ne videatur difficile, vel importabile, subditur caussa, & pœna, vt huiusmodi præceptum obseruetur; assignando pro caussa, quod legi Dei in qua continetur hoc præceptum de reconciliatione offendẽtium, consentire debemus: alioquin ipsa tradet nos iudici, & in carcerem mittemur. Vnde, & Chrysost. in Homel. dicit, Quòd hæc pars, est confirmatio, vel caussa præcepti præcedentis, dicens iudicium, dicens, & concilium, & gehennam, de sua hostia disputans, & alia ponit. Ita rursus dicens, Sis Ennon, id est, bonam mentem habens, &c.

Hieron.

Chrysost. hom. 16.

SVMMARIVM.

Assignãtur tres caussæ, quare dum sumus in vita præsenti, citò, & continuè debemus bona opera

ta exercere, & de peccatis nostris pœnitere, atque concordare cum diuina Scriptura, & reconciliari fratri, ac pacificare nos cum conscientia nostra.

XXIII

QVibus visis circa literam est attendendum, quòd consentire cum fratre inimico, vel cum conscientia remordente, vel etiam cum diuina lege, præcipitur nobis, & citò, dũ sumus in via. Vita enim præsens via dicitur, quia ipsa data est, vt ad terminum veniamus; scilicet ad beatitudinẽ, si bonã vitam ducamus, id est, iustè viuamus, vel ad infelicitatis terminũ, dum iniquam vitam duxerimus. Vnde & infrà dicitur. Intra per angustiam portam, quia lata porta, & spatiosa via, quæ ducit ad perditionem; angusta porta, & arcta via quæ ducit ad vitam: hæc autem via est irreuertibilis. Sic enim procedit vita nostra ad terminũ, quòd nõ retrocedit; de infantia enim acceditur ad pueritiã, de pueritia ad adolescẽtiã, de adolescẽtia ad iuuentutem, de iuuentute ad virilitatem, de virilitate ad senectutem, & de senectute ad senium, & de hoc ad mortem terminatur, & nunquam è contrario retrocedit. Vnde & Iob 16. dicitur. Ecce breues anni transeunt, & semitam per quam non reuertar ambulo. Et Aug. in quodam ser. exponẽs istam sententiam Domini, [*Esto consentiens &c.*] dicit. Via, vita est ista: finisti ista vitam, finisti, & viam. Et infra Non anni nobis accedunt, sed magis discedunt. Valde errant homines, quãdo dicunt, puer iste adhuc minus sapit, accedent illi anni, & prudens erit; attende quid dicas; accedunt dixisti? Ego oſtendo quòd discedunt. Audi quàm facilè probem: putemus nos sciuisse annos ipsius omnes; & vt benè illi optemus, sint octoginta, vixit annum vnum: quot habes in summa, quot tenebras? deduo vnum; & habebis septuaginta nouem. Vixit decẽ, septuaginta remanserunt, & sic non accedunt, sed discedunt. Veniunt enim anni nostri, non vt habeantur, sed vt eant; non enim veniunt vt stent nobiscum, sed cum transeunt per nos terunt nos, & minus, minusq; nos valere faciunt: vt sic in ista via, procedamus, quòd non reuertimur. Vnde & Nichodemus dicebat: Io. 3. Quo modò potest homo nasci cum sit senex? Numquid potest in ventre matris suæ iterato introire, & renasci? Cum igitur tempus vitæ nostræ transactum, non possit reperi, nec reuerti, sed si malè est expẽsum, est perditum, & in damnum nostrum; Iccirco dum tempus habemus, & in via sumus non debemus nostrum tempus, quod non reuertitur, consumere, in malis actibus: sed tempus nostrum, bene expendere faciendo, quòd Dominus præcipit. Vnde & Seneca ad Lucillum 1. Epistola dicit. Tempus quod adhuc, aut aufereba tur, aut surripiebatur, aut excidebat, col lige, & serua: Si volueris attendere, maxima pars vitæ elabitur malè agentibus, magna nihil agentibus, tota vita aliud agentibus. Et infra. Omnia mi Lucille aliena sunt, tempus tantum nostrum est: in huius rei nimis fugacis, ac lubricę possessionem natura nos mittit, ex qua expellitur quicunque vult; & tanta stultitia mortalium est, vt quæ minima, & vilissima sunt; certè reparabilia putent, cum sibi perire patiantur. Nemo se iudicet quicquam debere, qui tempus accepit. Cùm interim hoc vnum sit, quòd nec gratus quidem, potest reddere: qua propter omnes horas complectere, sic fiat, vt minus ex crastino pendeas: Si hodierno die, manu quieueris. Vnde cum in hoc tempore sit laborandum, & agendum, quod nobis proficiat in futurum, nec hora quidem vna, vel momentum transire deberet, in quibus non essemus in actione bonorum operum. Iuxta illud Eccl. 9. Quodcunque potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erit apud inferos, quò tu properas. Vnde si semper, & continuè bonum operari debemus, & non facimus: tempus perdimus, quòd recuperari non potest; magis vtiq; nos custodire debemus, ne per aliquod spatium temporis in peccato incidamus. Vnde & Eccl. 15. dicitur de Deo. Nemini mandauit impie agere, & nemini dedit spatium peccandi; Et propter hoc præcipit Dominus, quòd citò dum sumus in via, per quam non reuertimur, aduersario consentiamus, ne tempus nostrum merendi perdamus, quod deinde recuperare non poterimus. Et propterea via hæc, id est vita, multis, & quasi infinitis casibus, quibus perditur exposita est, antequam ad senectutem perueniatur. Licet enim sciamus nos morituros, tamen quomodo, vel vbi, ignoramus; nulla enim res magis exposita est diuersis casibus, quàm sit nostra vita, dicente Aug. in dicto sermone. Tempus vni cuique nostrum proximum est, quia mortales sumus, & inter casus ambulamus. Si vitrei essemus, minus casus timeremus; quid fragilius vase vitreo? & tamen seruatur, & durat per sæcula; etenim si casus vasis vitrei timetur, senectus eius, & febris non timetur? Nos ergo fragiliores, & infirmiores sumus, quia casus omnes,

Mate. 7.

Iob. 16.

Augusti.

Ibidem.

Ioan. 3.

Seneca.

Ibidem.

Eccle.

Idem 15.

Augusti.

qui

qui non ceſſant in rebus humanis, & fragilitatem vtiq; noſtram quotidiè formidamus, & ſi ipſi caſus non accedant, tempus ambulat. Vitat homo ictum, nunquid vitat exitum? vitat quæ extrinſecus eueniunt, nunquid quòd intus naſcitur expellit? Denique, nunc lũbricos gignunt interiora, nunc morbus aliquis ſubito occupat, poſtremo quantumuis homini parcatur, nouiſsima ſenectus cũ uenerit, non eſt quòd differatur. Emendatio autem vitæ noſtræ & egreſſus de peccato, non poteſt fieri, niſi dum ſumus in vita præſenti, dicente Damaſceno 2. lib. cap. 3. Oportet ſcire, quoniam quòd eſt hominibus mors, hoc eſt Angelis caſus, poſt caſum enim non eſt eis pœnitentia, quemadmodum neque hominibus poſt mortem. Et Bernardus in ſermone ad Clericos cap. 5. dicit. Vbi deerit corpus, actus non erit. Sanè vbi nulla fuerit actio, nec ſatisfactio quidem vlla poterit inueniri. Vnde quiſquis ante obitum carnis non redierit ad ſeipſum, in ſeipſo maneat neceſſe eſt in æternum. Sed in quali ſeipſo? Qualé ſeſe fecerit in hac vita, talem inuenerit exiens ab hac vita: niſi quòd fortaſſe erit nonnunquam deterior. Nam melior, qui malus eſt, nunquam erit. Si ergo vita noſtra caſibus infinitis, quibus deficere poteſt expoſita eſt; & ſi caſus non contigant, diu ſubſiſtere non poteſt, & poſt mortem carnis, non poteſt homo meliorari, vel pœnitentiam agere de peccatis, non reſtat aliud, niſi quod dum tempus habemus, vitam emendemus, propterquòd, & Dominus dicit, [*quòd cito dum in via ſumus, cum aduerſario conſentiamus.*] Iuxta illud Eccl. 5. Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem, ſubitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te. Et cap. 14. Memor eſto, quoniam mors non tardat, & teſtamentum inferorum, quia demonſtratum eſt tibi. Et 28. dicitur. Memento nouiſsimorum, & deſine inimicari: tabitudo enim, & mors imminẽt in mandatis. Et Aug. in quodam ſermone exponens illud, quod ſupra dictum eſt. Ne tardes conuerti, dicit. Promiſit tibi Deus, quòd qua die conuerſus fueris obliuiſcetur mala tua pręterita: ſed nunquam vitam craſtini diei promiſit tibi Deus; Diem mortis incertum cõſtituit ſalubritèr: Diem vltimum ſuum quiſque ſalubritèr cogitet. Miſericordia Dei eſt, quia neſcit homo quando moriatur, latet vltimus dies, vt obſeruetur omnis dies. Et de verbis Domini in mõte dicit idem. Scio ego, & mecum omnis homo, qui paulò attentius conſiderauit, neminem Dominum timentem, ſub verbis eius non ſe corrigere, niſi qui putat quia plus habet viuere. Ipſa res eſt, quæ multos occidit, cum dicunt cras, cras, & ſubitò oſtiũ clauditur. Remanſit foris cum voce coruina, quia non habuit gemitum columbinum. Cras, cras, coruina vox eſt. Vigila ergo, & corrige te hodie. Quid differs in craſtinum? Longa vita erit? Ipſa longa bona ſit; Prandium bonum in lõgum nemo differt, & vitam malam vis habere longam? Vtiqua ſi longa erit, melius bona erit. Si breuis erit, benè factum eſt. Sic ergo citò debemus reconciliari aduerſario. Et propterea vita noſtra non ſolum non reuertitur, vt illud tempus, quod malè expenſum fuit, poſtea benè expendendatur; nec ſolum eſt incerta, & multis caſibus expoſita, ſed etiam multum eſt breuis, quamuis longa videatur; & tamen in hac breui vita oportet mercedem acquirere, quæ nobis maneat in æternum. Vnde & Eccl. 18. dicitur. Numerus dierum hominis, vt multum, Centum anni quaſi guttæ aquæ maris deputati ſunt. Et ſicut calculus arenæ: ſic exigui anni in die eui. Et Augu. in quodam ſermone ſuper illud Pſal. Quis eſt homo qui vult vitam? dicit. Hæc vita ſaltem optatur prolixa, quia eſſe non poteſt ſempiterna, & per hanc poteſt homo peruenire ad illam, ſi quemadmodum vult eam longam, ſic velit, & bonam. Quantum autem eſt in hac vita longum, quòd erit aliquando terminatum? Quod erat longum, erit nullum; quia & quando erat non ſtabat, & quando producebatur, nec augebatur, nec addendo crescebat, quia veniendo recedebat. Quiſquis es amator longæ vitæ, eſto potius bonæ vitæ: nam ſi malè viuere volueris, longa vita non erit verum bonum, ſed malum longum. Cum ergo vita iſta breuis ſit, & in hac oporteat mereri præmium vitę beatæ ſequentis, quòd præmium non poteſt acquiri ſine charitate, quæ includit dilectionem Dei, & proximi, dicente Gloſa ſuper illud Apoſtoli 1. ad Cor. 13. Si linguis hominum loquar &c. Attende quanta eſt charitas, quæ ſi deſit, fruſtra habentur cætera; ſi autem adſit alicui, habentur omnia, vel in ſe, vel in alijs, quam cum habere cęperis, Spiritum Sanctum habebis; ſi n õhabueris, ſine Spiritu Sancto eris. Et ſicut corpus ſine anima mortuum eſt, ſic anima ſine charitate mortua reputabitur. Iccirco, quicquid boni operis facit homo ſine charitate exiſtens, non valet ei ad præmium futuræ beatitudinis conſequendæ. Et ideo hanc breuem vitam nobis conceſſam, ad merendum futuram bea

Damaſce.

Bernar.

Eccl. 18.

Auguſt. Pſal. 33.

Eccl. 5.

Idem 14.

Idem 28.

Auguſt.

Gloſ. 1. Cor. 13.

Idem.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

titudinem, nõ debemus expendere, etiam per ſpatium vnius horæ in diſcordia, vel inimicitia proximi noſtri, Propter quod præcipitur hîc, quòd citò dum ſumus in via ad merendum, conſentiamus aduerſario noſtro. Vnde & Epiſcopo Phyladelfiæ dicitur Apoc. 3. Ecce venio citò, tene quòd habes, vt nemo accipiat coronam ſuam. Apoc. 3.

SVMMARIVM.

Quòd hoc præceptum de non iraſci fratri, & de reconciliando ei, ſi nos offendit vel nos ipſum, & de concordando cum aduerſario, non eſt datum ſenſualitati noſtræ corruptæ, ſed rationi; quia ſenſualitas legi Dei ſubiecta non eſt poſt peccatum, ſed ipſe ſpiritus noſter.

XXIIII

EST etiam intelligendum, quòd ſi pro aduerſario noſtro intelligatur lex Dei, cui conſentire debemus, hoc præceptum fit nobis ratione animæ, non ratione carnis: Caro enim noſtra propter peccatum originale, quæ eſt lex mortis vel carnis, reſiſtit legi Dei. Iuxta illud Apoſtoli ad Rom. 7. Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati: ſed anima rationalis per rationem, quæ ſemper ad optima inclinatur, & de qua dicit Apoſtolus in dicto cap. Condelector legi Dei ſecundum interiorem hominem; niſi ipſa trahatur põdere carnis corruptæ propter peccatum, conſentit legi Dei, ex inſtitutione ſuæ naturæ, dicente eodem Apoſtolo in dicto cap. Non quod volo bonum hoc ago, ſed quod odi malum illud facio: ſi autem quod nolo illud facio, conſentio legi, quoniam bona eſt. Vnde quia ratio ex ſua natura, niſi fuiſſet peccato oppreſſa conſentit legi Dei, licet nunc ſub peccato exiſtens, niſi adiuuetur Dei gratia, corruptionem carnis ſequatur; Ideo præcipitur menti, non carni, quòd conſentiat legi Dei, quæ aduerſatur legi carnis, quod licet mens oppreſſa carne peccati, facere non poſsit ſine gratia Dei, tamen quia Dominus iſtam gratiam dat gratuito ſe præparanti, vel non reſiſtẽti: ideo præcipit nobis, quòd cum tali aduerſario mens noſtra, dum in via ſumus concordet. Vnde, & Chryſoſt. hîc dicit. Puto quod nõ de iracũdia carnis loquatur, ſed de ſpiritu, nec ad carnem loquatur, ſed ad animam: ſcit enim Dominus quòd, & ſi mandauerit carni, caro ei non obaudit. Et ſupra partẽ ſequentem dicit idem. Sicut duas habemus in nobis naturas, animę ſcilicet, & carnis: ſic duas habemus voluntates, vnam animæ, alteram carnis; duas concupiſcentias, duas iras, & natura quidem carnis, ab ijs paſsionibus ſe non poteſt ſeparare, nam neceſſe habet, & iraſci, & concupiſcere (& ſi non vult) quoniã non eſt in arbitrio ſuo creata, ſed eſt ſub lege peccati, & venundata eſt ſub peccato: anima autem in arbitrio ſuo creata, & ſecundum legem iuſtitiæ Dei, poteſt & non iraſci (ſi vult,) & non concupiſcere (ſi vult) nõ quòd hoc poſsit ſine Dei gratia, ſed quòd hoc poſsit Dei gratia adiuuante eius infirmitatem maxime poſt peccatum, & hoc ſatis inducit Apoſtolus in dicto capitulo.

Rom. 7. Ibidem. Ibidem. Chryſoſt. hom. 16. Ibidem.

SVMMARIVM.

Quòd ſi per miniſtrum intelligantur Angeli boni, vel mali; quibus diſcordantes tradentur poſt hanc vitam, de vtriſque poteſt haberi veritatem; quia bonis Angelis tradentur, vt ſeparentur per eos à bonis, & conſimiles conſimilibus iungantur; & malis Angelis, vt ab eis in inferno torqueantur.

XXV

EST etiam intelligẽdum, quòd nomine miniſtri, cui iudex nos tradet, vel intelliguntur boni Angeli, de quibus infra 13. dominus dicit, Mittet filius hominis Angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittet eos in caminum ignis. Vnde & hîc dicit Gloſ. Chriſtus miniſtro tradit, id eſt Angelo, qui colliget zizania; Vel ſecundum Chryſoſt. per hunc miniſtrum intelligitur Diabolus. Vnde hic dicit. [*Iudex tradet te miniſtro,*] id eſt Angelo crudeli, & ille mittet te in carcerem Gehennæ. Vtrunq; autem horum, ſcilicet colligere iniquos, & adunare illos qui eiuſdem cõditionis quò ad peccatũ ſunt, fiet miniſterio Angelorum bonorum. Vnde & infra 13. dicitur. In tempore meſſis, dicam meſſoribus, colligite primum zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum. Exponens autem qui ſunt iſti meſſores, dicit ibidem, Meſſores ſunt Angeli. Et infra, Exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio iuſtorum, & mittẽt eos in caminum ignis. Vnde congregare impios de totò mũdo, ſeparare etiam eos à iuſtis, & cõiungere conſimiles ſibi ipſis, vt in infernum mittantur, hoc fiet Angelorum bonorum miniſterio; ſed ire, vel mitti in infernum, hoc fieri poterit, tàm bonorum Angelorum, quàm malorum miniſterio. Vnde & infra 25. dicitur iniquis, Ite in ignem æternum, quaſi non habeant neceſſarium ductorem, cum iniquitas eorum ad hoc impellat eos. Et infra 22. di-

Gloſ. Chryſoſt. Mach. 13 Ibidem. Idem. 25. Idem. 22.

citur

citur de illo, qui intrauit ad nuptias, non habens veſtem nuptialem, quòd dixit Rex miniſtris, ligatis manibus, & pedibus eius mittite eum in tenebras exteriores. Sed cruciatio damnatorum hominum, fiet per Angelos malignos, dicente Ambro. lib. 7. ſuper Luc. Aduerſarius noſter ille præcipuè eſt, qui ſerit illecebras delictorum, vt habeat in ſupplicio participes, quos habuit in errore conſortes. Atq; ideo ſocios quærit ad culpam, vt obnoxios prodat ad pœnam. Et Bernardus in lib. meditationum, dicit de animabus damnatis in hora mortis, quòd cum terribili vultu & horribili aſpectu eas terrebunt dæmones, ingenti furore illas perſequentes, vt comprehendant, tàm terribiliter, quàm horribiliter volentes eas retinere, & poſſidere. Et infra. Separabuntur impij à conſortio iuſtorum, & viſione Dei, & traditi in poteſtate dæmonũ, ibunt cum impijs in ignẽ æternum, in inferno cruciãdi, nec vnquã liberandi: vbi nec qui torquet aliquando fatigatur, nec qui torquetur aliquãdo moritur, nihilq; aliud videbunt, niſi vermes, & laruales facies tortorum, & teterrima monſtra dæmoniorum. Vnde & Prouer. 17. dicitur de iniquo. Quòd Angelus malus, & crudelis, mittetur contra eũ: Et de deſtructoribus Babiloniæ, id eſt totius corporis iniquorum, dicitur Hiere. 50. cap. Crudeles ſunt, & immiſericordes. Secundum vero Chryſoſt. in expoſitione, vt ſupra dictum fuit, per miniſtrum intelligitur commentarienſis, vel carcerarius homini iudicis, quia ſecundum eum non loquitur hic de futuro ſupplicio, ſed de preſenti pœna.

Ambroſ.
Bernar.
Ibidem.
Prou. 17.
Hiere. 50.
Chryſoſt. hom. 11.

SVMMARIVM.

Quòd per carcerem intelligatur infernus.

XXVI

PEr carcerem autem intelligitur infernus, ſecundum alios ſanctos, à Chryſoſt. de quo carcere dicitur Iſaiæ 24. Congregabuntur in congregatione vnius facis in lacum & claudentur in carcere: Dicitur autẽ inferius carcer, quia carcer dr̃ firma cuſtodia reorũ, vel dr̃ à carẽtia boni: in inferno autẽ impij, (vt ſupra dictũ eſt,) ſic detinẽtur, quòd egredi nõ poſſunt, & ſic ſunt ibi, quòd omni gaudio, & quiete carẽt, propter quod rectè carcer vocatur. Vnde & Augu. dicit hîc. Per carcerem intelligo pœnas videlicet tenebrarum. Vnde & Sap. 17. dicitur. Si in illis tenebris, quis decidiſſet, cuſtodiebatur in carcere, ſine ferro recluſus.

Iſa. 24.
Auguſt.
Sap. 17.

A

SVMMARIVM.

Quòd illi, qui ſine caritate decedunt de hoc mundo, in inferno collocantur, à quo nunquã exibunt, donec totaliter ſoluant debitum ſuorum peccatorum, quod quia nũquam poterunt perſoluere, quia caritatem non habent, nunquam de inferno liberabuntur.

SEd ne videretur huiuſmodi carcer contemnendus ſubditur. [*Amen dico vobis, non exibis inde, donec reddas vltimum quadrantem.*] Vbi ponitur pœnæ infernalis interminabilitas, quia perinde eſt hoc dicere, nõ exibis inde donec reddas nouiſſimum quadrantem, ac ſi diceretur ſecundum Auguſt. in 1. lib. de ſerm. Domini in monte. Quòd nunquam egredieris inde. Vnde dicit, quod dictum eſt donec ſoluas, miror ſi non eam pœnam ſignificat, quæ vocatur æterna. Vnde ſoluitur etiam illud dubiũ. Vbi iam non datur pœnitendi, & correctionis locus (ita enim fortaſſe hîc poſitũ eſt, donec ſoluas) quomodo in illo loco vbi dictum eſt, Sede ad dexteram meam donec ponam inimicos tuos, ſub pedibus tuis: non enim cum fuerint inimici ſub pedibus poſiti, deſinet ille ſedere ad dexteram. Quemadmodum ergo ibi intelligitur, ita hic accipi poteſt, de quo dictũ eſt, [*Non exibis inde, donec ſoluas nouiſſimum,*] id eſt ſemper non exiturum eſſe, quia ſemper ſoluit nouiſſimum quadrantem, ſempiternas pœnas peccatorum luens. Tunc enim tẽpus nec merendi, nec ſatisfaciendi erit pro peccatis: cũ enim ſatisfactio, nil aliud ſit, niſi tantum facere pro aliquo, quantum contra eum fecit, vel ad minus, quòd offenſus reputet ſibi de offenſa ſatisfactum eſſe; offenſa autem ſi attendatur contra quod peccat, infinita eſt, de qua homo ſatisfacere non poteſt, per propria naturalia, quia quicquid facere poteſt, non ſufficit ad ſatisfaciẽdum Deo, qui ex nihilo fecit ipſum: iuxta illud Pſal. Quid retribuã domino, pro omnibus quę retribuit mihi? & cum homo peccãdo abſtulerit quantũ in ipſo eſt, debitũ honorẽ, & ſubiectionem Deo, & inimico Dei ſe ſubiecerit, à Dei dominio recedendo; Ideo quia peccauit, plus tenetur Deo reddere, quàm ſi nõ peccaſſet, & cum obligatus eſſet pro Deo facere quicquid poterat, plus tenetur Deo reddere quia peccauit, quã poſſit ſoluere; & ſic per naturalia ſua ſoluere non poteſt, vel reddere illud, quod à Deo abſtulit peccando: Vt multũ deducit Anſelmus, in libro Cur Deus homo, in diuerſis capitulis: ſed adhoc vt ſatisfaciat homo Deo pro peccato, oportet, qđ Dei gratia adiuuetur: dicẽte Apoſt. ad Rom. 3.

B
D
E
F

XXVII

Auguſt.
Pſal. 15.
Anſel.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Rom. 3. Omnes peccauerunt & egent gloria Dei, iustificati gratis per gratiã ipsius, per redemptionẽ quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorẽ, per fidem in sanguine ipsius. Et quia damnati in inferno Dei gratiam non habent, nec habere possunt iuxta Dei ordinationem: iccirco de quocunque peccato, magno, vel paruo; non possunt satisfacere Deo, quia eius gratia carent, & carebunt perpetuò, sine qua non fit peccati absolutio. Vnde & in Psal. dicitur de iniquo. Mutuabitur peccator, & non soluet. Vbi dicit Augustinus. Peccator accipit, & non reddit gratiarũ actiones. Quid enim à te vult Deus, aut quid exigit Deus, nisi quòd tibi promisit? & quanta accepit peccator, pro quibus non soluit? Accepit vt sit, accepit vt homo sit; multumq; interfit, inter ipsum, & pecus; Accepit corporis formam, accepit in corpore distinctionem sensuum; oculos ad videndum, & sic de alijs sensibus, ipsamq; salutem corporis; Sed adhuc ista, & cum pecore habemus cõmunia. Accepit amplius, & mentem quæ possit intelligere, quæ possit capere veritatem, quæ possit iustum ab iniusto discernere, quæ possit indagare & desiderare creatorem, laudare & inhærere illi: Hæc omnia accepit peccator, sed non benè viuendo, non reddit quod debet, non agit gratias Deo, immo rependit mala pro bonis, blasphemias, murmurationes aduersũ Dñm, & indignationes: & quare? quia nihil habet, quia nõ habet intrinsecus charitatem: Et quia in futuro impij non solum non habent charitatem, immo etiam habent voluntatem obstinatam in malo, & rebellem contra Dominũ: Iccirco non poterunt ei vnquam soluere, quod debetur pro peccato. Et quia non egredientur de carcere, donec soluant totum debitum: ideo nunquam de carcere exibunt. Vnde & Remigius hîc dicit. Videntur ista verba sonare, vt postquam rediderint exeant, cum tamẽ, nullus, qui in inferno detinetur, habeat vltra spatiũ corrigendi, aut correctius viuẽdi, aut locum emendandi, aut exeundi. Vnde quod hîc dicitur [*donec*] pro infinito ponitur, & est sensus, nõ exibis donec reddas nouissimũ quadrantem, hoc est semper solues, & nunquam persolues, id est nũquam exibis, sed semper pœnam lues. Vnde super illud Iob 20. Luet quæ fecit omnia; nec tamen consumetur. Dicit Gregorius 15. lib. Moral. cap. 11. Persoluit enim iniquus in tormentis, ea desideria, quæ hic illicitè seruauit; & flammis vltricibus traditus, semper moritur, quia semper in morte seruatur. Nõ enim in morte consumitur, quia si consumeretur vita morientis, cum vita etiam pœna finiretur: Sed vt sine fine crucietur, viuere, sine fine in pœna compellitur; vt cuius vita hîc mortua fuit in culpa, illic eius mors viuat in pœna. Dicat ergo, Luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur, quia cruciabitur & non extinguetur; moritur, & viuit; deficit, & subsistit; finitur semper, & sine fine est.

Pſal. 36. Auguſt. Remig. Iob 20. Gregor.

SVMMARIVM.

Quòd illi qui pro peccatis mortalibus, post hanc vitam damnantur ad inferni pœnas; non solum pro peccatis mortalibus in perpetuum pœnas inferni sustinebunt: sed etiam pro peccatis venialibus, in perpetuum cruciabuntur; quæ peccata eorũ venialia, intelliguntur per nouissimum quadrantem.

XXVIII. NOn solum enim non soluentur pœnæ peccatorum mortalium in inferno, sic quòd aliquando sint persolutæ, quibus persolutis pœna eorum finiatur, sed nec etiam pœna peccatorum venialium, vnquam persoluetur in damnatis, quia tàm pro peccatis mortalibus, quàm pro peccatis venialibus, perpetuò, & sine fine cruciabuntur; quia gratiam non habent, sine qua de nullo peccato Deo satisfieri potest. Vnde & Chrysost. hîc in expositione dicit. Qui in sæculo si pacem fecisses, etiã grauissimi operis, poteras accipere indulgentiam, sicut scriptum est, Charitas operit multitudinem peccatorum: Si semel condemnatus fueris, missus in carcerem, nõ solum de grauibus peccatis, sed etiam pro verbo ocioso, quod locutus es, sunt exigenda à te supplicia. Et Grego. 15. lib. Moral. cap. 20. exponens illud Iob 20. Hęc pars impij hominis à Deo, & hæreditas verborum eius à Domino; dicit. Qui pro magnis malis in supplicium mergitur, fortasse credebatur, quòd pro verbis, quę malè dixerat, minimè iudicaretur: Sed cum districta omnipotentis iustitia per supplicium à reprobis, pro peruersis actibus exigit, eis mala vsque ad verborum retributionem reddit, vt qui de magnis malis debitores sunt supplicijs traditi, etiam nouissimum quadrantem soluant; illis enim minima parcuntur, qui maiora in se districtè mala defleuerunt: nam quos magna præmunt, etiam mala minima in gehenna paritèr affligunt. Ad quod Dominus attẽdens dixit. [*Non exibis inde, donec reddas vltimum quadrantem,*] quòd tale, est ac si diceret secundum Augustinum. 1. lib. de sermo. Domini in monte, de soluendo nouissimo quadrante. Potest non absurdè intelligi,

Chryſoſt. hom. 16. 1. Pet. 4. Gregor. Iob 20. Auguſt.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

pro eo positum, quòd ibi nihil reperitur impunitum: sicut loquentes etiã dicimus, vsque ad fęcem, cum volumus aliquid exprimere ita exactũ, vt nihil relinquatur,

SVMMARIVM.

Quòd illi qui in carcerem inferni mittuntur, dicuntur intrare in tenebras tàm interiores, quàm exteriores; & declaratur quid significent tenebrę interiores, & exteriores inferni.

XXIX Hic autem carcer in quo mittẽdi sunt, exinde postea non exituri; in scriptura aliquando vocãtur tenebræ exteriores; quia damnati, velint, nolintque suas iniquitates & scelera, pro quibus damnati sunt, in sua cõscientia continuè, & sine fine videbũt; nec horum aspectus, à tali visione auerti poterit, quia tunc peccator coràm se statuetur, & peccata contra eius faciem opponentur; dicente Cassiodoro exponendo illud Psal. Arguam te, & statuam contra faciem tuam, dicit. Nunc forte contraria vnicuique ante faciem suam dicit collocanda peccata: Per hanc enim sententiam, futuri iudicij cognoscimus qualitatẽ: quia tunc omnis peccator ante se videbit stare, quod se putabat obliuionis beneficio præteriisse, Horror immensus, formido inestimabilis, illa homines vidĕre, per quæ se norunt ad æterna supplicia peruenisse. Et hoc erit intrare in tenebras interiores, videre, scilicet continuè opera tenebrarum, id est, peccatorum quæ commiserunt. Vnde & Bern. loquens de hac pœna damnatorum 5. lib. ad Eugenium circa finem libri, dicit. Videntur tenebrę, id est peccata, vt confundantur; & non vident, ne consolentur, sed à quo, vel à quibus videtur. Ab omni vidente, vt pro multitudine intuentium, sit confusio multa. At nullus de tanta multitudine spectãtium, molestior oculus suo cuiusque erit. Non est aspectus siue in cœlo, siue in terra, quem tenebrosa conscientia, suffugere magis velit, minus possit. Non latent tenebræ, vel seipsas. Se vident, quæ aliud non vident. Opera tenebrarũ sequũtur illas, nec est, quò se abscondant ab illis. Hic autẽ est vermis, qui nõ moritur memoria prętęritorũ. Semel iniectus, vel potius innatus per peccatum hęsit firmiter, nequaquam deinceps anellendus. Nec cessat rodere conscientiam eaque pastus, esca vtique incõsumptibili perpetuat vitam. Et infra. Constat immortalem animam esse, nec aliquãdo absque sua memoria viuere. Itaque durante anima, durat, & memoria. Sed qualis? A fœda flagitijs, horrida facinoribus, vanitate tumida, contemptu hyspida, & neglecta. Peccata priora transierunt, & non transierunt; transierunt à manu, sed non à mente. Quod factum est, factum esse non potest: quia & si facere in tempore fuit, sed fecisse in sempiternum manet. In æternum cecesse est cruciet, quòd perperam te egisse in æternum memineris. Vnde, & filiæ Babilonis præcipitur Isaiæ 47. quòd in tales tenebras intret. Sede (inquit) tacẽs, & intra in tenebras filia Caldęorum. Isa. 47.

B Sed & tenebræ exteriores hîc carcer vocatur, quia luce corporali locus ille priuatus est: cum nec lumine cœlesti nec etiam lumine ignis materialis locus inferni illustretur. Vnde, & Sap. 17. dicitur, Ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec syderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrẽdam. Sap. 17. Vbi licet loquatur de tenebris, quas passi sunt Aegyptij, tamen illæ tenebræ Aegyptiorum erant imago tenebrarum infernalium, quæ densiores, & maiores sunt,

C quã fuerint ille, sicut veritas est perfectio imagine sua; Vnde, & cap. eodem dicitur. Ibidem. Solis illis (id est Aegyptijs) superposita erat grauis nox, imago tenebrarum quæ superuentura illis erat; ipsi quoque, erant sibi grauiores tenebræ. Vnde Gregor. super illud Iob 10. Antequam vadam ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine, lib. 9. cap. 37. dicit, Natura ignis est, vt ex seipso, & lucem exhibeat, & concremationem. Sed transactorum illa vltrix flamma, vitiorum concremationẽ habet, & lucẽ nõ habet. Vnde, & Dominus; Mittite (inquit) in tenebras exteriores. Si itaq; ignis, qui reprobos cruciat, lumen habere potuisset, is qui repellitur nequaquam mitti in tenebras diceretur. Vnde & Iob 38. de inferno dicitur. Nunquid apertæ sunt tibi portæ mortis, & ostia tenebrosa vidisti? Vnde in tali carcere tenebroso, in quo sunt tenebræ interiores, scilicet peccata, quæ iniqui commiserunt, & etiam in quo sunt tenebræ exteriores, impij post mortem includuntur, &

E alligantur, sic quòd de illo nunquam egredi sinentur, quia & semper videbunt peccata quæ commiserunt, & in tenebris etiam exterioribus erunt, vt nunquam lucem ad consolationem videre possint. Iuxta illud Sap. 18. Digni quidem sunt carere luce, & pati carcerem tenebrarum; tàm scilicet intrinsecarum, quàm extrinsecarum, in quo carcere sic ligati erunt, quòd non poterunt se de eo liberari. Iuxta illud Psal. Sedentes in tenebris, & in vmbra mortis, vinctos in mendicitate, &

Psal. 49. Cassiodo. Bernar. Ibidem. Matt. 22. Iob. 38. Sap. 18. Psal. 106.

ferro,

Iob 7. ferro, & Iob 7. dicitur. Qui descendit ad inferos, non ascendet, nec reuertetur vltra in domum suam, nec cognoscet eum amplius locus eius. Vbi dicit Greg. lib. 8. Moral. cap. 10. Quem semel ad pœnam protrahit, misericordia vlterius non reducit. Si autem non esset in inferno aliqua alia pœna, nisi prædictæ duæ tenebrarum, grauissimum, & horrendum esset mitti in ipsum, taliter quòd nunquam egressus ex inde pateret, & cum sint multæ aliæ pœnæ in inferno, quàm istę, & fortè eis grauiores, sicut ignis & frigoris, & alię innumerabiles nobis, cum dominus dicit, quòd nisi consentiamus cum aduersario nostro in vita præsenti, in talem carcerem mittendi sumus, inde postea non exituri; multum terrendo, & comminando fortiter, inducit nos, ad concordandum, & consentiendum, ac etiam ad faciendum pacem cum aduersario nostro, & vt fortius terreat, huic sententiæ præponit aduerbium, quod quasi vim iuramenti habet, [*Amen*, (inquit) *dico tibi*.] Vt hæc comminatio non solũ sit firma, quia Deus eã dicit, qui mentiri non potest: sed etiã, quia eam iuramento quasi firmat. Vnde ad Hebr. 6. dicit Apostolus. Volens Deus ostendere immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurandum.

Hebr. 6.

SVMMARIVM.

Quòd iustè ille, qui non vult dum est in vita præsenti consentire legi Dei, quæ eius prauæ voluntati aduersatur, & ille qui non vult fratri suo sibi aduersanti reconciliari, damnatione infernali sunt digni.

XXX ET rectè hac sententia sunt digni, qui nolunt consentire legi Dei; si enim illi qui nolunt obedire legi principis terreni, digni sunt in carceratione, magis vtique digni sunt carcere illi, qui diuinæ legi, viuendo peruersè, nolunt consentire. Esdr. 7. Vnde & Esdræ. 7. dicitur, Omnis qui nõ fecerit legem Dei sui, & legem Regis diligenter, iudicium fiet de eo, siue in mortem, siue in exilium, siue in condemnationem substantiæ eius, vel certè in carcerẽ; Qui etiam non vult concordare cum aduersario suo homine, nec ei dimittere, quod in ipsum peccauit, nõ est mirum, si Deus repetit ab eo quicquid cõtra ipsum peccauit. Matt. 18. Vnde, & infra 18. dicitur. Quòd seruus qui noluit misereri conserui sui, qui ei debebat centum denarios, sed misit eum in carcerem, donec redderet debitum, cui tamẽ seruo Dominus misertus, dimiserat decem millia talentorum, tradi-

F tus fuit, per dominum suum tortoribus; quousq; redderet debitum. Et subditur. Sicque pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo, de cordibus vestris.

SVMMARIVM.

Quòd redditio debiti dupliciter fit, vel quando redditur secundum quòd acceptum est à debitore, vel ei taliter satisfit, quòd contentus est de debito, vel si non habet vnde soluat, debitor tantum crucietur, quòd illi cruciatus satisfaciãt creditori. Et quia in inferno non potest reddi Deo honor, qui ei per peccatorem ablatus est, nec ipse peccator ei placet, quia voluntatem obstinatam in malo habet; Iccirco, quod Deo abstulit, reddit per pœnas, quas ibi sustinet.

G

EST etiam intelligendũ, secundum Ambro. lib. 7. super Lucam cap. 12. Quòd debitum dupliciter redditur, vel quando tantum redditur, quantum acceptum est, vel equiualẽs, sic quòd ille, à quo quis accepit mutuò, reputat sibi satisfactum, vel tantum obnoxius debitori, pœnis affligitur, quousque commissi debiti, pœnas soluat: quomodo solet vulgariter dici, qui non habet vnde soluat, tantum luat in corpore, quousque fit satisfactum creditori. Vnde dicit, sicut qui pecuniam soluunt, debitum reddunt, nec prius euacuatur fœnoris nomen, quàm totius sortis ad nummum vsque, quocũque solutionis genere quantitas vniuersa soluatur: Sic compensatione charitatis, actuumq; reliquorum, vel satisfactione quacunque, peccati pœna dissoluitur. Aut enim præcio charitatis redimitur iniuria, aut iniuriæ æstimatione, pœna relaxatur: Cum tamdiu exercetur obnoxius pœnis, quousque commissi supplicia erroris expendat. Vnde de primo modo reddendi, dicitur Deuter. 24. Deut. 24. Non negabis mercedem indigentis, sed eadem die reddes. Et de secundo modo reddendi, dicitur 1. Reg. 25. 1. Reg. 25. Malitiam Nabal reddidit dominus in caput eius. Peccatores autem in præsenti vita, quia charitatem, per peccatum perditam, recuperare possunt, de iniuria, quam Deo fecerunt peccando, recuperata charitate, satisfacere Deo possunt. Et ita possunt Deo reddere, quod contra ipsum commiserũt: sed in inferno, quia charitatem non habebunt, non poterunt reddere honorẽ quem iniustè à Deo abstulerunt; & ideo pœnas sustinebũt, quousque vniuersum debitum sit solutum: quod, quia nunquam erit, nunquam pœnæ cessabunt: sed quia iuxta qua-

XXXI

Ambr.

H

I

K

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

litatem, & quãtitatem malorum operum cruciabuntur impij. Ideo Iob 20. dicitur de impio. Manus illius reddẽt ei dolorem ſuum: Quod exponens Grego. 15. lib. Moral. cap. 5. dicit. Per manus opera ſignantur. Manus itaque illius ei dolorem reddent, quia damnationem iuſtam ex iniqua recipiet operatione. Benè autem non dabunt, ſed reddent dicitur, quia peruerſæ eius actiones ei ſupplicium quaſi quoddam debitum ſoluent.

Gregor.

SVMMARIVM.

Quid ſignificetur per quadrãtem nouiſſimum, declaratur, & oſtenditur, quòd ſiue ſint peccata ex malitia, vel paßione perpetrata; in pœnis inferni, etiam ad minimum genus ipſorum reddentur.

XXXII

REddent autem in pœnis quod fecerint vſque ad nouiſſimum quadrantem, & loquitur ad modum fœneratoris, vel cupidi exactoris, qui nullam facit debitori gratiam, ſed debitũ totum vſque ad obulum exigit; quòd hîc nomine quadrantis inſinuatur; Quadrans enim in põderibus eſt quarta pars vnicæ, ſed in numiſmate eſt quarta pars de decem, quia decẽ nummos vſuales valebat, quarta pars de decẽ erant duo nũmi cõmunes, & media pars nummi vſualis. Vnde & Mar. 12. dicitur de vidua. Cum veniſſet vna vidua pauper, miſit in Gazophilatiũ duo minuta, quod eſt quadrans. Illa enim medietas nummi quam plus habebat quadrans, quàm duo minuta, non computabantur pro aliquo, & maximè quando nummi vſuales expendebantur. Vnde & Beda ſuper Matth. exponens illud, dicit. Quadrantem vocant calculatores, quartam partem cuiuſlibet rei, videlicet aut loci, aut temporis, aut pecuniæ. Et ſupra illud infra 22. Obtulerunt ei denarium, dicit Hiero. Hoc genus nummi eſt quod pro decem nummis computabatur, & habebat Cæſaris imaginem. Homo enim peccat quandoque ductus ad peccatum ex ſenſualitate, quandoque ex voluntatis malitia. Et quia (vt ſupradictum eſt) pro omnibus peccatis puniẽtur impij in inferno, ſiue ipſa ex paſſione commiſerint, ſiue ex malitia; ideo dicitur q̃ reddent vſque ad quadrantem, ideſt minima peccata ex paſſione, vel malitia perpetrata; Sed quia peccatum ex malitia maius eſt quam peccatum ex paſſione (cæteris paribus, ſicut quadrans habet aliquantulum etiam vltra duo minuta, ideo dicitur quòd nouiſſimum quadrantem, ideſt minorẽ partem quadrantis, quę ſunt peccata ex paſſione, ibi reddent. Vnde & Luc. 12. quando ponitur hęc ſententia, non dicitur quòd non exibis inde donec nouiſſimum reddas quadrantem, ſed dicitur, non exibis inde, donec omne nouiſſimũ reddas minutum.

Mar. 12.

Beda.

Matt. 22. Hieron.

Luc. 12.

SVMMARIVM.

Quòd per nouiſſimum quadrantem quem impij reddent in inferno, intelliguntur peccata delectationis etiam peccati venialis; quæ peccata ſunt minora quàm peccata conſenſus in opus exterius, vel quàm peccata operis exterioris, vel quàm peccata conſuetudinis.

XXXIII

CIrca quod attendendũ eſt quòd peccata ſiue ſint ex paſſione, ſiue etiam ex malitia voluntatis, ſunt vel peccata delectationis, vel peccata conſenſus, vel peccata operis exterioris, vel peccata conſuetudinis: Peccata autẽ delectationis dicuntur quando homo non conſentit in opus peccati exterius, ſed ſolum placet ei delectatio, quam habet de cogitatione peccati, non proponẽs exequi in opere quod cõgitauit: Hoc autem dupliciter contingere poteſt. Primò quòd placeat immunda cogitatio, vt eſt cogitatio, & ſtat inter limites cogitationis: ſecundò vt placeat cogitatio delectationis, vt cogitatur delectatio, quæ habetur in opere exteriori. Prima autem cogitatio delectationis, ſi ſit ſine neceſſitate, quia periculoſum eſt, vt tranſeat in affectum cordis, vix, vel nunquam eſt ſine peccato veniali. Vnde 2. Ethic. dicitur. Quòd maximè obſeruandum eſt delectabile, & delectationẽ. Non enim non accipiẽtes iudicamus eã: Quod igitur plebis ſenes patiebantur ad Helenam, hoc oportet pati & nos ad delectationem, & in omnibus illorum dicere vocem. Sic igitur abijcientes ipſam minus peccabimus: quod nihil aliud eſt dicere, quàm q̃ nec per cogitationẽ reſpicere debemus delectationẽ, quia ex illa ſubitò, & vt in pluribus trahimur ad cogitãdum de delectatione, quæ eſt in facto exteriori, & ad delectationi conſentiendum vt ſtat in cogitatione. Vnde & Iob 31. dicitur. Pepigi fœdus cum oculis meis, vt non cogitarem quidem de virgine. Vbi dicit Gregor. 21. Moral. cap. 2. & 3. Ne quædam lubrica, in cogitatione verſemus, prouidendum eſt nobis quod intueri non decet quod concupiſci non licet. Et infra. Plerũq; cogitatione praua pulſatur cor, ſed renititur; plerumq; autẽ cum peruerſum quid cõcipit, hoc intra ſemetipſum etiam per deſiderium voluit: Et nimirũ mentem

Ariſtot.

Iob 31.

Gregor.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

nequaquam cogitatio immunda inquinat cum pulsat, sed cum hanc sibi per delectationem subiugat. Vnde si cogitatio immunda statim vt animum pulsat reijciatur, nullum peccatũ est, & maximè in renatis, quia non est in potestate nostra quibus visis tangamur, & huiusmodi motus vocantur motus primi. Sed cum cogitatio immunda menti placere incipit, & retinetur, quæ statim expelli, vt cor tetigit, debuisset, peccatum est, ad minus veniale, posito quòd mens non delectetur, talem cogitando delectationem, quæ in re habetur exteriori. Sed dum mens delectatur cogitando delectationem quæ habetur in re exteriori, illiq; consentit delectationi, vt de ea cogitat, non tamen proponens facere factum exterius, in quo talis habetur delectatio, peccatum est, & non solum veniale, immo semper, vel vt in pluribus, mortale, dicente Augustino, 12. lib. de Trini. cap. 12. Totus damnabitur homo, nisi hæc quæ sine operandi voluntate, sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per mediatoris gratiam remittãtur. Et hæc duo peccata scilicet consensus in cogitatione peccati, & consensus in delectatione sine operis consensu, quæ sunt minora peccata alijs subsequentibus peccatis, nouissimus vocantur quadrans. Post hæc autem peccata delectationis, sequuntur in grauitate peccata consensus operis exterioris, quibus non deficit voluntas peccati exercendi, sed oportunitas, dicente Augustino, 1. de Ciuita. Dei, cap. 18. Si vero aliqua fœmina mẽte corrupta, violatoq; proposito, quod Deo vouerat, pergat vitianda ad deceptorem suum, adhuc eam pergentẽ sanctã vel corpore non dicimus, ea animi sanctitate, per quam corpus sanctificabatur, amissa, atq; destructa. Vnde & infra eodem dicitur. [*Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est in corde suo.*] Tertius verò quadrans ascendendo de pœnis in peccatis, est operis exterioris peccatum, cui consentit voluntas, quia iam membra nostra exhibentur arma iniquitatis peccato. Quartus tandem quadrans & superior in malo est peccatum consuetudinis, quia iam fœtet, & venit in profundum peccati, & iniquitatis. In inferno autem (vt supra dictum est) non solum punientur peccata mortalia, sed & venialia, & non solum venialia operis, verum etiam & venialia cogitationis, vel delectationis, quæ hîc importãtur nomine nouissimi quadrãtis. Vnde & hîc dicit Augu. Quòd de nouissimo quadrante soluendo potest non absurdè intelligi pro eo positũ, quòd nihil relinquitur impunitum. Et Remig. hîc dicit. Quadrans genus est nummi, est enim quarta pars vnciæ. Per quadrantem ergo minima peccata designantur, & est sensus; Non exibis inde, donec nouissimum reddas quadrantem, idest donec pro minimis quibusq; peccatis pœnas luas, quia nihil impunitum remanebit.

Remig.

SVMMARIVM.

Quòd alio modo per nouissimum quadrantem intelliguntur peccata, quæ committuntur ex corruptione terreni corporis, quæ secundum se sunt minora peccata quæ conuenire possent animabus, etiam si corpus terrenum, & corruptibile non haberent.

VEl secundum Glos. nouissimus quadrans est peccata, quòd de terra contrahimus. Iuxta illud Sap. 9. Corpus quòd corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Sunt enim peccata quædam, quæ per se etiam si absq; carne essent animæ nostræ, possent eis conuenire, cum & in diabolo, qui carnem non habet talia inueniãtur peccata, veluti superbia, odiũ, & inuidia. Alia verò sunt peccata, quæ non possunt animæ conuenire, nisi quia est coniuncta corpori terreno per peccatum corrupto, sicut est ebrietas, & luxuria; dicente Aug. 14. lib. de ciui. Dei cap. 3. Non omnia vitæ iniquæ vitia corruptioni carnis sunt tribuenda, ne ab his omnibus Diabolum purgemus, qui carnem non habet: Et si enim Diabolus fornicator, vel ebriosus, vel si quid huiusmodi mali est, quod ad carnis pertineat voluptates, non potest dici, licet sit talium peccatorum suasor, & instigator occultus; est tamen maximè superbus, atq; inuidus. Anima autem nostra quamuis à corpore exuta, tamen quia in corpore existens peccatorum maculam contraxit, quę ei prouenire non poterant, nisi corruptione carnis, cui fuerat vnita, non solum patietur pœnas pro peccatis, quæ ei secundum se, etiam si carni non esset coniuncta, inesse possent, sed etiam patietur pœnas pro peccatis, quæ ei conueniunt ratione carnis corruptæ, cui fuerat vnita, & hoc significat nouissimus quadrans. Terra enim quarta est, secundum situm in elementis, inferiorq; eis, vt eodem modo peccata ista ex carne contracta viliora sunt, & abiectiora, vt pura: quia consimiles actus, licet sine culpa bestiæ exerceant, & ideo huiusmodi peccata nouissimus quadrans

XXXIV Glos. Sap. 9. Augu.

Glos. drans dici possunt. Vnde, & hîc Glo. dicit. Per quadrantem nouissimum terrena significantur peccata, quia prima pars mundi cœlum, secunda aer, tertia aqua, quarta terra. Ergo non exibis inde donec nouissimum reddas quadrantem, id est, donec luas peccata, quę de terra contraxisti.

SVMMARIVM.

Alio modo exponitur quadrans nouissimus, pro pœnis peccato originali debitis, quòd inter peccata minus punitur; sed per maius quadrans intelliguntur peccata actualia facta ex studio, vel affectu, quæ inter alia peccata sunt maiora, & maiori digna sunt pœna; & ipsa ex infirmitate, vel passione, quæ post peccata ex studio sunt maiora; & peccata ex ignorantia, quæ ponuntur post peccata ex passione.

XXXV VEl per nouissimum quadrantem intelliguntur peccata originalia. Est namque intelligendum, quòd peccatum prima sui diuisione, diuiditur in peccatũ originale, & actuale; peccatumq; actuale diuiditur, in peccatum ex ignorantia, ex infirmitate, & ex studio; dicente Gregó. 5. lib. moral. cap. 11. super illud Iob 34. Qui quasi de industria recesserunt ab eo. Sciendum quippe est, quòd tribus modis peccatum committitur: Aut enim ignorantia, aut infirmitate, aut studio perpetratur. Et grauius quidem infirmitate, quàm ignorantia; sed multò grauius studio, quàm infirmitate peccatur. Et peccatum ex studio, vel industria igni potest comparari, quia feruenter vult iniquitatem, qui studio peccat. Vnde & Eccl. 23. dicitur. Anima calida quasi ignis ardens non extinguitur, donec aliquid glutiat; Et peccatum huiusmodi ex studio opponitur charitati, quia sicut charitas facit bonum, & amore bono, sic peccans ex studio, vel ex industria, ex peccandi affectu malum operatur. Peccatum autem ex infirmitate, vel passione aeri comparatur, qui facilis est impressionis, omni cedens impulsioni. Sic etiam ille qui ex passione peccat, licet non velit peccatum, dum est extra passionem, tamen passione adueniente, non potens ipsi resistere, statim consentit. Vnde Sap. 2. dicitur, quòd spiritus diffunditur tanquã mollis aer. Peccatum verò ex ignorantia assimilatur aquę, quæ nullam impressionem factam in se retinere potest, immo deletur statim, quod in ea impressum est, quemadmodum anima ignorans nullam scientiam, vel cognitionem de agendis habet. Vnde & in Ps. dicitur, Sicut aqua effusus sum. Peccatum tamen originale, quod ex cognitione terrena contrahitur terræ meritò comparari potest. Vnde & Io. 3. dicit Ioannes Baptista. Qui de terra est, de terra loquitur. Et quia iniqui (maxime quibus peccatum originale dimissum non est) non solum in inferno sustinebunt pœnas peccatorum ex industria, vel studio, ex infirmitate, vel passione, & ex ignorantia, immo etiam peccati originalis, quòd minus est inter peccata, quando sunt mortalia, idcirco dicitur. [*Non exibis inde, donec nouissimum reddas quadrantem,*] id est punieris ibi etiam de peccato originali. Vnde, & Grego. 15. lib. moral. cap. 31. dicit. Originale peccatum à parentibus trahimus, & nisi per baptismatis gratiam soluamus, etiam parentum peccata portabimus. Et vt dicit Ambro. super Lucam, lib. 7. cap. 12. Non sine caussa Dominus hîc non æra (sicut alibi) duo, non assem, non denariũ, sed quadrantem posuit. Erat enim antiqua consuetudo, quòd qui in balneis volebat lauari, pro lauationis peccato quadrantem soluebat, vnde dicit. Quadrantem in balneis dari solere reminiscimur, cuius oblatione, vt illic vnusquisq; lauãdi accipit facultatẽ ita hîc accipit aluẽ di: Et eodẽ modo, quia peccatũ sordidat animam, si lauari volumus, oportet quòd vel operibus charitatis iniuria peccati redimatur, vel peccati pœna exsoluatur.

Iob 34. Grego. Eccl. 23. Sap. 2. Pſal. 21. Ioan. 3. Grego. Ambro.

SVMMARIVM.

Quo modo accipiatur [donec] *hic positum; cum Dominus dicat. Non exibis inde, donec nouissimum reddas quadrantem: Si accipiatur carcer pro inferno damnatorum, vel si accipiatur pro igne purgatorio, vel si accipiatur pro materiali carcere huius mundi, in quo rei includuntur.*

XXXVI SVpradictæ verò expositiones tenent, si procarcere damnatorũ, infernus intelligatur, quia tunc [*donec*] non significat certum tempus, quo adueniente iniqui de inferno egrediantur, quia post certũ tempus, de inferno non erit egressus (vt supradictum fuit) sed tempus infinitum significat, sicut ibi, Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum: Et supra, Non cognouit eam, donec peperit filium suum primogenitum. Si verò carcer intelligatur pro igne, in quo exsoluuntur pœnæ peccatorum mortalium, hic quò ad culpam indultorum, de quibus in hac vita non est plenariè quò ad pœnam satisfa-

Pſal. 109. Matt. 1.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

ctum, vel in quo etiam per pœnas venialia purgantur peccata, tunc illud *(donec)* certum significat tempus, quo adueniente, solutis vel redditis pœnis, quarum rei sunt peccatores, de dicto carcere egredientur. Vnde & Aug. in homelia de igne purgatorio dicit, Tamdiu in igne illo moras habebimus, quàmdiu supradicta peccata minuta, tãquam ligna, fenum, stipulaq; cõsumentur. Et hoc modo exponit hanc partem Origenes dicens, Nouissimum, & minutum dicit gracile, & tenue. Peccata enim nostra aut sunt pinguia, aut tenuia; beatus est igitur qui non peccat. Secundò autem, si tenue peccatũ habeat, inter ipsa quorum tenuia diuersitas est, alioquin non diceret, [*Donec reddas nouissimum minutum.*] Si enim parum debet, non egredietur, nisi soluat minutum quadrantem. Qui autem magno debito fuerit obnoxius, infinita ei ad reddendum secula numerabuntur. Non quòd postea egrediatur secundum Origenis hæresim, sed quòd nunquam egredietur. In iudicio enim dicetur impijs. Ite in ignẽ æternum, quia ignis inferni, non solum in se est perpetuus, sed etiam quia illos, quos acceperit, & accèpit, perpetuò cruciabit; ideo subditur, quòd ibunt impij in supplicium æternum. Si verò pro carcere intelligatur materialis carcer, ac temporalis vitæ huius, in quo rei puniuntur per iudicem, tunc illud [*donec*] certum denotat tempus, quia qui propter debita in carcerem est missus, de ipso non egredietur donec integraliter, & vsq; ad obolum de debito satisfaciat. Dicit enim Origen. Si debitor fuero, mittet me exactor in carcerem, nec patietur me exire, nisi omne debitum persoluero. Non enim exactor potestatem habet, vt mihi saltem concedat quadrantem, quia non est Dominus, sed à Domino ad debita exigenda præpositus. Et Cyrillus inquit. Exactor mittet te in carcerem, in quo patieris angustias, donec nouissimum assem exigas; Soluto autem toto debito, de carcere egredieris.

Augusti. Orig. Matt. 25. Origen. Cyrill.

SVMMARIVM.

Ex prædictis ostenditur quo modo Dominus plenè præceptum impleat, quod erat positum in lege; Non occides, cum prohibeat iram, verborumq; iniurias, & mandet citò reconciliationem fieri; & quòd bonæ simus voluntatis ad concordandum cum aduersario, dum sumus in præsenti vita.

EX omnibus autem prædictis patet, quàm clarè, & plenè Dominus perficiat mandatum, Non occides; cum iram homicidij matrem prohibeat, & si fortè inter fratres nata fuerit, præcipit reconciliationem, priusquam Domino oblatio offeratur. Et si fortè aliquis noster inimicus sit, vel aduersarius, præcipit quòd dũ sumus in via, citò concordemus cum eo, & si hoc fieret, omnes inimicitiæ quę inter homines sunt, ex quibus homicidia, & iniuriæ personales nascuntur, subitò tollerentur. Propter quòd, clarè implet prædictum præceptum, quia non venerat soluere legem, sed adimplere.

Tractatus sequens protenditur vsq; ibi. (Quòd si oculus tuus dexter scandelizat te &c.) *Et continet in se 31. Capitula.*

SVMMARIVM.

Ponitur diuisio, Capitulum primum.

AVdistis quia dictũ est antiquis. [*Non Mœchaberis.*] Vbi postquam Dominus suppleuit, vel adimpleuit primũ præceptum negatiuum secundæ tabulæ, procedit ad supplendum, & ad implendum secundum præceptum negatiuum, secundæ tabulæ, quod est; [*Non Mœchaberis.*] Et duo facit, quia primò prohibet accessum ad mulierem non suam, secundò prohibet descessum, vel recessum ab vxore sua. Secunda ibi. [*Dictum est autem, Quicunq; dimiserit vxorem suam.*] Prima intres. Primò repetit veteris legis præceptum; Secundò supplet dictum præceptum; Tertiò peccati occasiones prohibet, ne in hoc incidatur peccatum. Secundum ibi, [*Ego autem dico vobis.*] prima ibi. [*Quòd si oculus tuus dexter scandelizat te.*]

SVMMARIVM.

Quòd quando Dominus mœchiam in lege prohibuit, omnem concubitum illicitum, cum qua cunque muliere, quę vxor concumbentis non sit, prohibuit; & ostenditur etiam quare concubitus cũ vxore non sua, sit illicitus, existens contra bonum prolis humanę naturæ, quia ex tali concubitu (vt in pluribus) non generatur proles, & si generetur, præter & contra generantium fit intentionem, & tunc male nutriuntur filij, & peius docentur.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

II Inquit ergo. [*Audistis quia dictum est antiquis, Non mœchaberis.*] Quod exponẽs Augu. quasi circa principium libri de decem chordis, dicit. Tibi dicitur non mœchaberis, ideſt non ibis ad aliquam aliam, præter vxorem tuam. Et Hugo primo libro de ſacramentis par. 12. cap. 12. dicit. Secundum præceptum ſecundæ tabulę eſt Non mœchaberis, id eſt non fornicaberis; fornicatio autem (vt hîc accipitur) eſt omnis illicitus concubitus; & rectè poſt primum præceptum de non occidendo homine iniuſtè, ſequitur præceptum, quo prohibetur omnis concubitus illicitus. Sicut enim per corporalem occiſionem homo exiſtens iam interimitur, ſic per vagum, & indeterminatum concubitum homo generandus perditur, atque deſtruitur. Circa quod attendendum eſt, quòd cum homo exiſtens in potentia indigeat generante vt producatur in eſſe; & poſtquam generatus eſt indigeat nutriente, ac etiam docente, cum tria bona habeamus à parentibus, ſcilicet eſſe, nutrimentum, & doctrinam; Vagus concubitus, & illicitus his tribus opponitur, vel ſimul, vel eorum alteri (vt in pluribus) propter quod huiuſmodi concubitus humanę vitę eſt contrarius: Concubitus autem innaturales & extraordinarij ſunt ſua natura tales, quòd ex eis proles generari non poteſt, & ideo vitæ humanæ hominis generandi opponuntor: Sed concubitus vagi, & qui non ſunt cum vxore, ſunt tales, quòd in eis nõ quęritur niſi delectatio, & contra intẽtionem ſic concumbentium eſt prolis generatio. Vnde ſi contingat generatio prolis, (vt in pluribus) generantibus diſplicet, frequenterq; procurantur, & fiunt aborſus, dicente Hieron. in Epiſtola ad Euſtochium. Piget dicere quot quotidie virgines ruant, quantas de ſuo gremio mater perdat Eccleſia: ſuper quæ ſydera inimicus ſuperbus ponat thronum ſuum, quot petras exeauet, & habitet coluber in earum foraminibus. Videmus plures viduas antequam nuptas, infęlicem conſcientiam (mentita tamen veſte) protegere, quas niſi tumor vteri & infantium prodiderit vagitus, erecta ceruice, & ludentibus incedunt pedibus. Nonnullæ cum ſe ſenſerint concepiſſe & ſcelere abortu venena meditantur, & frequenter etiam ipſæ commortuæ trium criminum reæ ſic ad inferos perducũtur; homicidæ ſui, Chriſti adulteræ, nedum nati filij paricidæ; & ſi hoc contingat manifeſtum eſt, quòd talium concubitus non ad generationem prolis, ſed ad delectationem ordinabantur, cum proles iam concepta occidatur. Cuius contrarium contingit in matrimoniali concubitu, ibi enim & ſi delectatio quęratur, attamẽ ſemper (vel vt in pluribus) proles haberi affectatur, dicente Ambroſ. ſuper Lucam lib. 1. cap. vltimo. Pudor eſt fœminis nuptiarum non habere præmia, quibus hæc ſola eſt nubendi cauſſa. Et aliquantulum ſupra inquit. Sunt quædam tempora preſcripta coniugio, quando dare operam liberis ſit decorum. Dum anni vigent, dum ſuſcipiendorum liberorum eſt ſpes, dum generandi vſus eſt in exemplo, copulæ quoque vſus in ſtudio eſt. Et cap. 1. dicti libri inquit. Diuinum munus eſt fœcunditas parentis. Agant itaque patres gratias quia genauerũt, filij quia generati ſunt, matres quia coniugij premio honorantur, ſtipendia enim militiæ ſuæ, filij ſunt. Vnde & propter hoc coniugium matrimonium vocatur, quia non propter aliam cauſſam mulier nubere debet, niſi vt filios pareat, & mater fiat. Vnde quemadmodum in concubina ſolus cõcubitus, & delectatio quęritur, non autem proles; ſic in matrimonio quæritur proles plus quàm concubitus. Poſito etiam quòd aliquando contingat haberi prolem etiam ex illicito concubitu, tamen non ita frequẽter, (& vt in pluribus) veluti in matrimonio. Mulier enim ſi ad multos accedat, vix, vel raro cõcipit, quia ſemen viri vnius impedit ſemẽ alterius ne fiat cõceptio, & prẽter hoc cauſatur incertitudo prolis, in tantum quòd frequẽter nec ipſe matres ſciunt cuius ſint filij quos cõceperint, quia multis, & quaſi circa idem tẽpus ſe coniunxerunt, exiſtente vero prole incerta, nullus de ipſa curat quòd nutriatur vel doceatur. Et hinc eſt quòd ſemper contra naturam fuit, vt vna mulier multis ſimul coniungeretur viris, ex hoc enim impediretur prolis cõceptio, & ipſius cauſaretur incertitudo. Propter hoc itaq; 2. Polit. Ariſtoteles reprehendit Platonis opinionẽ, dicẽtis, Mulieres in ciuitate debere eſſe cões, ita q̃ quælibet eſſet cuiuſlibet; quia ex hoc incertitudo prolis, & filiorũ conceptus filiorũ manifeſtè impediretur. Et ſic cũ cõcubitus illicitus opponatur vel generationi humanæ, vel prolis genitæ nutritioni, vel etiam doctrinæ, cum non curetur de prole ſic habita, vel genita; iccirco omnis talis cõcubitus malus eſt, & contra naturam prolis generandę, dicente Auguſt. 22. lib. contra Fauſtum cap. 29. Mortales delectationes vſq; ad reparandam, ſeu cuſtodiendam iſtam mortalem ſalutem, ſiue vniuſcuiuſq; hominis, ſiue ipſius humani generis, vel excitandæ ſunt, vel relaxandæ: Vltra ſi prolapſæ fuerint, & contra temperantiæ ra-

Auguſt. Hugo. Hieron. Ambro. Ibidem. Idem. Ariſtot. Auguſt.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

tionem hominẽ ncu ſe regentem arripuerint, libidines erunt profectò illicitæ, & turpes, dignæq; emendari doloribus. Et Idem. infra cap. 30. Lex æterna, ideſt voluntas Dei, conſeruando naturali ordini conſulens, non vt ſatiandæ libidini ſeruiatur, ſed vt ſaluti generis proſpiciatur, ad prolem tãtummodo propagandam, mortalis carnis delectationem, dominatu rationis in concubitu, relaxari ſinit. Et eodem lib. Idem. cap. 61. inquit idem. Conſultò æterna lex illa, quæ ordinem naturalem conſeruari iubet, perturbari vetat, non niſi propagationis cauſa ſtatuit hominis fieri concubitum: Et hoc non niſi ſocialiter ordinato connubio, quod non peruertat vinculum pacis: & ideo proſtitutio fęminarũ, non ad prolem ſubſtituendam, ſed ad libidinem ſatiandam propoſitarum, diuina atque ęterna lege dãnatur, Omnem quippe dehoneſtat emptorem venalis turpitudo. Ex quibus patet quòd dum adulteriũ prohibetur, omnis cõcubitus qui fit cum non legitima vxore, prohibitus eſt.

SVMMARIVM.

Oſtenditur quòd licet adulterare mulierem maius ſit peccatum, & plures in ſe habeat malitias, quàm ſimplex fornicatio; tamen & ipſa fornicatio eſt peccatũ mortale, & ipſum committens etiam cum muliere volente, iniuſtus eſt, damnationeq; dignus.

III LIcet enim ille qui cum volente fornicatur, ei non faciat iniuriam, cum nullus volens patiatur iniuriam, & propter hoc non videatur iniuſtus, attamen quia contractat mulierẽ & ſeipſum contra Dei voluntatem hoc prohibentis, iniuſtus, & iniquus eſt. Quemadmodum committens adulterium cum muliere volente, & petente, licet ei non faciat iniuriam, quia vult, attamẽ iniuſtitiam facit contra eum cuius eſt vxor, eam contractans præter voluntatem eius, qui licet tres committat iniuſtitias, ſcilicet contra virum adulterę, contra pacem communitatis, quæ ex hoc perturbatur, & propter hoc per legem humanam punitur, & etiam contra Deum, muliere abutens cõtra eius voluntatem, & hac de cauſa magis ſit iniquus, quàm fornicator; non tamen propter hoc excuſatur fornicator ab iniuſtitia, & iniquitate, quia & ſi non faciat contra alium virum, vel contra legis humanæ permiſſum, abutitur tamẽ humano ſemine, quod non ad delectationem, ſed ad hominis generationem ordinatur, fœminaq; etiam abutitur non ſua, contra Dei voluntatẽ, quare damnatione dignus eſt iuxta illud Apoſtoli ad Hebr. 13. Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus, fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus. Quod exponens Gloſſa dicit. Honorabile cõnubium non meretricabile ſit in omnibus, vt ſcilicet filiorum amore ducatur vxor legitima, temporibusq; certis abſtineatur ab ea; Et thorus immaculatus, non adulterium, ideſt ſine macula fornicationis in vobis ſit; Fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus, ideſt æternaliter damnabit. Et 1. ad Corint. cap. 6. inquit idem Apoſtolus. Nolite errare, neque fornicarij, neque idolis ſeruiẽtes, neque adulteri, neque molles, &c. regnum Dei poſſidebunt. Et Auguſtinus in libro de decem chor. circa finem dicit. Ne dicas mihi ad fornicationem vado, ad meretricem pergo, ad proſtitutam eo, nec illud præceptum violo quo dictum eſt; Non męchaberis, quia vxorem nondum habeo; cui reſpondens dicit. Ipſi Deo facis iniuriam, cum teipſum corrũpis. Cum enim imaginem Dei, quod tu es, corrumpis in te per fornicationes, & diffluentias libidinis, attẽdis quia ad nullius vxorem acceſſiſti, attendis quia poſt vxorem tuam nihil feciſti, quia vxorẽ non habes: & non attendis, per libidines illicitas fornicationis, cuius imaginem violaſti. Ipſe enim dominus qui ſcit quid tibi ſit vtile, vxorem conceſſit, nil amplius: Hoc iuſſit, hoc præcepit, ne per illicitas voluptates corruat templum eius, quod eſſe cępiſti. Ex quibus patet quòd omnis concubitus, qui fit præter vxorẽ, illicitus & iniquus eſt, quia fit præter bonum prolis, & quia quis abutitur re Dei cõtra voluntatem eius, quia proximo fit iniuria, quia ſeipſum homo corrumpit, & deſtruit templum Dei, & facit ſe, qui erat mẽbrum Chriſti, mẽbrum meretricis, & corpus. Et ideo cum ſit contra hominem generandum, benè poſt præceptum de non occidendo homine, ponitur præceptũ: Non mœchaberis; quia per mœchiam, humana impeditur generatio vel vt non ſit, vel ſi fiat, impeditur bonum prolis genitæ, quod eſt nutritio, & doctrina. Et hoc modo hanc partem continuans Chryſoſt. dicit in homil. Complens primũ mandatum, & in ſummam philoſophiam ipſum extẽdens, via & ordine peruenięs, iam procedit ad ſecundum. Chryſoſt. hom. 17.

SVMMARIVM.

Ponitur ſecunda continuatio, & oſtenditur quare dominus poſtquam regulauit paſſionem irę, regulet paſſionem carnalis concupiſcẽtiæ, quia

ira

ira est magis rationabilis passio quàm carnalis concupiscentia, quę si per rationem frenata non fuerit, lumen rationis extinguit.

IIII VEl secundum eũdem potest hæc pars continuari ad præcedentem sic. Postquam prohibuit iram iniustã, nunc prohibet, & cohibet carnalem concupiscentiam. Circa quod attendendum est, quòd sensualitatis appetitus qui apprehensionem sensus sequitur, & per sensum cohiberi non potest, est prior tempore in mouendo appetitu superiori, qui à principio dum tangitur per sensualitatis appetitum non potest resistere eius primæ motioni, cum non sit in nostra potestate, quibus visis tangamur: sed postea propter rationem quam habet superior appetitus secum coniunctam, si deliberet, potest contradicere, vel motioni sensitiui appetitus assentire. Et hinc est quòd principium peccandi in multis generibus peccatorum, est sensitiuus appetitus, dicẽte Bernar. 5. ser. de Quadragesima. In nobis est si vinci volumus. Nemo enim nostrum in hoc certamine deijcitur inuitus. Sub te est ò homo appetitus tuus, & tu dominaris illius. Potest inimicus excitare tẽtationis motum, sed in te est si volueris dare, seu negare cõsensum, In tua est facultate si volueris inimicum tuũ facere seruum tuum. Et quia principium tentationis peccandi est appetitus sensitiuus, qui diuiditur in irascibilem, & cõcupiscibilem; ideo dominus has passiones, alias includentes ordinat, dicente hîc Chrysost. in homil. Incipiens à generalissimis quæ in nobis sunt passionibus, furore dico, & concupiscentia, Hæc enim sunt quæ maxime vt Tyranni dominantur in nobis, & alijs sunt naturaliores, cum multa auctoritate, & quanta legislatori decens erat, emendauit eas, vt sic passionibus istis emendatis, via peccandi remoueatur à nobis. Sed quia ira est passio magis appropinquans rationi quàm concupiscentia, quia vt dititur 7. Ethicorum. Minus turpis est incontinentia iræ, quàm quæ concupiscentiarum. Videtur enim ira audire secundum quid rationem, obaudire autem, quemadmodum veloces ministrorum, concupiscentia autem si solum dicat, quoniam delectabile; ratio, vel sensus mouet ad fruitionem. Quare ira consequitur aliqualiter rationem, concupiscentia autem non, turpior igitur. Ideo primo Dominus regulat iræ passionem, quæ magis sequitur rationem: Et postea hic concupiscentiæ passionem, quæ passio magis irrationabilis est. Propter quòd sicut bestia est refrenanda ne contra rationem prorumpat, & maximè venereorum concupiscentia, quæ inter alias concupiscentias magis subuertit, & destruit rationem, dicente Tullio in lib. de senectute circa medium. Cum homini siue natura, siue Deus nil mente præstabilius dedisset, huic diuino muneri ac dono nihil est tàm inimicum, quàm voluptas. Nec enim dominante libidine, temperantiæ est locus, nec omnino in voluptatis regno virtus consistere potest, quæ si maior fuerit, atq; longior, omne animi lumen extinguit. Impedit enim voluptas consiliũ inimica rationi, ac mentis perstringit oculos, nec vllum habet, cum virtute commercium. Vnde cum inter concupiscentias, maior, atq; irrationabilior sit concupiscẽtia venereorum, idcirco Dominus primo emendationem iræ emendat, venereorumq; temperat concupiscentiam, dicẽs, [*Non mœchaberis.*]

Bern. Cicero.

SVMMARIVM.

Quòd mœchia propriè ad viros pertinet, adulterari verò ad mulieres, & quare hoc præceptum, non mœchaberis, viris datum fuerit, duę assignantur causſæ.

V ATtendendum est quoque, quòd hoc præceptum ũiris datur, vnde & in lege post hoc præceptum subdit. Non desiderabis vxorem proximi tui. Et licet adulterium, & mœchia idem significent, nam mœchia Græcè, adulterium est Latinè, dicente Grego. 21. lib. moral. cap. 9. Gteco verbo mœchus, adulter dicitur: appropriatè tamẽ secundum legis vsum, mœchia ad viros pertinet, adulterium autem ad mulieres, iuxta illud Leuit. 20. Si mœchatus quis fuerit cum vxore proximi sui, & adulterium perpetrauerit cum coniuge proximi sui, morte moriatur mœchus, & adultera. Et Dominus subdit illud declarans præceptum. [*Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est in corde suo.*] Et hoc fit propter duo. Primò, vt ostendatur, quòd doctrina Dei quodam ordine ad nos peruenit, à Deo enim peruenit ad Angelos, ab Angelis ad Prophetas, & ad altos viros, quia suscipiunt montes pacem populo, & à sublimibus viris ad populares homines, ab illis tandem ad mulieres. Vnde, & primum præceptum dedit Deus homini soli, dicẽs. Ex omni ligno paradisi comede, &c. & tamen peruenit ab eo ad mulierem. Vnde & ipsa Gen. 3. dixit. De fructu lignorum quæ sunt in paradiso vescimur, de ligno autem scientiæ, boni, & mali non vesci-

V Chrysost. hom. 17. Gregor. Leu. 20. Ariſtot. Gen. 2.

mur,

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

mur, ne fortè moriamur. Et hoc dixit mulier respondendo ad quæstionē quam serpens fecerat, inquiens. Cur præcepit vobis Deus ne comederetis de omni ligno paradisi? Et sic dixit mulier, hoc præceptum habuisse à Deo, ipsa, & vir eius; Et tamen antequam formaretur mulier, hoc præceptum Deus dederat soli viro, & ab ipso peruenit ad mulierem. Propter hoc & Apostolus inquit. Docere mulieri non permitto, neque in virum dominari, 1. Cor. 14. Et 1. ad Cor. 14. Mulieres in Ecclesijs taceant, si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Vt ostendat autem quòd recto ordine doctrina à viro deducitur ad mulierem: præcipitur viro, non mechaberis; & dum viro prohibetur adulterari, consequenter & mulieri prohibetur. Quod etiam secundò propter aliud fit: Secundum enim communem humanum errorem, non videtur indecens nec multum turpe, si viri fornicentur, vel adulterentur, multum autem indecens, inhonestumq; videretur, si mulieres talia committerent, dicente Aug. in lib. de decem chordis. Si quis voluptate cum ancillis suis amatur, blande accipitur, & tanta est peruersitas humani generis, vt aliquādo metuendum sit, ne castus inter impudicos erubescat. Nam si quis existat, qui dicat se castum, non facere adulterium; erubescit ad alios accedere non sui similes, ne insultent, ne irrideant, ne dicant non esse virum. Ad hoc delapsa est humana peruersitas, vt vir habeatur victus à libidine, vt vir non habeatur libidinis victor. E' contra autem, si mulier fornicetur, vel adulterium committat, omnes viri, & etiam mulieres ipsam detestantur, & ad pœnas (si possent) adducerent. Vnde quia quasi licitum viris videbatur fornicari, & adulterari, propter peruersam humanam consuetudinem (vt dictum est) Iccirco diuinum præceptum huic peruersæ consuetudini obuiaus, dicit viro [*Non mechaberis.*]

Augus.

SVMMARIVM.

Quòd licet per se, & directè vir mechiam committens grauius peccet, quàm mulier adulterans; per accidens tamen, & propter multa mala quæ sequuntur adulterium mulieris, grauius reputatur, quàm mechia viri.

VI

LIcet enim turpius sit in muliere adulterari, & periculosius, & per accidens mulier adulterans, grauius peccet, quàm vir; per se tamen, & directè grauius peccat vir adulterans, quàm mulier.

F Quantò enim maior virtus est in aliquo, & impulsus passionis minor, & regimē alterius est ei cōmendatum, tantò grauius peccat, si per tentationem se cadere permittat, cum & in hoc seipsum perdat, & subdito suo occasionem peccādi tribuat; Vir autem propter perfectiorem rationē, quam habet, fortior est ad resistendum libidini, nec impetus passionis libidinis est tantus in viro, quantus in muliere; mulier quoque regenda sibi fuit commissa, ideo per se, & directè grauius peccat vir G adulterando, quàm si mulier adulteretur. Vnde Aug. de decem chordis circa princi pium. inquit. Cum in virtute vxorem tuā præcedere debeas, quoniā castitas virtus est, & tu sub vno impetu libidinis cadis, & vis vxorem tuam victricē esse, tu iaces victus. Et cum tu caput sis vxoris tuæ, præcedet te ad Deum, cuius caput es, Vis domum tuam capite dorsum pendere? Caput enim mulieris vir est. Vbi autē melius viuit mulier viro, capite deorsum pēdet domus. Si caput est vir, melius viuere debet vir, & præcedere in omnibus bonis factis vxorem suam, vt ipsa virum imitetur, & caput suū sequatur. Quò caput ducit, illuc & corpus sequi debet: Quare ergo caput, id est vir, vult ire, quò non vult vt corpus sequatur? Et idem Aug. 2. lib. de adulterinis coniugijs dicit c. 8. Magis debent illicitas concupiscentias viri viriliter frenare, quia viri sunt: magis debent mulieribus suis, ad virtutis castitatis exemplum se præbere, quia viri sunt: minus debent libidine superari, quia viri I sunt; minus debent lasciuienti carni seruire, quia viri sunt: Et tamen indignantur si audiant adulteros viros pendere, similes adulteris fœminis pœnas, cum tantò grauius eos puniri oportuerit, quantò magis ad ipsos pertinet, & virtute vincere, & exemplo regere fœminas. Vnde & Antoninus Imperator, non vtiq; Christianus constituit, quòd maritus vxorem de adulterij crimine accusare non sinatur, cui moribus suis castitatis exemplum non præbuerit, ita vt ambo damnentur, si ambos pariter impudicos conflictus ipse conuicerit. Vnde, inquit, Periniquum mihi esse, videtur, vt pudicitiam vir ab vxore exigat, quam ipse non exhibet. Et sic quā tum ad peccatum adulterij pertinet, magis peccat vir adulterium committendo, quàm mulier; per accidens tamen, & propter illa quæ sequuntur adulterium mulieris, nempe prolis incertitudo, conceptionis impeditio, legitimorum filiorum exhereditatio, & illegitimorum hereditatio, generis ignobilitas, quia vt pluribus

Augus.

Ephe. 5.

Idem.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

adulteræ ad viles, & ignobiles conuertuntur,) aborsuum procuratio, pugna domestica, & generationis vituperatio; quia estimatur, quòd sicut mater, ita & eius filia, grauius peccat mulier adulterans viro mechiam committente. Vnde & Eccl. 23. dicitur. Mulier omnis relinquens virum suum, & statuens hæredem ex alieno matrimonio, primò enim in lege altissimi incredibilis fuit, & secundò virum suum dereliquit, tertiò in adulterio fornicata est, & ex alio viro filios statuit sibi; Derelinquēt in maledictione memoriam ipsius, & dedecus illius non delebitur. Et quia tot mala oriuntur, ex mulieris adulterio, ideo per accidens grauius eius est peccatum; Et magna sollicitudo adhibetur, adhiberiq; debet ne mulieres adulterentur, vt & in libro de decem chordis inquit Aug. Multa custodia est, ne mulieres adulterentur, legis præceptum, diligentia maritalis, terror etiam publicarum legum, multæ custodiæ faciunt castiorem fœminam. Nam ideo mulieri maior adhibetur custodia, quia maior infirmitas, quia super illam est, & diligentia viri, & terror legum, & morum consuetudo, & verecundia maior, & Deus. Sed quia lex Dei per se attendit ad prohibendum illud quod est per se maius peccatum, & maximè respectu illius, qui secundum prauam humanam consuetudinem, vel non peccare, vel minus peccare estimatur, ideo, non mœchaberis præcipitur viro, quia plus peccat per se mœchando, quàm fœmina, & minus estimatur peccare, secūdum peruersam cōsuetudinem humanā. vel etiam non peccare. Vnde lex Dei, quæ omne prohibet peccatum viris, & mulieribus, prohibet adulterium, & tantò magis viris, quantò plus peccant, & quantò in virtute præcellere mulieres deberent; quæ lex licet dura viris videatur, virtutis tamen & perfectionis est forma. Vnde, & de quibusdam dicit Aug. 2. de adulterinis coniugijs cap. 8. Sunt quibus displicet, vt inter virum, & mulierem par pudicitiæ forma seruetur, & potius eligunt, maximeq; in hac causa, mundi legibus subditis esse, quàm Christi, quoniam iura forensia non eisdem, quibus fœminas, pudicitiæ nexibus viros videntur adstringere. Sed quia Christiani sumus, & lex Christi, viros & mulieres eisdem legibus pudicitiæ constringit, sicut nō licet mulieri adulteriū cōmittere, ita nec viro adulterare.

Eccl. 23.

Aug.

Idem Au.

SVMMARIVM.

Ponitur error quorūdam hæreticorum dicētium, tempore veteris testamenti, non fuisse peccatum fornicationem vagam, vel concubinatum, cum determinata mulirre; eorumq; inducuntur rationes.

A

SEd quia Dominus in veteri lege mœchiam prohibuit, id est, adulterium, quod fit, vel quando vterq; est coniugatus, vel quando alter est coniugatus, & alter solutus; quia vtroq; modo alterius lectus polluitur, siue coniugatus accedat ad coniugatam, siue ad solutam, vel soluta ad coniugatum, cum adulterium sit illusio alieni coniugij, vel coniugis thori inquinamentum: Aliqui fuerunt hæretici, qui crediderunt adulterium in testamento veteri fuisse peccatum; sed fornicationē simplicē, quæ est cōiunctio carnalis, soluti cum soluta, peccatum non esse: dicētes quòd adulterium prohibitum erat, cum lex dicit. [*Non mœchaberis,*] non autē fornicatio cū nō dicatur. [*Nō fornicaberis.*] Nō videtur autē, quòd prohibēs adulteriū, quod continet iniustitiā, prohibuerit omnē carnalem cōiunctionem quæ solum concubitum dicit soluti cum soluta, & maximè cum Sancti Patres, qui in Scriptura multum laudantur de iustitia, & virtute, concubinarij fuerint, durante etiam matrimonio: sicut Abraham viuente Sara, habuit concubinam Agar, vt Gen. 16. dicitur: & Iacob habens Liam, & Rachelem in vxores, accepit duas concubinas, scilicet Balam, & Zelpham, vt habetur Gen. 25. Dauid etiam multas habuit concubinas, licet & multas haberet vxores, vnde 2. Reg. dicitur. Accepit adhuc Dauid concubinas, & vxores de Hierusalem post quam venerat in Ebron: Iudas etiam Patriarcha cōcubuit cum Thamar nuru sua, quam meretricē estimabat, deceptus propter habitus mutationem, & vultus opertionem, vt dicitur Gen. 38. Et Prophetæ Oseæ 1. præcipitur à Domino. Vade sume tibi vxorē fornicationum, & fac tibi filios fornicationum. Et sic videtur, quòd in lege veteri fornicatio simplex, vel concubinatus, peccata non essent, cum in viris maximæ sanctitatis fuerint reperta, qui in scriptura non reprehenduntur, immo multum laudantur, ex qua opinione fortè nata fuit hæresis Nicholaitarum, dicentium nō esse peccatū, comedere de idolotitis, & fornicari, vt patet Apoc. 2.

B

C

D

E

Gen. 16.

Idem 25.

2. Reg. 5.

Gen. 38.

Oseæ 1.

SVMMARIVM.

Distinguitur secundus error, & ostenditur fornicationem etiam in tempore legis veteris, mortale fuisse peccatum.

VII

Sed

VIII Sed hic error clarè tollitur. Primò per id quod habetur Deute. 23. Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filijs Israel: & aliquantulum supra dicitur. Non ingredietur manzer, ideſt de scorto natus in Ecclesiam Domini vsq; ad decimam generationem. Et Thobiæ 4. dicitur. Attende tibi fili mi ab omni fornicatione, & præter vxorem tuam nunquam patieris crimẽ scire. Et super illud Iob 31. Si deceptum est cor meum super mulierẽ, & si ad ostium amici mei insidiatus sum, scortum sit alterius vxor mea, & super illam alij incurruentur: Hoc enim nephas, & maxima iniquitas est. Ignis est vsq; ad perditionem deuorans, & omnia eradicãs genimina: dicit Gregor. 21. Moral. cap. 9. per hoc quod dicitur: Si deceptum est cor meum super mulierẽ; neq; cogitasse, vir sanctus de fornificationis macula demonstratur. Per hoc autem quod subijcit: Et si ad ostium inimici mei insidiatus sum; patenter innotescit quòd ab adulterij reatu liber fuit. Et sic non solum ab adulterij crimine; verum etiam à fornicationis inquinatione se liberũ seruauit, de quibus subdit criminibus quòd est iniquitas maxima. Et Eccl. 23. dicitur. Homini fornicario omnis panis dulcis, non fatigabitur transgrediens vsq; ad finem. Et de illo qui ingreditur ad meretricẽ, dicitur Prouer. 7. Nescit quòd ad vincula trahatur stultus, & nescit quia de periculo animæ illius agitur. Et Prouer. 9. dicitur, Quòd qui applicantur mulieri stultæ, descẽdunt ad inferos: Et sic secũdum legem Dei sem per mortale peccatum fuit simplex fornicatio, diuinoq; iure damnatur omnis illicitus concubitus.

Deut. 23. Ibidem. Thob. 4. Iob 31. Gregor. Eccl. 23. Prouer. 7. Idem.

SVMMARIVM.

Soluitur prima ratio dictorum hæreticorum, & ostenditur quòd per præcepta decalogi aliquando prohibentur maiora, vt ostendantur prohibita minora; aliquando prohibentur minora, vt ostendantur prohibita maiora; quia totum genus vnius peccati per dicta prohibetur præcepta. Ex quo contingit quòd eo quod prohibetur mœchia quòd est maius crimen, prohibetur & fornicatio quæ est minus, quia etiam simplex fornicatio aliquando in scriptura mœchia vocatur.

IX Sed nõ obstãt illa quæ supra ducebãtur in contrarium. Cum enim dicitur in veteri lege prohibitam esse mœchiam, vel adulterium, non autem fornicationem, & si prohibetur maius, non propter hoc videtur minus esse prohibitum, Dicendum quòd præcepta posita in decalogo legis, aliquãdo prohibent maius, & maius prohibendo prohibent etiam minus. In veteri namq; lege prohibetur haberi Deos alienos, & coli, & fieri, & tamen ex hoc prohibentur etiam & diuinationes, auguria, & huiusmodi, quæ minora sunt crimina quàm idolatria ipsa. Eodemq; modo cum prohibetur homicidium quod est maius, prohibetur omnis iniuria quæ fit proximo in corpore suo, sicuti ipsa mutilatio, verberatio, & sic de alijs iniuriis, quæ postea peccata esse declarãtur in subsequentibus præceptis legis. Pari modo dum ibi prohibetur adulterium quod est maius, prohibetur etiam fornicatio quæ est minus crimen. Vnde & Dominus hanc legem declarans in Euangelio non dixit, Qui viderit vxorem aut coniugẽ alterius ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo, sed dixit. [*Qui viderit mulierem* (quod est nomen sexus) *ad concupiscendum eam &c.*] Vt ostendat quòd sub mœchia largo modo sumpta, & qualiter in lege accipiebatur, fornicatio simplex cõprehendebatur. Vnde Gregor. 21. lib. Moral. cap. 9. dicit. Nonnunquam à reatu adulterij nequaquã discrepat culpa fornicationis, cũ veritas dicat. [*Qui viderit mulierem &c.*] Quia enim græco verbo mœchus adulter dicitur, cum non cõiux sed mulier videri prohibeatur, apertè veritas ostẽdit, quòd etiã solo visu cum turpiter innupta concupiscitur, adulterium perpetratur, & sic fornicatio simplex mœchia vocatur. Et dum prohibetur mœchia, prohibetur & simplex fornicatio. Aliquando vero cum prohibetur minus, & maius eiusdem generis intelligitur esse prohibitum, sicut si prohibetur furtum, & rapina intelligitur esse prohibita: Cũ ẽt periuriũ prohibetur & blasphemia intelligitur prohibita, Et eodem modo contingit, cum mœchia prohibita est, quia per hoc intelligũtur prohibita bestiales concubitus, & contra naturam, & incestus, quæ sunt crimina maiora adulterio. Et sic non sequitur, Prohibita est mœchia, ergo non est prohibita fornicatio, quia in præceptis decalogi totum maleficij genus intelligitur prohibitum per speciem.

F G H I K Gregor.

SVMMARIVM.

Quomodo Abraham & Iacob habuerint simul plures vxores, & tamen non peccauerint; & Agar, Bala, & Zelpha, aliquando vxores vocantur in scriptura, aliquãdo concubinæ, quod tamen de Sara, Lia, & Rachel non dicitur, sed semper vxores vocantur, & causa assignatur.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Et quòd licet tunc licitum fuerit vnum virum plures vxores viuentes simul habere, non tamen nunc licitum est. Et hoc modo excusantur à peccato fornicationis, vel concubinatus Abraham, & Iacob, qui debent excusari.

X

ET cum secundò dicitur, Sancti viri qui in nullo reprehẽduntur in lege, fuerũt concubinarij, vxoribus legitimis adhuc viuentibus, & per consequens fornicarij, vt Abraham, & Iacob; Dicendum, ꝙ illo tempore licuit patribus plures habere vxores, dicente Aug. 22. lib. contra Faustum c. 47. Quando mos erat plures habere vxores, crimẽ non erat, & nunc proprerea crimen est, quia mos non est. Alia enim sunt peccata contra naturam, alia contra mores, alia contra præcepta. Si naturã consulas, quid criminis erat plures simul habere vxores, cum non lasciuiendi, sed giguendi causſa illis vtebantur mulieribus? Si mores, illo tẽpore atq; in illis terris hoc factitabatur. Si præceptum, nulla prohibebatur lege; & sic tempore illo peccatum nõ erat plures habere vxores. Abraham autem Agar non habuit vt concubinam, sed eam habuit vt vxorẽ. Vnde & Gen. 16. dicitur, Quòd Sara tulit Agar ancillam suã post annos decem, quãdo habitare cęperat in terra Chanaãn, & dedit eam viro suo vxorẽ. Et eodem modo Iacob habuit in vxores Balàm & Zelfam. Vnde Gen. 37. dicitur. Ioseph cum sexdecim esset annorũ pascebat gregẽ cum fratribus suis adhuc puer, & erat cum filijs Balæ & Zelphæ vxorũ patris sui; & sic non fuerũt concubinarij, licet plures haberent vxores, quod tunc peccatũ minimè erat. Et si aliquando concubinæ vocantur, iuxta illud Gen. 25. Dedit Abrahã cuncta quæ possederat Isaac, filijs autẽ concubinarum largitus est munera. Et eodẽ lib. cap. 35. Abijt Ruben & dormiuit cũ Bala concubina patris sui; hoc non est, ꝙ prædictæ mulieres vxores nõ fuerint Abraham & Iacob, sed pro tãto dicuntur cõcubinę, quia non erãt æqualis dignitatis viris, vel etiã vxoribus primis, cum essent ancillæ; & etiam quia (vt in pluribus) non succedebant in hæreditate, licet filij ancillarum Iacob sicut & alij filij liberarum hæreditatem cõsecuti fuerint. Vnde & adhuc apud Saracenos multas habẽtes vxores, vnã præ cęteris habent, quã vocant castam, quæ est vt aliarum vxorum domina, respectuq; cuius aliæ vxores quasi concubinæ videtur. Vnde & enumeratis multis filijs Dauid, quos habuit tàm de vxoribus, quàm de cõcubinis, dr 1. Parali. 3. Sextum Ietrahaã de Egla vxore sua, quasi aliæ nõ fuerint vxores, quia Egla quæ alio nomine vocatur Michol fuit prima vxor eius, ideſt vnica, aliæ quasi cõcubinæ visæ fuerunt. Vnde & Hiero. in hebraicis quæstionibus super 2. lib. Reg. dicit. Quęritur cur alię nõ vxores Dauid, sed sola Egla vxor dicitur Dauid. Egla enim ipsa est Michol, quæ ideo hæc sola eius vocatur vxor, quia in adolescẽtia primum ipsam sortitus fuerat in vxorem. Et sic licet ancillæ vxores fuerint Abrahæ & Iacob, tamen propter prędicta, concubinæ aliquando vocãtur. Nunc vero plures non licet habere vxores, minusq; concubinã, & si nil aliud intenderetur quàm proles; dicente Aug. 22. lib. contra Faustum cap. 47. Nunc crimẽ est siquis plures simul habeat vxores, quia & moribus, & legibus hoc minime conuenit. Quæ duo quisquis contempserit, etiam si tantummodo generandi causſa pluribus fęminis uti uellet, at tamen peccat, ipsamq; uiolat humanã societatem, cui necessaria est propagatio filiorum. Et ut inquit idem eodem lib. Melius Thamar sine filiis remaneret, quàm si sine iure matrimonii mater fieret.

Hieron.

Augusſt.

Idem.

SVMMARIVM.

Quòd non excusatur Iudas à fornicatione cum Thamar nuru sua, cum animũ fornicandi cum ea habuerit. Non est necesse etiã quòd Dauid à concubinatu excusetur, cum grauiora cõmiserit peccata. Et si quis eum de peccato cõcubinatus voluerit accusare, ostẽditur quòd mulieres illæ quæ in vno loco scripturæ vocãtur cõcubinę Dauid, alio in loco vocãtur vxores; & sic quia licebat tũc plures habere vxores, ideo Dauid concubinatus crimen minimè cõmisit.

XI

NOn est autem necesse ꝙ Iudas excusetur à fornicatione, quã cõmisit cum Thamar: vel Dauid, vel cęteri qui concubinas habuerunt, cum de aliis etiã peccatis maioribus in scriptura accusentur: sicut Iudas de venditione Ioseph, & Dauid de adulterio Bersabeæ, de Vriæ interfectione, & de multis aliis criminibus. Quãuis enim in scriptura solum narretur fornicatio, vel concubinatus aliquorũ & non laudetur eorum factũ, vel uituperetur; nobis tamen dimittitur secũdum alia scripturæ loca iudicandum factum, an sit malum, vel bonũ; dicẽte Aug. 22. lib. contra Faustum cap. 62. Vitia hominũ quæ scriptura sacra cõmemorat, nõ est necesse nos approbare, quin potius necesse est vt quantò illam religiosius accipimus, tãtò fidentius illa culpemus, quæ per eius ueritatẽ culpãda didicimus. Ac per hoc cũ facta quorundã cõmemorat, de quibus eo loco suã tacet sententiã, iudicãda nobis permittit, nõ laudãda præscribit. Quis enim nostrum in ipso

Augusſt.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

euangelio nõ deteſtatur Herodis crudelitatẽ, cũ de Chriſti natiuitate ſollicitus, tot occidi iuſſit infantes? At hoc factũ, ibi non vituperatur, ſed narratur. Et cap. 60. dicit de Iuda. Iudã, quantũ in eo erat, deformitèr cum meretrice cubaſſe non dubiũ eſt. Poteſt & dici eodẽ modo de Dauid, ſicut de Abraham, & Iacob dictum eſt, ſcilicet quòd illę, quæ dicuntur fuiſſe concubinæ, fuerunt & vxores. Vnde & decem concubinæ, cum quibus cõcubuit Abſalon filius eius, de quibus habetur 2. Reg. 16. Tetenderunt ergo Abſalon tabernaculum in ſolario, ingreſſusq; eſt ad concubinas patris ſui coram vniuerſo Iſrael; vocatæ fuerunt vxores eius, eodem lib. cap. 12. dicẽte ſibi Nathan, Ecce ego ſuſcitabo ſuper te malũ de domo tua, & tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis, in oculis ſolis huius, & ſic illæ eędem, quæ dictæ ſunt concubinæ vocantur vxores Dauid. Patet ergo quòd in lege veteri, ac etiã in noua, ſimplex fornicatio, vel concubinatus peccata fuerũt, prohibitaq; in decalogo cum dicitur, Nõ mœchaberis.

Idem. 2. Reg. 16. Idem 12.

SVMMARIVM.

Excuſatur Oſeas Propheta quòd de mãdato Dei accepit fornicariam, & fecit filios fornicationum, & adulteram adamauit, ponunturq; duæ excuſationes, & ſic argumenta hæreticorum ſuprapoſita tolluntur.

XII NEc obſtat ſi Deus præcepit Oſeę Prophetæ quòd acciperet vxorem fornicariam, vel fornicationũ, & faceret fornicationũ filios, vel quòd poſtea eidem præceperit, quòd diligeret mulierẽ dilectam à viro, & adulteram; Quia & ſi ad literam intelligatur quòd fornicatus fuerit Propheta, vel adulterium, obediens Deo, commiſerit, hoc ei præcipienti, non peccauit, immo peccaſſet, ſi inobediens fuiſſet, ſicut peccauit Propheta ſocius, cui dixit Propheta in ſermone domini, percute me, quia noluit ipſum percutere, nec vulnerare, propter quod & à Leone interfectus fuit 3. Reg. 20. Quia vt dicit Aug. 22. lib. cõtra Fauſtum cap. 7. Diuinis imperijs cedendũ eſt obtemperando, non reſiſtendum eſt diſputando. Et cap. 73. Abrahã niſi in occidendo filio ſpõtaneus motus eſſet, execrabilis fuiſſet, domino autem iubenti obſecundans, non ſolum inculpabilis, verum etiã laudabilis inuenitur. Eodemq; modo Propheta fornicãs, vel adulterãs, obediẽs Deo, non eſt vituperandus, ſed collaudandus. Licet enim purus homo, non poſſit

3. Reg. 20. Idem.

F iuſtè præcipere, nec alter ei debet obedire, quòd fornicetur, vel adulteretur, quia omnis concubitus cum muliere extra matrimoniũ eſt illicitus, cum tractetur cũ muliere cõtra Dei voluntatẽ, qui ſolum vult (vt ſupradictum eſt) quòd ſolum matrimonialiter tractetur; de lege tamen cõmuni, quia ipſe Deus tali lege non eſt reſtrictus, poteſt diſpẽſare in lege, ſic quòd fornicãs, vel adulterãs non peccet. Quod enim concubitus cum vxore nõ ſit peccatum, ſicut eſt cum alia muliere extranea, nõ eſt quia G Deus ſic ordinauerit, matrimonium inſtituendo, vt ſi vellet quòd matrimoniũ poſſet eſſe ad horam, vel ad modicum tẽpus, ordinare non poſſet, & etiã ordinare non poſſet, quòd ſine matrimonio talis concubitus non eſſet peccatũ, vel tollendo legẽ, vel diſpẽſando in lege, vel pro hoc ſingulari, vel generaliter pro omnibus: Non enim lex iſta talis eſt, quin in ipſa Deus diſpenſare poſſit; dicente Ber. in lib. de præcepto & diſpenſatione cap. 4. Præceptũ quod inuiolabile nominaui, illud intelligo, quod H non ab homine traditum eſt, ſed diuinitus promulgatũ, niſi à Deo, qui tradidit, mutari omnino non patitur. Vt exẽpli cauſa Non occides, non mœchaberis, nõ furtum facies, & reliqua illius tabulæ legis ſcriptæ, quæ & ſi nullam prorſus humanam diſpenſationem admittant, nec cuilibet hominum ex eis quicquam aliquo modo ſoluere aut licuit, vel licebit; Deus tamen horum quod voluit ſoluit, ſiue cũ ab hebręis Aegyptios ſpoliari, ſiue quando prophetã cum fornicaria muliere miſceri præcepit; I quorum alterum, quid, niſi graue furti facinus; alterũ, quid, niſi flagitij turpitudo reputaretur, ſi non excuſaſſet vtrũq; factũ auctoritas imperãtis? Licet etiã dici poſſet quòd & ſi mulier illa, quã accepit Propheta prius fuerit fornicaria, tñ quando Propheta concubuit cum ipſa, vxor illius erat facta pudica, dicẽte Hiero. li. 1. ſuper Oſeam. Non eſt culpandus Propheta, interim vt ſequamur hiſtoriam, ſi meretricem conuertit ad pudicitiã, ſed potius laudandus, cum ex mala fecerit bonã. Non enim K qui bonus permanet, ipſe polluitur, ſi malo ſocietur, ſed qui malus eſt, in bonũ vertitur, ſi boni ſectetur exempla. Ex quo intelligimus prophetam non amiſiſſe pudicitiam, fornicariæ copulatum, ſed fornicariam pudicitiam aſſumpſiſſe, quam non habebat antea, præſertim cum beatus Oſeas hoc non cauſſa luxurię, non libidinis, non propria fecerit volũtate, ſed Dei paruerit imperio. Cum ſecũda vero adultera non eſt cõmixtus Propheta, quia non fuit ſibi præceptum ꝙ cõmiſceretur illi, ſed tñ ꝙ

Bernar. Hiero.

dili-

diligeret mulierem dilectã amico, & adulteram, dicente Hiero. lib. 1. super Oseam. Idem. Diligit adulteram, non tamen ei matrimonio copulatur, nec fornicatione coniungitur, sed tantum diligit delinquentẽ. Et quod subditur, Et fodi eam mihi quindecim argenteis &c. siue conduxi, adulterę preciũ est, non vt cum propheta dormiat, sed vt sua mercede contenta, adulterare desistat, nec passim cæteris copuletur. Nec obstat si dicatur, cum prima muliere prophetam non contraxisse matrimonium, quia dicitur ei quòd faceret filios fornicationum; quia vt dicit Hieron. Idem. Propheta ipse ex meretrice, quæ prius fuerat antequam matrimonio iungeretur, filios genuerat; iccirco fornicationis filii appellati sunt, quia sunt de meretrice quę prius fuerat, generati. Vnde & Salomon genitus, post contractum matrimonium inter Dauid & Bersabeæ, vt patet 2. Reg. cap. 12. 2. Reg. 12. quia tamen de matre quæ prius fuerat adultera, est genitus, Manzer, idest de scorco, vel de adultera natus, dicitur. Vnde super illud 3. Reg. 1. Eritq; cum dormierit dominus meus rex cum patribus suis, erimus ego, & filius tuus Salomon peccatores, dicit Hieronym. in hebraicis quæstionibus. Eximus peccatores, idest Manzeres, inde misericordiam fecisse Dominum cum Dauid, Salomon dicit in subsequentibus; eo quòd filium qui secundum legem Manzer erat, idest de scorto natus, successorem illi fecit, & sic natus de matrimonio spurius est secundum legem, quando mater antè matrimonium meretrix fuerit, vel adultera. Et hoc modo filij Oseæ, nati post contractum matrimonium inter ipsum, & Gomor fornicariam, fornicationum filij appellãtur, quia nati fuerunt de muliere, quæ priusquàm matrimonialitèr prophetæ copularetur, fornicaria fuit. Ex quibus patet, quòd & in veteri testamento, simplex fornicatio peccatum erat, & prohibita per diuinam legem, & quòd illa quæ ducebantur in contrarium non concludunt.

A B C D

SVMMARIVM.

Ostenditur quòd fornicatio, vel adulterium multipliciter accipitur in scriptura, vt cognoscatur, in qua acceptione mœchia, vel adulterium sumitur, cum dicitur. Non mœchaberis.

XIII ATtendendum quoq; est, quòd in scriptura, multiplex inuenitur fornicatio, vel adulterium. Est enim adulterium generaliter, sumptum pro omni peccato, quo Dei amore postposito, rationalis creatura, per amorem adhæret alicui bono creato, de qua fornicatione dicitur in Psal. Perdidisti omnes qui fornicantur abs te, mihi autem adhærere Deo bonum est. Quod exponens Cassiodo. dicit. Fornicari à Domino, est, quando adulterinis cogitationibus ab eius casto amore deuiamus, & luxuriam seculi præponentes, præceptorum cœlestium non recipimus disciplinam, qnia tantum quilibet à Domini recedit cultura, quantum praua se polluit cogitatione. Secundo modo dicitur adulterium committi, quando honor Deo debitus, qui est animæ sponsus, alicui refertur creaturæ; vel etiam quando fides Christi, per quam ipse in nobis habitat, & est sponsus Ecclesiæ, deseritur vel per Apostasiam à fide, vel per quamcunq; hæresim. Vndé de prima mœchia, quæ est idolatria, dicitur Hyerem. 3. Mœchata est Iuda cum lapide, & ligno. Et de secũda mechia dicit Apostolus 2. ad Cor. 11. Despondi vos vni viro virginem castã exhibere Christo. Timeo autem ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua, ita corrumpãtur sensus nostri, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo. Vbi dicit Glossa; Timet Apostolus ne sicut per serpẽtem seducta est Eua, ita per Hæreticos corrumpatur Ecclesia à virginitate fidei, quã gestat in corde. Virginitas enim cordis; fides est incorrupta, quę virginitas omnium est fidelium. Tertio mœchia, vel adulterium dicitur violatio matrimonij alterius, de qua dicitur Deutero. 22. Si dormierit vir cum vxore alterius, vterq; morietur, id est, adulter, & adultera, & auferes malum de medio israel. Quando autem in lege præcipitur, Non mœchaberis, propriè intelligitur de adulterio, vel mœchia tertio modo sumpta, sicut patet per illud, quod Dominus subdit: [*Qui viderit mulierem*,] & Aug. in lib. de ser. Domini in monte dicit. Nomine męchantium, qui hoc capitulo commemorantur, omnem carnalem, & libidinosam concupiscentiam oportere intelligi.

Psal. 72. Cassiod. y Here. 3. 2. Cor. 11. Glos. Deut. 22. Auguſt.

SVMMARIVM.

Quòd ex eo quòd peccatum est defectus in actu voluntatis existens, si ipsa voluntas cupiditati adulterium committendi consentiat, adulterium cordis dicitur esse perpetratũ. Sequitur.

EGo autem dico vobis, viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est in corde suo.] Vbi ponitur declaratio & adimpletio supradicti præcepti, scilicet: Non mœchaberis. Quia enim, vt dicit Augu. XIIII

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Auguſt. lib. 19. contra fauſtum cap. 23. Iudæi putabant tantummodo corporalem cum fœmina illicitam commixtionem, mechiam vocari, oſtendit magiſter, nil aliud eſſe & talem concupiſcentiam. Circa quod attendendum eſt, quòd cum peccatum ſit actus voluntarius, dicente Aug. 22. lib.

Idem. contra fauſtum cap. 34. Siue iniquitas, ſiue iuſtitia niſi eſſet in voluntate, non eſſet in poteſtate, porrò ſi non eſſet in poteſtate nullum premium, nulla pœna iuſta eſſet. Et in lib. de vera religione cap.

Idem. 14. inquit idem. Defectus iſte, qui peccatum vocatur, ſi tamquã febris inuitũ occuparet, rectè iniuſta pœna videretur, quæ peccantem conſequitur, & quæ damnatio nuncupatur. Nunc verò vſq; adeo peccatum voluntarium malum eſt, vt nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium. Quare aut negandum eſt peccatum committi, aut fatendum eſt volũtate committi. Vnde quia peccatum eſt defectus voluntarius exiſtens in poteſtate hominis per voluntatẽ, hinc eſt, quòd ſola voluntas peccandi, de peccato inculpari debet. Membra enim, quibus peccata exercemus voluntatis motioni reſiſtere non poſſunt, dicente Anſelmo in lib. de concordia liberi arbitrij, & gratiæ. Voluntas inſtrumentum mouet omnia alia inſtrumenta, quibus ſponte vtimur, & quę ſunt in nobis, vt manus, lingua, viſus, & quæ extra nos ſunt, vt ſtylus, & ſecuris, & facit omnes voluntarios motus; ipſa verò ſe ſuis mouet affectionibus, Vnde dici poteſt inſtrumentum ſeipſum mouens. Quia ergo peccatum defectus voluntarius eſt, ſoliq; imputandum voluntati, quæ ſe, & alia inſtrumenta mouet, & exhibet membra arma iniquitatis peccati; idcirco ſi ipſa voluntas per malam concupiſcentiã ſit corrupta, peccatum eſt conſumatum, quia velle iniquitatem, ipſum eſt peccatũ.

Anſel.

Iaco. 1. Vnde & Iacobi 1. dicitur. Vnuſquiſq; tẽtatur à concupiſcentia ſua, abſtractus, & illectus. Deinde concupiſcentia, cũ conceperit parit peccatum, peccatum vero cum cõſumatum fuerit generat mortem. Vnde Dominus attendens originem adulterij, & cauſſam, prohibet concupiſcentiam, id eſt voluntatem, vel cupiditatem adulterij committendi, quia ſi talis voluntas ſit in homine, iam (quantum in eo eſt,) commiſit adulterium. Vnde, & hic inquit interlinearis. Concupiſcentia, adulterij mater eſt.

Glo.

SVMMARIVM.

Quòd in conſenſu peccandi appetitus ſenſitiui,

F *licèt ſit vitium, non tamen peccatum ibi exiſtit, & maximè in renatis, ſed in peccandi voluntate peccatum conſiſtit.*

XV CIrca quod attendendum eſt, quòd ſicut in nobis duplex eſt appetitus, nempe ſenſitiuus, & intellectius; ſic etiam duplex eſt concupiſcentia, ſcilicet appetitus ſenſitiui, & intellectiui. Concupiſcentia autem appetitus ſenſitiui licèt ſit peccandi cauſſa, & occaſio, in ipſa tamen, vel ipſa in renatis, non eſt peccatum; ſed

G concupiſcentia voluntatis illa eſt peccatum, & in illa peccatum conſiſtit: dicente Anſelmo in lib. de peccato originali cap. 4. Appetitus quos Apoſtolus carnem vocat, quæ concupiſcit aduerſus ſpiritũ; & legem peccati, quæ eſt in membris repugnantem legi mentis iuſti, vel iniuſti, non per ſe ſunt conſiderandi: Non enim hominem ſentientem iuſtum, vel iniuſtum faciunt, ſed iniuſtum tantum voluntate, cum non debet, conſentientem. Et hîc Hiero. dicit. Inter paſsionem, & propaſ-

Auſel.

Hiero.

H ſionem hoc intereſt, quòd paſsio reputatur pro vitio, propaſsio autem, licet vitij culpam habeat, non tamen tenetur in crimine. Ergo qui viderit mulierem, & anima eius titillata fuerit, propaſsione percuſsus eſt. Si ergo cõſenſerit, de propaſsione tranſiuit ad paſsionẽ, & huic nõ voluntas, ſed occaſio deeſt, & propter hoc reus de peccato tenetur, etiam antequam opere exteriori perpetret peccatum, quia voluntas eius corrupta eſt.

I *SVMMARIVM.*

Quòd voluntas committendi peccatum adulterij, deliberationem rationis præueniens, peccatum adulterij non eſt; ſed voluntas committendi adulterium, quæ ſequitur deliberationem rationis, vel eſt cum ea, adulteriũ cordis eſt.

XVI ATtendendum tamen eſt, quòd voluntatis concupiſcentia duplex eſt, vna ſubita, omnem deliberationem rationis præueniens, quia ſequitur actum ſimplicis apprehenſionis, alia eſt quæ ſequitur

K deliberationem, & talis concupiſcentia conſenſum includit; prima autem voluntatis concupiſcentia non eſt peccatum, quia non eſt in poteſtate noſtra, quibus viſis tangamur, cum nihil ſit in poteſtate noſtra, niſi per actum liberi arbitrij, cuius actus eſt deliberare; ſed deliberatione habita, ſi voluntas concupiſcat illud, quod eſt iniuſtum, iã peccati rea tenetur, etiam ſi ad aliquod opus exterius membra non moueat. Vnde & hic Gloſſa dicit. Sicut

Glo.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

bona voluntas, cum deest copia benè agendi, remuneratur, sic deliberatio cum vitiorum molimine damnatur, quia non secundum quod quisq; potuit, & nō licuit, sed prout voluit, & proposuit à conscientia accusatur vel defenditur. Vnde prima concupiscentia voluntatis quæ præuenit deliberationem vocatur propassio, secunda vero quæ subsequitur deliberationem vocatur passio. Vnde & hîc Glossa inquit. Propassio est subitus motus sine deliberatione boni, vel mali operis, passio est deliberati animi affectio, si sit locus perficiendi.

Glos.

SVMMARIVM.

Quare concupiscentia mulieris cui homo consentit, vocatur adulterium cordis, & quando.

XVII SEcundum hoc autem triplex in nobis est concupiscētia, nempe appetitus sensitiui, & voluntatis subitę deliberationem pręueniens appetitus intellectiui, in quibus formaliter non consistit peccatū, cum non sint in potestate nostra licet sint causa & initium peccati; & concupiscentia subsequens deliberationem, in qua peccatum consistit. Hæc autem concupiscentia duplex est, vel enim sola est concupiscētia delectationis, non proponens, vel volens habere delectationem in re exteriori, sed tantum delectationem cogitans, quæ est in opere exteriori, in ipsa delectatur, vt sibi cōplacet, quod est primum genus peccati mortalis, vt supradictum fuit per Augustinum; Vel est concupiscentia deliberationem sequens, qua res exterior concupiscitur, vt de illa, & in illa opus iniquitatis exerceatur, quod mala voluntas concupiscit, quæ concupiscentia rei vocatur, quia non iā delectatio in cogitando quæritur, sed ipsamet res, vt mulier in se ipsa. Vnde Dominus non dixit mœchum esse simpliciter illū, qui concupiscit, quia non est mœchus qui concupiscit mulierē concupiscentia appetitus sensitiui, vel concupiscentia voluntatis, quæ propassio vocatur, nec etiam concupiscentia delectationis, quæ fertur tantum ad delectationem, vt est cogitata; quia delectatio ista non habet mulierē pro obiecto, Non enim proponit mulieri commiscēri, sed illa concupiscentia voluntatis quæ sequitur deliberationem, & concupiscit commixtionem, vel concubitum cum muliere, illa est mœchia cordis. Vnde & hîc dicit Glos. Non ait, qui concupiuerit, sed qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, ideſt hoc fine, & animo attenderit vt eam concupiscat, mœchus est, quia iam non est titillari, sed plenè libidini consentire, vt sic facultas peragatur. Et Chrysost. in expositione de concupiscentia animæ, loquitur dicēs. Si quis viderit &c. ideſt non si quis concupiuerit secundum desideriū carnis ineuitabile, sed si quis concupiuerit secundum animæ voluntatē, & consensum dederit, statuens quod cupit implere, ille talis & si nihil gesserit, iam tamē corde adulter est ante Deum, quia forsan impeditus est ab opere, non cōpunctus in voluntate.

Chrysost. hom. 12.

SVMMARIVM.

Quòd aliud est videre mulierem ad concupiscendum eam, quia qui eam sic videt antequam ipsam sic videret concupiscebat eam; & aliud est videre mulierem, quam ex visione postea concupiscit. Ille autem qui primò videt mulierem ad concupiscendum, nunquam effugit mœchiam cordis, sed ille qui eam videndo postea concupiscit, quādoq; effugit mœchiam cordis; sed si talem actum frequentat, vix effugit talem mœchiam, propter quod primam partem Dominus ponit, non autem secundam.

XVIII ESt etiam intelligendum quòd videre mulierem ad concupiscēdum, eam dupliciter intelligi potest; Vno modo vt ex concupiscentia mulieris procedatur ad visionem eius, vt visa ipsa, magis concupiscatur; Secundò vt ex visione, concupiscentia oriatur. Contingit enim quandoq; quòd mulieris pulchritudine visa, vel audita, cō cupiscatur, & ex illa concupiscentia concupiscit homo, vt eam magis, & magis videat, vt sic magis etiā concupiscat; quemadmodū legitur de presbyteris Dan. 13. Iussērūt vt discooperiretur Susanna (coopertā enim erat,) vt vel sic saciarentur de core eius. Et hoc modo videtur Dominus hîc loqui dicens, [*Qui viderit mulierem ad concupiscendum,*] ideſt adhoc videt vt concupiscat eam; & sic ante visionem eius cor videntis iam per concupiscentiam corruptum erat, vt magis postea per visionem corrumperetur. Aliquando etiam contingit quòd ante visionem, mulier non concupiscitur, sed ex eius visione, oritur concupiscentia, quemadmodum contigit Holoferni de Iudith, de quo dicitur Iudith 10. Cum intrasset Iudith ante faciem eius statim captus est in oculis suis Holofernes. Et Dan. 13. dicitur de Susanna. Videbāt eam senes quotidie ingredientem, & ambulantem, & exarserūt in concupiscentia eius. Et Eccl. 9. dicitur, Auerte faciem tuam à muliere compta, & non circunspicias speciem alienam, propter speciē mulieris

Dan. 13. Iudith 10. Dan. 13. Eccl. 9.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

lieris multi perierunt, & ex hoc, concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit. Et de iſta duplici viſione ad concupiſcendum mulierem, vel aliquid aliud, dicit Grego. 21. lib. Moral. cap. 6. exponens illud Iob cap. 31. Si ſequutus eſt oculus meus cor meũ, ait. Sicut ſæpe per oculos trahitur tẽtatio, ſic nonnunquã concepta intrinſecus, cõpellit ſibi extrinſecus oculos deſeruire. Nã plerunq; res quælibet innocẽti mente reſpicitur, ſed ipſo conſpectu, animus concupiſcẽtię gladio cõfoditur, Non enim (vt exẽpli cauſſa) cum diximus Dauid. Vrię cõiugẽ ideo ſtudiosè reſpexit, quia concupierat, ſed potius concupiuit, quia incautè reſpexit. Sepe autẽ iam intrinſecus concupiſcentia dominatur, & illecebratus animus ad vſus ſuos ſenſus corporeos famulari more tyrãnidis exigit, ſuisq; voluptatibus oculos ſeruire cõpellit, atq; (vt ita dicã) feneſtras luminis ad tenebras aperit cęcitatis. Quamuis autem & ille, qui propter intrinſecam, quam habet concupiſcẽtiam vult videre mulierem, quam concupiſcit, & ille qui ex mulieris viſione mouetur ad concupiſcendam mulierem, poſt quam concupiſcentia contra rectam rationem inſurgit, vterq; mulierem concupitam ſit in ſuo corde adulteratus; tamen ille nunquam vult peccatum euadere, qui propter concupiſcentiam iam in eo præexiſtentem, vult videre mulierem, licet ille aliquando peccatum euadat, qui videt antequam concupiſcat, licet in peccandi periculo ſe ponat: Quia & ſi ſemel, vel bis vidẽs pulchram mulierem euadat, tamen ſi frequentet talem viſionem vix euadet, quin vel videndo concupiſcat, vel poſtquã viderit, quin mulieris viſæ imaginẽ apud ſe formet, ex qua imagine ad concupiſcentiam mulieris prius viſæ deducatur; dicente Chryſoſto. hic in homeliario. Semel bis, & ter videns mulierem fortaſsis poteris contineri, ſi autem quotidiè hoc feceris, & caminum accenderis, omnino capieris. Non enim extra humanam es naturam; Qui enim ſtudet pulchros videre viſus, ipſe maximè paſsionis caminum accendit, & animam facit captiuam, velociterq; ad adulterium venit, quia flammã accendens ſemel, & abſente viſa muliere apud ſeipſum continuè plaſmat flagitioſarum idola actionum, & ab ipſis multotiens, & ad opus procedit. Vnde quia res periculoſa eſt mulierem pulchrã videre, ideo Iob. 31. de ſe ipſo dicit. Pepigi fœdus cum oculis meis, vt nec cogitarem quidem de virgine. Quod exponens Gregor. 21. lib. Moral. cap. 2. dicit. Vt cordis cogitationes caſtè potuiſſet ſeruare,

Iob. 31. Grego. Chryſoſt. hom. 17. Iob 31. Gregó.

F fœdus cum oculis pepigit, ne prius incautè aſpiceret, quòd poſtmodum inuitus amaret. Valdè namq; eſt quòd caro deorſum trahit, & ſemel ſpecies formæ cordi per oculos illigata, vix magni luctaminis manus ſoluitur. Ne ergo quędam lubrica in cogitatione verſemus, prouidendum nobis eſt, quia intueri non debet, quod concupiſci non licet. Quiſquis enim per corporis feneſtras incautè exterius reſpicit, plerumq; in delectatione peccati etiã nolens cadit, atq; deſiderijs obligatus in-
G cipit velle, quod noluit; præceps quippe anima dum antè non præuidet, ne incautè videat, quod concupiſcat cæca prius incipit deſiderare quod vidit. Sed quia nõ ſemper ad viſionem mulieris pulchræ ſequitur concupiſcentia eius, ideo Dominus non dixit ſimpliciter, Qui viderit mulierem ad concupiſcendum iam męchatus eſt eam &c. Sed dixit. [*Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt &c.*] Ille namque viderit mulierem ad cõcupiſcendum, qui poſtquam eam concupi-
H ſcit, adhuc eam videre vult, vel in ſe, vel in ſua imagine, vt in eius amore inardeſcat. Vnde antequam ex viſione naſcatur concupiſcentia, non eſt mœchia, quia non videtur mulier ad concupiſcendum; poſtquam verò inſurgit concupiſcentia ad habendum mulierem viſam, tunc homo incipit videre mulierem ad concupiſcendum, tuncq; mœchia incipit, cum prius dum ſimpliciter videbatur abſque mala concupiſcentia, mœchia minimè eſſet.

SVMMARIVM.

Ponuntur tres ſenſus iſtius ſententiæ Domini, Aliqui namque volunt videre mulierem concupitam, vt iam magis concupiſcant; aliqui videndo mulierem mouentur ad eam concupiſcendam, quam non concupierant; aliqui ideo vident, vt concupiſcentiam ſuam, de muliere dormientẽ excitent, & ad concupiſcendum. Iſtiq; vltimi alijs ſunt deteriores, quia peccant ex malitia voluntatis, primi ſunt in malitia poſt iſtas, medij autem alijs minus ſunt mali.

XIX VNde primus ſenſus huius ſententiæ Domini eſſet. [*Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam,*] id eſt, qui videndo concupiſcit. Et hoc modo hanc partem exponens Hiero. dicit. Quicunq; viderit Hiero. ad concupiſcendum, id eſt, ſi ſic aſpexerit, vt concupiſcat, & facere diſponat, iſte rectè dicitur mœchatus in corde ſuo. Hoc enim modo Dauid vidẽs mulierem ex aduerſo ſe lauantem, eam concupiuit, cum

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

ipsaque mœchatus fuit, 2. Reg. 11. Hoc etiam modo Sichem filius Emor videns Dinam, eam adamauit, & rapuit, dormiuitq; cum illa, virginem opprimēs. Gen. 34. Secundus sensus est. Qui viderit mulierem ad concupiscendum, id est, si ex concupiscentia mulieris, quis moueatur ad eam videndam, suæ volens satisfacere concupiscentiæ, suamq; nutrire, vel augere concupiscentiam: Præsentia namq; rei concupitæ naturaliter auget concupiscentiam, & hic ex interiori concupiscentia, visio incontinens nascitur. Sicq; hanc partem exponit Aug. 1. lib. de ser. Domini in mon. Qui viderit mulierem ad concupiscendum, id est, hoc fine, & hoc animo acceperit, vt eam concupiscat, quod non est iam titillari delectatione carnis, sed planè libidini consentire. Tertius sensus est, [*Qui viderit mulierem &c.*] id est, qui adhuc videt mulierem, vt concupiscentia, vel libido in eo surgat, quia non habet libidinis passionem, quam vult habere, quæ libido non semper adest homini quando vult, & maximè motus membrorum genitalium, qui ad voluntatis imperium minimè mouentur. Cogitat de muliere, vel videt mulierem, vt dormientem concupiscentiam, per cogitationem, vel visum mulieris excitet. Et iste pessimus est inter omnes, cum iste videat vt concupiscat, & per se, & directè intendit concupiscentiam. Et hoc modo hanc partem exponit in homiliario Chrysost. dicens, Non simpliciter dicit, quicunque concupierit mulierem, quoniam in motibus est etiam sedentem concupiscere, sed quicunque inspexerit ad concupiscendum, hoc est; Quicunque sibi ipsi ad concupiscentiam colligit, qui nullo cogente feram induit cogitationi quiescenti, hoc enim nō amplius naturæ est, sed desidiæ. Ille namque, qui videndo concupiscit nō est à principio malus, neq; mœchus, ille vero qui ex concupiscentia mouetur ad videndum mulierem antequam ipsam videat, malus, & in corde suo mœchus est. Sed ille qui videt, vt concupiscat, pessimus mœchus est, cum non ex passione, sed ex voluntatis malitia, ad mœchādum, suam moueat concupiscentiam, quam quia non potest mouere facit mulierem videre, vt ad eius appetentiam insurgat libido, & concupiscentia.

August.

Chrysost. hom. 17.

SVMMARIVM.

Quòd cum Dominus dicit. Qui viderit mulierem &c. non solum accipit pro actu oculorum exteriorum, sed & pro cognitione omnis sensus, tàm exterioris, quàm interioris.

ATteudendum quoq; est, quòd hic videre non ponitur tantum pro actu virtutis visiuæ corporalis, sed generaliter ponitur pro actu cuiuslibet sensus tàm interioris, quàm exterioris. Actus enim videndi licet proprius oculorum sit, translatiuè tamen dicitur de omnibus sensibus, dicente Aug. 10. lib. confessionum cap. 35. Quia oculi sunt ad cognoscendum in sensibus principes, concupiscentia oculorum eloquio diuino appellata est. Ad oculos enim proprie videre petinet. Vtimur autem hoc verbo, etiam in cæteris sensibus, cum eos ad cognoscendum intendimus. Neque enim dicimus, Audi quid rutilet, aut olfac, quàm niteat, aut gusta quàm splendeat, aut palpa, quàm flaueat, Videri namque dicuntur hæc omnia. Dicimus autem non solum, vide quid luceat, quod soli oculi sentire possunt; sed etiam vide quid sonet, vide quid oleat, vide quid sapiat, vidé quàm durum sit, quia videndi officium in quo oculi primatum tenent, etiam cæteri sensus sibi de similitudine vsurpant, cum aliquid cognitionis explorant. Vnde & in præsenti loco videre non ponitur solum pro sensu oculorum, sed & pro alijs sensibus, alioquin cæcus non posset corde mœchus esse, qui tamen ex mulieris tactu sic inardescit in concupiscentiam, ac si ipsam videret. Illi pariter qui in monasterijs mulieres non vident, in imaginibus mulierum, quas sibi formant, cordis adulteria committunt, & sic non solum ex visione corporali, sed etiam ex aliorum sensuum cognitione, & imaginationis in adulterium cordis incidetur. Vnde & hîc Glo. dicit. Visus hic ponitur pro omni motu, qui est in delectatione, non solum corporali, sed & interiori.

XX

Glos.

SVMMARIVM.

Quòd licet tam olfactus vnguentorum meretricalium, quàm auditus verborum prouocantium mulierem, excitent libidinem virorum, tamen visus, & tactus ipsarum magis libidinem excitant, quàm aliorum sensuum sensatio, & plus tactus, quàm visus. Vnde Dominus, vt cordis adulterium prohibeat, visum incontinentem prohibet, vt ex hoc intelligatur prohibitus tactus illicitus, qui magis libidinem excitat, quàm visus incontinens.

LIcet autem ex olfactu vnguentorū meretricalium, & ex auditu verborum le-

XXI

noticī-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

nocitiuorum quandoq; homines ad luxu
riam inducãtur, vnde & meretrix non so-
lum iuuenem dulculatur, sed etiam pro-
caci vultu blanditur, & verba amatoria di
cit ei, & etiam cubile suum mira, aloe, &
Prou. 7. cinamomo spargit, Prouer. 7. vt per hæc
omnia ad fornicãdum secum in omnibus
sensibus iuuenem trahat; præcipui tamen
sensus concupiscentiæ carnalis excitãdæ,
vel augendæ, sunt visus, & tactus. Vnde &
Ezechieli quando suã debuit perdere vxo
rẽ dictũ fuit. Ego tollo à te desiderabile
oculorũ tuorũ in plaga, & nõ plãges &c.
Ezec. Quod exponẽs Hiero. lib. 7. super Ezech.
dicit. Mortuorũ luctũ non facies. Septua-
Hieron. ginta habent gemitum sanguinis, qui ni-
hil aliud nisi renum luctus, & tunc cum
vxor vocetur desiderabile oculorum, &
renum luctus, subdit nil viro, vxore bona
amabilius, quæ proprie ad renum coniun
ctionem pertinet, quæ à Deo homini pro-
uidetur, & cui lege domini coniungitur
vnumq; corpus cum eo efficitur. Et sic
Prophetæ vxor, erat oculorum desidera-
bile, & mors eius erat ablatio desiderabi-
lis oculorum, & lumborum, & sanguinis
luctus, quia & oculis placet, & sensui ta-
ctus, & præsertim partium genitalium sen
sus, qui hîc per lumbos intelliguntur, ha-
bent cum vxore propriam delectationem.
Verumtamen quia sensus visus spiritua-
lior est sensu tactus, ideo sensus visus abs-
que tactu non ita inflammat corpus ad li-
bidinem, sicuti sensus tactus, qui propter
suam materialitatem ex mulieris cõtactu,
magis, & fortius inardescit. Vnde vix mũ
dus, & purus à peccato resilit, qui mu-
lierem concupitam tangit. Vnde &
Prou. 6. Prouer. 6. dicitur. Nunquid absconde-
re potest homo ignem in sinu suo, vt ve-
stimenta illius non ardeant, aut ambulare
super prunas & plantę eius non comburan
tur? Sic qui ingreditur ad mulierem pro-
ximi sui, non erit mundus cum tetigerit
eam. Anima enim calida quasi ignis ardẽs
nõ extinguitur, donec aliquid deglutiat.
Et quia mulieris concupiscentia magis
accenditur ex eius tactu, quàm ex sola vi
sione, ideo Dominus vt carnalem refre-
net concupiscentiam, non dicit, qui teti-
gerit mulierem ad concupiscendum, iam
mœchiam commisit, sed dixit, qui vide-
rit mulierem; quia si visio concupiscen-
tialis mulieris causat cordis adulterium,
quæ visio ex se non tantam libidinem, vel
concupiscentiam inflammat, sicut tactus,
manifestum est quòd ex tactu mulieris, ex
concupiscẽtia, adulterium est. Vnde & Ba
Basil. silius in libro de militia spirituali dicit.
Mulieris carnem ne velis tangere, ne per

F tactum inflammetur cor tuum, & in per-
ditionem labaris. Sicut cum ferrum igni
approximatur comburitur, sic qui tangit
mulieris carnem nõ euadet absq; damno.
Licet enim corpore castus euaserit, men-
te tamen, & corde, corruptus abscedet.
Propter quod si videre mulierem ad con-
cupiscendum mœchia cordis est, magis
vtique oscula amatoria, & inhonesti ta-
ctus mechiæ sunt cordis, & per consequẽs
peccata mortalia, cum maiorem concupi
scentiam, & libidinem habeant annexam.
G Vnde & Cipria. ad Pompeum de virgini- Cipr.
tate dicit. Ipse concubitus, ipse comple-
xus, ipsa confabulatio, & osculatio, & ia-
centium duorum turpis & fœda dormi-
tio, magni dedecoris, & criminis esse con
fitemur.

SVMMARIVM.

Quòd mulier videri potest scilicet vel visu sim-
plici, vel visu concupiscentiali; licet autem
videre mulierem pulchram simplici visu non
H *sit peccatum, neque mœchia cordis, tamen sæ-*
pe eam videre periculosum est infirmis, cum
talis visus simplex, facilitèr transeat in con-
cupiscentiam.

XXII ATtendendum quoque est, quòd ali-
quid videre in scriptura dupliciter
sumitur; vel pro videre simplicitèr sum-
pto; vel pro videre concupiscentiali. Pri-
mò enim modo Adam vidit animalia ad
eum adducta, eisq; nomina imposuit; Eua
etiam antè peccatum vidit lignum scien-
tiæ boni, & mali, habens fructũ pulchrum
I visu, & suaue ad vescendum: Secundo mo
do Adã, & Eua se nudos viderunt post pec
catum, quando aperti sunt oculi eorum, Augu.
& fecerunt sibi perizomata; dicente Aug.
14. lib. de ciui. Dei cap. 17. Adam & Eua
antè peccatum nudi erant, & non confun
debantur, non quòd eis sua nnditas esset
incognita, sed turpis nuditas nondũ erat:
quia nondum libido membra illa præter
arbitrium commouebat: Sed post peccа-
tum extitit in motu corporis quædam im
prudens nouitas, vnde esset indecens nu-
K ditas, & fecit attentos, redditq; confu-
sos. Vnde & postea quando violauerunt
Dei mandatũ, scriptum est de illis, Aperti
sunt oculi amborum, non ad videndum,
(nam & antea videbant,) sed ad discernen
dum inter bonum, quòd amiserant, & ma
lum in quod ceciderant. Vnde Dominus
non dixit simpliciter, [*Qui viderit mulie-*
rem,] Sed dixit. [*Qui viderit mulierem ad con*
cupiscendum,] quia videri simplici visu po-
test etiam mulier extranea, sed visu con-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

cupitiuo non potest absq; peccato, & propter hoc prohibet Dominus, ne tali videatur visione, attamen & simplici visione extraneam videre periculosum est, & maximè infirmo, dicente Hiero. in Epist. contra Vigilantium. Monachus qui vel se, vel mundum luget, & Domine pauidi præstolatur aduentum, qui sciens imbecillitatem suam, & vas fragile quod portat, timet offendere ne impingat, corruat, atque frangatur, mulierum maximeq; adolescentularum vitat aspectum, & in tantum sui est castigator, vt etiam quæ tuta sunt pertimescat. Nec mirum si timet debilis, & fragilis homo mulierem videre, cum & fortes, & perfecti quandoque ex earum visione corruerint, dicente eodem in Epistola ad Nepotianum. Ne in præterita castitate confidas, nec Dauid sanctior, neq; Salomone esse potes sapientior. Et in Epist. ad Rusticum, Matrem tuam ita vide, ne per illam alias videre cogaris: quarum vultus cordi tuo adhæreat, tacitumq; viuat sub pectore virus. Væ nobis miseris, qui quoties concupiscimus, toties fornicamur, quia frequenter visio simplex transit in cordis affectum. Vnde licet si remaneret simplex visio infra limites suos, mulierem pulchram videre nõ esset peccatum, semper tamen periculum est, ne simplex visio in concupiscentialem transeat, propter humanam fragilitatem, & Diaboli instigationẽ, cuius (quantum ad carnis peccatum) mulier est instrumentum; dicente eodem in Epistola ad Oceanum de vita Clericorum. Fœminarũ cum clericis nullo pacto coniuncta præcipitur conuersatio. Ianua Diaboli, via iniquitatis, scorpionis percussio, nociuũq; genus est fœmina, cum proximat stipulã, ignem incendit; flammigero igne percutit fœmina conscientiam simul inhabitantis, exuritq; fundamenta montium. Ego id dico si cum viris habitent fœminæ Diaboli non deerit viscareum, ex his aucupatum est peccatum ab initio, ferreas mentes libido domat. Et Chrysost. dicit in homeliario. Qui pulchros studet videre visus ipse maximè passionis concupiscentiæ caminum accendit, & animam captiuam facit, & velocitèr ad actum venit. Si ergo licet videri possit mulier oculo non concupiscitiuo aliquoties: tamen quia magna est humana fragilitas, & Diaboli fortitudo est ad impugnandum homines de peccato carnis, ex quibus contingit, quòd visio simplex sæpe transit in effectum cordis, & in concupiscentialem visionem; iccirco abstinendum est à simplici mulieris visione, ne talis visio in affectum transeat: iuxta illud Iob 31. Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine. Et Eccl. 9. dicitur. Ne respicias mulierem multiuolam, ne fortè incidas in laqueos illius. Virginem non conspicias, fortè scandelizeris in decore illius. Propter spiritum mulieris multi perierunt, & ex hoc, concupiscentia quasi ignis exardescit.

Hieron. Idem. Idem. Idem. Chrysost. hom. 17. Iob. 31. Eccl. 9.

SVMMARIVM.

Quòd licet sint gradus in mœchia, quia vna est alia grauior, tamen quæcunque mœchia, cordis, vel exterioris operis, mœchia est: & ideo Dominus nullam circunstantiam se tenentem ex parte mulieris ponit, sed solum dixit. [Qui viderit mulierem &c.

XXIII

EST etiam intelligendum, quòd Dominus volens abscindere omne peccatũ luxuriæ, & omnem excusationem illius peccati tollere, nullas circunstantias, vel vel occasiones, quibus homines facilius in carnis peccatum labuntur, posuit hîc, vel expressit. Non enim dixit, qui viderit mulierem pulchram, vel iuuenem, vel ornatam, vel gratiosam in loquendo, vel attractiuam in factis, vel verbis, vel alias circunstantias, quibus homines facilius ad peccandum cum mulieribus, protrahuntur: sed solum dixit. [*Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam,*] quia qualiscunque mulier videatur ad concupiscendum ipsam, mœchia cordis est. Licet in mœchia sint gradus, & non tantum peccetur in genere mœchiæ cum vna, sicut cum alia, quia quantum tentatio, & tentationis causa, magis homines impellunt ad peccatum, tanto magis peccatum diminuitur. Sicut è contra, quando tentatio non est, nec tentationis causa, & tamen peccatum fit ex malitiá voluntatis peruersę, peccatũ augetur; quantò enim maior, & violentior impulsus est ad peccãdum, tantò magis excusatur peccati casus; & quantò minor est impulsus ad casum, tantò minus excusari potest casus ad peccatum. Quamuis in mœchia ergo cordis sint gradus, tamen mœchia semper est, nec aliquando quis se excusare potest à cordis mœchia, si qualemeumque mulierem viderit, ad concupiscendam ipsam. Vnde quia humana fragilitas propter peccatum originale, quod maximè infecit partem generatiuam, est multum inclinata ad videndum mulierem concupiscentialitèr, & ad carnalem concubitum: iccirco Apostolus consulens infirmitati infirmorum Ecclesiæ, dicit 1.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

1.Cor.7. ad Cor. 7. Propter fornicationem, vnusquisque vir suam vxorem habeat, & vnaquæq; mulier suum virum habeat. Quod

Glos. secundum Glossam dicit secundum indulgentiam, non secundum præceptum, peritus enim medicus cœlestis Apostolus, non tàm sanis instituit, quàm infirmis medicamenta ministrauit. Cæterum fortibus, & sanis in virtute continentiæ non dixit, quòd vxores acciperent: sed consulit non habere. Bonum est, inquit, homini mulierem non tangere. Ibidem.

SVMMARIVM.

Quòd licet videre mulierem concupiscentialitèr, dum iam est vxor; vel vt pro vxore accipiatur.

XXIIII QVi enim attendens suæ carnis infirmitatem nubit; licet melius faceret non nubendo, tamen si nubat in Domino, non peccat. Melius est enim nubere quàm vri. Propter quòd de viduis

1.Thim.5. iuuenibus, dicit Apostolus 1. ad Thim. 5. Volo autem iuniores nubere, filios procreare matres familias esse, nullam occasionem dare aduersario, maledicti gratia. Quod

Hieron. exponens Hieronymus in 1. responsione contra Iouinianum dicit. Quomodo Virginibus, ob fornicationis periculum concedit nuptias, & excusabile fuit, quòd per se non appetitur: Ita ob eãdem fornicationem cõcedit viduis, secunda matrimonia. Si autem quis attendens suam infirmitatem, in Domino nupserit, licet nubere velit ad vitandam fornicationem, tunc sicut licitum est ei vxorem accipere, & postea cum ipsa concũbere; Ita etiam ei licitum est mulierem illam videre ad concupiscendum eam ad talem actum; quamuis enim vxor sit principalitèr accipienda ad procreandam prolem, tamen si accipiatur ad vitandam fornicationem, non peccatur mortalitèr, propter Apostoli indulgentiam. Iuxta illud

1.Cor.7. 1. ad Cor. 7. Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi, & iterum reuertimini in idipsum; ne tentet vos sathanas, propter incontinentiam vestram: Hoc autem dico

Glos. secundum indulgentiam, non secundum imperium. Vbi dicit Glossa. Cum culpabilis non sit generandi intentione, concubitus, qui propriè nuptijs imputandus est, quid secundum veniam concedit Apostolus, nisi quod coniuges debitum carnis exposcunt, non voluntate propaginis, sed libidinis voluptate? quæ tamen voluptas, nõ propter nuptias cadit in culpam,

F sed propter nuptias accipit veniam. Vnde si concubitus coniugum concupiscentialis, & non caussa prolis factus, venialis est; magis vtiq; concupiscentialis visus cõiugum venialis erit. Vnde Chrysost. hîc di

Chrysost. hom.17. cit in homeliario. Si vis videre, & delectari, vide tuã mulierẽ, & hanc ama cõtinuè, quòd non prohibet lex. Vnde quod Dominus hîc dicit. [*Qui vidierit mulierem ad concupiscendã eã,*] intelligitur quæ nõ est vxor vel quæ non desideratur, vt sit vxor. Quia

Greg. vt dicit Greg. Illa intueri non debet concupiscentialitèr, quã non licet concupiscere. Et prædicta sunt vera de videnda muliere vt sit vxor, vt patet de Iacob, & Rachel Gen. 29. & de Dauid, & Michol 1.

Gen.29. 1.Reg.18. Reg. 18. vel de videnda muliere, quæ est vxor, visione concupiscentiali, in illis qui habent vxores, & in illis qui iam non sunt cũ alijs mulieribus matrimonialitèr copulati, vel qui voto nõ sunt astricti ad continentiam seruandam; dummodo sic eas videant, & concupiscant, quia sunt vxores, vel vt sint vxores.

SVMMARIVM.

Coniugati videntes alienas mulieres, ad concupiscendũ ipsas, & illi qui se voto castitatis astrinxerunt, vel de virginitate, vel de viduitate seruanda; si videant mulieres ad concupiscendum eas, nullã excusationẽ de mœchia cordis habẽt, & minus si peccatum carnis cum aliqua muliere committant.

XXX CAeterum coniugati uidẽtes mulieres extraneas, ad concupiscendũ ipsas, tantò minus excusantur, quãtò suã concupiscentiã carnis refrigerare possunt quando uolunt, cũ proprijs uxoribus; cũ etiam alias mulieres cõcupiscendo, iniuriẽtur sẽ per proprijs uxoribus, quæ habẽt potestatẽ corporũ ipsorũ, & non ipsi sui proprij corporis, quò ad talẽ actum. Vir enim non habet potestatẽ sui corporis, sed mulier 1.

1.Cor.6. ad Cor. 6. Si etiã uideãt uxorẽ alterius ad concupiscendũ eã, iniuriãtur nõ solũ proprię uxori, sed etiã uxori alterius, & illi, cuius est uxor, & ultra hoc lędunt pacẽ, &

Chrysost. hom.17. cõmunẽ iustitiã. Vnde & hîc Chrys. dicit in homeliar. Si alienas circumscrutaberis pulchritudines, & uxori iniustitiã inferes aliò suspendens oculos, & huic quã uides tangens iniquè eã, & si enim non tetigisti manu, sed rimatus es oculis, propterea ad huc adulterij estimatũ est. Qui etiã uoto se astrinxerunt ad castitatẽ seruandã, si uideant quãcunq; mulierẽ, ad concupiscendũ eã, ut uxores habeãt, non excusantur, imo sunt uoti transgressores. Iuxta illud

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

1. Thi. 5. Apostoli 1. ad Thim. 5. Adolescentiores uiduas deuita, cum enim luxuriatæ fuerint, in Christo, nubere uolunt: habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Vbi dicit Glossa: Prohibet adolescentulas viduas, in hac suscipi professione; lubricæ enim ætati facilè credi non debet; in coniugali quippe vinculo, si pudicitia conseruetur, damnatio non timetur: sed in viduali continentia, & virginali excellentia virtus muneris amplioris expetitur; qua expetita, & electa & voto oblata, iam non solum capescere nuptias, sed etiam si non nubatur, nubere velle damnabile est, quia tales primam fidem irritam fecerunt; & si non nubendo tamen volendo, vt voluntatem, quæ à proposito cecidit, appareat esse damnatam, siue sequantur nuptiæ, siue desint. Vouentibus enim virginitatem, vel viduitatem non solum nubere, sed & velle damnabile est; & omnes huiusmodi similes sunt vxori Loth quæ retrospexit. Si ergo vouentibus castitatem, post tale votum, velle nubere, quod antè votum licitum erat & honestum, est damnabile, magis vtique fornicari, vel adulterari, damnabilius vtique erit eis. Si enim prius licita, facta sunt eis propter votum damnabilia, magis vtique illa, quæ ex sui natura sunt damnabilia cuicunque, damnabilia eis erunt.

Gloss.

A

B

C

D

E

SVMMARIVM.

Propter quod sancti Patres ordinauerunt, quòd Monachi, qui vouerant castitatem separati manere debent; & quòd propter populi Christiani necessitatem voluerunt, quòd Clerici in sacris ordinibus constituti, manerent cum populo eis commisso, in quo sunt homines & mulieres; propter quòd Clerici maiori, & fortiori virtute castitatis indigent, ne cadant in peccatum carnis, vel quò ad cogitationum solum, vel quò ad opus extrinsecum, quàm Monachi.

XXVI PRopter quòd sancti Patres, attendentes, quòd castitatem vouentes periculosè cum mulieribus conuersarentur, constituerunt Monachos segregatos viuere in monasterijs, quibus mulierum accessus non esset, ne fortè si ipsi mulieres viderent, eorum concupiscentia excitaretur; vel ad nubendum, vel ad fornicandum eorum propositum inclinaretur. Sexus enim lubricus nullo citius, quàm mulieris decore capitur, maximè si ardor mentium, alloquijs frequentibus inflammetur, vt dicit Ambrosius ad Cromatium, & Hieronymus in Epistola contra Vigilantium. Monachus, (ait) non doctoris habet sed plangentis officiũ; qui sciens imbecillitatem suam, & vas fragile; quod portat timet offendere ne impingat corruat, atque frangatur, mulierum, maximè adolescẽtularum vitat aspectum, & in tantum castigator sui est, vt etiam quæ tuta sunt pertimescat. Quamuis autem ordinauerint, quòd Monachi sint à mulieribus segregati, non tamen hoc ordinauerunt, de personis in sacris ordinibus constitutis, cum eorum ministerium sit populis necessarium, & populo sine ipsis salubriter prouideri non possit. Licet ordinauerint quòd simul non habitent in domo vna, maximè si sunt tales mulieres, de quibus suspitio, verisimiliter oriri possit. Prohibuerunt etiam, ne si propter necessitatem salutis colloqui habeant cum mulieribus, id faciant tẽporibus, & locis suspectis, & si quoquo modo secretè habeant colloqui cum eis, habeant secum testes tales, de quibus verisimiliter credi habeat, quòd ipsis videntibus, & præsentibus, nulla turpitudo, vel inhonestas committi possit, vel debeat, dicente Hiero. in Epistola ad Nepotianum. Hospitiolum tuum, aut rarò, aut nunquam mulierum pedes terant, nec sub eodem tecto manseris. Et infra. Si propter officium clericatus, virgo à te visitatur, aut vidua, nunquam cum ea, domum solus introeas, talesq; habeto socios, quorum contubernio non infameris. Solus cum sola, & absque arbitro non sedeas; caueto omnes suspitiones, & quicquid probabiliter fingi potest, & ne fingatur de te, deuita. Vnde cũ propter necessitatem salutis aliorum, clerici habeant conuersari inter mulieres, & homines, oportet ipsos esse perfectioris, & altioris castitatis; quàm sint monachi, qui separati à mulieribus viuunt, & propter hoc non habent tot occasiones labendi in peccatum carnis; sicut habent clerici, qui propter officium habent conuersari cum mulieribus. Vnde Chrysostomus lib. 6. de dignitate sacerdotali dicit. Multò maiore indiget sacerdos nitore vitæ, quàm Monachi, quia pluribus necessitatibus quæ eum facere possunt ex magna parte sordescere obnoxius est, quàm illi, nisi cura continua, & intentione plurima impenetrabile se semper exhibeat. Nam vultuum pulchritudo, & apti corporis motus, & formatus incessus, & vox fra-

Ambr. Hieron. Idem. Ibidem. Chrysost.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

ctior, & oculorum, & malarum pigmenta, & capitis ornatus, & tinctura crinium, & præciosæ vestes, & ornamenta diuersa, & gemmarum splendor, & pigmentorum odor, & alia quæ ad mundum mulierum pertinent, grauia sunt ad perturbandum animum, nisi multo se castitatis vigore incluserit. Et pro ijs quæ diximus commoueri non est stupendum. Per illa verò, quæ ijs contraria sunt, posse homines à Diabolo vulnerari, hoc est admirandum, hoc est plenum stuporis. Inuenies autem plerosque, qui effugientes, quas diximus captiones, ab alijs multò ijs distantibus irretiti sunt, nam neglecta facies, incomptus capillus, & sordidior vestis, & habitus infucatus, & motus simplex, & sermo purus, & naturalis incessus, & vox sine arte fusa, & ipsa pauperies, & contemptus, & libera item solitudo, primum quidem ad misericordiam flexerunt videntes, à misericordia autem, vsque ad vltimam miseriam pepulerunt, factumq; est, vt qui primum retia auri, & odorum & præciosarum vestium euaserunt, istis secundis, multum ab illis differentibus, & caperentur facilius, & perirent. Cum igitur per diuitias, & paupertatem, & per ornatum, & per habitum simplicem, sacerdotibus in medio positis, certamen indicetur, atq; horum, quæ enumerauimus circumsternantur insidiæ; Vbi securè inter tot laqueos, sacerdos poterit respirare? quod inueniet subsidium? non dico, vt non pœnitus capiatur, (hoc enim non multum habet laboris,) sed vt perturbatum animum à talium cogitationum pollutione custodiat. Quod vtique sacerdotes, & clerici facere non possent, commorantes in medio mulierum, nisi multùm perfectæ virtutis, & castitatis essent; cum vix Monachi segregati à mulieribus existentes, & mulieres non videntes, nec cum ipsis aliqualitèr conuersantes, possint abstinere, à pollutione cogitationum turpium, & inhonestarum peccati carnalis, facta eis solum representatione imaginaria mulierum; Et propter prædicta, tàm coniugatis quàm continentibus, multum est cauendum, quòd mulieres non videant alienas, ad concupiscendum ipsas, quia iam in corde cũ ipsis adulterium commisissent, nulla excusatione eos defendente, nulla enim excusatio homini manet de peccato, quando iam scit, quod Deus præcipit, ne fieret, & tamen facere vuult, dicente Augustino de natura, & gratia cap. 1. Excusatio peccati tollitur, quando præceptum datur, & scientia non peccandi manifestatur quo facto, si quærantur excusationes peccatorum, magis sunt accusationes: dicente Cassiodoro super illud Psal. Ad excusandas excusationes in peccatis. Hoc maximum vitium est, quo laborat humanitas, vt post peccatum suum, prius ad excusationes confugiat, quàm pœnitudinis se confessione prosternat, quod facinus inter summa peccata constat esse numerandum. Quia inde reuera nascitur, vnde ad pœnitentiam reus tardè venire videatur: hæc enim consuetudo est impudentium; qui quando fuerint comprehensi, primum se aliqua falsitate excusare nouerunt, inde conuicti, alias semper excusationes assumunt, ne quando veritati acquiescat inuerecunda proteruitas, modo tempori, modo necessitati, modo alijs imputando, quod peccant. Vt vero Dominus omnem excusationem tolleret adulterij cordis, nullam circunstantiam posuit ex parte visæ mulieris concupitæ, nec ex parte hominis concupiscentis, nisi solum visum concupiscentialem, qui siue præcedat, siue concomitetur, vel accedat, semper adulterium committitur cordis.

Psal. 140. Cassiodo.

Augustin.

SVMMARIVM.

Quòd non solum velle videre mulierem, ad concupiscendum eam, est mœchia cordis: sed etiam velle videri à muliere, vt ab ea concupiscatur, & idem est de muliere: Et qua intentione mulieres decentèr se ornare possunt, & qua intentione se ornare non debent, & quòd possibile est, quòd videns mulierem ad concupiscendum eam, committat cum ea mœchiam cordis, & tamen ipsa casta manebit, & quòd mulier committat cum aliquo mœchiam cordis, & tamen ille castus manebit.

XXVII

LIcet autẽ Dominus loquutus sit solum de illo qui videt mulierem, vt concupiscat, perinde tamen est, si aliquis vel aliqua vult videri, vt cõcupiscatur, quia quãtũ in eo est, vel in ea, ipse vel ipsa iam corruptus, vel corrupta est, quia vult concupisci, quod nollet, nisi peccatum vellet secum cõmitti, & nihilominus alterius vult malum, vel ruinam, cum velit quod alter ipsum concupiscat. Vnde quamuis possit esse, quòd ille non corruat, quia non concupiscit eum vel eam, tamen ille qui vult concupisci ab alio, iam ruit in peccatum, & adulterium cordis commisit, dicente Augustino in Regula. Quando procedit is feminas videre non prohibemini, sed appetere, vel ab ipsis appeti velle, criminosum

Augu.

est.

est. Et in tractatu de vita sanctimonialiũ, dicit idem, In incessu, statu, habitu, & in omnibus moribus vestris, nihil fiat, quod illiciat cuiuscunq; libidinem, sed quod vestram deceat sanctitatem: Neq enim quando proceditis, viros videre prohibemini, sed appetere, aut ab ipsis appeti velle; Nõ solum enim tactu, sed aspectu quoque, & affectu appetitur, & appetit fœmina, & cũ se inuicem sibimet, etiam tacente lingua, conspectu mutuò corda nunciant impudica: & secũdum concupiscentiam carnis, alterutro delectantur ardore, & intactis ab immunda violatione corporibus fugit castitas ipsa de moribus. Vnde Chrysost. hîc loquens cõtra mulieres, quæ se ornãt, vt ab alijs, quàm à suis viris appetãtur ad luxuriam, dicit in homil. Si qua verò ornatur, & comitur, vt in se oculos omnium irritet, etiam si nullum, pulchritudine sua potuerit vulnerare, dabit tamen extrema supplicia; parauit quippe virus, temperauit venenum, porrexit poculum, etiam si nullus qui mortem biberet, inuentus est. Propter quod, & Apostolus compescens mulieres, ab ornatu superfluo, & meretricio dicit 1. ad Timot. 2. Mulieres in habitu ornato, cum verecundia, & sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus aut auro, aut margaritis, vel veste prætiosa: sed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona. Quamuis enim mulieres sic se ornare debeãt, vt placeant maritis suis, ne propter ipsarum fœditatem, vel incompositionẽ maritis detur occasio accedendi ad alias, tamen sic se ornare debent, quòd earum ornatus non sit incitatiuus luxuriæ aliorum extraneorum hominum; sed ostensiuus castitatis, & munditię ipsarum, secundum conditionem ipsarum mulierum, & virorũ, quorum vxores sunt. Vnde Augustinus ad Ediciam dicit. De habitu, & vestitu nihil tibi, præter tui viri arbitrium, mutandũ, vel usurpandum fuit: Vnde nihil diuinitus legimus imperatum: scriptum est enim mulieres esse debere in habitu ornato, auriq; circumpositio, & intortio criniũ, & cætera huiusmodi quæ vel ad inanem pompam, vel illecebram fermè adhiberi solent meritò reprehensa sunt. Sed est quidam pro modulo personę habitus matronalis, à viduali veste distinctus, qui potest fidelibus coniugatis, salua religionis obseruantia, conuenire. Nunc te maritus si deponere noluit, nę te velut viduam illo viuente iactares, puto quòd non fuerat in hoc vsque ad dissensionis scandalum perducendus, magis inobedientiæ malo, quàm illius abstinentiæ bono, & melius fuisset cum beneplacito viri indui sicut Susanna, quàm cum eius displicentia sicut Anna; Et si maritus ad indecentem ornatum te compulisset; posses habere in superbo cultu cor humile. Vnde sic, & talitèr se ornare debent mulieres, quòd ex ornatu non intendant ad sæculi pompam, vel superbiæ fastum, neq ad irritandum oculos intuentium, ad luxuriãdum cum ipsis, sed vt uiris propriis placeãt & non dent occasionem eis, quòd ipsis dimissis, ad alienas accedant; si ergo in mulieribus ornari, vt appetantur, est adulterium cordis, magis utiq; uir si talitèr faciat, quòd velit appeti à mulieribus ad luxuriandum, adulterium committit cordis. Benè enim esse potest in cordis adulterio, quod unus adulterium cõmittat, altero casto manente, cum non sequatur si aliquis aliquam concupiscat, quòd propter hoc illa concupiscat ipsum. Cum etiã de Lucretia cum qua carnalitèr commistus fuit filius Tarquinii Regis, dictum fuit, duo fuerunt, & unus adulteriũ commisit, intuens in duorum corporum commistione, unius inquinatissimam cupiditatem, alterius castissimam uoluntatem, & non quid coniunctione mẽbrorum, sed quid animorum diuersitate ageretur: duo inquit fuerunt, & unus adulterium commisit. Vt dicit Augustinus 1. de Ciuitate Dei cap. 18. Si ergo esse potest coniunctio carnalis inter aliquos & tamen unus eorum castus remanet, quia carnalis concupiscentia ad hoc non mouetur, nec accedit, sed inuitus per alium corrumpitur eius castitas, alio manente luxurioso, qui concupiscentia motus, alterius castitatẽ corrumpit: Quanto magis potest esse quòd unus adulterium cordis cõmittat cum aliquo, illo remanẽte casto? Sic ergo patet ex prædictis, quòd siue quis uideat mulierem ad concupiscendum eam, siue appetat uideri à muliere, vt ab ipsa concupiscatur, adulterii cordis crimen incurrit, si deliberato animo prædicta fiant: quia tunc iam passio transit in affectum, & sic consumatur peccatum.

Idem. Chrysost. hom. 17. 1. Tim. 2. Augustin. Idem.

SVMMARIVM.

Quòd licet peccata linguæ, & oculorum vitare non possumus per posse nostri liberi arbitrij, tamen adiuti munere diuinæ gratiæ, hoc possumus: Vnde dantur nobis præcepta de talibus peccatis vitandis, vt ad adiutorium diuinæ gratiæ recurramus, vt quod per nos non possumus, per ipsam gratiam possimus.

CVm autem tàm grauia peccata, sit iniurias proximo dare, quia uocans XXVIII

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

eum fatuũ, reus est gehennæ ignis; & peccata oculorum, quia uidens mulierem ad concupiscendum eam, iam mœcatus est in corde suo: & hæc duo membra, scilicet, lingua & oculus facilitèr in malum ruãt, iuxta illud Iac. 3. Lingua ignis est vniuersitas iniquitatis. Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis nostræ, inflammata à gehenna. Omnis natura bestiarum, & volucrum, & serpentium à natura humana domãtur, linguam autem domare nullus hominum potest: Inquietum malum plena veneno mortifero. Et de oculorum malitia dicitur Prouer. 23. Oculi tui videbũt extrãneas, & cor tuum loquetur peruersa. Et de Holoferne dicitur Iudith 10. Captus est in suis oculis Holofernes: Iccirco super hominẽ est ista duo membra tenere, ne ad peccatum nos protrahant, & ideo Dei gratia est petenda, vt quod per nos non possumus vincere, eius adiutorio vincamus. Vnde præceptum datur nobis ne peccemus lingua, vel oculis, vt dum nostram infirmitatem, & impotentiam cognoscimus resistendi huiusmodi peccatis, ad diuinum adiutorium recurramus, vt qui præcepit ne peccemus, det adiutorium ne peccemus. Benedictionem enim dat legislator, idest gratiã, per quam lex impletur, sine qua lex non solum peccatum non tolleret, imo, etiam augeret: dicente Augu. super illud Psal. Ascensiones in corde suo disposuit. Data est lex vt ægrotum conuinceret de morbo, qui sibi sanus videbatur, vt peccatum demonstraretur, non vt auferetur; demonstrato peccato per datam legem, auctum est peccatum, quia accepto mandato quasi viribus suis, conati sunt homines facere: victi concupiscentia, etiam ipsius mandati transgressione rei facti sunt. Vnde ipsa lege pressi sumus, & afflicti, quousque qui legem dedit, benedictionem det, quæ benedictio nihil aliud est, nisi gratia post legẽ, vt per gratiã cõplere legis præceptũ possimus. Vnde nec linguã cõtinere à peccato per nos possumus, quia linguam nullus homo domare potest, & multò minus potest domare oculum nequam; iuxta illud Eccle. 31. Nequius oculo quid creatum est nisi aduti diuina gratia, quæ per Christum data est? Quia lex per Moysen data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est. Ioan. 1. Dicente etiam Apostolo ad Rom. 7. Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Iesum Christum dominum nostrum. Vnde Augustin. in lib. de verbis domini ser. 4. dicit: Si linguam nullus homo domare potest, ad Deum confugiendum est, qui domet linguam nostram; si enim tu eam domare volueris, non potes, quia homo es; linguam autem nullus homo domare potest: Si ergo ista præcepta Domini sint talia quòd humanis uiribus impleri non possint, tamen ipso Deo dante gratiam, impleri ab homine possunt, nec quidem uiribus humanis, sed Dei munere, vt ille qui gloriatur se castum habere cor, non in se, sed in Deo glorietur.

Iaco. 3. Prou. 23. Iudith 10. Psal. 83. Augustin. Ecclesiast. 31. Ioan. 1. Rom. 7. Augustin.

SVMMARIVM.

Quòd licet Iudæi præceptum de non concupiscendo vxorem alterius, de concupiscentia cum conatu, & machinatione, vt vxor alterius haberetur, intellexerint; tamen Dominus hunc malum illorum intellectũ corrigẽs, dicit, quòd sola cordis concupiscentia mulieris, sine omni conamine, vel machinatione exteriori, est cordis adulterium.

LIcet autem in ueteri lege concupiscentia uxoris alienæ prohibita fuerit iuxta illud Exo. 20. Non cõcupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorẽ eius; tamẽ quia Iudæi grossiores existẽtes, non intelligebant dictum præceptũ, nisi de concupiscentia vel desiderio, cui conatus addebatur, vt opere mala concupiscentia impleretur; dicente Vgone 1. lib. de sacramentis parte 12. cap. 21. Conuenienter dici potest legem ueterem per concupiscentiam uxoris, siue rei alienæ non illã significasse, quæ sola uolũtate agitur, sed ambitionem, & machinationẽ, quæ studio quodam, & usu ad implendum desiderium, & ad obtinendum id, quod in desiderio est exterius opere exercetur; tamẽ Dominus dictum intellectum remouens, & legẽ declarans, & exponẽs, dicit. Non solum concupiscentiam uxoris alienæ, cum conamine ad habendum ipsam, esse cordis adulterium, imo ipsam solam concupiscẽtiam cordis, sine aliquo conamine exteriori, mæchiã cordis uocat; dicente eodem Vgone in supra dicto libro, & cap. Noua lex non solum concupiscentiam illicitã damnauit foris in studio operis: sed intus quoque damnabilem esse ostendit, in desiderio uoluntatis. Et Augustin. 19. lib. contra Faustum cap. 23. dicit, Quoniam Iudæi putabant tantummodo corporalem cum fœmina illicitam coniunctionem uocari mæchiam, demõstrauit Magister etiam talem concupiscentiam, nil esse aliud.

XXIX Vgo. Idem. Augustin.

SVMMARIVM.

Quòd licet pulchra mulier oculis exterioribus

videatur

videatur, tamen oculis non imputatur concupiſcentia mulieris, ſed cordi, propter quod Dominus dicit, quòd videns mulierem ad concupiſcendum, non in oculis, ſed in corde ſuo, mœchatus eſt cum ea.

XXX

NEc concupiſcentia oculorum, vel oculus videns mulierem ad cõcupiſcendum, hîc damnatur, ſed cor, cui ſeruit oculus exterior, cum oculus corporalis non poſſit dici habere concupiſcentiam mulieris. Licet enim viſus delectetur naturaliter in rebus pulchris, talia enim ſunt obiecta conueniẽtia viſioni, tamẽ in tali delectatione quæ ſolum conſiſtit in ſenſu exteriori, peccatum vel adulteriũ non conſiſtit. Propter quod Dominus non dixit, quòd oculus videns mulierem ad concupiſcendum ipſam, ſit adulter, ſed dixit, quòd cor concupiſcens mulierem, cui neceſſariò habet obedire oculus, in hoc ſeruiens ipſi cordi, mœchiam committit. Vnde dicit, [*Quòd, qui videt mulierem ad concupiſcendum,*] adulterium cordis committit; non enim ab oculo exit adulterium, ſed à cordæ, dicẽte Domino infra 15. De corde exeũt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ, hæc ſunt quæ hominem coinquinant. Vnde corde mundo exiſtente, & oculus eſt mundus, & corde immundo exiſtente, etiam oculus eſt immundus; iuxta illud. Phariſeæ cæce, munda prius quod eſt intus calicis, & paropſidis, vt fiat & id quod de foris eſt, mundum. Vnde dicit Chryſoſt. De neceſſitate ad interiorem munditiam, exterior ſequitur. Et Auguſt. dicit in Regula. Non dicatis vos animos habere pudicos, ſi habeatis oculos impudicos, quia impudicus oculus, impudici cordis eſt nuncius. Sic ergo cor, & non oculos exteriores, dicit Dominus adulterium commiſſiſſe, quando videtur mulier ad concupiſcendum ipſam.

Matt. 15.

Idem 23.

Chryſoſt. hom. 12.

Auguſt.

SVMMARIVM.

Quòd licet mœchia, vel fornicatio poſita hîc poſſit intelligi de omni re, quæ viſa illicitè concupiſcitur, tamen propriè hic Dominus, non loquitur de tali generali concupiſcentia, ſed de concupiſcentia carnis, quæ ad concubitum ordinatur.

XXXI

LIcet autẽ Dominus propriè hîc loquatur de mœchia, ideſt cõcupiſcentia carnali, tamen Auguſt. 1. lib. de ſerm. domini in monte cap. 13. Oſtendit extendi hoc dictum Domini, ad omnem malam concupiſcentiam, dicẽs, Nomine mœchantium,

Auguſt.

A qui hoc capitulo cõmemorantur, omnem carnalem & libidinoſam concupiſcẽtiam oportet intelligi; & infra. Quis dubitet omnem malam concupiſcẽtiam, rectè fornicationem vocari: quando anima neglecta ſuperiori lege qua regitur, inferiorũ naturarum turpi voluptate, quaſi mercede proſtituta corrumpitur? Et ſic mœchia, vel fornicatio pro omni peccato accipitur. Dominus autem nõ videtur accipere fornicationem tali modo hîc, ſed ſolum pro fornicatione carnali, Vnde dicit. [*Qui viderit mulierem, & non dicit, Qui viderit rem concupiſcibilem.*] Propter quod primæ expoſitioni ſtandum eſt, cum de ipſa Dominus loquatur, & hîc, & in ſubſequentibus.

Ibidem.

B

Tractatus ſequens protenditur vſq; ibi. (Dictum eſt autem, quicunque dimiſerit vxorem ſuam &c.) *habet infraſcripta 30. capitula.*

C *SVMMARIVM.*

Ponitur prima continuatio, & oſtenditur, quòd vt vitemus peccatum carnis, occaſiones dicti peccati, & luxurioſorum hominum ſocietates, ſunt à nobis vitandæ.

I

QVod ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & proĳce abs te; expedit enim tibi vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam ignis: & ſi dextera manus tua ſcandalizat te, abſcide eam, & proĳce abs te. Expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam.] Vbi poſtquam Dominus prohibuit cordis mœchiam, intendit prohibere occaſiones peccatorum, cum facilitèr in peccatum ruat, qui peccati occaſiones non vitat. Nihil enim ſic impellit hominem ad vitium, ſicut ſtare in medijs occaſionibus, & opportunitatibus peccatorum. Vnde 7. Politic. dicitur. Totalitèr turpiloquium, ex ciuitate, ſicut aliquid aliud, oportet legiſlatorem extermi nare, ex dicere de facili quodcunque turpium, fit & ipſum facere prope. Maximè quidem ex iuuenibus, quatenus neque dicant neque audiant aliquid turpium, neque videant tales picturas, nec audiant ſermones inhoneſtos. Et de mala ſocietate, quæ cauſſa eſt multorum peccatorum, dicit Chryſoſt. Nihil eſt tàm pernitioſum homini quàm pernicioſa ſocietas. Et Bernar. 4. lib. de conſideratione ad Eugenium dicit. Si collaterales tui boni ſunt, tibi potiſſimum ſunt, ſi mali æque plus tibi, nec

D

Ariſtot.

E

Chryſoſt. hom. 12. Bernar.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

te dixeris sanum dolente latere, hoc est, nec te dixeris bonum malis innitentem. Quia ergo mala societas, & peccatorũ occasiones non vitare, multoties, & frequentèr castum hominem impellunt in peccatum, qualiter impulsus fuit in peccatum idolatriæ Salomon propter niniam concupiscentiam mulierum, quas contristare
3. Reg. 11. nolebat 3. Reg. 11. Et Iõhas seductus per
2. Paral. 24. suos, consensit se adorari vt Deus; de quo dicitur 2. Paralip. 24. Postquam obiit Ioiada, ingressi sunt principes Iuda, & adorauerunt Regem: qui delinitus obsequijs eorum, acquieuit eis. Et dereliquerunt templum domini Dei patrum suorũ, seruieruntq; lucis, & sculptilibus: Iccirco Dominus volens tollere peccatum carnis, occasiones dicti peccati, & societatem immundorum hominũ, iubet quòd auferamus à nobis dicẽs. [*Quod si oculus tuus &c.*] Et hoc modo hanc partẽ continuat Glossa dicens: Quia non solum peccata vitanda sunt, sed etiam occasiones peccatorum tollendæ, postquam docuit vitare mechiæ peccatum, non solum in opere, sed etiam in corde, consequentèr docet occasiones peccatorum abscindere dicens. [*Quod si oculus tuus &c.*]

Glos.

SVMMARIVM.

Quòd quilibet, qui vult vitare peccatum carnis, illam occasionem peccandi, ex qua facilius in peccatum carnis perpetrandum inclinatur, à se remouere debet; & si plus inclinatur ad tale peccatum per visum talis, & talis mulieris, quàm per tactum; vel per tactum, plusquam per visum; illam per quam plus inclinatur, plus vitare debet. Et hoc Dominus significat dicẽs. Oculum scandalizantem, vel manum, remouenda esse à nobis, ponens membrum, pro actibus membrorum.

II ET si de occasionibus peccatorum hîc agatur; est sic intelligendũ, quòd quilibet homo habet maiorẽ inclinationem ad peccatũ carnis ex vna occasione, quàm ex alia: aliqui enim magis inclinantur ad hoc ex mulierum pulchritudine: aliqui ex turpitudine, sicut dicit Cõmẽtator super Cantilogium Ptholomei de quodam filio Regis, qui adamauit mulieres turpes. Aliqui ex gratiositate ipsarum, & alij, ex alijs diuersis caussis, & interminatis. Et oportet, quòd quilibet aduertatur in se ipso, ex qua occasione facilius trahitur ad peccatum, vt dictam occasionem vitet quantum possibile est: iuxta illud Eccl. 37. Fili
Eccl. 37. mi in vita tua tenta animam tuam, & si fuerit nequam, non des illi potestatem. Non

F enim omnia omnibus expediunt: & non omni animæ omne genus placet, Vnde si homo experimẽto cognoscat, quòd visus, vel tactus talis, vel talis mulieris, eum citò ad libidinem inflammat, talis visus, vel talis tactus omnino abscindendus est, nè in peccatũ cordis, vel carnis mechiæ, quis labatur. Existente enim in homine inclinatione carnalitatis ad peccandum cum tali muliere, si videatur vel tangatur facilitèr in peccatum ruet, coadiuuante Diaboli tentatione, qui maiores tentationes
G homini infert ad illud peccatum, ad quod videt sensualitatem eius inclinatam. Halitus enim Diaboli prunas ardere facit. Iob
Iob 41. Gregor. 41. Quod exponens Grego. 33. lib. Moral. cap. vlt. dicit. Quid prunas, nisi succensas in terrenis concupiscentijs reprobrum hominum mentes appellat? quas prunas halitus Diaboli vehementius ardere facit, quia reproborum mentes, quas iam calentes, amore gloriæ temporalis inuenerit, sugestionis suæ flatibus vsq; ad nequitiam exercendę crudelitatis incendit. Quia tanH tò ignis suasionis illius amplius inceditur, quantò se ei ad consentiẽdum molliorem vel flexibiliorem quisq; præbuerit. Vnde
Psal. 139. orat Prophèta in Psal. Nè tradas me Domine à desiderio meo peccatori, cogitauerunt contra me, ne derelinquas me, ne fortè exaltentur. Peruersum enim desiderium est laqueus, quo capit Diabolus hominem miserum; dicente Augustin. in originali super dictum locum Psal. Tu desiderio tuo, facis locum Diabolo. Ecce enim
Augustin. Diabolus proposuit lucrum, inuitauit ad fraudem: lucrum enim habere non poteris, nisi fraudem feceris: sed lucrum esca
I est, fraus laqueus, sic attende ad escam, vt videas laqueum, frena desiderium, & non cades in laqueum. Si autem vicerit te desideriũ escæ, mittet tibi collum in laqueũ, & capiet te auceps animarum. Vnde & de muliere meretrice, quæ apprehensum deosculatur iuuenem, vt procaci vultu blandiatur dicitur Prouer. 7. Irretiuit eũ mul-
Prou. 7. tis sermonibus, & blanditijs labiorũ protraxit illum: Statim eam sequitur quasi
K bos ductus ad victimam. Et si hoc verum est de omnium peccatorum genere, quòd inclinatus ad quodcunq; genus peccati, facilitèr ruit in ipsum, nisi vitet occasiones illius peccati, & maximè illam de qua cognoscit, quòd per eam ad peccatum illud plus trahitur quàm per aliam; hoc magis veritatẽ habet in peccato carnis, quod tale est, quòd vix potest superari, nisi omnes peccati illius occasiones vitẽtur. Propter quod & Apostolus 1. ad Cor. 6. dicit.
1. Cor. 6. Fugite fornicationem: vbi dicit Glossa.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Cum alijs vitijs potest expectari conflictus, hanc fugite, ne approximetis, quia aliter non potest melius vinci. Quia ergo si occasiones peccati luxuriæ non vitẽtur & fugiantur, in peccatum carnis facilè homines prolabũtur: Iccirco dominus postquam dixerat [*Quòd omnis, qui videt mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo*] prohibet ne videatur, vel tangatur mulier, quæ causa ruinæ & scandali posset esse: mandans quòd talis visus, & tactus, procul à nobis excidantur, & expellantur, ponens membra pro actibus membrorum, sicut oculum pro visu, & manum pro tactu. Vnde & hîc Chrysostomus in homil. ait. Dum assiduè visito mulierem, decido in laqueum desiderij eius, & talis respectus meus bonus, factus est mihi in scandalum. Eijcere oportet talem respectum bonum, qui mihi generaturus est malum. Et eodem modo, est de dextera dicendum, quòd ibi pro tactu accipitur. Hi enim duo sensus maximè solent deseruire libidini: iuxta illud 2. Pet. Oculos habentes plenos adulterij, & incessabilis delicti. Et Prouer. 6. Nunquid abscõdere potest homo ignem in sinu suo, vt vestimenta ipsius non ardeant? vel ambulare super prunas, & non comburantur plantæ eius? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non est mundus cum tetigerit eam; vt enim dicitur Eccl. 7. Inueni morte, mulierem amariorem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor eius. Vincula sunt manus illius.

Chrysost. hom. 12.

2. Pet.

Prou. 6.

Eccl. 7.

SVMMARIVM.

Cum æquè oculo sinistro possit videri mulier concupiscentialiter, & sinistra manu possit tangi, sicut oculo dextro, & dextera manu, dubitatur quare Dominus, non æque dixit si sinister oculus, vel sinistra manus scãdalizat te, erue, vel abscide eum, sicut dixit de dextro oculo, & de dextera manu: & ponitur prima solutio, quòd cum dexter oculus, vel dextera manus, magis à nobis diligãtur, quàm sinister oculus, vel sinistra manus, si prima scandala sunt à nobis abijcienda, & secunda.

III

SEd quia mulier æquè potest videri, & tangi oculo sinistro, & sinistra manu, sicut oculo dextro, & dextera manu. Propterea dubium est, quare Dominus dicit quòd si dexter oculus, vel dextera manus hominem scandalizat, eruendus est & abscindenda, & procul abijcienda, & non dicit hoc de sinistro oculo, vel sinistra manu? Et potest primò dici ad hoc, quòd si oculo dextro, & manui dexteræ scandalizantibus non est parcendum, minus vtiq; parcendum est oculo sinistro, & sinistræ manui. Cum enim oculus dexter, & manus dextera, sint magis dilecta, quàm sinistra, si non parcitur oculo, & manui dextris scandalizantibus, minus vtiq; parcẽdum est oculo, & manui sinistris scandalizantibus. Et hoc modo hîc exponit Augustin. 1. lib. de serm. domini in monte. Quòd additum est, dexter, fortasse ad augendum vim dilectionis valet. Quanquam enim ad videndum, isti oculi cõmuniter intendantur, & si ambo intendantur æqualiter possint, magis tamen oculum homines formidant dextrum amittere.

Augustin.

SVMMARIVM.

Ponitur secunda solutio, accipiendo dextrum oculum, & manum dexteram, pro mulieribus consanguinitate, vel affinitate nobis coniunctis, vel pro aliqua necessitate nobis necessarijs, quę si nos ad peccatum carnis trahant, abscindendæ à nostro consortio sunt.

IIII

POtest etiam esse sensus, quòd per dexterum oculum, & manum dexteram, quæ magis sunt dilecta, intelligantur mulieres, quæ aliqua necessitate, vel affinitate sunt nobis coniunctæ, sicut sunt mulieres nobis consanguinitate, vel affinitate coniunctæ, vel quarum operibus plurimum indigemus, vel quarum nobis cura, & prouisio est commissa, quæ si nos scandelizant, id est, ad peccatum carnis, cum ipsis committendum, nos sollicitant, vel nos ex quadam assiduitate, quam cum ipsis habemus, inclinant ad peccatum, abscindendæ sunt à nobis, & procul expellendæ, ne propter opportunitatem peccandi cum ipsis, in peccatum labamur. Solemus enim dicere de personis nobis multum coniunctis, quòd ipsas habemus, sicut nos ipsos, sicut oculos nostros. Vnde si tales mulieres nos scandalizantes, sunt à nobis abscindendæ, magis vtique extraneæ abscindendæ erunt. Luxuria enim accensa non respicit parentelam, vel aliam coniunctionem naturalem. Sic enim Amnon filius Dauid corrupit Thamar sororem suam 2. Reg. 13. Sic etiam Herodes in vxorem accepit Herodiadem vxorem Philippi fratris viuentis, & hoc modo frequentèr, & frater sororem, & filius matrem, & pater filiam, & consanguineus consanguineam corruperunt, dum tales mulieres multum familiares habere voluerunt; quia iuxta dictum poetæ: Nec frater fratri, idem sorori parcit, dum furor ille venit. Vnde Hiero. in Epist. ad Rusti-

2. Reg. 13.

Hieron.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

cum de inſtructione vitæ dicit. Matrem ita vide, ne per illam alias videre cogaris, quarum vultus cordi tuo adhæreant, & tacitum viuat ſub pectore virus. Ancillulas quæ illi in obſequio ſunt, tibi ſcias eſſe in inſidijs, quia quantò vilior earum conditio, tantò facilior ruina eſt. Et Ioannes Baptiſta ſanctam matrem habuit, Pontificiſq; filius erat, & tamen nec matris affectum, nec patris operibus vincebatur, vt in domo parentum cum periculo viueret caſtitatis. Si ſcãdelizat te oculus, pes, manus tua, proijce eam, nulli parcas, vt
Idem. ſoli parcas animæ tuæ. Et in Epiſtola ad Euſtochium dicit idem. Samſon leone fortior, ſaxo durior, & qui vnus mille, & nudus eſt perſequutus armatos, in Dalydæ molleſcit amplexibus. Dauid ſecundum cor Domini electus, & qui vẽturum Chriſtum, ſancto ſæpe ore cãtauerat, poſt quam ambulans ſuper tectum domus ſuæ, Berſabeæ captus eſt nuditate, adulterio coniunxit homicidium. Vbi & illud breuitèr attende, quòd nullus ſit etiam in domo tutus aſpectus: & ne aliquis etiam ſibi de ſanguinis propinquitate confidat illicitum Thamar ſororis Amnon ſuper exEzech.22. ardeſcit incendium. Et Ezech. cap. 22. loquens ad Hieruſalem dicit. Verecundiora patris diſcooperuerunt in te, immunditiam meſtruatæ humiliauerunt in te. Et vnuſquiſque in vxorem proximi ſui operatus eſt abhominationẽ, & ſocer nurum ſuam polluit nephariè, frater ſororẽ ſuã filiam patris ſui oppreſsit in te. Quod exHiero. ponẽs Hiero. 7. lib. ſuper Ezechielem dicit. Scelus, ſiue inceſtum operati ſunt in medio tui, vt quod in angulis quoque, & in ſecreto rarò fit, quando etiam à malę conſcientię hominibus huiuſmodi deuitantur, hoc tamen in propatulo feceris. Quod autem inceſtum commiſerint, ſequens ſermo ſignificat. Verecundiora patris nudauerunt in te nouercę contra fas, & licitum copulati, quodque ſceleſtus eſt ſocer exarſit in nurum, & frater ſororis iura neſciuit, vt non vrerinam, ſed de eodem patre violaret ſororem. Quia ergo contingit quandoq; quòd propter familiaritatem nimiam, quam quis habet ad propinquas ſui ſanguinis, vel affines quæ ſunt quaſi vnum corpus, & ſanguis cum homine, ad inceſtum committendũ cum ipſis declinat, vt ipſas iam non vt propinquas, ſed vt mulieres, oculis impudicis, & adulterinis reſpicit, & inceſtuosè ipſas contingit: Iccirco, quando tale quid homini contingit, ne ultra iniquitas progrediatur, tales mulieres ſunt abſcindendæ, & procul ab homine remouendæ, ſicut aſpectus, & tactus earum. Vnde ad hanc intentionem Gloſſa hoc exponens, dicit. In oculo, vel in manu dexteta poſſunt accipi fratres, vxor, filij, propinqui, qui ſi ſunt impedimento, debemus eos à nobis ſeparare. Vnde, & in Leuitico de ſacerdote magno dicitur. Ne ſuper patrem, vel filias polluatur. Dum enim talis concupiſcentia homini accidit ad propinquas, vel affines ſui ſanguinis, niſi citò illas à ſe abijciat, timendum eſt, ne multum in profundum peccatorum ruat; quia cum duo amores ſcilicet naturalis, quia ſunt eiuſdem carnis, & ſanguinis, & concupiſcentiæ venereorum, trahant homines ad tales mulieres, conuerſatio etiam & conſuetudo viuendi cum eis, quæ etiam extraneas perſonas facit amicas, & dilectas, & in eadem domo manentes, frequentèr in amorem inhoneſtum ſuum, ex mutuis aſpectibus, collocutionibus, tactibus, poſſint aſcendere, & in immenſum, & quia nullus de eis malè ſuſpicari permittitur, propter naturale fœdus, non reprehenduntur per aliquem, quia non extimatur, quòd ad turpitudinẽ tendant, & ſi etiam extimaretur non reuelaretur per illos in domo, propter generis confuſionem, quę omnia non ſunt ſolũ funiculus triplex, qui difficilè rumpitur, ſed multiplex: ſicque omnia ſupradicta illum trahent ad inceſtum, quòd vix ex tunc à tali ſcelere poterit abſtinere. Vnde, & 2. Polit. ait Ariſtot. contra Platonem, qui dixit, quòd quilibet, ad quamlibet accedere poſsit. Inconueniens eſt, & communes facientes filios, coire ſolum auferre ab amantibus, amare autem non prohibere: neque vſus alios quos patri ad filium eſſe omnium eſt indecentiſsimum, & fratri, ad fratrem: quin & amare ſolum. Inconueniens autem, & coitũ auferre, propter aliam cauſam quidẽ neque vnam, vt valde vehementi delectatione factam.

Gloſ. Ariſt.

SVMMARIVM.

Ponitur tertia ſolutio, quòd ſi amore ſpirituali incipiamus diligere, & frequentare aliquam mulierem, & ei bene facere, & eius neceſſitatibus ſubuenire, ſi percipiamus, quòd ex hoc trahamur ad concupiſcendam ipſam, talis frequentia eius, & etiam adiutoria, ſunt ſubtrahenda, ne in peccato carnis labamur cũ ipſa.

NOn etiamper oculum dexterum, & manũ dexterã intelligitur aſpectus, & tactus mulieris, quæ à principio ſancto aſpectu, vel miſericordi videtur, & eidem opera miſericordiæ exhibentur, qui

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

aſpectus,& tactus,licet à principio boni, & iuſti fuerint, & ſpirituales; poſtea tamen ex frequentia, carnales efficiuntur, quia cum ſpiritu cęperint,cum carne cõſumuntur, ſicut de quibuſdam ad Gal. 3. Apoſtolus dicit. Sic ſtulti eſtis, vt cum ſpiritu cęperitis, nunc carne conſumamini? Contingit enim quandoque, quòd aliqui homines deuoti,videntes aliquam mulierem, deuotionis opera exercentẽ, vt eam in ſancto propoſito magis confortent, & animent, frequentant eam, alloquuntur cum ipſa, & familiaritatem contrahunt, & in tantum, vt cum à principio ſolum loquantur, & ſe mutuò incitent in Dei amorem; poſtea ad carnalem amorem, eorum verba nutus,& ſigna deflectuntur: Et qui oculo dextro, id eſt, ſancto aſpectu, ſe prius viderant, poſtea carnali aſpectu, & impudico ſe vident. Et iſtos dexter oculus ſcandalizat. Quòd cum incipit fieri, etiam talis ſanctus aſpectus,& ſpiritualis, qui incipit flectere ad carnalem, eijciendus eſt, & expellendus à nobis. Si etiam aliquis videat aliquam pauperem, & vt eius neceſsitati propter Dominum proui deat, incipit extendere manum eleemoſinæ ad eam, & ex hoc familiaritatem cum ipſa contrahit,& ipſam ad ſe trahit:ſi perpendat quòd eius concupiſcentia,excitetur ad cõcubendum cum ipſa,ſubſidium, & adiutorium, & omne familiaritatis genus,abſcindenda ſunt,ne ad carnis peccatum, vel eius concupiſcentiam perueniatur,quia iam dextera manus incipit homini ſcandalum generare; & hoc modo hanc partem exponens Chryſoſt. hîc dicit. Reſpectus, vel conſideratio mentis, oculus animæ eſt, videlicet voluntas operis alicuius faciendi, & mouens manũ ad aliquod, opus, manus animæ eſt.Si igitur ſit aliqua mulier, religioſa virgo, vel vidua, & dico, debeo viſitare mulierẽ iſtam aſsiduè, & ſi quid religionis ignorat, quaſi mulier inſtruam eam, vt confirmem eam in bono propoſito ſuo, bonus reſpectus eſt iſte, & dexter oculus: ſed ſi dum aſsiduè viſito eam, decidi in laqueum deſiderij eius,Ille reſpectus meus bonus, & dexter, factus eſt mihi ſcandalum. Quid ergo fieri oportet? eijcere talem reſpectum bonum, qui mihi generaturus eſt malum. Vel ſic, Vidi orfanam quandam, & dixi debeo illam accipere in domum meam, & educare,donec veniat tempus nubendi, & cępi ei ſubminiſtrare quæ neceſſaria erant; bonum opus hoc,dextera manus eſt: ſed dum cauſa ſubminiſtrationis, videndo eam,decidi in laqueũ deſiderij eius, tũc illud bonum opus meum, & dextera manus, facta eſt mihi in ſcandalum; quòd cum incipit fieri, tale bonum opus, & dextera, ſunt abſcindenda. Vnde Hieron. de vita Clericorum ad Oceanum dicit. Si pudicitiam quæris,fœminam quam bene videris conuerſantem, mente dilige, non corporali præſentia ornatam. Et infra. Sacerdotes decet, vel gradus cæteros clericorum, ſe à fœminis ſegregari. Vnde ſi generis gratia, eaſdem nullo pacto iudicas dimittere: memento Thamar, quòd ab Amnon fratre ſuo corrupta ſit. Vbi enim vnius eſt tabernaculi conuerſatio,carnis non facilè tollitur delectatio. De duobus enim quod vnus deſiderat, ſi loqui nõ poteſt, tẽtatur tamen. Et infra. Germinant fœminæ cũ viris habitantes, ſpinas, & arcana mentium, acuto mucrone percutiunt. Proh nefas, dolor eſt dicere: ſed prætereire non decet, Chriſto iſtæ nubere vouerunt, non clericis. Vnde ſine nuptijs nouum genus vxorum? Monachum, vel clericum ſolitudo facit, non publicum. Quid te virginale delectat alloquium? Cur ſanctimonialium contra fidem frequentia in Eccleſia eſt? vel in ipſo publico? Si eos, quos diligunt, viderint,ridentibus oculis ſalutationis tenera verba procedunt. Deinde cum ſalutauerint, ſi Dei viros prætereire celerius viderint, contemptores ſuos iudicant, & iraſcuntur. Ordinatur deinde deſertæ ſatisfactio. Poſt ſatisfactionem prandium, quaſi noua lætitia diſponitur: Inter pocula,improperant verba contemptus,ille vero lamentare ſe ſimulat, quaſi peccati genus inducens. Mariam in penetralibus Angelus ſolam inuenit non cum Agapeta loquentem,& illa virilem introitum trepidauit. Tu quæ fornax es malitiæ, quid à viro deſideras frequentius ſalutari? & neſcis quia dupliciter famam perdis, tuam ſimul, & clerici cuius vita Eccleſia Dei debet ornari? Quia ergo contingit, & frequentèr, quòd ex bono aſpectu, & actu frequentatis cum mulieribus, naſcitur adulterij crimen, vel fornicationis: Iccirco ſi ſentiamus ex talibus aſpectibus, & actibus ad peccatum carnis moueri, tales aſpectus, & actus ſunt abſcindendi, ne ad dicta peccata proſiliamus. Melius enim eſt eis, & nobis,quòd doctrinam, & neceſſaria corporis, ad tempus ſubtrahamus, quouſque concupiſcentia tranſierit, quàm talibus inſiſtentes,in peccatum carnis cum ipſis labamur. Vnde,& Hiero. in Epiſt. ad Euſtochium dicit. Si quid ignoras, ſi quid de ſcripturis dubitas, interroga eum, quem vita commendat, excuſat ætas, fama non reprobat,qui poſsit dicere deſponſaui te vni viro virginem

Gal.3.

Chryſoſt. hom.12.

Hieron.

Ibidem.

Ibidem.

Idem.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

nem caſtam exibere Chriſto. Aut ſi non eſt qui poſsit exponere, melius eſt aliquid neſcire ſecurum, quàm cum periculo diſcere. Memento quòd in medio laqueorum ambulas. Vnde & illi, qui ſub prætextu religionis, mulieris familiaritatem, & contubernium quærunt, aſsimilantur filijs Hely ſacerdotis, de quibus dicitur 1. Reg. 2. Audiuit Hely omnia quæ faciebãt filij ſui vniuerſo Iſraeli, & quomodo dormiebant cum mulieribus, quæ obſeruabant ad oſtium tabernaculi. Quod exponens Ioſephus dicit. Filij Hely mulieribus religionis cauſſa conuenientibus ad tabernaculum, contumelias inferebant, alijs quidem violentiam facientes, alijs vero perſuadentes donis; nihilq; eorum vita à tyrannide peſsima diferebat.

1.Reg. 2.

Ioſephus.

SVMMARIVM.

Ponitur quarta ſolutio accipiendo dextrum oculum pro ratione, & dexteram manũ, pro actu voluntatis, & accipiendo ſiniſtrum oculum, pro cognitione ſenſitiua, & ſiniſtram manum, pro appetitu ſenſitiuo & eius actu. Et quia non eſt in noſtra poteſtate, niſi poſt deliberationem cohibere ſenſum, & eius appetitum, ſicut eſt in noſtra poteſtate per liberum arbitrium, refrenare ſenſum, & appetitum ſenſitiuum, ne procedat ad actum concupitum, ita etiam eſt in noſtra poteſtate cohibere motum inordinatum voluntatis: Iccirco dexter oculus, & manus, præcipiuntur amputari, & non ſiniſter oculus vel manus.

VI

POteſt etiam per dextrum oculum, & dextram manum ſcandalizantem nos, quæ eruenda ſunt, & abſcindenda, intelligi oculus mentis; & manus, pro voluntate operis. Circa quod attendendum ſecundum Chryſoſt. hîc. Quòd ſicut in nobis ſunt duæ virtutes cognitiuæ, ſcilicet ſenſus, & intellectus, qui dirigunt in agẽdis; ſic etiam ſunt duo appetitus, ſcilicet appetitus ſenſitiuus, & intellectiuus, qui vocatur voluntas in nobis, qui ſunt proſecutiui operis: huiuſmodi autem appetitus, ſunt in nobis contrarij, cum appetitus intellectiuus, & ratio ad optima deflectãt; ſenſus verò & appetitus ſenſitiuus ad mala ſint inclinati: iuxta illud Gen. 8. Senſus & cogitatio humani cordis in mãlum prona ſunt ab adoleſcentia ſua. Et Apoſtolus dicit ad Galat. 5. Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis: caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnẽ: Hæc enim ſibi inuicẽ aduerſantur; Licet enim ratio, & voluntas poſsit compeſcere ſenſum, & appetitum ſenſitiuum, ne contra rationẽ, & voluntatem perficiant, quod concupiſcunt: iuxta illud Gen. 4. Sub te erit appetitus peccati, & tu dominaberis illius; tamen quòd ſenſus, & appetitus ſenſitiuus, non concupiſcant contra rectã rationẽ, & voluntatem eam ſequentem, pro ſtatu naturæ lapſæ, non eſt in noſtra poteſtate: iuxta illud Apoſtoli ad Rom. 7. Condelector legi Dei, ſecũdum interiorem hominem: Video autem aliam legem in mẽbris meis repugnãtem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in mẽbris meis. Vnde etiam non præcipitur nobis, quòd caro non concupiſcat aduerſus ſpiritum, quia hoc pro nunc, impoſſibile eſt nobis, ſed quòd non regnet concupiſcentia peccati, ſic quòd obediamus ei, quia hoc in noſtra poteſtate eſt, cum adiutorio gratię Dei: iuxta illud ad Rom. 6. Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentijs eius. Vnde Auguſt. de verbis Apoſtoli, ſermo. 12. hoc exponẽs, dicit. Non dixit, noli habere deſideria mala: Quomodo enim in hac carne mortali, vbi caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem, non habebo deſideria mala, quia volo vt caro non concupiſcat, & non poſſum? illud ergo fac. Non regnet peccatum in tuo mortali corpore ad obediendum deſiderijs eius, & ſi ſunt deſideria, non eis obediatur, ne iniquitas dominetur. Et ſermo. 66. dicit idem, Quòd non regnat peccatũ, ideſt carnalis concupiſcentia, plus habet iuris mens ad tenenda membra carnis ne dentur in arma iniquitatis, quàm ipſa concupiſcentia carnis, ad mouenda membra carnis: mens tamen quia dominatum habet, ſi tamen deſuper adiuuetur, ne cum ei multum contra Dei gratiam damus, non regem, ſed vt tyrannum faciamus. Et infra. Lex iubebat, & non implebat, quia caro vbi non erat gratia, municiſſimè reſiſtebat. Quia ergo non eſt in noſtra poteſtate, quin ſenſus, & appetitus eius, concupiſcat mulierem viſam, aliquãdo tamen eſt in noſtra poteſtate, quòd ratio, & voluntas, tali concupiſcentiæ reſiſtant adiutæ Dei gratia, poſt peccatum Adæ, & non ſolum quòd reſiſtant dictæ concupiſcẽtiæ carnali, ne in opus prorũpãt, immo quòd poſt deliberationem rationis, eam à concupiſcendo, ceſſare faciant: Iccirco rationi, & voluntati, quę vocantur dexter oculus, & dextera manus, præcipitur, quòd ſi nos ſcandalizant, conſentiendo delectationi peccati, vel etiam ſi conſentiãt in opus peccati extrinſecũ, talis eorum conſenſus abſcindatur, ne perueniatur ad opus exterius,

Chryſoſt. hom. 12.

Gen. 8.

Gal. 5.

Gen. 4.

Rom. 7.

Idem 6.

Auguſt.

Idem.

Ibidem.

terius, exibendo membra corporis, arma iniquitatis, peccato. Vel si ratio, & voluntas iuxta consensum peccatorum talium sint, oportet quòd talis consensus eorum abscindatur, cum hoc sit in eorum potestate, & non solum quantum ad eorũ actũ, quem in potestate habent, immo quantũ ad actum sensus, & appetitus sensitiui, quem possunt cohibere post deliberationem, ne omnino sint, & si sint, quòd non perueniant ad opus concupitum, quia nisi ratio, & voluntas hæc facerent, cum hoc facere possint, adiuti Dei gratia in renatis, non iam imputaretur sensualitati, sed ipsis. Sed quia sensualitas antè deliberationem rationis, & imperium voluntatis, concupiscit sensualitati conuenientia, & refugit nociua: quòd talia non concupiscat, non est in nostra potestate antè deliberationem rationis, quia pro tunc mouetur nostra sensualitas bestialitèr: Iccirco non præcipitur nobis, quòd oculus siniſter, vel siniſtra manus, ideſt cognitio sensitiua, & appetitus sensitiuus sequens eam, si scandalizant, ideſt occasionẽ ruendi in peccatum prestent, quòd abscindantur, & procul à nobis expellantur, quia quamdiu in hac vita mortali sumus, pro tempore naturæ lapsæ, caro contra spiritum concupiscit, nam & si concupiscentia carnis, quæ prouenit ex fomite originalis peccati, possit diminui, non tamen extinguitur in vita præsenti, quamdiu terra nostra, ideſt caro, spinas, & tribulos germinat. Sed quia ratio, & voluntas, Dei gratia adiutæ, possunt non consentire tali concupiscentiæ sensualitatis, immo etiam totalitèr compescere: Iccirco præcipitur quòd si oculus dexter, vel dextera manus scandalizat, ideſt quòd si quando voluntas, & ratio peccato, vel concupiscentiæ carnali consentiunt, vel non compescunt, eruendus est oculus dexter, & abscindenda manus dextera, ideſt talis actus consentiendi in malum, vel negligentia, est tollenda. Dicitur autem secundum eundem Chrysost. Dexter oculus ratio, & dextera manus voluntas, quia sunt arbitrio libera, ad hoc, vel illud quod placuerit, habentes potentiam declinandi, sicut dextera manus est apta ad opera: sed sensus, & appetitus sensitiuus, dicuntur siniſtra, quia ad vnum, & magis ad malum post peccatũ originale sunt inclinata. Vnde ad hanc intentionem, hanc partem exponens dicit. Quando ex passione carnis concupiscimus sicut homines, animo autem resistimus concupiscentiæ nostræ, siniſter oculus scandalizat, ideſt mens carnis, & siniſtra manus, ideſt voluntas carnis, & quia fieri nõ potest, vt caro aliquando cesset à desiderio malo, quia, & si desideria carnis retinere possimus, vt non faciamus quod desiderat caro, præscindere tamen non possumus, vt non desideret; & ideo non iubet carnis mentem, ideſt oculum eijcere, vel carnis præscindere voluntatem. Quando autem ex proposito animæ volumus malum, tunc dexter oculus, ideſt ratio, & dextera manus, ideſt voluntas, nos scandalizant, & istum oculum, & istam manũ præscindere iubet, quæ & præscindere possumus, quoniam anima in arbitrio suo est, vt ad quod voluerit valeat declinare.

Chrysost. hom. 12.

Ibidem.

SVMMARIVM.

Quòd si per oculum, & manum dexteram, intelligantur cognati, & amici carissimi, vel familiares nobis multum necessarij, si incipiunt nos sic scandalizare, id est, si nobis peccata facienda persuadeant, vel ad peccandum nos inducant, abscindendi sunt à nobis, & remouendi à nostra societate.

VII

SI vero loquatur Dominus de societate malorum hominum, qui frequentèr impellũt hominem in peccatum, quia nihil sic nocet homini, sicut mala societas, Tunc est sensus, quòd si aliquem habeamus sic dilectum, vt oculum dextrum, vel manum dexteram, & ad peccatum nos vult trahere, abscindendus est à nobis, & remouendus, ne propter eius societatem, nos, & ipse pereamus: Vnde & infra in homel. Chrysost. exponens illud; si oculus tuus dexter scandelizat te, dicit. Vnde sunt peccata in nobis? non vtique ex necessitate, sed à desiderio, cũ à cõmorando cum perniciosis, & à cõtemnendo virtutẽ proficiscãtur: nec iubet eruere oculos, absit, sed de amicis attingentibus, quos in ordine membrorum necessariorum habemus, hoc dicit. Nihil enim, ita nociuum est, vt conuersatio pernicioſa; quęcunq; enim necessitas non potest, amicitia multoties potest, & in nocumentũ, & in vtilitatem. Vnde, & hic ait, pernicioſos, & si valdè tibi amici fuerint, abscinde ab amicitia tua. Si enim quilibet malus, per se sufficit ad suam malitiam consumandam, magis vtique cum habebit circa se malos consiliarios, & adiutores ad malum, & nullum reprehẽsorem iniquitatis suæ, sed magis laudatorẽ, ad mala, & peccata prosiliet, iuxta illud. Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur: Quod exponens Cassiodorus dicit. Malus dũ prædicatur extollitur nec de cor

Matt. 18. Chrysost. hom. 60.

Psal. 9.

Cassiod.

rectione

rectione cogitat, cui laudator blandiens inuenitur. Sic enim Amnon ſtuprum, & inceſtum commiſit cum ſorore, quia conſuluit Ionadab, qui prudens erat in malo, qualiter poſſet habere ſororem ſuam. Sic, & Iezzabel impulit Acab ad interficiendum Naboth, & ad poſsidendam vineam eius. Sic etiam Salomon ſapientiſsimus adamans mulieres alienigenas amore ardentiſsimo, ædificauit Idola, & coluit ea, impulſus ad hoc per ipſas mulieres, quas nimium diligebat. Vnde quàm citò homo perpendit, quòd aliquis eius amicus, vel dilectus, peccatum ei perpetrandum conſulit, vel à iuſtitia auertere cupit, tàm citò eum à ſe expellere debet, & procul abijcere, ne ſimul cum ipſo pereat. Iuxta illud Deut. 13. Si voluerit tibi perſuadere frater tuus filius matris tuæ, aut filius tuus, vel filia, ſiue vxor, quæ eſt in ſinu tuo, aut amicus, quem diligis vt animam tuam, clam dicens, eamus, & ſeruiamus dijs alienis; non acquieſcas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus, vt mi ſerearis, & occultes eum, ſed ſtatim interficies. Et Pro. 1. de mala ſocietate dicitur. Si te lactauerint peccatores, non acquieſcas eis: ſi dixerint veni nobiſcum, inſidiemur ſanguini, abſcondamus tendicula contra inſontem fruſtra: Implebimus domus noſtras ſpolijs, ſortem mitte nobiſcum, marſupium ſit vnum omnium noſtrum: fili mi, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à ſemitis eorum. Vnde, & de vxore maligna dicitur Eccleſ. 25. A carnibus tuis abſcinde illam, ne ſemper te abutatur. Et de coninge infideli habitante cum fideli, qui non vult habitare cum ea ſine iniuria creatoris: dicit Apoſtolus 1. ad Cor. 7. Si infidelis diſcedit, diſcedat, non eſt enim ſeruituti ſubiectus frater, aut ſoror in eiuſmodi. Quod exponens Gloſſa dicit. Si uxor dicat non ero uxor tua, niſi mihi de latrocinio diuitias congreges, niſi ſolita latrocinia exerceas, & huiuſmodi: tunc ille, cui uxor hoc dicit, ſi ueracitèr chriſtianus eſt, plus tenebitur amore diuinæ gratiæ, quàm carnis vxoris, & membrum, quod eum ſcandalizat fortiter amputabit. Vnde nulli perſonæ, quantumcunq; coniunctæ conſanguinitate, vel amicitia adherẽdum eſt, ſi hominem vult inducere ad peccatum, cum amicitia Dei, & ſui, ſit omnibus præferenda, ſi charitas ſit ordinata. Et hoc modo hanc partem exponens hîc Chryſoſt. in homil. dicit. Si ita aliquem diligas vel ita vtilẽ eſſe eſtimes, vt manus dexterę ducas loco, & ſit tibi cognatus, vel ſi aliter te attingit, & incõmodet tuæ animę, & hunc abſcinde. Et ſi familiarem in iacturam factum lex abſcindere iubet: magis vtiq; iubet abſcindere eos, qui nondum ſunt cognati, vel familiares.

2. Reg. 13.
3. Reg. 21.
3. Reg. 11.
Deut. 13.
Prou. 1.
Eccl. 25.
1. Cor. 7.
Gloſ.
Chryſoſt. hom. 17.

F

G

H

I

K

SVMMARIVM.

Quòd ſi dexter oculus, accipiatur pro conſiliario noſtro in diuinis, & dextera manus, pro adiutore noſtro in operibus virtuoſis, etiam tales ſunt à nobis abſcindendi: ſi perpendamus quòd ad peccatum, vel hæreſis, vel maligni operis, nos inducere velint.

VIII Aug.

POnit autem oculum dexterum, & manum dexteram, ſecundum Aug. 1. lib. de ſer. Domini in monte, pro dilectiſsimis amicis, & qui in rebus diuinis, adiuuant nos; dicit enim: Oculus eſt membrum, quod vehementer diligimur, & tanquàm dilectiſsimum amicum, & hunc conſiliarium poſſumus appellare, quia oculus eſt tanquàm demonſtrans iter, & in rebus diuinis, quia dexter eſt; In rebus autem diuinis conſiliarius ſcandalizans eſt, ſi in aliquam pernicioſam hęreſim, nomine religionis atq; doctrinæ conatur inducere. Ergo & dextera manus accipitur dilectus adiutor, & miniſter in diuinis operibus: qui etiam ſi ſcandilizet, ad quodcunque genus peccati nos ducere volens, ſicut ad malè acquirendum, vt in eleemoſinam expendatur, abſcindendus eſt à nobis, & procul remouendus. Melius eſt enim, quòd talis per ſe pereat, quàm ſi ſe, & nos ad perditionem traheret: expedit enim magis vt pereat vnum membrorum noſtrorum, quàm ſi totum corpus periret, Vt hîc Dominus dicit. Et Apoſtolus 1. ad Cor. 4. dicit, Neſcitis quoniam modicũ fermẽtum, totam maſſam corrumpit? Ex purgate vetus fermentum. Quod exponens Gloſſa dicit. Cum cognitum peccatum alicuius non arguitur, totam maſſam corrumpit, id eſt, omnes contaminat, qui cum poſsint arguere, diſsimulant; participes enim ſunt peccati, dum patiuntur reum, propter quod eum, qui nos corrupit abijcite, quia eſt membrum veteris hominis, & putridum.

1. Cor. 4.
Gloſ.

SVMMARIVM.

Quòd ſi infirmis, vel puſillis, qui facilitèr ſcandalizantur expedit, vt ſeparentur à conſortio illorum, qui eos ſcandalizant, id eſt, ad peccatum inducunt, etiam perfectis, idem expedit, ſi ex tali malorum conſortio, ſcandalizari incipiant: ſed perfecti, qui non ſcandalizantur ex factis, vel dictis malorum, ſed eos

corri-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

corrigunt,& emendant,non debent se ab eis se parare, nisi appareret eos incorrigibiles esse, vel nisi viderent, quòd alij infirmi, quos regunt per suam malitiam corrumperentur, & tunc tales separari ab alijs debent.

VIIII

VErum est autem, quòd si mala societas,nos iam incipiat ad peccatũ trahere, tunc abicienda est, quæ tunc incipit, quando scandalizat nos. Scandalum enim, vt dicit Glossa super illud infra 18.

Glos. Matt.18.

Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te; Est dictum,vel factum minus rectum, occasionem dans ruinæ, quia tunc scandalizans, cum faciat factum, vel dictum minus rectum, ex quibus datur ruinæ occasio, grauitèr peccat, vt ibidem dicit Dominus. Qui scandelizat vnum de pusillis, expedit ei, vt suspendatur mola in collo eius, & demergatur in profundum maris. Et etiam scandalizatus peccat, quia iam in peccatum ruere incipit, & ideo vterq; perit. Et propter hoc imperfectis hominibus in virtute, qui vocantur pusilli, & facilitèr scandalizantur, non expedit esse in societate malorum, nec cuicunque homini etiam perfecto, ex quo scandalizari incipit: sed qui est perfectus in virtute, & non scandalizatur propter dictum, vel factum alicuius minus rectum, non oportet, quòd se abscindat, vel separet à socio, qui quantum in eo est, ipsum scandalizat, licet ipse non scandalizetur. Vnde, & in laudem Loth dicit Pet. 2.Epistola cap. 2. Iustum Loth oppressum à nephandorum iniuria, ac luxuriosa conuersatione eripuit. Aspectu enim, & auditu, iustus erat, habitans apud eos, qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant. Et Iob de se dicit. Frater fui draconum,& socius struthionum. Quod exponens Greg. 20. lib. Moral. cap. 29. (ait) veracitèr Ij boni sunt,qui in bonitate persistere,etiá inter malos possunt. Nullus quippe perfectus est, qui inter proximorũ mala patiens nõ est. Qui enim equanimiter aliena mala non tolerat, ipse sibi per impatientiam testis est, quia à boni plenitudine longè distat. Abel quippe esse renuit, quem Cayn malitia non exercet. Sic in tritura areę, grana sub paleis præmuntur, sic flores inter spinas prodeunt, & rosa quæ redolet, crescit cum spina,quæ pungit. Hinc etiam voce sponsi sanctæ Ecclesiæ dicitur. Sicut lilium inter spinas,sic amica mea inter filias; Hinc etiam ad Ezech. Dominus dicit. Filij hominis increduli, & subuersores tecũ sunt, & cum scorpionibus habitas. Et Ber. super cant. ser. 44. dicit. Non mediocris titulus perfectæ virtutis est inter prauos viuere homines, & inter malignantes,innocentiæ retinere candorem,& morum lenitatem: magis autem si ijs, qui oderunt pacem, pacificum, & amicum ipsis te exhibeas inimicis,& si pungentes te spinas, candore proprio illustrare, & venustare non cessas. Vnde qui sic perfectus est in virtute,vt malum scandalizantis socij non accedat ad eũ, potest in mala societate habitare, cum non scandalizetur ab ea;immo potest eam ex suo consortio reddere bonam. Vnde quamdiu spes est, quòd bonus habitans inter malos, eos bonos efficere possit, eos à se abscindere non debet. Sed si verisimilitèr appareat, quòd inemendabiles sint, tunc sunt abscindendi, & separandi ab eo, Iuxta illud Hiere. 51. Tollite resinam ad dolorem eius, si fortè sanetur; Curauimus Babilonem, & nõ est sanata, derelinquamus eam, vt eamus vnusquisque in terram suam. Et de Iuda sub spetie vineæ dicitur Isa. 5. Quid est quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci? An quod expectaui, vt faceret vuas,& fecit labruscas? Et de Hierusalem,quæ impleta erat sanguine Prophetarum,Dominus dicit, infra 23. Volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti, ecce relinquetur domus vestra deserta. Et Hiero. super illud infra 28. Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, dicit. Inemendabiles amici sunt à nobis alienandi, ne per immunditiam eorum, & ipsi polluti pereamus; Quemadmodum enim in corpore humano, si aliqua membra sic ægrotent, quòd periculum toto corpori immineat de corruptione nisi abscindatur, abscindenda sunt ne vnum membrũ putridum, totum corpus corrumpat. Si verò tale periculum non immineat toti corpori, vel quia ęgritudo membri non totum corpus afficit, sed solum aliquod membrum languidum, & non se extendit eius infectio ad cætera membra,vel quia adhuc est spes quòd membrum infectum curetur,& non possit interim magna infectio toti corpori prouenire ex eo: Tunc membrum abscindendum non est, sed curandum. Sic mala societas, quando se ostendit insanabilem, & cæterum corpus sanum, pro viribus procurantem putrescere,abscindenda est: sed quamdiu sibi soli nocet,& alios non inficit,vel spes est emendationis eius, non est à perfectis viris,& maximè talibus qui non scandalizantur per eam, abscindenda,vel etiam separanda. Sic enim Apostolus dicit 1. ad Cor.7. Si qua mulier habet virum fidelem, & hic consentit habi-

Cant.2.

Ezech.2.

Bern.

Iob.30.

Grego.

2.Pet.2.

Iere.51.

Isai.5.

Matt.23.

Matt.28. Hiero.

1.Cor.7.

tare

tare cum illa, non dimittat virum. Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis, per virum fidelem. Quòd si infidelis discedit, discedat. Vnde Dominus nõ præcipit eruendum oculum, vel manum abscindendam, nisi scandalizent cæterum corpus. Hieron. Tunc enim secundum Hieronymum in Epistola ad Matrem, & Filiam, Mẽbra putrida sunt abscindẽda vnde dicit. Si (quod absit) peccatorum vos extimarẽ glutino cohęsisse, nũquam scriberem, sciremq; me surdis narrare fabulam: Putridę carnes ferro curãtur, & cauterio. Quod satis dolet, maiori dolore expellitur.

SVMMARIVM.

Ponitur secundò continuatio, & expositio, & ostenditur quod dupliciter mulier concupiscentialiter videtur, scilicet quia vel ea concupiscentia, quæ iam inerat inconcupiscente, vel quia dum videtur, concupiscitur. Et de primo modo locutus fuit in præcedenti parte dominus, hîc verò loquitur de secundo modo.

X Secundò potest continuari hæc pars, & exponi sic; quòd postquam Dominus adulterium cordis, procedens ad oculos, ex corde, prohibuit, nunc prohibet adulterium, quod ab oculis, & manibus ad cor venit. Circa quod intelligendum est, quòd aliquando contingit, quòd à concupiscentia in voluntate, vel corde concepta, præcipitur à voluntate oculis, & mẽbris exterioribus, quòd videant, vel tangant mulierem concupitam: & tunc exhibentur membra nostra arma iniquitatis peccato. Ad quod Dominus aduertens, dicit, qui viderit mulierem ad concupiscendũ eam, idest, qui ex concupiscentia excitatur ad mulierem cõcupitam videndam, iam eam mœchatus est in corde suo. Qualiter etiam Iob 31. Iob loquitur 31. Si sequutus est oculus cor meum. Quod exponens Gregor. 21. Gregor. lib. Moral. cap. 6. dicit. Sæpe intrinsecus concupiscentia dominatur, & illecebratus ànimus, ad vsus suos sensus corporeos familiari more tyrannidis exigit, suisq; voluptatibus oculos seruire compellit, atque, vt ita dicam, fenestras luminis, ad tenebras aperit cæcitatis: Vnde sancti viri cum fenestra pulsari delectatione se sentiunt, ipsa per quæ forma species ad mentem ingreditur, disciplinæ magisterio lumina ipsa restringunt, ne prauæ cogitationis visio lenocinata famulentur. Aliquando verò contingit, quòd per sensus exteriores, excitatur cordis concupiscentia, quia ex muliere visa vel tacta, inardescit in concupiscentia eius, quæ ante visionem vel tactum, non concupiscebatur. Vnde dicitur. Oculus meus depredatus est animam meam in cunctis filiabus vrbis meæ. Thren. 3. Et Iob ne per oculos exteriores, mulieris concupiscentia in eo excitaretur, pepigerat fœdus cum oculis suis, ne cogitaret de virgine. Iob 31. Quod exponens Gregor. 21. lib. Moral. cap. 2. dicit. Visus, auditus, gustus, odoratus, & tactus, quasi quædam vię mentis sunt, quibus foras veniat, & ea, quæ extra eius substantiam sunt, concupiscat. Gregor. Per hos enim corporis sensus, quasi per fenestras quasdam, exteriora quæq; anima respicit, respiciẽs, concupiscit. Quis quis etiam per has corporis fenestras, incautè exterius respicit, plerunq; in delectationem peccati, etiam nolens, cadit. Quia ergo contingit, quòd per sensus exteriores, concupiscentia mala insurgit, & rationem subuertit: Iccirco, quia Dominus prohibuerat adulteriũ ex corde proueniens ad oculos: prohibet nunc adulterium, quod prouenit ab oculis, & manu, & per consequẽs ab alijs exterioribus sensibus, ad animum, dicens, [*Si oculus tuus scandalizat te, &c.*] Vnde Gregor. 21. lib. Moral. cap. 6. dicit. Plerunq; res quælibet innocenti mente respicitur, sed ipso conspectu, animus concupiscẽtiæ gladio, confoditur. Idem. Non enim Dauid Vrię coniugem ideo studiosè respexit, quia concupierat: sed potius ideo concupiuit, quia incautè respexit, vnde quisq; exteriori oculo, non iniustè cęcatur. Vt ergo praua cogitatio, per oculos non veniat ad mẽtem, dicitur. I [*Si oculus tuus scandalizat te, &c.*] Sed nè mala concupiscentia in mente extorta faciat sibi oculos deseruire, dicitur [*quòd qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo,*] vt sic interius, & exterius castitas conseruetur.

SVMMARIVM.

Ponitur triplex differentia, quæ ex verbis Domini sic habetur inter ex concupiscentia velle videre mulierem concupitam, & inter concupiscentiam, quæ surgit ex videre mulierem.

K Sed quia quando concupiscentia cordis, facit sibi oculos exterioris deseruire, semper iam mẽs est corrupta, per peccati carnalis cõsensum: Iccirco Dominus XI dicit, [*Quòd omnis qui videt mulierem ad concupiscendum,*] idest, [*qui ex eo quòd concupiscit, vult videre, iam mœchatus est eam in corde suo,*] quia nullus sic mulierem videns, potest excusari à mœchia cordis: sed quia contingit frequenter, quòd mulier videtur,

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

& tangitur manu, & tamen nec tunc, nec postea concupiscitur: iccirco non semper manus, & oculus scandalizat, quia ex visu, vel tactu concupiscentia mala non insurgit, licet ex tali visu, vel tactu, mulier quæ antè non concupiscebatur, cõcupiscatur; propter quod Dominus hic loquitur conditionalitèr [*Si oculus tuus scandalizat te*] & non loquitur simplicitèr, sicut fecerat prius. [*Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem, &c.*] Vnde & Augustin. in regula dicit. Quando proceditis fœminas videre non prohibemini: sed appetere, vel ab ipsis appeti velle, criminosum est. Signanter etiam loquitur, quia cum egit de adulterio, à corde ad oculos, solum dicit peccatum esse perpetratum, & non mandat quòd talis concupiscẽtia abscindatur; quia vt supra dicebatur, licet ratio possit comprimere, & sedare carnis concupiscentiam, per deliberationem rationis, & voluntatem, cum adiutorio diuinæ gratiæ: non tamen potest facere, vt quandoq; talis carnis concupiscentia non insurgat ante deliberationem rationis: & si iam insurrexit, si est magna, non statim ad imperium volũtatis quiescit: immo quãdoq; contra resistit, cum ratio, & voluntas, non dominentur appetitui sensitiuo principatu dispotico, sed solum principatu politico, & ciuili: iccirco talis concupiscẽtia, non potest totaliter, vel subitò, & ad solum voluntatis imperium tolli, licet postea possit refrenari, & tolli per conatum voluntatis, adiuuante diuina gratia, & maximè ne procedat ad opus. Sed quia ratio, & voluntas totaliter dominãtur membris corporis, & vsui ipsorum (exceptis membris genitalibus) Iccirco, quàm cito perpendit homo, ex sensibus corporeis, vel membris, concupiscentiam carnis insurgere, excidi debet talis sensus, & membra cohiberi, ne sentiant illa, per quę concupiscentia mala excitatur. Vnde Eccle. 9. dicitur. Auerte faciem tuam à muliere compta, & non contraspicias speciem alienam. Et Prouer. 5. dicitur. Ne intenderis fallaciæ mulieris; fauus enim stillans labia meretricis & nitidius oleo guttur eius; longe fac ab ea viam tuam, & ne appropinques foribus domus eius, Et in Psal. dicitur. Auerte oculos meos ne videant vanitatem. Vnde statim, quando sensus exteriores incipiunt scandalizare, cohibendi sunt, ne sentiant illa per quæ scandalum animæ nostræ paratur, dicente Grego. 21. lib. Moral. cap. 2. Vt cogitationes cordis castè seruare possimus, fœdus cum oculis facimus, ne prius incautè aspiciamus, quod postmodum inuiti amemus: caro namq; valde deorsum trahit, & semel species formæ cordis per oculos illigatà, vix magnitu ctaminis manu soluitur. Ne ergo quædam lubrica in cogitatione versemus, prouidendum est nobis, quia intueri non decèt, quod non licet concupisci. Vt enim munda mens in cogitatione seruetur, à lasciuia voluptatis deprimendi sunt oculi, quasi quidam raptores ad culpam. Vnde quia actus sensuum exteriorum, & membrorũ, semper sunt in nostra potestate: iccirco præcipiuntur abscindi, quando scandalum animæ facere incipiunt, & non per alios, sed per nosmetipsos: Quia alter homo non habet potestatẽ cohibẽdi, vel mouendi ad solum votum, membra vel actus sensuum, sed ipsemet homo cuius sunt sensus, & membra; propter quod dicitur. Erue oculum & abscinde manum tuam, & non quòd ab alio eruatur oculus, vel abscindatur manus. Propriè enim loquitur cum dicit de adulterio procedente à corde ad mẽbra, quod iam perpetratum est: quando verò loquitur de adulterio procedente à sensibus ad cor, non dixit, adulterium esse, sed solum scandalum: Vitium enim quod est peccatum, & virtus, non in sensibus corporis, sed in voluntate perficitur: dicente Aug. lib. 1. de Ciuit. Dei, cap. 18. Cum pudicitia, virtus sit animi, si fortè in apprehensa, & oppressa carne sua, alicuius violenter exerceatur, & expleatur libido, cui non annuat mète oppressus, non perditur nec oppresso corpore amittitur & ideo, quando à voluntate procedit adulterium est perpetratum, quia volũtas per peccatum est corrupta consentiẽdo peccato, sed sensus exteriores, vel membra non sunt peccati subiecta, quia non sunt animus, sed corpus. Sed quia intellectus noster, & per consequens, võluntas, suam cognitionem accipiunt à sensu exteriori, fundamentaliter, & primariè, quia nihil est in intellectu nostro, nisi prius fuerit in sensu, licet non necessario sequatur sensationẽ, & minus voluntas: iccirco occasionaliter sensus exteriores, & membra, dant occasiones voluntati consentiendi & ruendi in peccatum. Et propter hoc dicũtur scandalizare voluntatem, & nos in quantum homines sumus. Scandalũm enim vt dicit Rabanus sermo græcus est, quod nos offendiculum, & ruinã, & inpactionem pedis dicere possumus. Vnde sicut ille, qui ponit aliquam rem alicubi in via, in qua transiens, postea inpingis, & cadis, non est causa dictæ ruinæ, nisi per accidens, quia ponit illud in quo transiens per viam offendit: Sic sensus exteriores, & membra, non præstant, nisi occasionem ruendi, ex qua tamen occasione,

Aug. — Aug. — Ecc. 9. — Prou. 5. — Psal. 118. — Gregor. — Aug. — Raban.

Augustin. casione, non necessariò voluntas in peccatum ruere habet: dicente Augustin. 12. lib. de Ciuit. Dei, cap. 6. Si aliqui duo æqualitèr affecti animo & corpore, videãt vnius corporis pulchritudinem, qua visa vnus eorum ad illicitè fruendum moueatur, alter in voluntate pudica stabilis perseueret; quid putamus esse causſæ, vt in illo fiat, in illo non fiat, mala voluntas, quam illa res facit, in quo facta est? neq; enim pulchritudo illa corporis, nam eam non facit in ambobus: quandoquidem amborum non dispariliter occurrit aspectibus. Ibidem. An caro intuentis in causa est? Cur non, & illius? Et infra: Quid aliud apparet, nisi vnum istorum voluisse, alterum noluisse à castitate deficere, nisi propria voluntate, vbi eadem fuerat in vtroq; corporis, & animi affectio? Quia ergo sensus exteriores, & mẽbra non peccant, sed solum dant occasionem peccandi, ideo Dominus de oculo, & manu dicit. Si scandalizant vos; sed quia voluntas, est peccati subiecta, & causſa; ideo dicit, quòd videns mulierem ad concupiscendum eum, iam mœchatus est eam in corde suo.

SVMMARIVM.

Quòd membrorum nostrorum abscisio, si nos scandalizant, non intelligitur de abscisione membrorum, sed de abscisione actuum membrorũ, per quos ad peccatum trahimur; vel dictum Domini intelligitur, non simpliciter positum, sed comparatiuè, quia melius esset nobis, quòd membra scandalizantia nos, essent abscisa, quàm si per actus ipsorum ad peccatum induceremur, ex quo corpus, & animam perderemus.

XII ET vt ostendat cum quanta seueritate cohibendi sint sensus exteriores, & membra, nè scandalizent voluntatem, dicit, oculum eruendum, & manum abscindendam. Non quidem quòd ista membra corporalia, sicut aliqui vesani intelligere voluerunt, nobismet abscindere, vel eruere debeamus, cum ex hoc homicidæ, & mutilatores nostri essemus, quod prohibitũ est cum dicitur, Non occides. Tum etiam cum canonibus apostolorum, de illis qui se abscindunt, vel castrant, vt sint casti, statutum sit, quòd de cætero ordinari non possunt, cum sint sui ipsius homicidæ, vt patet 4. di. cap. Siquis abscidit semetipsum, id est si quis amputauerit sibi virilia, non fiet clericus, quia hic est homicida, & Dei conditoris, est inimicus. Vnde & circumcelliones, qui semetipsos perimunt, vt post mortem martires nominentur, ab Ecclesia hæretici sunt iudicati, vt patet 24. q. 4. ca. Quidam etiam hæretici. Et Augustin. super Ioan. tract. 51. dicit. Vide ne tibi subrepat vt te ipsum, veles interimere: sic intelligendo quòd debes odisse in hoc mundo animã tuã. Hinc enim quidam maligni atq; peruersi in se ipsis crudeliores, & sceleratiores homicidę, flãmis se donãt, aquis præfocant, præcipitio & collidunt, & pereũt. Hoc Christus non docuit, immo etiã Diabolo præcipitiũ suggerẽti respondit, Nõ tentabis Dominum Deum tuum. Et Petro dixit: Cum senueris alter te cinget, & ducet quò tu non vis: Vbi satis expressit, non à se ipso, sed ab alio debere occidi, qui vestigia sequitur Christi. Vnde cum hoc iubeatur homini, quòd manum, & oculum suum se scandelizantem eruat, & abscindat, nõ debet intelligi de membris nostris, sed solum de actibus membrorum, & sensuum, qui cum tanta seueritate compesci debent, quando scandalizant nos, quòd videantur eijci, & abscindi. Cum etiam expedientius nobis esset membra corporea ex toto perdidisse, quàm si per ipsa nostræ animæ peccati scandalum eueniret, cum ratione peccati anima & corpus in gehennam perpetuam mittantur, & totus homo perpetuò damnetur: Ideo loquitur Dominus imperando abscisionem non membrorum nostrorum temporalitèr factam ad perditionem totius corporis ad gehennam. Et non est dubium, quòd magis homini expediret, quòd mẽbra scandalizantia immo, & totum corpus perderet homo ad tempus, quàm si eius corpus, & anima in gehennam ignis æterni, pro peccato prouenientes à membris, vel ex corpore ad animam, mitteretur. Vnde dicit; [*Expedit tibi vt pereat vnum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam.*] Quia vt dicitur in Euangelio Marc. 9. cap. Si scandalizauerit te manus tua, abscide illam; bonum est tibi debilem introire ad vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, & ignem inextinguibilem; Vbi vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur. Vnde si magis expediret membra abscindi, quæ scandalizant animam, id est, ad peccatum ruere faciunt, quod sine magno dolore, & tristitia fieri nõ posset: magis vtique actus membrorum scandalizantium, sunt abscindendi, quod sine dolore, sed solo volũtatis imperio fieri potest, quã si permittantur tales actus exercere, ex quibus anima nostra scandalizatur. Augustin. Matt. 4. Ioan. 21. Marc. 9.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

SVMMARIVM.

Quòd ex hoc quòd Dominus hîc dicit, expedit tibi vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm quòd totum corpus tuum eat in gehennam, concluduntur quatuor corrolaria; quorum primum est, quòd magis expedit homini, quòd corporalitèr occidatur, quàm, quòd mortali paccato consentiat. Secundum est, quòd non solum impiorum animæ cruciabuntur in igne inferni, sed etiam corpora eorum viua, post resurrectionem generalem. Tertium est, quòd corpora iniquorum integra, id est, nullo membro proprio carentia, in resurrectione resurgent, vt perpetuò in inferno crucientur. Quartum est, quòd pœna ignis inferni, quę etiam pro minoribus peccatis mortalibus infligetur impijs, grauior erit omni pœna, quam in præsenti homines pati possent.

XIII EX præsenti autem sententia clarè quatuor deducuntur, quorum primũ est, quòd magis homini expedit mori corporalitèr, quàm consentire cuicunq; mortali peccato: quia si expedit nobis, magis quòd pereat vnum membrorum nostrorum, quàm totum corpus: & magis expedit, quòd totum corpus trucidetur, & sustineat pœnam ad tempus, quàm si postea totũ corpus, & anima in gehennam, & ignem inextinguibilem perpetuò mittantur, in quibus inciderent, propter peccatum mortale. Vnde, & Susanna magis voluit mortem pati corporalem, quàm adulterium committere; dicens, Danielis 13. Angustiæ mihi sunt vndique, si enim hoc egero mors mihi est, si autem nõ egero nõ effugiam manus vestras, sed melius est mihi incidere, absque opere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini, Et Ioseph præelegit carcerem, & omnem aliam pœnã corporalem, quàm adulterium committere cum domina sua, Gene. 39. Ex sententia ista habetur etiam manifestè, quòd non solum animæ peccatorum, in alio seculo cruciabuntur in inferno, vel gehenna, verum etiam & humana corpora, quæ ignis pœnam non sentirent, nisi viuerent. Vnde dicit quòd expedit nobis perire vnum membrorum nostrorum, ne totum corpus in gehennam mittatur, quòd minimè diceretur, si peccatorum corpora in gehennam non ponerentur. Vnde Augu. 21. lib. de ciui. Dei cap. 3. dicit. Tunc autem tali corpori anima, & eo connectetur modo, vt vinculum illud, sicut nulla temporis longitudine soluitur, ita nullo dolore rumpatur. Proinde etiam si caro nunc talis nulla est, quæ doloris sensum perpeti possit, mortemq; non possit: Erit tamen tunc talis caro, qualis nunc nõ est. Non enim nulla, sed sempiterna mors erit, quando animã nec viuere poterit Deum non habendo, nec corporis doloribus carere moriendo. Prima mors animam nolentem pellit de corpore, secundam animam nolentem tenet in corpore. Et cap. 4. inquit idem. Non est incredibile, vt hominum corpora sempiterno supplicio punitorum, & in igne animam non amittant, & sine detrimento ardeant, & sine interitu doleant? Habebit enim tunc ista carnis substantia qualitatem à Deo inditam. Et Greg. exponẽs illud Iob. 20. Deuorabit enim ignis, qui non succenditur, affligetur relictus in tabernaculo suo. 15. lib. Moral. cap. 18. dicit. Iniquus quia omne gaudium in carnali vita posuit, in tabernaculo carnis habitauit. Quam videlicet carnem cum in resurrectione receperit, cum ea gehennæ ignibus traditus ardebit. Tunc ab ea educi appetit: tunc eius tormenta euadere si valeat, quærit; tunc incipit velle vitare quod amauit. Sed quia eandem carnem Deo præposuit, iudicante Deo agitur, vt ex ea amplius in igne crucietur. Hîc itaque eam relinquere non vuult, & tamen abstrahitur ab ea; illic eam relinquere appetit, & tamen in ea propter supplicia seruatur. Ad augmentum itaq; tormenti, & hîc de corpore nolens educitur, & illic in corpore inuitus tenetur. Quia ergo eius spiritus, carnem quam sibi malè amando præposuit, euadere in tormento vellet, & non valet, rectè dicitur: Affligitur relictus in tabernaculo suo. Sic ergo impiorum hominum corpora in gahennam in ignem inextinguibilem, vbi vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur post resurrectionem in perpetuum victura, & dolorem sensitura ponẽtur, vt nec eorum anima à corpore separari possit, & dolorem sempiternum perpessura sit, iuxta illud Iudith 16. Dominus omnipotens vindicabit in eis, in die iudicij visitabit illos. Dabit enim ignem, & vermes in carnes eorum, vt vrantur, & sentiant vsq; in sempiternum. Nulli autem dubium est, quòd magis expediret homini vnum membrorum perdere, doloremq; absciſionis momentaneum sentire, quàm si in talem gehennam, & inextinguibilem ignem perpetuò, & sine fine mitteretur. Vnde si sic expediret membrum abscindere, ne nos scãdalizaret, magis vtique expedit sensus, ac membra cohibere ne illud sentiant, per quod anima scãdalizetur, & in peccatum rueret, cum propter peccatum, totum cor

Dan. 13.

Gen. 39.

Aug.

Idem.

Iob 20.

Grego.

Iudith 16.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

pus puniendum sit in gehennam. Ex hac etiam sententia manifestè patet, quòd omnium iniquorum corpora integra, & absq; alicuius membri defectu, sint resurrectura, & deinde in gehennam cruciandа mittenda, cum Dominus hîc dicat. [*Expedit tibi, vt vnum membrorum tuorum pereat, quàm totus corpus tuum mittatur in gehennam,*] totum enim corpus non dicitur cum aliqua pars deficit, Vnde & 5. Meth. dicitur. Totum est, cuius nulla pars deest; ex quibus dicitur tota natura, & continens, & contenta, vt vnum aliquid sint illa. Vnde totum duo includit, & quòd habeat omnes suas partes, ex quibus naturaliter constituitur; & quòd duas contineat partes, adeo vt vnum sit, quòd ex omnibus illis partibus fiat, Nam si alterum horum desit, non dicitur esse corpus totum. Quia ergo Dominus inquit, quòd totum corpus iniqui ponetur in gehennam, manifestum est, quòd iniquorum corpora, integra, id est, non diminuta aliquo membro resurgent. Vnde & Glos. Super illud ad Cor. Mortui resurgent incorrupti, dicit, Mortui, id est, peccatores, vel mortui generalitèr omnes resurgent incorrupti, id est, sine membrorum diminutione. Et Aug. in Epistola ad Consentium de incarnatione Verbi, inquit. Istam in melius commutationem, sine dubitatione intelligi oportet; ac per hoc, quia impij non commutabuntur in ea, incorrupti quidem resurgent, integritate membrorum, sed tamen corrumpendi dolore pœnarum, cum audierint: Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & angelis eius. Et ad Orosium dicit idem. Credimus hominem non tantum cum carne & ossibus, sed etiam cum sanguine, vel quicquid ad eius naturam pertinet resurgere. Et sicut iusti cum carne sua ad fœlicitatem æternam, ita impij ad æternam resurgent miseriam. Cum ergo Dominus dicat, quòd totum corpus impij, in gehennam mittetur, manifestè ostēdit, quòd impij integri, & absq; membrorum defectu, resurgent, in ignem æternum ponendi. Et si impij integri, & sine membrorum defectu resurgent, magis vtiq; iusti, integri resurrecturi sunt, Deo permittente, qui ex nihilo totum mundum produxit, cui nihil perit substantiæ nostræ, dicente Augu. 22. lib. de ciui. Dei, cap. 20. Absit, vt ad resuscitanda corpora, vitæq; reddenda, non possit omnipotentia creatoris omnia reuocare, quæ vel bestia, vel ignis assumpsit: vel in puluerem cineremve collapsum, vel in humorē solutum, vel in auras est exhalatum. Absit, vt sinus vllus, secretūq; naturæ, ita recipiat aliquid sensibus nostris subtractum, vt omnium creatoris, aut lateat cognitionem, aut effugiat potestatem. Et Enchiridion cap. 88. inquit idem. Non perit Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro; sed in quemlibet puluerem, cineremve soluatur, in quoslibet halitus auraſq; diffugiat, in quamcunq; aliorum corporum substantiam, vel in ipsa vertatur elementa, in quorumcunq; animalium etiam hominū cibū cedat, carnēq; mutetur, illi animæ humanę in puncto temporis redit, quæ illam primitus vt homo fieret, crescere, viueret, animauit. Ex hac etiam Domini sententia, clarè patet, quòd grauissima pœna, inter omnes alias, quæ in hac vita mortali esse possunt, est gehenna, vel infernus, quam etiam patiuntur illi, qui adulterium cordis committunt, & consequenter maior debet esse pœna inferni illorum, qui grauius delinquunt, cum hîc Dominus dicat, homini magis expedire quòd ipse sibimet oculum eruat, vel manū abscidat, quàm si corpus eius in gehennā mitteretur. Cum enim inter pœnas corporales, absciſio membrorū, sit multum grauis pœna, & grauior inter alias reputetur, excepta morte totali, quia si membra abscisa moriuntur, & corpus residuū remanet truncatum, deforme, ac impotens ad opera membrorum illorum exercenda, & tantò magis grauior est hæc pœna, quantò magis dilecto infertur membro, quod plus expedit, quòd homo sibimet abscidat membra, quàm si eius corpus in gehennam mitteretur. Ex hac comparatione patet, quàm grauis sit, & pœna peccati adulterij cordis, quod modicum videtur esse inter cætera peccata carnalia. Vnde & Aug. super illud Psal. Domine, ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me; loquens de purgatorio igne, qui non tam grauitèr cruciat, sicut cruciantur illi etiam, qui pro minoribus peccatis mortalibus in inferno cruciantur, dicit. In hac vita purga me, & talem me redde, cui iam emendatorio igne opus non sit, propter illos qui salui fiunt, sic tamen quasi per ignem, quē patiantur, quia hic ædificant supra fundamentum ligna, fenum, stipulam. Nam si ædificarent aurum, argentum, lapides pretiosos, qui de vtroque igne securi sunt, non solum de illo æterno, qui in æternum cruciaturus est impios, verum etiam de illo, qui emendabit eos, quasi per ignem, salui erunt. Sed quia dicitur saluus erit, contemnitur ille ignis, & tamen grauiter erit, quàm quicquid in hac vita homo pati possit. Et no-

Arist.

1. Cor. 15. Glos.

Augusti.

Matt. 25.

Augusti.

Idem.

Idem.

Psal. 6. Augusti.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

ſcis quanta hic paſsi ſint mali, & boni, & tamen iſta, quæ hic paſsi ſunt, multò facilliora ſunt quàm illa. Et Ber. in lib. meditationum, loquens de pœnis inferni, dicit, Quis putas mæror erit quis luctus, quæ triſtitia, cum ſeperabuntur impij à conſortio Sanctorum, & viſione Dei, & traditi in dęmonum poteſtate, ibunt cum ipſis in ignem æternum, ibiq́ue ſemper erunt in luctu, & gemitu, procul quippe à beata Paradiſi patria exulati, cruciabuntur in gehenna perpetua, nunquam lucem viſuri, nunquam refrigerium adepturi, ſed per millia milliũ annorum in inferno cruciandi, nec vnquam liberandi? Ibi nec qui torquet aliquando fatigatur, nec qui torquetur aliquando moritur. Sic enim ibi conſumuntur vt reſeruentur, ſic tormenta aguntur vt ſemper renouentur. Iuxta verò qualitatem culpæ vnuſquiſq; ſuſtinebit pœnam gehennæ, & ſimilis culpæ rei ſuis ſimilibus iungentur, cruciãdi. Nihil aliud ibi audietur niſi fletus, & planctus, gemitus & vlulatores, mœrores, & ſtridores dentium, ubiq́; aliud videbunt niſi vermes, & laruales facies tortorum, & teterrima monſtra Dęmoniorum. Vermes crudeles mordebunt intima cordis, hinc dolor, inde pauor, gemitus, ſtupor, & timor horrens, ardebuntq́; miſeri in igne æterno, in æternum & vltra, qui in carne cruciabuntur per ignem, & in ſpiritu per conſcientiæ vermem. Ibi erit dolor intolerabilis, fętor incomparabilis, timor horribilis, mors corporis & animæ, ſine ſpe veniæ, & miſericordiæ, ſic tamen morientur vt ſemper viuant, & ſic viuent vt ſemper moriantur. Vnde quia tam graues ſunt pœnæ inferni, quòd ad aliquam huius mortalis vitæ pœnam cõparari non poſſunt, ideo Dominus maximę pœnæ corporali, cum ſuperexceſſu cõparat gehennæ pœnam cum dicit. [*Expedit tibi vt vnum membrorum tuorum pereat, quàm ſi totum corpus in gehennam mitteretur.*] Illa enim quæ procul ſunt à noſtris ſenſibus, per illa quæ cognoſcimus, nobis per ſcripturam modo poſſibili demonſtrantur, & per pœnas ſenſibiles, & temporales, pœnæ ęternæ deſcribuntur, vt ſic aliqualiter dictæ pœnæ manifeſtentur, cum tamen comparatio inter dictas pœnas, ſemper ſit ſecundum ſuperexceſſum, ſicut & beatorum præmia, & bona quæ habent, in immenſum ſuperexcedunt omnia bona præſentis vitæ; oculus enim non vidit Deus abſq; te, quæ præparaſti expectantibus te. Et Gloſ. ſuper illud 2. ad Theſſal. 1. Nos igitur ipſi in vobis gloriamur in Eccleſijs Dei, prò patientia veſtra, & fide, & in omnibus perſecutionibus veſtris & tribulationibus, quas ſuſtinetis, in exẽplum iuſti iudicij Dei; dicit, Iſtæ tribulationes oſtendunt quid in futuro iudicio patientibus & inferentibus ipſas ſit dandũ. Si enim tam ſæuerè Deus punit peccata in pœnitentibus, quid faciet in induratis? Ideo enim dicit preſſuras iuſtorum exemplum eſſe iuſti iudicij Dei, vt intelligatur, quòd impijs non parcet tamquam ſarmẽtis ad combuſtionem præciſis, qui non parcit iuſtis propter perficiendam perfectionem. Vnde Petrus ait. Si initium à nobis, quis finis erit eis qui non credunt? Et ſi iuſtus vix ſaluabitur; impius & peccator vbi parebunt? Vnde & ſuper illud Iſa. 24. Secretum meum mihi, dicit Hieron. lib. 8. ſuper Iſa. Cum in ſubuerſione orbis, & impiorum Prophetarum, explendum eſſe vaticinium perſpicerem, locutus ſum mihi interno cordis affectu; non poſſum cuncta narrare, quæ cerno, hæret lingua faucibus meis, vox dolore concluditur. Væ mihi quantus ordo pœnarum ante oculos verſatur meos, prę-ſentia cerno, quæ futura ſunt. Ibi enim omnes mali, malorum magnitudine atq; pœnarum ebrij erunt, & ſtupebunt ad cuncta, quæ cernent; Et quoniã ebrius neſcit quid agat, ſed ebrietate ſopitus, nec pes eius nec meus in ſuo ſtat officio: Sic omnis terra, ideſt omnes homines terreni, prę magnitudine pœnarum ebrij ſunt.

Bernar. I. 4.

2. Pet. 4.

Iſa. 24. Hieron.

2. Theſſ. 1. Gloſ.

SVMMARIVM.

Ponitur tertia continuatio & expoſitio vt hîc ponatur pœna adulterium committentis in corde ſuo, & in præcedenti parte fuerit poſita culpa.

XIIII

POſſet etiam hæc pars ad præcedentem partem ſic continuari, quia poſtquam Dominus poſuit culpam videntis mulierem ad concupiſcendam eam, quia talis iam cordis mœchiam commiſit, nunc ponit pœnam, quæ grauior eſt quacũmq; pœna præſentis vitæ, quæ tali debetur culpæ, ſcilicet quòd totum corpus, ideſt totus homo in gehennam mittatur; Et melius eſſet homini quòd talia membra, quibus deſeruiuit concupiſcentiæ cordis, & ipſa fecit eſſe arma peccati, vel fuerũt cauſſa, & occaſio peccati, ipſemet ſibi abſcidiſſet, quàm propter tale peccatum, non ſolum cætera membra, ſed etiam totus ipſe, cum eis, in gehennam mitteretur. Vt enim dicitur Ezech. 32. de peccatoribus. Hi omnes incircunciſi interfectiq́; gladio deſcenderunt in infernum cum armis ſuis, & poſuerunt gladios ſuos ſub capitibus ſuis, &

Ezech. 32.

fuerunt

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

fuerunt iniquitates eorum. Nec mirum si membra, prædicto peccato carnis deseruientia, vel occasionē peccati dantia, mittantur in gehēnam, cum & totum corpus in gehennam mittatur.

SVMMARIVM.

Quare fornicatores & adulteri non vocātur anima, vel homo, sed corpus vel caro.

XV ET bene homo adulter, qui consistit ex anima & corpore, corpus solum dicitur, & non anima, vel homo; quia in peccato carnis, totus homo efficitur caro, cū caro ad se totum spiritū trahat. Qui enim adheret meretrici, vnum corpus efficitur, vt dicitur 1. ad Corin. 6. Vnde & Glos. super illud, Qui fornicatur, in corpus suum peccat, dicit. Cætera peccata & si per corpus gerantur, tamen in hoc peccato anima sub corpore est. Alia enim peccata si per corpus committantur, non tamen animum humanum concupiscētiæ carnali ita efficiunt subiectum, & noxium, sicut in solo fornicationis opere corporalis fit, cū animū vis libidinis misceri facit corpori, & unum fit cum ipso corpore quodammodo, cui adglutinatur, Hic enim propriè anima seruit corpori, in tantum, vt nil aliud ipso momento, & experimento huius causa magni flagitij, cogitare homini liceat, aut intendere, quia mentem captiuam subdit sibi ipsi submersio, & absorptio libidinis, quia libidinis ardore, quo nullus maior est, voluptas ipsius corporis animum suum tenet, efficitq; captiuum. In alijs quippe sceleribus & unum aliquod ipsorum operari, & eodem tempore alibi cogitationes distēdere animus potest, quod in fornicationis opere, & tēpore non licet. Sic enim totus homo absorbetur à carne, vt iam dici non possit ipse animus suus esse, sed simul totus homo dici possit caro, vt etiam secundum hoc rectè dici possint animus & caro duo esse in carne una. Vnde quia in carnali peccato, animus quasi caro, & corpus efficitur: idcirco adulteri & fornicatores non vocātur anima, vel homo, sed tantum corpus, vel caro; propter quod dicitur quòd totum eorum corpus mittetur in gehennam, ideſt toti in corpore, & anima damnabuntur.

1. Cor. 6. Ibidem. Glos.

SVMMARIVM.

Quòd non solum pro peccato exteriori fornicationis, vel adulterij damnabitur totus homo, verum etiam pro consensu interiori talium peccatorum.

EX qua sententia Domini clarè patet, quòd non modo fornicatores, & adulteri huiusmodi peccata exterius exercentes damnabuntur, sed etiam cordis adulteri, absq; exteriori opere, vel concubitu damnabuntur, cum hîc Dominus solum locutus sit de cordis adulterio dicēs. [*Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam ipsam mœchatus est in corde suo,*] & deinde damnans oculum ad concupiscendum, & manum ad tangendum concupiscētialitèr dicens, melius esse, quòd ista abscindātur; & eruantur intulerit, [*Et expedit tibi, vt vnum membrorum tuorum pereat, quàm si totum corpus in gehennam mitteretur.*] Vnde & Chrysost. Moral. 73. super Matth. inquit. Multi intrant Ecclesias, pulchritudines mulierum circumspicientes, & aliorum puerorum species circumscrutantes, & digna quidem sunt, gehenna & fulminibus, quæ efficiuntur; sed Deus longanimis existens & multum misericors, interim iram suam retinet, in pœnitentiam te vocans, & correctionem. Quid facis ò homo pulchritudines circumscrutans mulierum, & ita templum Dei iniurians? Lupanar ne tibi videtur esse Ecclesia vt ibi forniceris, & mœcheris? Tales homines melius esset cęcos esse, melius esset ægrotare, quàm his oculis abuti. Et Augu. 12. lib. de Trini. cap. 12. inquit. Sanè cum sola cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens esse facienda, tenens tamen & voluens libenter quæ statim vt attigerunt animum respui debuerūt, negandum non est esse peccatum, sed longe minus quàm si & opere statuatur implēdum. Attamen si illicitis delectationibus, à quibus se continuò debet auertere cogitatio, libentèr sola pascatur, nec facienda decernātur mala, sed tantum suauitèr in recordatione teneantur, quod est comedere cibum vetitum mulieri, & tamen si hoc fiat non solum mulier damnabitur, ideſt sola sensualitas, hæc quippe persona una est, vnus homo est, totusq; damnabitur, nisi hæc quæ sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per mediatoris gratiam remittātur. Vnde si sola peccata cogitationis sine hoc quòd statuantur opere implenda, damnatione æterna sunt digna, dubitandum non est, quin consensus in peccatum exterius, si adesset opportunitas, tale sit peccatum, quòd corpus & animam hominis in gehennam mittat. Si ergo tam grauitèr cor-

XVI

Chrysost. in moral.

Augus.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

dis adulterium punitur, quòd totus homo per ipsum damnatur, multum custodiendi sunt oculi, & manus, ne efficiantur arma iniquitatis peccato, nec sint fenestrę per quas mors ad animam ingrediatur. Sic Iob oculos suos custodiebat dicens, Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine. Quam enim partem haberet in me Deus desuper, & hæreditatē omnipotens de excelsis? Nunquid non perditio est iniquo, & alienatio operantibus iniquitatem? Iob 31. Iob 31.

SVMMARIVM.

Ponitur quarta continuatio, & expositio si per oculum dexterum, & manum dexteram intelligantur filij fratris, nepotes, & consanguinei, vel alij domestici, quos habemus quasi pro oculis dextris, vel manu dextera, qui si vitam turpem, & inhonestam ducant, nisi se corrigere velint, abijciendi sunt à nobis, & pro extraneis habendi, ne participes simus eorum criminum, & domum nostram totam dehonestent, & ne alijs occasionem ruinæ præstent.

XVII POtest etiam hæc pars ad partem præcedētem continuari hoc modo. Quia enim quantum ad luxuriæ peccatum, & etiam alia peccata, homini non sufficit, quòd se mundum custodiat, nisi quoq; familiam, & illos qui sub cura sua sunt à luxuria compescat; sic enim Heli, quamuis in se bonus esset, quia filiorum luxuriam, & alia crimina eorum non compescuit auctoritate pontificali, vt tenebatur, corruēs à Sella retrorsum, fractis ceruicibus, expirauit. 1.Reg.4. Et ideo postquàm Dominus prohibuit cuilibet, luxuriæ peccatum, nunc ostendit quòd familiam suam, & illos, qui sub sua sunt cura, à dicto peccato compescere debet, cum inquit: [*Si oculus tuus &c.*] Et hoc modo hanc partem continuans Chrysost. hīc dicit. Vult Christus vt non tantum à periculo nostri peccati curemus, abstinentes nos ab omni cō cupiscentia mala, verum etiam ne vel propinqui nostri, vel aliqui ad nos pertinentes turpe aliquid agant; quia si talem cognoueris aliquid turpe agere, prescinde eum, & prohibe lōgè abs te, eriam filium, fratrem, vel amicum, quia scandalizat te. Chrysost. hom.12. Quia non solum pro nostro peccato, sed etiam pro peccato proximorum nostrorum, quos cum cohibere possimus, nisi cohibuerimus, aut repulerimus à nobis, dabimus rationem. Si quis enim suorum, & maximè domesticorum, curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.

A Nomine autem curæ non solum intelligitur prouisio necessariorum, sed multò magis correctio peccatorum, & informatio virtuosorum operum, dicente Aug. Aug. 19. de ciui. Dei cap. 16. Patres nostri iusti sic administrabant domesticam pacem, vt secundum hæc temporalia bona, filiorum sortem à seruorum conditione distinguerent, ad Deū autē colendū, in quo etern a bona speranda sunt, omnibus domus suæ membris pari dilectione consulerent. Pertinet autem ad innocentis officium B non modo nemini malum inferre, verum etiam cohibere à peccato, vel punire peccatum, & aut ipse qui plectitur corrigatur experimento, aut alij terreātur exemplo. Sicut enim non est beneficentiæ, adiuuando efficere, vt bonum quod maius est amittatur: ita non est innocentiæ parcere sinere, vt in malum grauius incidatur. Vnde & Apostolus ad Titum 2. dicit Episcopo, quòd tales subditos durè increpet, vt sani sint in fide. Quia ergo quisq; non solum suis, in necessarijs corporis, sed & C magis in pertinentibus ad animam prouidere tenetur, idcirco si videat aliquem dōmesticum suum, qui est membrum domus suæ, turpitèr, & luxuriosè conuersantem, eum primum debet corrigere, & verbo, & verbere, & si se non vult emendare, ipsum à se abscindere, & procul à se abijcere, ne cum ipso pereat propter negligentiam corrigendi, & tota domus eius inficiatur propter malum exemplum eius. Vnde & Orige. super illud infra. Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscide eum, dicit. Sacerdotes rationabiliter D oculus Ecclesiæ dici possunt, quoniam speculatores habentur; Diaconi verò, cæterisque ministri, manus; quia per eos spiritualia geruntur opera: Populus autem sunt pedes corporis Ecclesiæ, quibus omnibus parcere non oportet, si scandalum Ecclesiæ fuerint facti. Vnde & Ecclesia primò monet peccantes, vt se corrigant, & si inemendabiles se reddunt, tunc excommunicationis gladio, vel anathematis eos abscindit vt putrida membra, ne alios corrumpant; E & vt vel abscisione se emendent, quomodo fecit Paulus, qui ad Cor. 5. Corinthum fornicantem cum vxore patris sui, tradidit sathanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in nomine Domini, dicente Augu. in lib. de correctio. & gratia cap. 15. Corripiantur à Præpositis suis subditi fratres, correptionibus, de charitate venientibus, pro culparum diuersitate diuersis, vel minoribus, vel amplioribus; quia & ipsa quę damnatio nominatur, quam facit Episco-

1.Thim.5

Augusti.

Titum 2.

Matt.18. Orig.

1.Cor.5.

Augusti.

pale

pale iudicium, qua pœna in Ecclesia maior nulla est, potest si Deus voluerit, in correptionem saluberrimam cedere, atq; proficere; Quia pastoralis necessitas habet, nè per plures serpant dira contagia, separare ab quibus sanis morbidam, ab illo cui nihil est impossibile, ipsa forsitam

Idem. separatione sanandam. Et cap. 16. idem inquit, Quantum ad nos pertinet, qui prædestinatos à non prædestinatis discernere non valemus, & ob hoc omnes saluos fieri velle debemus, omnibus ne pereant, vel ne alios perdant, adhibenda est à nobis medicinaliter seuera correptio; quæ tunc rectè impenditur, cum paulatim, & non simul infertur, vt videatur primò si leuia remedia valeant ægrotum curare, antequàm vtamur abscisionis ferro; dicente Ambro. 2. lib. de officijs. Episcopus

Ambro. cum dolore amputet etiam partem corporis, quæ putruit, diu tractetur si potest sanari medicinis, si non potest, tunc à bono abscindatur medico. Ad quam intentionem Dominus loquens, inquit. [*Si oculus tuus dexter, vel manus tua dextera scandalizat te, erue & abscide ipsa,*] id est, secundum

Chrysost. hom. 12. Chrysost. Si habes aliquem, vel filium, vel fratrem, vel amicum qui sic benè respiciat res tuas, quasi proprius oculus tuus, & habes eum pro oculo dextero; aut habes aliquem, qui sic procurat res tuas, quasi propria manus tua, & est tibi quasi dextera manus, & talem cognoueris turpiter agere, prescinde eum ab anima tua, & proijce longè abs te, quia te scandalizat.

Idem 17. Et in hom. dicit idem. Si is qui nocet tibi amicitia, incurabilis manserit, & eum à te abscideris, & procul abieceris per te à iactura, erues vniuersa, & ipse à maioribus eripietur incursationibus non vltra cum suis malis tuæ perditionis rationem sustinens. Vnde & Apostolus inter conditiones Episcopi qui forma virtutis debet

2. Thim. 3. esse in Ecclesia ponit istam. Filios, inquit, habentem subditos, cum omni castitate. Si quis domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?

Hieron. Quod exponens Hiero. in Epist. ad Oceanum de vnius vxoris viro, inquit. Episcopus, qui populo præcepturus est, prius à domesticis exigat, filios habeat subditos cum omni castitate, ne scilicet imitentur filios Heli, qui in vestibulo templi cũ mulieribus dormiebant, & religionem prædam putantes, quicquid optimum in hostijs erat, in suis delitijs conuertebant. Et in quadam alia Epistolà ad eundem, de vita Clericorum dicit. Horribile erit, si

Idem. domui clerici detrahatur, lædit sacerdotis opinionem in plebe, quando de proximis eius malè loquitur populus. Vnde & ex hoc quòd filij Leui idolatrantem populum occiderunt, non parcentes filijs, fratribus, & propinquis; Sacerdotium, & Leuiticum ordinem in populo Israel consequuti sunt, dicente eis Moyse. Ite & redite de porta vsq; ad portam per medium castrorum, & occidat vnusquisque fratrẽ, & amicum, & proximum suum: feceruntque filij Leui iuxta sermonẽ Moysi, & ceciderũt in illa die quasi vigintimillia hominum: & ait Moyses. Cõsecrastis manus vestras hodie Domino, vnusquisque in filio, & fratre suo, vt detur vobis benedictio. Quam benedictionem exponens dicit. Qui dicit patri suo, & matri suæ, Nescio vos, & fratribus suis ignoro illos, & nescierunt filios suos: ponent thimiama in furore tuo, & holocausta super altare tuum, Benedic Domine fortitudini eius, & opera manuũ illius suscipe. Si ergo propinqui, vel domestici nostri per suam turpem vitam nos scãdalizant, quantumcunque sint dilecti, & propinqui, sunt à nobis abijciendi, & procul pellendi, ne propter eorum turpem vitam diffamemur, & ne ex eorum contubernio, alij ad turpitudines peragendas, pertrahantur. Melius enim nobis est, & eis, quòd tales soli pereant, quàm si se, & nos, multosq; alios ad perditionem traherent. Et tolerabilius eis est, quòd de sua perditione rationem reddant, & pro iniquitatibus suis solum puniantur, quàm si de sua perditione, & aliorum multorum redderent rationem, & non tantùm pro sua iniquitate, sed & pro aliorum, quos ad iniquitatem traxerunt, pœnas luerent. Hoc autem agendum est, quando incorrigibiles apparent, alioquin si spes correctionis habeatur, tolerandi sunt ad tempus, quousq; videatur, si volunt corrigi, & emendari. Quòd si in nullo meliorent, abscindendi sunt à nobis, & procul pellendi. Nec hoc est seueritatis, vel crudelitatis, immo misericordiæ, & mansuetudinis, dicente Chrysost. in homel. Vides quanta

Chrysost. hom. 17. mansuetudine lex ista plena est, & affectione, & quæ videtur à malis abscisio esse, quantam demonstrat philantropiam, id est, amorem hominum, quod vt inuestigemus, videamus hoc in corpore. Si enim hæresis, id est, electio præiaceret, & necessitas esset, vel oculum habentem mitti in foueam, & perire, vel absque oculo reliquum saluare corpus; Nunquid non vtique quod secundum est susciperes? non enim odio habentis oculum, istud esset, sed reliquum corpus diligentis; hoc vtiq; in viris reputa, & mulieribus.

Exo. 32.

Dut. 33.

SVM-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

SVMMARIVM.

Quòd propinqui, & domestici nostri inhonestam ducentes vitam, non solum abscindendi sunt à nobis, à familiaritate, & domo, sed etiam proijciendi, & tamquam extranei habendi, quandiu talem vitam ducere volunt. Sed si manifestè appareat quòd sint emendati, renocandi sunt.

XVIII NOn solum autè dicit, quòd tales oculi, & manus scandalizantes eruendi sunt, & abscindendi, sed etiam vltra hoc proijciendi à nobis sunt, id est, à nobis proijci debent, quia dum incorrigibiles manent, nullo modo ad familiaritatem, & domesticitatem nostram sunt reducendi, immo vt ad extraneos nos ipsos debemus habere. Sic enim Deus proiecit Hierusalem: quia incorrigibilis manebat, id est, procul à se expulit, quasi sua non esset, Vnde & Thren. 2. dicitur. Proiecit de cœlo in terram inclitam Israel. Et in oratione Hiere. dicitur. Proijciens repulisti nos, iratus es contra nos vehementer. Et Hiere. 7. dicitur Proijciam vos à facie mea, sicut proieci omnes fratres vestros, vniuersum semen Effraim. Sic etiam fuit Vasthi regina de consilio sapientum proiecta ne regnaret, de qua dicitur Hester. 1. Nequaquam vltra Vasthi ingrediatur ad regem, sed regnum illius, altera, quæ melior illa sit, accipiat. Et eodem modo Deus Saul impœnitentè proiecit, ne regnaret super Israel. Vnde de hoc habetur 1. Reg. 16. Vsquequo tu luges Saul, cum proiecerim eum, ne regnaret super Israel? Frequenter enim contingit, quòd quando domestici, vel propinqui nostri nos offendunt, ira vel indignatione contra eos commoti, statim eos à nobis abijcimus; sed postea priusquam sint emendati, quadam humana compassione, affectione, & carnalitate ducti, ad nos ipsos illos reducimus. Ex quo contingit quòd non correctio, sed insolentia eorum maior nutritur, cum videt quòd sine emendatione, & correctione, ad primam reducuntur familiaritatem. Facilitas namque veniæ, incentiuum tribuit delinquendi. Quod nullo modo faciendum est, cum ex hoc ipsi deteriores fiant; quousque videatur, & probetur quòd verè pœniteant, & cum magno desiderio nostram requirant gratiam, quam perdiderant, vt sic in posterum magis se custodiant, ne nos per suam turpem vitam scandalizant; quia sic eis de correctione prouidetur, & alijs exemplum præbetur, ne prorumpant ad consimilia. Qui enim propinquis scandelizantibus faciliter non parcit, minus vtique extraneis parcet: vnde & Iob 9. dicitur. Verebar omnia opera mea, sciens quòd nõ parceres delinquenti; & 2. Pet. 2. dicitur. Si Deus Angelis peccantibus non pepercit, magis autẽ eis qui post carnem in concupiscentia immũditiæ ambulant, dominationemque contemnunt, supple, non parcet. Vnde sic seueritas contra domesticos est tenẽda, quòd ad recõciliationem non admittantur, donec se esse correctos manifestè ostendant, & quòd de cętero timeant consimilia, vel maiora attentare, & sic à nobis proiciuntur, id est, procul expelluntur. Sed quando eorum apparet pœnitentia, tunc misericorditèr admittendi sunt; vnde in Psal. Deo, cui conformare debemus, dicitur. Deus repulisti nos, & destruxisti nos, iratus es, & misertus es nobis: Quod exponens Cassiod. dicit. Cum dicunt repulisti, ostendũt diuino munere à studio scelerum se fuisse reuocatos, ne in prauis dogmatibus, eorũ vita finiretur. Sequitur, destruxisti nos; Meritò ad gratiarum actionem, venit ista destructio, quæ sic euertit vt destruat, sic deponit vt erigat, sic humiliat vt ad cœlorum regna perducat. Nimis autem congrue & iratum sibi Dominum dicit cum peccaret, & misertum, dum ad conuersionis remedia cõfugisset. O' ira misericors, indignatio salutaris, captiuitas libera, ad uersatio fructuosa. Et infra. Cœlesti medico prodũtur vulnera, vt contritis ægris competens succurrat medicina; vt intelligamus quòd tãdiu eos dicit afflictos, quo usq; ad cõtritiones peruenisse videantur. Ista est contritio quę nos efficit fortiores, ista debilitatio, quæ reddit valentes, quia cor cõtritũ, & humiliatũ Deus non despiciet. Eodem modo nos facere debemus, vt duris impœnitentibus, ac obstinatis in malo, ianua recõciliationis nõ pateat, pœnitẽtibus verò humiliatis, ac suũ detestãtibus reatum, facilis reconciliatio præbeatur, quia iam non sunt quòd fuerunt, nec intendunt nos scandalizare in via Dei, sed iuuare. Sic enim Paulus Philemoni scribit pro Onesimo, dicens in Epistola ad Philomonem. Obsecro te pro meo filio quem genui in vinculis Onesimo, qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem & tibi, & mihi vtilis, quem remisi tibi. Tu autẽ illum, vt mea viscera suscipe, forsam enim ideo descesit ad horam, vt in æternum illum reciperes. Vnde Chrysosto. hîc dicit in homeliario. Propterea nõ dixit erue solum, sed proijce abs te,

Thren. 2.
Idem 5.
Esther 1.
1. Reg. 16.
Iob 9.
2. Pet. 2.
Psal. 59.
Cassiodo.
Ibidem.
Psal. 50.
Philem.
Chrysost. hom. 17.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

vt non vltra accipias si talis mãsit, ita enim & illum à maiori eripies incusatione, & te ipsum à perditione liberabis. Sic ergo non solum est abscindendus impenitẽs domesticus, sed etiam proijciẽdus, idest procul iaciendus, & sic habendus vt omnino extraneus, quousq; se corrigat, & emẽdet.

SVMMARIVM.

Ponitur quinta continuatio, & expositio, in qua, per oculum dexterum intelligitur cõtemplatio de diuinis, & per dexteram manum vita actiua virtuosa, quæ circa mysteria diuina existit; & ostenditur quòd vita luxuriosa vitam contemplatiuam, & actiuam destruit, & confundit; & ideo postquam Dominus luxuriam prohibuit, agit nũc de vita contẽplatiua, & actiua, ostendes quòd vtraq; istarũ quãdoq; est intermittenda si scandalizare nos incipiat.

XIX POtest etiam continuari hæc pars sic, & exponi. Quia postquam Dominus prohibuit luxuriam, quæ impedit vitam contemplatiuam, & actiuam, nunc vult ostendere quòd si vitæ istæ nobis in scandalum vertantur, & in peccati periculum, vicissim sunt intermittendæ, & de una ad aliam transeundum est. Circa quod attendendum est, quòd inter omnia peccata, plus impedit contemplatiuam, & actiuam vitam, luxuria; & de contemplatiua quidem quæ requirit mentis eleuationem ad Deum, & diuina; manifestum est, cum luxuria faciat mentem hominis quasi carnem, vt supra dictum fuit. Vnde & Apostolus 1. ad Corint. 7. distinguens inter illam quæ est vxor alicuius, & virginem; ac viduam, dicit. Mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu, quæ autem nupta est cõgitat quæ sunt mundi quomodo placeat viro. Vbi dicit Glos. Virgo innupta quæ libera est à necessitatibus mũdanis, quibus contristata est nupta, intentius vacat celestibus. Et Hieron. auctoritate Theophrasti contra Iouinianum inquit. Non est vxor ducenda sapienti. Primum enim impediri studia Philosophiæ; nec quisquã posse libris & uxori pariter, inseruire. Et idem Apostolus loquens de intermittẽdo aliquando actu coniugali ex mutuo consensu, vt vacetur orationi, quæ est pars contemplationis, dicit 1. ad Corin. 7. Nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi, & iterum reuertimini in idipsum, ne tẽtet vos Sathanas propter incõtinentiam vestram. Quod exponens Hieron. in prima responsione contra Iouinianum dicit. Si laicus, & quicunq; fidelis orare non potest, nisi careat officio coniugali, sacerdoti cui semper pro populo sunt offerenda sacrificia, semper orandum est, ergo semper carendum matrimonio. Si ergo actus coniugalis etiã impedit orationem, & per consequens alia opera contemplationis, qui tamen actus bonus & licitus est, manifestum est quòd & alij actus luxuriæ mali sunt, & magis mentem deprimunt. Aquę enim furtiuæ dulciores sunt, & panis absconditus suauior, magis vtiq; contemplationem impediunt quæ munditiam mentis requirit; [*Beati enim mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt.*] Vnde Tullius in libro de senectute dicit. Cum homini siue natura, siue Deus nihil mente præstabilius dedisset, huic diuino muneri ac dono nihil est tam inimicũ sicut voluptas, quæ cum maior atque longior sit, omne lumen animi extinguit. Nec solum impedit vitam contemplatiuam sed & actiuam luxuria, quia cum vita actiua à prudentia regatur, quę omni virtuti finem præstituit, & modum agendi præfigit, cum luxuria prudentiam quæ est recta ratio agendorum destruat, sequitur quòd actiuam vitam impediat. Quia (vt dicitur 6. Ethic.) Temperantia saluat prudentiam, saluat autẽ talem existimationem. Non enim omnem existimationem corrumpit, neq; peruertit delectabile, & triste, sed eas quæ circa operabile. Corrupto autem principio operabilium, & cuius gratia sunt operabilia propter delectationem, vel tristitiam, non apparebit, est enim malitia vel intemperantia corruptiua principij. Et Tullius in libro de senectutẽ auctoritate Architæ Tarentini inquit. Libidine dominante temperantiæ locus non est, nec omnino in voluptatis regno virtus consistere potest. Impedit enim consilium voluptas rationi inimica, ac mentis (vt ita dicam) perstringit oculos, nec vllum habet cum virtute commertium. Et Gregor. lib. 21. Moral. cap. 10. exponens illud Iob 31. Et omnia eradicãs genimina dicit. Genimina quippe animæ sunt operationes bonæ. Cui tamen si peruerso ordine caro dominetur, igne luxuriæ omnia bene prolata concremantur. Nulla quippe ante omnipotentis Dei oculos, iustitię pietatisq; sunt opera, quæ corruptionis contagio monstrantur immunda. Quid enim prodest si piè quisquã necessitati proximi compatiatur, quãdo impiè in semetipsum destruit habitationem Dei? Si ergo per cordis munditiam, libidinis flamma non extinguitur, incassum quælibet virtutes oriuntur. Vnde & per Moysen dicitur. Ignis exarsit ab ira mea, & arde-

1.Cor.7. Glos. Hiero. 1.Cor.7. Hiero. Cicero. Arist. Cicero. Greg. Deut.32.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

& ardebit vsq; ad infernum deorsum, comedit terram & nascẽtia eius. Ignis quippe terram atq; eius nascẽtia comedit, cum libido carnem atq; per hanc omnia bona acta consumit. Nam quicquid prodit ex fruge rectitudinis, hoc nimirum concremat flamma corruptionis. Et si corruptionis malo non resistitur, & illa procul dubio pereunt quæ bona videbantur. Quia ergo luxuria vitam contemplatiuam, & actiuam impedit & destruit, & per consequens castitas & mũditia, dictas vitas promouet: idcirco postquàm Dominus prohibuit luxuriam, nunc ostendit qualiter vti debeamus dictis vitis, actiua scilicet, & contemplatiua, si enim aliqua istarum nobis scandalum præstet, vel ad peccatum inducat, ad tempus intermittenda est, & alia accipienda, quousq; occasio peccati quæ nata erat ex dicta vita, à nobis sit remota; quia melius est quandoq; contemplatiuam ad tempus dimittere, si scandalizat, & actiuã exercere, quàm si cum peccato contemplatiua exerceretur. Et econuerso si actiua scandalizet melius est ad tempus dimittere actiuam, & ad contemplatiuam transire quàm si actiuam exercendo peccaremus. Ipsa autem contemplatiua hîc nomine oculi dexteri intelligitur, sed actiua nomine manus dexteræ. Et signanter contemplatiua oculus dicitur dexter, vt contemplatio superioris rationis quæ circa diuina solum intẽdit exprimatur, cum contemplatio circa creaturas, & ad instruendum proximum circa opera virtuosa, oculus sinister dici possit, quia altior, & præciosior est diuinorũ contemplatio, quàm consideratio agẽdorum, sicuti sapientia altior est virtus quàm prudentia. Et ideo si cõtemplatio diuinorum scandalizans est dimittenda, magis dimittenda est creaturarum, & rerum agendarum contemplatiua, nam si non parcitur oculo dextro, minus sinistro debet parci. Sed per manum dexteram actiua intelligitur vita, quæ circa diuina versatur, sicut est pietas, vel theusebia, & religionis virtus, & alię virtutes quæ circa Deum sunt; & per sinistram manum actiua intelligitur vita, quæ ordinatur circa subleuationem necessitatis proximorum. Si autem actiua vita quæ circa Deum est abscinden da erit, magis abscindi debet actiua vita quæ versatur circa subleuationem proximi. Vnde & Hugo 1. lib. de sacramentis, parte 14. cap. 2. dicit. Anima hominis in ptincipio accepit oculũ quo extra se mundum videret, & ea quæ in mundo erant, & hic erat oculus carnis, alium vero accepit oculum quo se ipsam videret, & ea quæ in ipsa erant, & hic est oculus rationis, alium rursus accepit oculum quo intra se Deum videret, & ea quæ in Deo erant, & hic est oculus contemplationis. Quia ergo anima in se duos habet oculos, scilicet rationis, quo se ipsam, & creaturas contemplatur; & oculum contemplationis, quo Deum & diuina intuetur, qui oculus perfectior, & altior est oculo rationis, iuxta illud Sap. 9. Si quis erit consumatus inter filios hominum, si abfuerit ab illo sapientia tua, in nihilum computabitur: iccirco oculus contemplationis rectè oculus animæ dexter dici potest.

Hugo.

Sap. 9.

SVMMARIVM.

Quòd contemplatio scãdalizat cum propter eam in superbiam erigitur contemplator.

XX

QVæ quidem cõtemplatio diuinorum aliquando scandalizat, & ad peccatum pertrahit hominem & in reprobum sensum ipsum perducit, vt sua figmenta vana vel Deum esse credat, vel eum ab operibus necessarijs diuertit, vel cum otio torpens non curat se exercere in virtutum moralium operibus, vel cum fine discretione sic vacat contemplationi, quòd animum ad tędium, & corpus ad intimam debilitatem perducit. Vnde ne Apostolus insuperbiret propter magnitudinem reuelationũ, quãdo raptus fuit ad tertiũ cęlum, & audiuit archana verba, quę non licet homini loqui, datus ei fuit stimulus carnis Angelus Sathanæ, qui eum colaphizaret, vt dicitur 2. ad Corint. 12. Vbi inquit Glossa. Ne magnitudo reuelationum extollat me in superbiam, datus est mihi, ideſt ad meam vtilitatem. Cætera enim vitia tantum in malefactis valent, superbia verò sola in rectè factis cauenda est. Cum enim quisq; bene proficit, superbia tentatur vt totum perdat profectum, non vtiq; est mirum si contra capitale vitium appositum est Apostolo mordax epithima, quo tumor curaretur. Quis enim de se securus est? quomodo agnus securus egreditur, vbi aries sic periclitari metuit? Stimulus enim Angeli Sathanę, in remedium à Deo Apostolo darum est, vt pressus tentationibus, nõ extollatur. Quod utiq; non fieret nisi alta contemplatio diuinorum, in superbiam hominem eleuaret. Vnde super illud Iob 10. Si iustus fuero, non leuabo caput, saturatus afflictione, & miseria, dicit Gregor. lib. 9. Moral. cap. 33. Superna dispensatio iccirco nos tota sibi intentione seruientes, carnis nostræ permittit impugnationibus concuti, ne mens nostra in

2. Cor. 12. Glos.

Iob 10.

Gregor.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

superbiam audeat præsumptione suæ securitatis eleuari, vt dum pulsata trepidat, in solo auctoris adiutorio spei pedem robustius figat.

SVMMARIVM.

Quòd contẽplatio scãdalizat eũ, quãdo propter eam, vana, & falsa pro veris accipiẽda existimat, & falsas doctrinas contra Dei scripturas confingit, vel Deum æstimat, quod sibi ipsi confinxit.

XXI PHilosophi etiam, qui inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta oculis mentis perspexerunt, quia in cogitationibus suis euanuerunt, & Deum non glorificauerunt, ad vana, & stulta fingenda prolapsi sunt fingentes phantasias suas Deum esse, & adorauerunt, & coluerunt creaturam potius quàm creatorem, dicentes; se esse sapientes stulti facti sunt, vt
Rom.1. dicit Apostolus ad Ro. 1. Quod contingit ex quadam intellectus infirmitate nõ potentis sapere à rebus rerum imagines, nec valentis intelligere aliquid esse supra omne creatum, propter quòd nõ possunt distinguere creatorem à creaturis, & per consequens Deum miscuerunt cum creaturis, nomenq; eius creaturis imposuerunt. Hoc etiam modo hæretici propter intellectus infirmitatem, vanitatisq; superbiam, dimittentes iter rectitudinis scripturarum diuinarum, & suum sequentes sensum, æstimantes fictiones suas Deũ
Hilar. esse, in moltos errores, vanitates, ac insanias falsas prolapsi sunt, dicente Hilario 2. de Trinit. Extiterunt plures, qui cœlestium verborum simplicitatem volũtatis suæ sensu, non veritatis ipsius absolutionem susciperent, aliter interpretantes quàm doctorum veritas postularet. De intelligentia enim hæresis non de scriptura est, & sensus non sermo fit crimen. Et
Greg. Grego. lib. 6. Moral. cap. 17. dicit. Sunt nonnulli qui ad contẽplationis studium, humilitate postposita, vltra intelligentiæ vires surgunt, qui non solum se in errores deijciunt, sed infirmos quosq; à gremio vnitatis diuidunt: quibus expedientius esset, vt mundo occupati terrena negotia agerent, quàm per contemplationis studia ad multorum perniciem vacarent. Sunt namq; nonnulli inquieti spiritus, qui dum plus exquirunt contemplando quàm capiunt, vsq; ad peruersa dogmata eruperunt, & dum veritatis discipuli esse humiliter negligunt, magistri
Ibidem. 2.Tim.4. errorum fiunt. Et Apostolus 2. ad Thim. loquens de talibus magistris, & discipulis, inquit. Erit tempus cum sanam doctri-
Glos. nam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Vbi dicit Glos. Nepharij doctores ipsa occultatione condiunt sua venena curiosis, vt ideo æstimẽt eos dicere aliquid magnũ, quia habent secretum, & suauius hauriãt insipientiam, quam putant scientiam, dulciusq; audiant illa quæ palam in Ecclesia dici, crediq; prohibentur: Sub Christiano enim vocabulo hæreses multas condunt, nefandasq; fabulas cõfingũt, & à veritatis magistris conuertũtur ad istos, qui docẽt eos illa quæ libenter audiunt, quia veritas illis aspera videtur, & ideo vera relicta doctrina fabulis vacant; Vnde Psalmista talibus imprecatur. Cõfundantur omnes qui
Psal.96. oderãt sculptilia, & qui gloriãtur in simulachris suis: quia tales non verum Deum, sed fictum per eos colunt, & adorant: Quẽ admodum faciunt Manichęi, de quibus
Augu. dicit Aug. 20. lib. contra Faustum cap. 5. Vos cum ea colatis, quæ omnino nõ sunt, sed vestrarum fallacium fabularum vanitate finguntur, propinquiores essetis veræ pietati, ac religioni, si saltem Pagani essetis, vel in eorum genere, qui corpora colunt: & si non colenda, sed tamen vera: Vos autem illa quæ omnino non sunt, sed
Idem. quæ finxistis, colitis. Et cap. 9. inquit idem. Si Dei substantia, secundum vos, commutabilis est, corruptibilis, coinquinabilis, & hoc Deum esse creditis, hoc credere plenum est sacrilegæ insaniæ. Hæc enim omnia vana sunt, falsa sunt, nulla sunt. Proinde vos Paganis istis, qui vulgo noti sunt, & antiquitus fuerunt, & in reliquijs suis iam nunc erubescunt, prorsus deteriores estis, quia isti colunt ea quæ Dij non sunt, vos autem quæ omnino non sunt.

SVMMARIVM.

Quòd contemplatio continua diuinorum scandalizat illum, qui propter necessitatẽ regẽdi Dei populũ suscepit Prælationis officiũ, ex quo officio tenetur opera vitæ actiuæ exercere, sicut sunt docere, arguere, corrigere, & cõsulere subiectis, quæ opera si ommittat, vt cõtemplationi totaliter vacet, peccat, quia facit contra illud ad quod faciendum se obligauit.

XXII SI etiam aliquis tenetur ad aliquod opus ex præcepti necessitate, & dimittens illud velit se penitus contemplationi dare, contemplatio sibi incipit scandalum esse, & peccatum. Non enim dimittenda

sunt

sunt necessatia propter voluntaria; Vt si aliquis suscepit regimen aliorum, & contemplationi vacare solum velit, non curando de regimine subditorum eis prædicando, corrigendo, lites eorum diffiniendo, & ad æternam salutem dirigendo, præponens contemplationem suam subditorum saluti, huic contemplatio vertitur in peccatum. Vt enim dicit Apostolus 1. ad Cor. 9. Si euangelizauero nõ est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit. Væ enim mihi si non euangelizauero. Vbi dicit Glos. Necesse est quòd euangelizem pro imitatione, nec audeo hoc ommittere, quia væ esset mihi cum mihi sit iniunctum. Et 2. ad Timot. cap. 4. Præcipitur Episcopo. Prædica verbum, insta oportunè, importunè, argue, obsecra, increpa, in omni patientia, & doctrina. Vnde cum hæc Episcopo sint præcepta, si hęc dimittens ex voto, vt seipsum contemplatione pascat, contemplatio ei conuertitur in peccatum, & efficitur ille de quo dicitur Zach. 11. Ego suscitabo pastorem in terra, qui delicta non visitabit, dispersum non quæret, & contritũ non sanabit, & quòd stat non enutriet; O pastor, & idolum derelinquês gregẽ; Gladius super brachium eius, & super oculum dextrũ eius; brachiũ eius ariditate siccabitur, & oculus eius dexter tenebrescens obscurabitur. Vnde & Bernar. in Epistola ad Arnoldum Abbatem Morimundi, qui curam fratrum, & monasterium dimiserat, inquit. Qua ratione multorum faciendo ruinam, te ruere non præsumis, qui in hoc positus eras, vt non quod tibi est vtile, sed magis quod alijs; neque tua, sed quæ Iesu Christi sunt quærere debeas? Quomodo inquã securus abis, qui gregi tibi cõmissõ, omnẽ de se securitatem in perpetuum aufers? Quis occurret incursantibus lupis? quis consolabitur in tribulationibus? quis prouidebit in tentationibus? Quis deniq; resistet Leoni rugiẽti, & quærenti quẽ deuoret? Quæ cum ita sint, iudica tu quale hoc tuũ bonũ erit, cum tot malis quantũlibet dignos facturũ te fructus pœnitentiæ confidas? Nonne huiusmodi spinis necessariè est suffocari? Rectum ne esse dices, soli tuę saluti consulere, & filios tuos, quos orphanos relinquis, paterno consilio destituere? Sic igitur qui aliorum curæ alligatus est, non debet neglecta cura aliorum subditorum, sibi ipsi soli per contemplationem vacare. Vnde & Gregor. lib. 6. Moral. cap. 16. dicit. Perfectus prædicator non est qui vel propter contemplationis studium operanda negligit, vel propter operationis instantiam contẽplanda postponit. Vnde perfectus prædicator actiuam vitam speculationis amore, funditus non deserat, neque contemplationis gaudia penitus operationis nimietate contemnat; sed quieti contemplantes sorbeant, quod occupati erga proximos loquentes, refundant. Speculando quippe in Dei amorem surgitur, sed prædicando ad proximum vtilitatem redditur. Vnde prædicator sic pro Dei amore, quietem diligat, vt non propter hoc proximi curam vtilitatemq; postponat; nec sic pro proximi amore occupationi inseruiat, vt quietem funditus deserens, ignem in se superni amoris extinguat. Et August. 19. lib. de Ciuit. Dei, cap. 19. inquit. Ocium sanctum quærit charitas veritatis, negotium iustum suscipit necessitas charitatis. Quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ ac intuendæ vacandum est veritati, Si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem. Sed nec sic omnimode veritatis delectatio deserenda est, ne subtrahatur illa suauitas, & opprimat ista necessitas. Nam non sic quisq; debet esse ociosus, vt in eodem ocio vtilitatem non cogitet proximi; nec actuosus, vt contemplationẽ nõ requirat Dei. Vnde & Apostolus hæc duo se implere declarans 2. ad Cor. 5. dicit. Siue enim mente excidimus Deo, siue sobrij sumus vobis, charitas Christi vrget nos. Quod exponens Glo. dicit. Quicquid agimus vel honor Dei est, vel vtilitas proximi, & ideo qui suscipit regimen subditorum, non soli contemplationi vacare debet, sed & actioni, quòd si non facit, cõtemplatio ei vertitur in peccatum, quia talibus in peccatum vertitur oratio.

1.Cor.9. Gloſ. 2.Tim.4. Zach.11. Bernar. Gregor. Auguſt. 2.Cor.5. Gloſ. Rom.2.

SVMMARIVM.

Quòd contemplatio scandalizat quando aliquis sic intendit contemplationi, quòd non curat se exercere in operibus virtuosis, sed per immundas cogitationes, & actiones defluit ad diuersa genera vitiorum.

XXIII

ILle etiam qui sic torpet contemplationis ocio, quòd non curat de virtuosarũ operationum exercitio, credens sibi sufficere opera contemplationis sine operibus virtuosis, ex contemplatione scandalizatur. Non enim beati sunt illi, qui solum audiunt verbum Dei, nisi custodiant illud; nec auditores legis, iusti sunt apud Deũ, sed factores legis iustificabũtur. Vnde qui credunt perfecti esse solum ex hoc, quòd exercent opera vitæ contemplatiuæ, non curantes facere opera iustitiæ, sed per diuersa morum peccata defluentes, non boni, immo mali censendi sunt, licet enim

habeant

habeant ocij lectum, & contemplationis, lectus tamen eorum floridus non est, di-
Bern. cente Ber. super Cant. ser. 46. In Ecclesia lectum in quo quiescitur, claustrum existimo esse, & monasteria in quibus quietè, à curis viuitur seculi, & à sollicitudinibus vitæ. Atq; is lectus floridus demonstratur, cum exemplis & institutis patrum tanquàm quibusdam benè olentibus respersa floribus, fratrum conuersatio, & vita refulget. Vnde si appetis quietem cõtemplationis benè facis, tamen, ne obliuiscaris flores, quibus lectulum sponsæ legis aspersum. Ergo cura, & tu tuum lectulum circundare bonorũ floribus operum, virtutum exercitio, vt valeas ad fructum sancti ocij peruenire. Alioquin delicato satis ocio dormitare vales, si non exercitatus quiescere appetas, quia præposterus ordo est, antè meritum exigere præmium, & antè laborem sumere cibum,
Ibidem. & scias nisi obedientiæ mandatorum contemplationis gustum penitus non deberi. Et infra. Miror valdè aliquorum imprudentiam, qui inter nos sunt, qui cum omnes nos sua singularitate turbauerint, sua impatientia irritauerint, sua inobedientia coinquinauerint, audent nihilominus ad tam fœdum conscientiæ suæ lectulum,
Ibidem. omni orationum instantia, totius puritatis Dominum inuitare. Et infra. Si vis habere contemplatiuam vitam, oportet vt primò emundes conscientiam ab omni inquinamento iræ, & disceptationis, & murmuris & liuoris, & quicquid omnino aduersari cognoscitur, aut paci fratrum, aut obedientiæ seniorum. Deinde oportet circundare tibi flores bonorum quorumcunq; actuum, & laudabilium studiorum, atque odoramenta virtutum, id est, quæcunque vera, quæcunque iusta, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quecunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ; Hæc cogitare, in his exerceri curato, & tunc ad lectulum tuum securè vocabis sponsum, quem cum introduxeris, veracitèr dicere poteris, & tu: Quia lectulus noster floridus, redolente nimirum conscientia pietatem, pacem, mãsuetudinem, iustitiam, obedientiam, hilaritatem, humilitatem, sine quibus parum, aut nihil valet contemplatio. Vnde, &
Iob 2. Gregor. Grego. lib. 5. Moral. cap. 22. exponens illud. Quando solet sopor occupare homines, dicit. Sunt nonnulli, qui mundi quidem actiones fugiunt, sed nullis virtutibus exercentur. Hi nimirum corpore non studio dormiunt, & iccirco interna non conspiciunt, quibus plerunq; contingit, vt quantò securius ab exterioribus actionibus cessant, tantò latius immundæ in se cogitationis strepitum per ocium congerunt. Sed sancti viri, qui à mundi operibus non corpore, sed virtute sopiuntur, laborioſius dormiunt, quàm vigilare potuerunt: quia in eo quòd actiones huius seculi deferentes superant, robusto conflictu quotidie contra semetipsos pugnant, ne mens per negligentiam torpeat, ne subiecta ocio ad desideria immunda pigescat, ne ipsis bonis desiderijs plus iusto inferueat, ne sub discretionis specie sibimet parcendo, à perfectione langueſcat; Agit hæc, & ab huius mundi inquieta concupiscẽtia se pẽnitus subtrahit, ac terrenarum actionum strepitum deserit, & per quietis studium, virtutibus intenta, vigilans dormit. Sic ergo vacans contemplationi, si non curat se exercere in operibus virtuosis, sed per vitia, & carnis concupiscentias defluit, huic ocium contemplationis, in scandalum venit.

SVMMARIVM.

Quòd contemplatio scandalizat, quando per indiscretionem sic immoderatè agitur, quòd vel animus contemplantis hebetatur, vel infatuitatem dilabitur, vel corpus sic mortificatur, vt ad virtuosa opera inualidum reddatur.

XXIIII. SCandalizat etiam contemplatio, quando sic indiscretè assumitur, vt animus citò ad tedium, & corpus ad nimiam perueniat debilitatem, in tantum quòd vel inutile redditur ad bona opera peragenda, & continuanda, vel talis in amentiam versus, vanus, stultus, ac sine ratione efficitur. Vnde & Apostolus ad Ro. 12. dicit. Fratres exhibeatis corpora vestra hostiam viuẽtem, sanctam, Deo placentẽ, rationabile sit obsequium vestrum. Quod exponens Glos. inquit. Exhibete corpora vestra hostiam, tamen obsequiũ vestrum, totum sit rationale, id est, cum discretione, ne quid nimis sit, sed cum temperantia vestra corpora castigatis, vt naturæ defectu non cogantur dissolui, sed vitijs mori. Fit autẽ anima nostra sacrificium Deo, cum igne diuini amoris accensa, formam concupiscentiæ secularis amittit, & Deo se offerens ei tanquam incommutabili formæ subdita reformatur. Et super illud
Rom. 12. Glos. 1. Thim. 5. Glos. 1. ad Thim. 5. Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino vtere, dicit Glos. Prudenter Deus sibi seruiri vult, non vt nimietate debiles fiant, & post medicorum suffragia requirant: Temperandum enim est, fieri potest, vt si cœptum obsequium gradatim potius prouehatur, quàm per

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

inconsiderantiam minuatur. Et Bernar. Bernar. super Cant. ser. 22. inquit. Virtus discretionis absque charitatis feruore iacet, & feruor vehemens absq; discretionis temperamento præcipitat; ideoq; laudabilis est cui neutrum deest, quatenus & feruor discretionē erigat, & discretio feruorem regat. Et ser. 20. inquit idem. Zelum tuū Idem. inflammet charitas, informet scientia, firmet constantia. Sit feruidus, sit circumspectus, sit inuictus. Nec teporē habeat, nec discretione careat, nec timidus sit. Et infra. Bonus amor iste est, cum carnalis vita excluditur, contemnitur, & vincitur mundus. Proficitur autem in eo cum fit & rationalis. Porro rationalis tunc est, cum in Ibidem. omnibus, quæ oportet de Christo sentiri fidei ratio ita firma tenetur, vt ab ecclesiastici sensus puritate, nulla verisimilitudine, nulla hæretica seu diabolica circumuentione aliquateus deuietur. Itemq; in propria conuersatione, illa cautela seruatur, vt discretionis meta nulla superstitione vel leuitate, uel spiritus quasi feruentiori uehementia excedatur. Et Hieron. Hieron. in Epistola ad Demetriadem dicit. Noui ego in utroq; sexu per nimiam abstinentiam, cerebri sanitatem in quibusdā fuisse vexatam, præcipueq; in ijs qui in humectis, & in frigidis habitauere cellulis, ita ut nescirent quid agerent, quo ue se uerterent, quid loqui, quid tacere deberent; quod totum ex indiscretione contingit. Et in Epistola ad Letham idem dicit. Displicent mihi in teneris ætatibus lōga, & immoderata ieiunia, quibus iniūguntur hebdomades, & oleæ in cibo, ac Idem. poma uetantur. Experimento didici Aselum in uia, cum lassus fuerit, diuerticula quærere; hoc in perpetuo ieiunio præceptum sit, ne longo itinere uires perpetes superentur, ne in prima mansione currentes corruamus in medijs. Si ergo indiscrete contemplatio assumatur, & carnis mortificatio incipit esse in scandalum, & talibus fit eis mensa in scandalum, idest contemplatio.

SVMMARIVM.

Quòd quocumq; modo de supradictis, contemplatio aliquid scandalizet, cessandum est à contemplatione, & sic eruitur oculus dexter, & ad actiuam vitam transeundum est, vel continuè, vel ad tempus, quousque scandalum dictum cesset.

XXV Siue ergo contemplatio in superbiam mentis erigat, siue ad vanitates & errores fingendos ducat, siue ab operibus, ad quæ tenentur ex præcepto abducat, siue ab exercitio virtuosarū operationum torpescat, siue indiscretione corpus, & mentem destruat, vel confundat; quia tūc scandalizat nos oculus dexter, idest contemplatio diuinorum, ad tēpus est eruendus, & procul abijciendus, & ad opera vitæ actiuæ est transeundum. Quia melius est vt per vitam actiuam saluemur, quàm talem contemplatiuā exercendo cum peccato, damnemur. Vnde & hîc dicit Glossa. Oculus dexter est contemplatio, in qua Glos. scandalizamur, dum ex infirmitate ad purum contemplari non valemus: In hac pro desidia, & torporis ocio, scandalizamur. Vnde si quis sine istis non potest frui contemplatiua non torpeat ocio ab actiua. Et Gregor. lib. 6. Moral. cap. 17. exponens illud dictum Domini. Si oculus tuus Gregor. dexter scandalizat te &c. dicit. Cum ad contemplatiuam vitam idonea discretione nō sufficis, solam securius actiuā tene. Cumq; in hoc quod pro magno eligis, deficis, eo contētus esto, quod pro minimo attendis: vt si per contemplatiuam vitam, à veritatis agnitione compelleris cadere, regnum cœlorum per solam actiuam valeas, saltim luscus intrare. Expedientius enim esset tali homini, vt occupatus in mūdo, terrena negotia ageret, quàm si per cōtemplationis studia ad multorum perniciē vacaret, & sic eruitur oculus dexter.

SVMMARIVM.

Quòd opera vitæ actiuæ quæ ordinantur ad æternam salutem proximoium dicuntur manus dextera.

XXVI Per manum veto dexteram, intelligitur vita actiua. Manus enim quia est instrumentum operatiuum, rectè significat actionem; sed quia actiua vita, quandoq; versatur circa operationem virtuosam, qua proximorum defectibus corporalibus, vel tēporalibus subuenitur, quandoq; versatur circa operationem virtuosam, qua subuenitur defectibus spiritualibus proximi, quæ actio est alia superior, quantò anima præualet corpori: idcirco manus dextera dicitur vita actiua, qua subuenitur necessitatibus spiritualibus proximorum, sicut est eruditio ignorantiæ, correctio peccatorum, & cętera talia, quæ spirituales eleemosynæ vocantur. Vnde & Augusti. exponens illud Psal. Dominus protectio tua super manum dexterā tuam, dicit, Dextera manus sola operatur, quando propter vitam æternam operaris. Huiusmodi autem actiua & quan- Psal. 120. Augusti.

tum

tum ad operantem, & quantum ad illum, circa quem operatio exercetur, propter vitam æternam operetur; quod non fit in aliqua parte vitæ actiuæ, quia & si operãs operetur propter vitam æternam, tamen illud circa quod operatur, ſicut præbere neceſſaria corpori, non fit propter vitam æternam. Vnde & Dominus Ioan. 6. quaſi diſtinguens inter iſtas vitas dicit. Operamini non cibum, qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam. Quod exponens Alchuinus dicit. Corporeus cibus carnem tantum reficit, & ſemel acceptus, non ſufficit, niſi quotidie accipiatur, ſpiritualis verò cibus permanet in ęternum, & ſacietatem perpetuam, & immortalitatem largitur. Et Chryſoſt. hoc exponens ſuper Ioan. homil. 43. inquit. Ad hoc nutriatis corpora, vt aliam exquiratis eſcam, quæ veſtram nutrit animam.

Ioan. 6.

Alchui.

Chryſoſt. hom. 43.

SVMMARIVM.

Quòd vita actiua ſcandalizat, quando ex eo, quòd actiuus vult habitare cum malignis hominibus, vt eos ad bonam vitam trahat, videns eorum opera, & peccata, & malitias, tentatur ad conſimilia mala opera facienda; quòd quando contingit, deſerenda eſt conuerſatio cum talibus, & opera vitæ actiuæ circa tales, ſunt dimittenda.

XXVII

HAEc autem uita actiua quæ ſalutem animarum proximorũ operatur ſcandalizat (ſecundum Glo.) vel propter occupationis tædium, vel propter indiſciplinabilitatem ſubiectorum, qui nolunt intelligere vt benè agant. Sic namq; propter ſeculi frequentiam, frequentèr contingit quòd peccent actiui, videndo, & audiendo facta, & dicta vilium perſonarum. Vt enim dicitur Eccle. 13. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, & qui communicauerit ſuperbo induet ſuperbiam. Et Hieron. in Epiſtola ad matrem, & filiam inquit. Si ſteteris inter adoleſcentes aut inter maritatas fœminas, atq; nupturas, inter laſciuas puellas, & comatos, lunatosq; iuuenes; dabit tibi barbatulus quilibet manum, ſuſtentabit laſſam, & præſsis digitis aut tentabitur, aut tentabit. Et in Epiſtola ad Letam idem inquit. Non exeat foras ne inueniant eam qui circumeunt ciuitatem, ne percutiant, vulnerent, & auferant ſpiritum pudicitiæ. Et Auguſt. exponens illud Pſal. Quis dabit mihi pœnas ſicut colũbæ, & volabo, & requieſcam? dicit. Vellem vt abirẽ, ſed infirmus ſum, ne manendo augeã peccata peccatis: aut certè ſeparari paululum à genere humano. Non patiatur vulnus crebras plagas, vt ſanatum exercitationi reddatur. Fit hoc fratres, & ſurgit plerumq; in animo ſerui Dei deſiderium ſolitudinis; non ob aliud, niſi propter turbam tribulationũ, & ſcandalorum. Sicut & Paulus quamuis corpore robuſtiſſimus, quãuis fortis, quãuis magnus, quamuis Chriſti miles inuictus, in exercitatione conturbatus eſt, vt de cætero diceret. Nemo mihi moleſtus ſit. Cum enim homo actiuus inter alios commoratur, quandoq; contingit, quòd viſa eorũ malitia, tentatur ad conſimilia facienda, & tunc incipit talis eſſe actio ſcandalizans, quæ pro tunc deſerenda eſt, quia magis expedit, quòd ad tempus deſeratur, quàm ſi ipſam exercendo, cum ipſis impijs moraremur, iuxta illud, quod dixit Moyſes, Num. 16. Recedite à tabernaculis impiorum hominũ, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne in peccatis eorum inuoluamini.

Gal. 6.

Num. 16.

SVMMARIVM.

Quòd vita actiua ſcandalizat, quãdo ad tædium animi, & oppreſſionem mentis actiui pertingit propter nimiam fatigationem, nec ſinit animum diuina contemplari, ſed ſolum circa curam ſubiectorum cum tædio, & animi querela detineri.

XXVIII

SCandalizat quoq; hæc vita aliquando propter occupationis tædium; quia enim circa inſtructionem peruerſorũ hominum, & eorum correctionem, multum laborare oportet, & ab omnibus alijs operibus ceſſare, vtpote quia infirmi ſunt, & faciliter in mortem animæ prolabuntur: idcirco dormitandum non eſt, neq; alijs rebus inſiſtendũ, ne fortè interim pereãt, & eorum ſanguis de manibus noſtris requiratur, iuxta illud Prouer. 6. Fili mi, ſi ſpopõderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum animam tuam: fac quod dico fili mi, & temetipſum libera, quia incidiſti in manus proximi tui. Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicũ tuũ, ne dederis ſomnũ oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. Sic autem continuè laborare, & propriam dimittere contemplationem, propter talem actionem, non ſine magno tædio eſt; cum & Moyſes ſic fuerit propter populi importunitatem afflictus, de quo dicitur Num. 11. Moyſi intoleranda uiſa res eſt, & ait ad Dominum. Cur afflixiſti ſeruum tuũ? Quare non inuenio gratiam coram te? & cur impoſuiſti pondus vniuerſi populi huius ſuper me? Non poſſum ſolus ſuſtinere omnem hunc populum, quia grauis mihi eſt. Sin aliter tibi videtur, obſecro vt interficias me, ne tantis afficiar malis. Et

Prouer. 6.

Num. 11.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

tunc quando tale tædium venit, superse-
dendum est ad tempus, vel per alios tale
opus actiue exercendum, quemadmodum
& Dominus tunc addidit Moysi ad onus
populi sustentandū, & tædiū subleuandū,
septuaginta viros, qui cū eo onus populi
sustinerēt, ne sub tam graui sarcina, solus
Moyses præ tædio, & labore deficeret.

SVMMARIVM.

Quòd vita actiua scandalizat, quando actiuus videt quòd omnia quæ potuit facere fecit vt mali homines ad bonum conuerterentur, & tamen videt se nihil proficere, immo frequenter eos ad deteriora prolabi, & tunc mens eius, per impatientiam affligitur.

XXIX SCandalizat etiam quādoq; vita actiua per impatientiā, quando scilicet videt actiuus quòd multum laborat circa ædificationem, eruditionē, & correctionem aliorum, attamē parum, vel nihil proficit, propter eorum improbitatē, quia nolunt intelligere vt bene agant, dū expectantur vuæ & fiunt labruschæ, & talis actiuus potest dicere illud Isa. 1. Laboraui sustinens, & etiā illud Psal. Defectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus legē tuā. Quod exponens August. super illud Psal. Quis dabit mihi pēnas sicut columbæ? inquit, Conatur homo plerūq; homines corrigere distortos, prauos, pertinentes quidem ad curam suā, sed in quibus deficiat omnis humana industria, & vigilantia corrigere non potest, pati necesse est, & qui corrigi non potest dignus est, aut consortio humani generis, aut plerunq; ecclesiastica communione priuari; Quid facies? quò ibis, quò te separabis, vt ista non patiaris? Loquere ad istum, exhortare, blandire, corripe, feci omnia; quicquid habui virium impendi, & expressi, nihil me video profecisse, omnis opera cōsumpta est, dolor remansit. Quomodo remansit cor meum à talibus nisi vt dicam. Quis dabit mihi pēnas sicut columbę? Columba à molestijs quærit auolationem, sed non amittit dilectionem. Quid ergo dicet iste dilector? Conuicia hominum ferre non possum, stridunt dentibus rabie, feriūtur, accenduntur iracūdia, in ira adumbrāt me, prodesse illis non possum, vtinam requiescam alicubi superatus corpore, nòn amore, ne in me conturbetur ipsa dilectio verbis meis, vel quia collocutione mea prodesse non possum, orando pro eis forsitam potero. Dicunt ista homines, sed plerunq; sic ligantur, vt volare non possint, forte enim viscò non ligantur, sed officio, si autem cura ligentur, & officio, & deserere non possint, dicant cum Apostolo. Optabam dissolui, & esse cum Christo.

Isa. 1.

Psal. 54. August.

SVMMARIVM.

Quòd quando supradictis modis vita actiua scandalizat pro tempore, vel loco, ad tempus dimittenda est, & ad contemplatiuam transeundum, quia manus dextera nos scandalizat.

XXX SI ergo manus dextera, idest vita actiua, quę circa proximorum spiritualem salutē versatur, aliquo de supradictis modis nos scādalizat, idest ad peccatum nos pertrahit, deserenda est ad tempus, & contemplationi vacādum. Non est enim perfectus prædicator, qui in utraq; uita pro tempore non se exercet, dicente Gregor. 6. Moral. cap. 17. Perfectus prędicator non est, qui vel propter contemplationis studium operanda negligit, vel propter operationis instantiam, contemplanda postponit. Vnde secundum temporum diuersitatem, locorum, & personarum, vtraq; est exercenda, modo una, modo alia, & utraque etiam est deserenda, quādo eam scandalizat altera, & ad aliam transeundum. Vnde & hîc dicit Glo. Dextera manus est actio in qua scandalizātur pro seculi frequentia, & occupationis tædio illaqueantur, & si dum exequeris opera misericordiæ in actiua, in alia cadis vitia, dimitte actiuā, & ad aliam transi, vel si dum, actibus occuparis, arescas ab interna dulcedine, dimitte eam, & ad contēplatiuam transi, in qua melius proficere possis. Melius enim est vt cum uno bono opere salueris, quàm si dum omnia bona opera vis facere, cum omnibus pereas.

Gregor.

Glos.

Tractatus sequens protenditur vsq; ibi.

(Ego autem dico vobis quia omnis qui dimiserit vxorem, &c.) & habet infrascripta decem capitula.

SVMMARIVM.

Quare Dominus ad tria præcepta in lege posita quæ repetit, scilicet ad leges homicidij, adulterij, & periurij præmittit dictū est antiquis, & ad leges diuortij, talionis, & odij inimici non præmisit, dictum est antiquis, sed solum dictum est.

DIctum est autem, [*Quicunq; dimiserit vxorem suam detur illi libellū repudij &c.*] Vbi postquā ostendit Dominus quòd aliena vxor, vel mulier non est uidenda ad ipsam concupiscendum, & minus cum ipsa

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

concumbendum, vult ostendere qualiter se debet quisq; habere ad vxorẽ propriã, quia scilicet eam non debet dimittere. Et duo facit; quia primò proponit illud, quod super hoc permiserit lex Moysi. Secundò addit ipse dictæ legi, & eam declarando verum legis explicat intellectum, & declarat. Secunda ibi. [*Ego autem dico vobis quia omnis qui dimiserit vxorem suam.*] Dicit ergo. [*Dictum est autem, Quicumq; dimiserit vxorem suam, det illi libellum repudij.*] Circa quod primò attendendum est quòd Dominus in trium præceptorũ legis explanatione, prepposuit, Dictũ est Antiquis; scilicet in homicidio, adulterio, ac periurio; & in tribus alijs nõ posuit, Antiquis, sed tantũ dixit, dictum est, scilicet, in permissione legis de dimittenda uxore, & in lege talionis, ac in lege permittente inimicum odire. Quod fortè pro tanto fecit, quia illa quæ prohibebãtur per prima tria præcepta sunt talia, quòd & ante legẽ datã, & post ipsam legem ex se, & ex natura sua mala fuerunt, nec aliquo modo permitti potuerunt, nisi Deus propriè super hoc dispẽsaret. Prima enim duo præcepta scilicet adulterium, & homicidiũ, etiam antequã lex daretur Moysi, prohibita fuere; vnde & de homicidio dicitur Gen. 9. Quicumque humanum effuderit sanguinem, fundetur sanguis eius. Et Iudas audito quòd Thamar nurus eius prægnans esset, & fornicata, dixit. Producite eam, vt comburatur; & tamen non de adulterio, sed de fornicatione inculpabatur. De periurio autem, nulli dubium est, quòd semper illicitum fuit, & ideo tàm antè legem, quàm in lege, fuit dictum antiquis, ne talia committerent, quia quamuis per legem scriptã hoc eis non diceretur, cum adhuc data non esset, tamẽ dicebatur eis per legem naturalem, duo præcepta continentem, scilicet quod tibi vis alteri fac: Et quod tibi nõ vis fieri alteri ne feceris. Nullus autem vult ab alio occidi, nec vxorem suã cum alio fornicari. Vnde & Commentator. 8. Ethi. ca. 4. inquit, Quòd commixtio extra matrimoniũ est peccatum, & contra legem naturæ, quia matrimonium est naturale. Et Tull. in 2. lib. de legibus, ait. Quamuis regnante Tarquinio, nulla lex esset scripta prohibens stupra, tamen contra legẽ sempiternã Tarquinius Lucretiã ui abstulit. Erat enim ratio perfecta à rerũ natura, & ad rectè agendũ impellens, ac à delicto auocãs. Quæ lex tunc non incepit qñ scripta est, sed illa lex est recta ratio ad iubendũ iusta, vel ad iniusta vitandũ. Vnde & quia ante legẽ scriptam illa tria erant iniqua, scilicet homicidiũ, adulterium, & periurium; & prohibita per legem naturæ, licet postea prohibita fuerint per legem scriptam, ideo dictis præceptis præponitur, [*Dictũ est antiquis.*] Sed quia permissio diuortij, lex talionis, & odium inimici non sunt talia, quòd per legem naturæ sint permissa, cum apud Christianos non permittantur, sed tantum introducta fuere per veterem legem, ob duritiam cordis Iudæorum, qui & sanguinarij, cupidi, & lubrici erant, ne deteriora facerent, idcirco in dictis præceptis non ponitur, [*Dictum est antiquis, sed tantum dictum est.*]

Gen. 9. Idem 38. Commen. Cicero.

F G H I K

SVMMARIVM.

Ponitur, & declaratur lex quæ posita erat in lege Moysi de diuortio, et ponitur prima opinio, quòd non erat præceptum de diuortio faciendo, sed permissio, & assignatur differentia inter præceptum, & permissionem.

ISta autem lex de diuortio faciendo ponitur in Deutero. 24. vbi sic dicitur. Si acceperit homo uxorẽ, & habuerit eam, & non inuenerit gratiã ante oculos eius, propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudij, & dabit in manu eius, & dimittet eam de domo sua. Cumq; egressa, alterum maritum duxerit, & ille quoq; oderit eam, dederitq; ei libellũ repudij, & dimiserit de domo sua, vel certè mortuus fuerit; Nõ poterit prior maritus reaccipere eam in vxorẽ, quia polluta est, & abhominabilis facta corã Domino, ne peccare facias terrã tuam. Et est sensus dictæ legis, quòd si viro displicebat vxor, scribebat quòd non conueniebat cũ ipsa, & causam quare ipsam dimittebat; & dictã scripturam, quæ libellus uocabatur repudij, dabat mulieri, quæ scriptura deinde corã sacerdotibus legebatur, & uir iurabat verum esse, quod in dicto libello scripserat, & sic mulierẽ dimittebat; quæ dimissa poterat nubere alteri, & priusquã alteri nuberet, prior maritus poterat eam ad se reuocare; sed postquam alteri nupserat nec viuente secundo marito, etiã libello repudij ei per secundum, dato, & minus si non dedisset, nec ipso secundo mortuo, non licebat primo marito eam ad se reuocare, quam à se abiecit & iurauit ipsam esse sibi pollutã, & abhominabilẽ, ac propter hoc nunquam postquam secundum maritũ duxerat, eã poterat habere in vxorẽ. Quę lex secũdũ aliquos erat legis permissio, idest maioris mali, scilicet vxoricidij vitatio, dicente Domino infra. Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras, ab initio autem non sic erat.

II Deut. 24. Matt. 19.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Chryſoſt. hom. 32.

Quod exponens Chryſoſt. in expoſitione dicit. Melius iudicauit permittente lege matrimonia ſolui, quàm odio compellente homicidium fieri; permiſit vobis mala facere, ne peiora faciatis. Ergo hoc vobis permittendo, vobis iuſtitiam Dei non demõſtrauit, ſed à peccato abſtulit culpam, id eſt, pœnam peccati, vt quaſi ſecundum legem agentibus, vobis peccatum non videatur eſſe peccatum. Vt puta ſi quis habeat ſeruum qui furetur, & inebrietur; conſiderans Dominus quòd ſi vtrumque ſimul ſibi obſeruare mandauerit, nihil proficit, mandat illi vt bibat quidẽ quantum vult, ſed publicè bibat, vt hoc quidem quod bibit ſit ſecum nouum bonum, vt paulatim diſcat obedire præceptis. Sic permiſſum eſt dari repudium, malum quidem, tamen licitum. Quod enim præcipimus ſemper volumus; quod autem permittimus, nolentes permittimus, ſed hoc facimus, quia malam hominum voluntatem ad plenum prohibere nequimus. Vnde ſecundum hoc diuortium in veteri lege non fuit præceptum, ſed tantum permiſſum, omnis autem permiſſio eſt de malo, ne deterius contingat.

SVMMARIVM.

Declaratur prima opinio, & oſtenditur quod diuortium in Moyſi lege non erat præceptum, ſed tantum permiſſum propter duritiam cordis Iudæorum, qui parati erant occidere vxores quas non diligebant, & hoc per multas probatur rationes.

III

NOn enim erat legis intentio, quòd fierent diuortia; patet enim; quia non dixit ſimpliciter lex, quòd ſi vir duxerit vxorem, quæ non inueniat gratiam in conſpectu eius propter aliquam fœditatem, dimittat eam; ſed addidit, quòd ſcribat libellum repudij, & det in manu eius, & ſic eam dimittat de domo ſua. Libellus enim repudij, vel ſolum ſcribi debebat per ſcribas, & legis doctores, qui poterant diſſuadere diuortium, dicente Aug. 19. lib. contra Fauſtũ cap. 26. Expoſuit Dominus quid lex voluerit, cũ paſſim dimittẽti vxorẽ, iuſſerit libellum dare repudij; Neq; enim ait, Qui voluerit, dimittat vxorẽ ſuã; cui eſſet cõtrariũ nõ dimittere, ſed vtiq; nolebat dimitti vxorẽ à viro, qui hãc interpoſuit morã, vt in diſſidium animus præceps, libelli cõſcriptione refractus abſiſteret, & quid mali eſſet vxorẽ dimittere cogitaret, præſertim quia (vt perhibẽt) apud Hebræos ſcribere litteras Hebræas, nulli fas erat, niſi ſolis Scribis, qui excellentiorem profitebantur ſapientiam, & ſi qui eorum erant, æquitate, ac pietate præditi, non tantum profitebantur, verum etiam ſectabantur. Ad hos igitur, quos oportebat eſſe prudentes legis interpretes, & iuſtos diſſidij diſſuaſores, lex mittere voluit eum, cui iuſſiſſet libellum repudij dare, ſi dimiſiſſet vxorem. Non enim poterat ei ſcribi libellus, niſi ab ipſis, qui per hanc aduenientem occaſionem quodamodo in manus ſuas, bono regerent conſilio, atque inter ipſum & vxorem pacificè agẽdo, dilectionem concordiamq; ſuaderent. Quòd ſi tantum inrercederet odium, vt extingui emendariq; non poſſet; tunc vtique libellus ſcriberetur, quia fruſtra non dimiſiſſet, quàm ſic odiſſet, vt ad debitam coniugij charitatem nulla prudentium perſuaſione reuocaretur. Vel ſi ipſemet vir habebat ſcribere libellũ repudij, (vt videtur legis textus innuere) nõ poterat tamen compleri diuortiũ, niſi iudiciariè quod fiebat in præſentia Sacerdotũ, Scribarum, & aliorum Sapientum (vt ſupradictum fuit) qui poterant, & habebãt diſſuadere diuortium. Ex quibus clarè patet quòd non erat legis intentio diuortium. Quod etiã ex alio patet, quia poſtquam vxor dimiſſa erat, alteri nubere poterat, primo marito etiam inuito, nec ex tunc poterat eam recuperare, vel ad ſe reducere, primus maritus. Valdè autem durum eſt, quòd viuente homine, & vidente, vxor eius alteri nubat, & ei veluti marito adhæreat, nec ad ſe eam, quando vult reducere poſſit; cũm paſſio Zelotipiæ tanta excreſcat etiam de muliere, quæ non fuerit vxor, quando carnaliter cognita fuerit per aliquem, quòd ſi ſciat ipſam alteri adhærere, vſque ad mortem in mulieris, & viri ei ſecundò adhærentis inſurgat; quæ paſſio communiter accenditur in homine, dum ſcit vxorem ſuam alteri adhærere, eiq; copulatam, quam ad ſe reducere nequit. Magis enim homo vellet vxorem ſuam mortuam eſſe, quàm ſi eo vidente, cum alio coniungeretur carnaliter; dicente Hiero. ſuper illud Amos 7. Vxor tua in ciuitate fornicabitur, & filij tui, & filiæ tuæ in gladio cadent. Grandis dolor, incredibiliſq; eſt ignominia, quando maritus in media ciuitate, cũctis præſentibus, non poteſt prohibere vxoris iniuriam. Filij quoquo (inquit) tui & filiæ in gladio cadent. Non eſt tantus dolor in filia cõſtuprata, quãtus eſt in vxore polluta, nec tantus dolor in vxore occiſa, quantus in filijs trucidatis. Maritus enim libentius patitur interfici vxorem, quàm pollui. Et ideo magnum erat retinaculum ne diuortium fieret, in lege appoſitum, ſcilicet quòd mulier repudiata,

Auguſt.

Amos 7.

Hieron.

alteri nubere posset, & quòd ex tũc prior maritus nullo modo eam sibi reconciliare, vel reuocare posset, quia sic cogebatur videre quòd alter dicta sua vteretur vxore, & ea ipse vti nequiret. Vnde & inter maledictiones positas in Deut. ista est vna. Vxorem accipies, & alius eum ea dormiet. Deut. 27. & propter hoc solum pro passione Zelotipiæ (vt pro maiori passione) sacrificium in lege iubebatur offerri, vt patet Num. 5. Quod etiam patet alio modo, quia Dominus qui in lege concessit repudium vxorum, videtur in Propheta hoc prohibere, maximè secundũ translationem septuaginta, Malachiæ 2. Vbi ait. Quia Dominus testificatus est inter te, & vxorem pubertatis tuæ quam tu despexisti, & hæc particeps tua, & vxor fœderis tui. Nonne vnus fecit, & residuum eius spiritus est? Et quid vnus quærit nisi Dei semen? Custodite ergo spiritum vestrum, & vxorem adolescentiæ tuæ noli despicere, cum odio habueris dimitte, dicit Dominus Deus Israel; Operiet autem iniquitas vestimẽtum tuum. Cuius translatio septuaginta interpretum sic habet. Dominus testificatus est inter te, & vxorem adolescentiæ tuæ, quam tu reliquisti, & hæc particeps tua, & vxor testamenti tui, & non alius fecit, & reliquiæ spiritus tui. Et dixistis: quid aliud præter semen quærit Deus? Et custodite in spiritu vestro, & vxorem adolescentiæ tuæ ne derelinquas. Sed si odio habens dimiseris eam, dicit Dominus Deus Israel: operiet impietas cogitationes tuas, dicit Dominus omnipotens, & custodite in spiritu vestro, & nolite derelinquere. Quod exponens Hiero. in originali dicit. Quia Dominus testificatus est inter te, & vxorem pubertatis tuæ, quam tu despexisti dicẽs: Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in vna carne, & iccirco particeps dicitur, & vxor coniunctionis, & fœderis, quæ à Deo de costa viri facta est. Propterea à Deo facta est vtriusque coniunctio, vt liberi nascerentur: Vnus enim Deus, quid quærit nisi semen Dei: hoc est filios de Israelitica stirpe generatos? Cum ergo habeatis fecundas coniuges, & liberis gaudeatis: quid pulchritudinem vxorum quæritis, quæ meretricibus apta est, non vxoribus? Præcepit itaq; per Prophetam Deus & dicit. Custodite spiritum vestrum: ne abducamini libidine, ne alienigenarum amore vincamini. Et vxoré adolescentiæ tuæ noli despicere, vt quæ tibi virginali primum iuncta est matrimonio, perseueret vsq; ad senectutem. Sed poterat fieri vt Principes, Sacerdotes, Leuitę, populus responderent: Præcepit Deus per Moysem, vt cum odio habuerimus vxores, dimittamus eas. Et legendum est: Dicis mihi scriptum est: cum odio habueris vxorem tuam dimitte, dicit Dominus Deus Israel: Statimque respondit: Hoc quidem in lege præceptum est, sed propter duritiam cordis vestri. Quod plenius in Euãgelio Dominus prosequitur. Sed quicunq; (excepta causa fornicationis) vxorem dimiserit, operiet vestimentũ eius iniquitas, id est, corpus, quo anima vestitur, vt cum quo peccauit, cum ipso puniatur. Qua propter hæc quæstiuncula dissoluta inculcat, & replicat quod supra dixerat. Custodite spiritum vestrum & nolite despicere, id est vxorem, & si pauper est, & deformis nolite abijcere, vxor enim propter affectum, quodãmodo spiritus viri est: quia vna anima in duobus esse videtur coniunctis spiritu, menteq; sociatis. Vnde quemadmodum fœnus, & vsura licet sint mala ex natura sua, Iudæis tamen cupidis, & auaris fuerunt concessa ad extraneos. Iuxta illud Deut. 23. Nõ fœnerabis fratri tuo ad vsuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno: quod postea tamen per Prophetas declaratũ fuit, non esse de intentione Domini vsuram exercere cum extraneo quocunque. Vnde inter conditiones viri iusti ponitur in Psal. Quod pecuniam suam nõ dedit ad vsuram. Et in Ezechiele in cap. in quo continetur, quæ sunt illa, quæ faciunt iustum hominem esse: inter alia ponitur, ad vsuram non comodauerit, & amplius non acceperit. Quod exponens Hiero. lib. 6. super Ezechiel: dicit. Vide profectum, in principio legis, à fratribus tantum fœnus tollitur in prophetia, vsura prohibetur. Porrò in Euangelio virtutis augmentum est, præcipiente Domino fœneramini ijs, à quibus non speratis recipere. Iuxta quod etiam Dominus dicit Luc. Date mutuum nihil inde sperantes. Sic etiam diuortium Iudæis permissum erat, sed propter maius malum vitandum permissum, quòd tamen postea per Prophetas, & deinde per Dominum, iniquũ ostensum fuit, vt satis contra eum deductum est, cum tot conditiones apponerentur, ad diuortium faciendum, quod multum difficile, & plenum anxietate erat, & magis tolleranda erat qualiscunq; vxor, quã si homo se exponeret illis malis, quæ sequebantur ex diuortio. Et maximè quia si ex vxore odiosa, & fortè etiam repudiata, filium primogenitum homo suscepisset, non filium dilectæ vxoris, sed odiosæ

Deut. 27.
Num. 5.
Malach. 2.
Hiero.
Gen. 2.
Malach. 2.
Deut. 23.
Psal. 14.
Hiero. Ezech. 18.
Luc. 6.

habebat

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

habebat constituere hæredem, qui fortè post mortem patris, matrem abiectam per patrem, reduceret vel reducere posset ad domum suã, & patris sui: iuxta illud Deu
Deut.21. tero. 21. Si habuerit homo vxores duas, vnam dilectam, & alteram odiosam, genueritq; ex eis liberos, & fuerit filius odio sæ primogenitus, volueritq; substantiam inter filios diuidere, non poterit filium di lectę facere primogenitum, & præferre filio odiosæ, sed filium odiosæ agnoscet primogenitum, dabitq; ei de ijs, quæ habuerit cuncta duplicia.

SVMMARIVM.

Distinguitur de illis actibus, qui de se, & sui natura sic sunt mali, quòd boni fieri non possunt; et de illis actibus, qui licet simpliciter sint mali, tamen permitti possunt, idest non puniri tẽporaliter, ne deteriora contingant. Et de illis actibus qui solum sunt mali, quia prohibiti: & assignatur differentia in dispensatione secundi, & tertij generis actuum; & ostenditur quod diuortium est de secundis actibus.

IIII CIrca quod attẽdendum, quòd aliqua sunt mala simpliciter, quæ nunquam benè fieri possunt, & talia sic prohibentur lege diuina, quòd nunquam inueniuntur esse permissa. Sicut quòd Deus alter fingatur, adoretur, vel colatur. Aliqua verò dicũtur esse mala communitèr, licet in casu vel pro maiori bono adipiscendo, vel pro maiori malo uitando permitti possunt, dispensante illo, qui super hoc potestatem habet, sicut meretricium, vel publicum lupanar in ciuitate esse, quidem malum est, sed tamen ne deterius contingat, permissum est per legem humanam, idest non punitum; & etiam fœnus vel vsura; quia si totaliter per humanam legem prædicta prohiberentur, & matronæ ad malum incitarentur, & commercia pro magna parte tollerentur. Alia verò sunt mala solum, quia prohibita, sicut esus fructus ligni sciẽtiæ boni & mali fuit malus, quia prohibitus, cum tamen ex se, & ex sua natura, si prohibitus non fuisset, malus non esset. In istis autem duobus vltimis, permissio, vel dispensatio cadere potest, quia possunt esse bona, vel peioris mali impedientia, si fieri aliquoties permittantur. Sed permissio vel dispensatio diuersum effectum habet in eis, quia quando dispensatur in re indifferenti, res illa, sublato præcepto, remanet in sua natura, quia scilicet ex se non est bona moralitàr, vel mala, sed indifferẽs ad hoc, vel ad illud: sed quando dispensatur in re, quę ex sua natura est

A mala, nõ propter hoc tollitur quin sit malum: sed pœna remouetur vel non apponitur, vt scilicet impune, stante dicta permissione, vel dispensatione, agatur. Repudium autem vxorum, non erat res talis, quæ nullo modo fieri posset nisi malè, sic quod dispensatio cadere posset in eo, quia sic Dominus nunquã dispensasset, nec hoc fieri permisisset. Dicitur autem infra 19. Moyses ad duritiam cordis vestri, permisit vobis dimittere uxores uestras, Nec Matt.19.
B etiam nunc ob fornicationẽ liceret dimittere uxorem, nec etiam fuit ante præceptum de uxore non dimittenda, res indifferens, cum de institutione prima matrimonij fuerit, quòd uir uxori adhæreret per totam uxoris uitam, & suam: iuxta illud Apostoli ad Rom. 7. Mulier, quæ sub Rom.7.
uiro est, viuente viro alligata est legi, si autem mortuus fuerit uir eius, soluta est à lege uiri: igitur uiuente uiro uocabitur adultera si fuerit cum alio uiro. Si autem mortuus fuerit uir eius, liberata est à lege uiri, ut non sit adultera, si fuerit cum
C alio viro. Vt etiam Dominus exponẽs infra. Quòd à principio non fuit diuortiũ, sed ob duritiam cordis Iudeorum, fuit eis permissum (non quidem, vt bonum, vel ut indifferens, quia non sic diceretur hoc eis esse permissum ob duritiam cordis eorũ) sed ut malum quidem ex se, & ex sua natura, permissum tamen, ne deterius facerent. Propter quod, vxoris repudium est, vt de malo communitèr, sed permissum ne deterius contingat. Quod quidem in hoc habet rationem boni Minus enim malum
D in comparatione maioris mali, bonum vocatur. Vt ibi. Bonum erat ei si natus non Matt.26.
fuisset homo ille. Quod exponens Hiero. Hieron.
dicit. Multò melius esset non subsistere, quàm male subsistere. Vnde permissio, nõ abstulit diuortio quòd malum non esset, sed solum abstulit pœnam temporalem. Vnde semper peccatum fuit; vt patet superius ex dicto Hieronymi, & Malachiæ; Malach.2.
quia dicit de dimittendo uxorem. Operit iniquitas vestimentum eius, idest corpus eius, quo anima uestitur, ut cum quo
E peccauit, cum ipso puniatur in futuro: sed solum pœna tẽporalis relaxatur, quia dimittenti uxorem dato libello repudij, non imponebatur alia pœna temporalis per legem.

SVMMARIVM.

Quòd Deus posset si vellet facere, quòd diuortium, nullum peccatum esset; sed manente prima Dei voluntate, voluit quòd homo inseparabiliter suæ vxori adhæreret, postea per-

mittendo

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

mittendo diuortium in lege, non abstulit peccatum à diuortio, sed solum pœnam temporalem remouit, non autem pœnam futuri sæculi.

V VErum est tamen quòd ipse Deus de cuius voluntate est inseparabilitas matrimonij, cuncta his inseparabilitas nõ includat iustitiam, quòd contrarium per Dominum fieri posset, & si fieret, iustum esset; vt scilicet quemadmodum in alijs animalibus, & quibus est coniunctio ad tempus, quousq; pulli sunt geniti, & educati, quousq; per se viuere possint, & necessaria vitæ procurare: ita etiam vellet, quòd non ad vitam, sed ad tẽpus coniugium inter homines esset; Posset sic diuortium permittere, quòd nec peccatum esset diuortiũ facere, inter virum, & uxorem, cum nihil sit aliud peccatum, nisi facere contra Dei uoluntatem, & in obediẽtiã cœlestium præceptorum. Sed manente Dei uoluntate, de inseparabilitate matrimonij, quam expressit in principio institutionis matrimonij, per os Adæ; Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erũt duo in carne vna; non potuit esse quin diuortium, semper esset malum, & peccatum, licet non punitum pœna temporali, per legem veterẽ. Propter quòd & Chrysost. dicit. Permisit vobis mala Moyses facere, ne faceretis peiora; & hoc vobis permittendo, non vobis iustitiam Dei demonstrauit, sed à peccato abstulit culpam peccati, id est, peccati pœnam: & quasi secundum legem agentibus, vobis peccatum non videatur esse peccatum. Et Ambros. lib. 8. super Luc. cap. 2. dicit, Simul Apostolus negauit legis esse diuinæ, vt coniugium qualecunque soluatur, nec ipse præcepit, nec dedit deserendi authoritatem, sed abstulit culpam destituto, Moyses permisit hoc, non Deus iussit.

Eph. 5.

Chrysost. hom. 17.

Ambro.

SVMMARIVM.

Ostenditur multis rationibus, quòd semper malum, & iniquum fuit diuortium.

VI ET quòd sit iniquum, & contra rationem deserere vxorem, nisi ob causam quam Dominus infra expressit, Ambros. in supradicto libro, & cap. assignans aliquas causas, quare est iniquũ, dicit. Quomodo cum paruulis fœta dimittitur? Durum si excludas parentẽ, pignora teneas, vt ad contumeliam charitatis addas, & pietatis iniuriam. Durius, si propter matrem filios simul pellas, cum magis redimere à patre liberi debeant culpam parentis, quàm propter culpam parentis proijci. Et stant ista; Quia si vxor dimittenda habet filios, vel simul dimittetur cum filijs, vel ipsa dimittetur retentis filijs; & si filij retineantur matre dimissa, tunc cunc, cum periculo castitatis mulieris, magna impietas sit mulieri, cum ei proprij filij auferantur. Si verò mater cum proprijs filijs expellatur, tunc homo multum se ostendit impium, qui propter odium matris, & filios proprios à se proijcit. Vnde, & in lege, sicut impium prohibetur, quod auis mater, cum filijs inuenta in nido simul capiatur, sed auis abire permittatur, & filij retineantur. Deut. 22. Vnde si mater auis, cum filijs simul interfici non debet propter pietatem; minus filij cum matre expellendi, vel dimittendi essent; quia tunc exponuntur periculo mortis, cum mater non sufficiat ad sustentationem filiorum, nec aliquis alter curet de dictis filijs, cum eorum pater non curet. Vnde & de Structione dicitur. Iob 39. Derelinquit in terra ova sua, tu forsitan in puluere calefacies ea? Obliuiscitur, quòd pes conculcet ea, aut bestia agri cõterat, Duratur ad filios suos quasi non sint sui, frustra laborauit nullo timore cõgente: Priuauit enim eam Deus sapiẽtia, nec dedit illi intelligentiam. Et secundam rationem ponens subdit; Quàm periculosum si fragilem adolescentulæ ætatem errori offeras, cui potest obripere libido peccandi? Itaq; qui author huius erroris est, etiam reus culpæ est. Quò titubanti vestigio grandeua detruditur? Quàm impium, si eius destituas senectutem, cuius defloraueras iuuentutem? Ergo inhonoratum stipendiis, & ueteranum imperator dimittat inglorium, atque imperij sui possessione detrudat, & rusticum laboris effectum agro suo propulset, agricola? Au quòd in subditos nefas est, in comparem fas est? Et est ratio ista, quia si vxor dimittatur, vel dimittetur adolescentula, vel iuuencula, aut senex, & grandeua: si iuuencula periculum est, quòd dimissa fornicetur, quia ex parte carnis vehementi tentatione frequenter impugnabitur. Vnde & Apostolus 1. ad Tim. 5. dicit. Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor; Adolescentiores autem viduas denita. Cum enim luxuriatæ fuerint, in Christo nubere volunt. Vbi dicit Glos. Quod quia sanguis ipsarũ feruet, vota castitatis earum non vsque adeo cures, vt eas Ecclesiæ alimoniis suscipias sustendandas. Prohibet adolescentulas viduas in hac suscipi professione. Lubricæ enim ætati facilè credi

Ambros.

Deut. 22.

Iob 39.

1. Tim. 5.

Glos.

non

non debet. Cum igitur vxor adolescenla inuita dimittitur à marito, periculum imminet ne fornicetur, quod si faciat, culpa in caput illius conuertitur, qui huius erroris & lapsus extitit causſa. Si vero vxor senex, & grandeua, dimittitur à marito, impietas est, quòd quis vtatur seruitio, vel famulatu mulieris dum pulchra, & iuuenis est, & poterat inuenire, qui eam teneret, & sustentaret, & quòd tunc dimittatur, quando inutilis est effecta, & de nullo labore preterito remunere tur, quando iam laborare non potest. Sicut Imperator, vel Rex esset impius si militem in iuuentute strenuum, apud se retineret, & honoraret, & quando esset senex, & laborare in armis plus non posset, tunc stipendia militiæ ei auferret, & ad agriculturam exercendam, pro suæ vitæ sustentatione eum redire compelleret. Vnde si hoc impium esset in Rege, respectu subiecti militis, magis vtique est impium in vxore, quæ est consors, & æqualis. Vnde & orat Propheta in Psal. dicens. Ne proiicias me in tempore senectutis, cum defecerit virtus mea, de derelinquas me. Psal. 79. Cassiodo. Quod exponens Cassiodorus dicit. Vehementius supplicat ne tempore senectutis proiiciatur à Domino, quãdo fessa virtus corporis plus indiget adiuuari. Vnde, quod in senectute, illa quæ fuit socia in iuuentute, expellatur, & deseratur, magnæ improbitatis, & impietatis est, cũ etiam senex extraneus recipi debeat, vt consoueatur, & requiescat. Quomodo dixit Dauid ad Berzellai galaaditem senem, & octogenarium. Veni mecum, vt requiescas mecum securus in Hierusalem 2. Reg. 19. 2. Reg. 19. Ambr. Tertiam vero rationem assignans dicit. Pateris ne (oro) liberos tuos viuẽte patre esse sub vitrico, aut incolumi matre, degere sub nouerca? Et est ratio, qui a vxor dimissa, aut recedit, vel expellitur cum filijs, aut filij retinentur per maritũ: si filij expellantur cum matre, cum illa dimissa, nubere possit alteri, tunc filij vxorem dimittentis, erunt sub vitrico viuente. Viuente illo, qui vxorem dimisit, & cum vitricus non curet de suis filiastris, immo vellet eos defeciſſe, & maximè, si eius bona consumerent, multum crudelis esset ad filios suos, qui eos sub vitrico vellet viuere, & esse; dicente Hieron. in Epistola ad Furiam. Si de secundo marito habeas filios, & de primo, domestica pugna, intestinum prælium. Non licebit tibi amare liberos, nec æquis aspicere oculis, quos genuisti. Clãm porriges cibos, inuidebit mortuo. Et nisi oderis filios, adhuc eorum amare videbis patrem. Et si Hiero.

A hoc ex parte mulieris contingit, quæ habens filios, alterum virum ducit, mortuo primo: Ita etiam contingit ex parte viri, qui habens filios de prima, secundam vxorem ducit; de qua si susceptt prolem, quantum mulier potest instat, & agit, vt vir odiat primos filios, vel non diligat, ad hoc quòd totum suum amorem, ad ipsam & eius filios conuertat. Si verò matrem dimittens, retineat filios, si ipse dimittẽs vxorem, ex qua ille filios habuit ducat aliam, tunc filij sui primæ vxoris, sub nouerca erunt. B nouerca autem non solet diligere filios mariti sui, qui fuerunt primę vxoris, immo vellet ipsos esse mortuos, ne filijs suis præferantur, vel ne acciperent aliquam partem hæreditatis paternæ, in detrimentum filiorum suorum. Ponere autem sub tali nouerca filios suos, adhuc matre eorum viuente, crudelitatis est magnæ. Vt declarat idem Hiero. in supradicta Epistola. ad Furiam dicens. Si de priore vxore habẽs soboẽl vir domũ introduxerit, etiam si clementissima fueris, omC ne genus comediæ, & mimographi, & communes rethorum loci, in nouercam sæuissimam declamabunt. Si priuignus lãguerit, & condoluerit caput, infamaberis vt venefica, si non dederis cibos, crudelis, si dederis, malefica diceris. Et aliquantulum supra dicit idem. Superducit mater filijs, non nutritium, sed hostem; non parentem, sed tyrannum. Et sicut hoc dicitur de muliere, eodem modo est intelligendum de viro. Quartam vero rationẽ assignãs dicit. Pone si repudiata nõ nubat, D & hęc viuo viro tibi debuit displicere, cui adultero fidem seruat? pone si nubat, necessitas illius tuum crimen est, & coniugium quòd putas, adulterium est. Quid enim refert, Vtrum aperta criminis confessione, an mariti specie, adulterum admittas, nisi quòd grauius est legem criminis feciſſe, quàm furtum. Et est ratio. Ista mulier dimissa à viro, aut nubit altero viro, aut non nubit; si stet in nupta, magna viri crudelitas est, si eam sibi non reconciliet, cum illa dimissa ab eo, E adhuc seruet ei fidem, qui tamen se habuit ad eam, vt ad inimicam, & hostem: Si verò nubat, adulterium committit, & causſa huius adulteris est vir, qui eam dimisit. Nec minus est adulterium, quia est in lege permissum, quàm si adulterium cõmitteret. Cum crimina tantò sint grauiora, quantò magis publicè, & quasi lege committuntur. Ex hoc etiam nascitur inter duos viros vnius vxoris maritos Zelotipia, vt supra dictum fuit, qua passione nulla maior est. Iuxta illud prou. 6. Qui Ibidem. Ibidem. Ambro. Pro. 6.

adulter

adulter est propter cordis inopiã, perdet animam suam, turpitudinem, & ignominiam congregat sibi, & opprobrium illius non delebitur. Quia zelus, & furor viri, non parcet in die vindictę, nec acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima. Vnde & Achitofel, vt populo Israeli ostenderetur manifestè, quòd Absalon factus erat inimicus Dauid patris sui implacabilis, & qui nullatenus eum ad pacem reciperet, dedit consilium ipsi Absalon, vt præsente populo toto, ingrederetur & concumberet cum concubinis ipsius Dauid, quas dimiserat domi, vt dicitur 2. Reg. 16. Vbi sic legitur. Dixit Achitofel ad Absalon, ingredere ad concubinas patris tui, quas dimisit ad custodiendam domum: vt cum audierit omnis Israel, quòd fędaueris patrem tuum, roborentur manus eorum tecum. Tetenderunt ergo Absalon tabernaculum in solario, ingressusq; est ad cõcubinas patris sui corã uniuerso Israeli, vt sic clarè ostenderetur, quòd eius inimicus sempiternus esse uolebat, & propter hoc nullus de populo timeret se ei coniungere contra patrem suum, timendo ne postea inter se, filius, & pater pacificarentur. Propter quod timent multi, quando inter duos magnos amicos bellum insurgit, iuuare unum eorum, contra alterum, timentes ne si reconciliarentur alter sibi fieret inimicus. Vnde propter prædictas rationes Ambrosij, & aliquas alias, quas inducit, S. Thomas de Aquino in 3. lib. contra Gentiles, patet quod iniustum, & iniquũ fuit uxorem dimittere.

2. Reg. 16.

D. Tho.

SVMMARIVM.

Quare propter duritiam Iudæorum, permisit Dominus diuortium, quia scilicet erant homines sanguinarij, & prompti ad homicidia illarum quas oderant.

VII

SEd tamen quia Iudaicus populus, erat sanguinarius, & nulli parcens, quando erat in furore, ideo permissum fuit ei, vt uxores, quando ipsas odirent, dimittere possent. Dicente hic Chrysost. in expositione. Filij Israel, quãdo Moyses eos eduxit de Aegypto, genere quidem erant Israelitę, moribus autem Aegyptij: propter quod more Gentilium contingebat, vt uir odiret uxorẽ. Et quia dimittere eam non permittebatur, paratus erat interficere eam, aut si non interficiebat, propter timorẽ legis, tamen assiduis cruciatibus, affligebat, & ideo iussit dari repudiũ, non quia bonum erat, sed quia remedium erat

Chrysost. hom. 12.

F mali peioris, ne dum malum vetantur facere, facerẽt peius. Et in homil. dicit idẽ. Facta sunt hæc propter aliam multo maiorem malitiam. Si enim coegisset, vt uxorem odio habitam detineret intus, occideret utiquè eam qui odit. Talis est enim Iudæorum gens. Qui enim pueris non parcebant & prophetas interficiebant, & ut aquam sanguinem effundebãt, multo magis mulieri non utique pepercissent; propterea quòd minus est concessit, quod maius est abscindens.

Ibidem.

G

SVMMARIVM.

Quòd lex posita in lege Moysi de diuortio, habebat, & permissionem & præceptum; permissionem quidem, quia permittebatur viris dimittere uxores: præceptum autem quia hoc facere legitime non poterant, nisi dato libello repudij.

VIII

ESt etiam intelligendum, quòd lex ista de dimittenda uxore, erat compacta ex permissione, & ex præcepto: Permissio enim erat, quòd uxor quæ non inueniret gratiam in conspectu viri sui, propter aliquam fœditatem, dimitteretur, sed præceptum erat, quòd si dimitteretur scriberetur libellus repudii, & daretur in manu eius, & sic dimitteretur. Permissio autem facta fuit, ne deterius contingeret. Peius est enim homicidium quo priuatur vita homo iam actu existens, quam adulterium, quo impeditur homo in potentia: vel prolis incertitudo. Et propter hoc vt maius malum euitaretur, minus malum est concessum, scilicet adulterium, ne cõtingeret homicidium. Sic enim Loth dixit Sodomitis, quòd adduceret ad ipsos duas filias virgines, vt abuterentur ipsis: dummodo dimitterent viris, qui ingressi ad eum fuerãt, facere illud malum, quod eis facere intendebant. Gen. 19. Et eodem modo dixit Leuites, & homo qui eum receperat hospitio viris Gabaa, qui dixerant hospiti, Educ virum, qui ingressus est domum tuam, vt abutamur eo. Egressus autem ad eos senex, ait: Nolite fratres, nolite facere malum hoc: habeo filiam virginem, & hic homo habet concubinã, adducam eas ad vos, vt humilietis eas, & uestram libidinem compleatis: tantum obsecro uos, ne scelus hoc operemini contra naturã in uirum. Iudic. 19. Sed quod vxor non dimitteretur, nisi dato ei libello repudii erat præceptũ, quo tardabatur, vel impediebatur diuortium, vt supra dictum est. Vnde Augustinus 1. lib. de ser. domini in monte, dicit. Qui præcepit dari libellum

J

K

Gen. 19.

Iudic. 19.

Augustinus

repudij

repudij, non hoc præcepit, vt vxor dimittatur: sed qui dimiserit, inquit, det illi libellum repudij, vt iracundiam temerariam proijcientis vxorem, libelli cogitatio temperaret. Qui ergo dimittendi moram quæsiuit, significauit quantum potuit duris hominibus, se nolle disidium. Quamuis enim durus esset qui vellet dimittere vxorem, cum cogitaret libello repudij dato, iam sine periculo eam posse alteri nubere, facilè placaretur.

SVMMARIVM.

Quòd licet permissum fuerit in lege, quod viri qui carnaliter suas vxores cognouerant, possent eas repudiare, dato libello repudii, nisi in aliquibus casibus: Tamen hoc non licebat vxoribus, quòd viros repudiarent II *dato libello: & si euenisset quòd vxor alicuius alteri nuberet non dato libello ei per virum: Vir repetere eam poterat, quàm repetere non posset, si libello dato, mulier alteri nupsisset.*

VIIII Dicit autem qui dimiserit vxorem suam:] & non dixit mulier, quæ dimiserit virum suum; licet enim mulier possit vel le dimittere virum, & alterum ducere, sicut & vir vxorem suam; Tamen secundum legem Moysi, nunquam licitum fuit mulieri, quòd dimitteret virum suum, dato ei libello repudij: quia in lege, vir quasi se habebat ad vxorem vt Dominus, quia sub viri potestate constituta mulier erat. Vnde multa licebat viro respectu mulieris, quæ non licebant mulieri respectu viri. Non enim si mulier esset Zelotipa, licebat ei adducere virum ad sacerdotem ad faciendum sacrificium Zelotipiæ. Et multa consimilia erant imposita mulieribus, inter quæ erat etiam istud, quòd non licebat eis virum dimittere, dato ei libello repudij, sicut hoc viro licebat. Vnde & Iosephus 15. lib. antiquitatum dicit. Repudiare vxorem, & ducere aliam: licet marito secundum legem, vxori autem non licet, nisi prius à viro dimittatur. Et propter hoc fortè contigit, quòd quia vxor Samson accepit maritum per se, non dato ei libello repudij, nec de voluntate eius, Samson accepit occasionem propter dictam offensam damnificare Philesteos, vt patet Iudi. 14. & 15. Vnde pater vxoris se excusando, dixit. Putabam quod odisses eam, & propter hoc tradidi illam amico tuo. Quę tamen excusatio non fuit accepta, quia non fuit dicta vxor legitimè dimissa. Propter quod ipsa, & pater eius combusti fuerunt. Et hanc consuetudinem adhuc Iudæi obseruant. Nunc autem, tempore legis nouæ, hoc neutri licet, vt statim infert Dominus. Vnde & quandoque pro pœna imponebatur viro quòd dimittere vxorem suam non posset. Sicut patet de illo, qui mendaciter imponebat, quòd vxor quam acceperat vt virginem, virgo non erat, cuius tamen contrarium postea probabatur; qui ex tunc non poterat dimittere eam omni tempore vitæ suæ. Et etiam de illo, qui inueniens puellam non desponsatam, concumbebat cum ipsa, debebat eam recipere in vxorem, & dotare, & ipsam extunc non poterat dimittere, omnibus diebus vitę suæ, vt patet Deut. 22. Vnde si vxor alicuius non dato libello ei, per virum eius, alteri nubebat, primus vir eam poterat repetere, & debebat ei restitui, si tamen eam carnaliter cognouisset: Sic enim Dauid repetijt Micol vxorem suam, quæ fuerat data per Saul patrem eius, Pholti filio Lays, 1. Reg. 25. quam tamen recuperauit, vt patet 2. Reg. 3. quia Dauid non dederat libellum repudij ipsi Micol: quia si dedisset, postquam alteri nupserat, non habuisset ius repetendi eam.

Ioseph. Iudic. 14. Idem 15. Deut. 22. 1. Reg. 25. 2. Reg. 3.

SVMMARIVM.

Quòd secundum legem si sponsa non carnalitèr à viro cognita, alteri viro nuberet, non dato libello repudii, non poterat repeti à viro primo, quia lex dicebat; Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, id est, carnalitèr cognouerit.

X Sed si aliqua sponsa fuisset solum alicuius, & nondùm eam carnalitèr cognouisset, si alteri nubebat, & ab eo carnaliter cognoscebatur, quamuis primus non dedisset sponsiæ suæ libellum repudij, non habebat ius repetendi eam, quia lex de diuortio dicit. Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius &c. Et propter hoc fortè Dauid non repetiit Merob filiam Saul, quam ei se daturum promiserat pater dicens. Ecce filia mea maior Merob, ipsam dabo tibi vxorem, & cum tempus adesset, quòd dari deberet Merob filia Saul Dauid, data est ei Hadrieli Molathitæ vxor. Et quòd esset sponsa Dauid, patet per illud, quod subdit Saul quando ei dedit Micol filiam suam secùdam. In duabus rebus gener meus eris hodie. Quã tamẽ Micol, extunc nõ repetiit Dauid, quia in lege non erat præceptũ de vxore dimit-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

tenda, quòd ei libellus daretur, sed solum de vxore iam habita, & cognita carnaliter à marito, tunc enim quando iam habita, & cognita erat, poterat perpendi aliqua fœditas eius, propter quam dimitti poterat, quæ non ita apparebat, dum sponsa manebat. Quia vt dicit Hieronymus in prima responsione contra Iouinianum, authoritate Theofrasti. Vitia vxorum solum percipiuntur dum habentur, quia antequam habeantur non probantur vxores, nec examinantur, nè antè displicent, quàm ducantur. Hiero.

Tractatus sequens protenditur vsque ibi. (Iterum audistis, quia dictum est antiquis, non periurabis &c.) *Habet infrascrpta 33. capitula.*

SVMMARIVM.

Quòd vxorem dimittens, excepta caussa fornicationis, est caussa sufficiens, si vxor dimissa, adulterat, eius adulterij, & ei tale adulterium imputatur. Si etiam mulier dimissa virum ducat, ille vir, quem ducit, adulterium committit cum ea, & sic tàm dimittens vxorem, quàm eam ducens adulteri sunt.

I *EGo autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit vxorem suam, excepta fornication s caussa, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit adulterat.*] Vbi dictam legem explanat, & determinat, & vt ex omni parte, præcludat viam dimittendi vxorem, excepta fornicationis caussa, dicit, Quòd ille qui eam dimittit, facit eam mœchari, si ipsa se coniungat cum aliquo carnaliter. Ille etiam, qui eam accipit in vxorem & habet in vxorem, adulterium cum ipsa perpetrat; & tàm dimittens, quàm accipiens sunt adulteri, vnus facto, alter caussam dando; & non solum reus tenetur, qui facit iniquitatem, sed etiam qui sufficientem caussam dat perpetrandi iniquitatem. Vnde, & timens adulterium committere, vel facto, vel caussa, restringit voluntatem dimittendi vxorem, & non dimittẽdã dicit, ne sit caussa adulterij perpetrandi: & volentem dimissam accipere ne fiat adulter, vt sic, & vir non dimittat vxorem, & mulier dimissa non inueniat, quem ducat virum; & sic quasi ligentur, vir, & vxor, ne se inuicem dimittant, quã diu alter eorum viuit, ne sint adulteri.

F

SVMMARIVM.

Quòd Dominus dicens, quòd qui dimittit vxorem suam, & qui taliter dimissam in vxorem ducit, mœchatur; non est contrarius legi de diuortio faciendo. Lex enim non dixit, quòd per donationem libelli repudij, vinculum matrimonij quod erat inter eos rumperetur; sed quòd solum de domo mariti emitteretur, Manente autem dicto vinculo, quod durat vsq; ad mortem alterius coniugum, semper adulterium committebatur, vel caussaliter, vel realiter; vnde & lex dicit pollutam esse mulierem coràm Domino, quæ dimissa à viro alteri nubebat. Et sic Dominus dicens, quòd & dimittens, & accipiens eam, adulter est, non contrariatur legi, sed exponit legem.

G

ET attende, quòd Dominus non dicit. Ego autem dico vobis, quòd non dimittatis vxores, vel quòd dimissas non ducatis; quia tunc videretur esse legi cõtrarius, dimittere enim, & non dimittere contradictoria sunt: propter quod Dominus non sic loquitur, sed solum dicit, quòd malum sequitur ex dimissione vxoris, respectu dimittentis eam, & quod malum sequitur ex parte ducentis vxorem ab altero dimissam, quia vterq; adulter est, vnus facto, alter caussa: Et in hoc legi non dissonat, immo conuenit; non enim dicit lex, quòd vxor dimittatur dato libello repudij, sic quòd de vxore fiat non vxor, sed solum dicit quòd dato libellõ, dimittatur de domo viri. Vnde dicit. Scribet libellum repudij, & dabit in manu eius, & dimittet eam de domo sua. Non propter hoc autem, quòd quis dimittit de domo sua vxorem, dicta vxor facta est non vxor eius, cum suprà dictum fuit, Mulier nupta subiecta est legi viri, quamdiu vir eius viuit, vt sit adultera, si viuente eius viro, sit cum altero; non enim vna domus viri, & mulieris facit matrimonium: sed mutuus consensus eorum in matrimonium. Et ideo domibus separatis, matrimonij vnio manet, propter quod adulterium committunt, si dum viuunt adhærent alijs, vt hîc Dominus dicit. Nec lex etiam cõtradicit, quia Dominus loquitur de diuisione matrimonij; & de vxore non dimittenda, quantum ad matrimonij sacramentum: Moyses autem quantum ad dimittendum vxorem de domo sua. Nec obstat illud quod sequitur in lege. Cumque egressa alterum maritum duxerit: Vbi

H

I

K

videtur

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

videtur clarè innuere, quòd mulier sic dimissa ab vno, potest alium maritum ducere; quia licet esset permissum in lege, quòd talis mulier alium maritum ducere posset, quia fortè, nisi posset ducere maritum vnum, multis se adulterina commistione supponeret, & tollerabilius est cũ vno adulterium, quàm cum multis. Non tamen propter hoc dicta mulier per legem excusabatur de adulterio, quando ipsum committeret cum secundo marito, qui licet secundum legem maritus diceretur propter legis permissum, in veritate tamen adulter erat. Vnde, & de tali muliere dimissa à primo marito, & deinde coniuncta secundo, in dicta lege subditur, Quod polluta est, & abhominabilis coram Domino. Quod dictum, non solum intelligitur, quòd dicta mulier sit facta polluta, & abhominabilis coràm viro suo priori, quia prior vir iurauit coram Domino, quando eam dimittere voluit, quòd polluta erat, & abhominabilis sibi, propter quod eam dimittebat, vt supra dicebatur: sed etiam habet veritatem, quòd accipiendo secundum maritum, postquàm dimissa fuerat à primo, est facta polluta, & abhominabilis coràm Domino, quia debuisset stare innuptá, quousque suo viro priori reconciliaretur. Et secundum hoc iuxta legis intellectum, Dominus dicit: [*Quòd omnis, qui dimiserit vxorem suam, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit adulterat.*] legem exponit, & non eidem contradicit.

Deut. 24.

SVMMARIVM.

Ponitur obiectio Fausti, contra hoc dictum Domini, & soluitur.

III

EX quo soluitur clarè Fausti obiectio, qui dixit, quòd Dominus hîc Moysi contradixit. Vnde dicit Augustinus 19. lib. contra Faustũ Dictũ est, qui voluerit vxorẽ dimittere, det ei libellũ repudij, Ego autẽ dico. Quicunq; uxorem suam dimiserit, excepta caussa fornicationis, ipsam mœchari faciet, & idem erit mœchus si postea alteram duxerit. Hoc autem præceptum Moysi manifestè per Christum est destructum, & pœnitus eradicatum præceptione contrariorum. Cui obiectioni respondens Augustinus eodem libro cap. 26. dicit. Illud de vxore non dimittenda, quod Dominus præcipit, cum antiquis dictum sit; Quicunque dimiserit vxorem suam, det illi libellum repudii: Si diligenter intueamur, videbimus non esse contrarium. Exposuit enim Dominus, quid lex voluerit, cum passim dimittenti vxorem, iusserit libellum repudii dare. Nec enim ait Qui voluerit, dimittat vxorem suam: cui esset contrarium non dimittere: sed vtique nolebat dimitti vxorem à viro, qui hanc interposuit moram, vt in disidium animus præceps, libelli conscriptione refractus absisteret.

Augustin.

Idem.

SVMMARIVM.

Quòd secundum hoc dictum Domini vxor dimissa à viro, etiam dato libello repudij, manet vxor eius quamdiu viuit, & ideo, qui eam in vxorem ducit, adulterium committit, quia cum aliena vxore fornicatur. Vir etiam, qui vxore dimissa, aliam ducit, mœchus est, quia illam quam dimisit, adhuc habet in vxorem, quòd non esset, si ex diuortio vinculum matrimonij solueretur.

IIII

ET iuxta hunc modum exponendi, hoc dictum Domini; Mulier dimissa à viro, dato ei libello repudii, adhuc vxor dicti viri remanebat, quia si solutum fuisset primum matrimonium, ille qui eam duceret, non mœcharetur cum ea, quia soluto matrimonio, soluta esset mulier à lege primi viri, & non posset dici adulter, qui eam postea duceret in vxorem. Vir etiam qui eam dimisisset, si ex tali dimissione, solutus esset à vinculo matrimonii, quod erat inter ipsum, & dictam mulierem, non deberet dici adulter, si dicta mulier soluto matrimonio, quod erat inter ipsum, & ipsam, alteri matrimonialiter, & carnaliter coniungeretur, quia vterque eorum solutus esset à vinculo matrimonii, quod fuerat inter eos, & mulier soluta à vinculo viri, & vir solutus à vinculo mulieris, scilicet vxoris, liberè nubere alijs possunt in Domino. Nunc autem cum iuxta dictum Domini, hîc, qui mulierem dimissam à viro, ducit, adulterium committat cum secunda, dicente Domino Mar. 10. Quicunque dimiserit vxorem suam & alienam duxerit adulterium committit super eam, & si vxor dimiserit virum suum, & alium duxerit mœchatur. Et Luc. 15. Omnis qui dimittit vxorem suam, & ducit alteram mœchatur. & qui dimissam à viro ducit, mœchatur: Manifestum est, quòd propter talem dimissionem nõ soluitur vinculũ matrimonij inter eos. Propter quod adhuc

Marc. 10.

Luc. 15.

© Bibliothèque du Saulchoir, Paris

Chryſoſt. hom. 17. coniuges manent. Vnde, & hic Chryſoſtomus in homel. dicit, Non mihi dicas, quoniam dimiſit ille, quia & dimiſſa manet dimittentis mulier. Et Auguſt. 1. lib. de ſer. Domini in monte dicit. Mœchum dicit eum eſſe, qui eam duxerit, quæ ſoluta eſt à viro. Cuius rei, Apoſtolus Pau. terminum oſtendit, quod tamdiu obſeruandum dicit, quamdiu vir eius viuit, illo autem mortuo, dat nubendi licentiam. Et Auguſt. 1. lib. de adulterinis coniugijs cap. 12. dicit. Qui dimiſſam duxerit, mechatur, non propter aliud, niſi quia illa quam duxit, eo viuente à quo dimiſſa eſt, adhuc vxor aliena eſt. Si enim iam ſuæ nõ alienæ miſcetur vxori, vtiq; non mechatur. Mœchatur autem, aliena eſt ergo, cui miſcetur; Porrò, ſi aliena eſt, hæc eſt eius à quo dimiſſa eſt, etiam ſi propter fornicationis cauſam dimiſſa eſt, nondum dimittentis vxor eſſe ceſſauit. Si autem illius eſſe ceſſauit; iam huius eſt qui alteri nupſit. Et ſi huius eſt, non mœchus iudicandus eſt, ſed maritus. Sed quia non eum maritum dicit Scriptura, ſed mechũ, adhuc illa illius eſt, etiam cauſſa fornicationis à quo abiecta eſt. Et ideo quantũcunq; etiam ipſe (illa dimiſſa) ducit vxorem, quia cum alieno marito concumbit, adultera eſt.

Idem.

SVMMARIVM.

Ponuntur obiectiones diuerſæ ad oſtendendum, quòd per libellum repudij in lege, ſoluebatur vinculum matrimonij, quod fuerat inter virum, & vxorem. Ita quod, ſi ex tunc, vel vir acciperet aliam vxorẽ, vel mulier alium virum, nullus eorum committeret propter hoc adulterium.

V SEd ſi hoc dicatur, videtur quòd Dominus permiſit in lege, vt licita, multa adulteria; cum iuxta legem Moyſi, liceret viro dato libello repudij vxori ſuæ, alteram vxorem ducere, liceret etiam vxori ſic dimiſſæ, alterum virum ducere, & vir etiam alter, licitè poterat mulierem dimiſſam ab alio ducere. Quibus omnibus modis, ſi vinculum coniugij manebat inter virum dimittentem, & mulierem dimiſſam, adulteria committebantur, permittente & indulgẽte lege diuina: quod inconueniens videtur, cum de lege diuina dicatur in Pſal. Lex Domini immaculata conuertens animas, teſtimonium Domi fidele, ſapientiam præſtans paruulis; Et iudicia Domini vera, iuſtificata in ſemetipſa. Quod exponens Caſsiodorus dicit, Lex illa quam per Moyſen dedit, irreprehenſibilis eſt, quia perfecta veritate conſiſtit: quæ per Dominum ſaluatorem non reprehenſa eſt, ſed potius probatur impleta; quæ lex conuertit animas. Illius enim diſtrictionis metus errantem corrigit, quod vtiq; non faceret, ſi peccata omnia non prohiberet, ſed aliqua indulgeret. Apoſtolus etiam ad Rom. 7. loquens de lege Moyſi dicit. Lex quidem ſancta, & mandatum ſanctũ, & iuſtum, & bonum. Quod exponens Gloſ. dicit. Lex eſt bona ad vitam, quia bona iubet, & mala prohibet, & facit peccatum agnoſcere; & propter hoc lex eſt ſancta, id eſt, ſane docẽs; & mãdatũ ſanctũ, id eſt illud quod per eam præcipitur eſt ſanctum in ſe; & iuſtum, id eſt, iuſtificans peccatorem; & bonum, id eſt vtile, vitam acquirens. Et ſuper illud eodem cap. Quid ergo dicemus? Lex peccatum eſt? Abſit, dicit Gloſſa. Ergo quid dicemus quòd lex peccatũ eſt, id eſt docens, vel faciens peccatum, vel talis pro qua donata peccauit, author eius, qua ſi dator malæ rei? Abſit. Lex enim non eſt peccatum, vel peccati cauſſa: ſed vindex peccati, quæ ad hoc data eſt, non vt peccatum inſereretur, ſed vt demõſtraretur. Cum ergo lex Moyſi non ſit peccati cauſſa, non videtur quòd permiſiſſet dimittere vxorem, manente vinculo coniugij, inter dimittentem & dimiſſam, cum ex tali legis permiſsione multa adulteria ſequerentur, vt ſupra dictum eſt. Nec etiam videtur cauſſa eſſe ſufficiens ad permittendum tot adulteria fieri, ne vxores odiosè interficerentur, ſi dimitti non poſſent, quia non propter hoc minus peccatum eſt permittendum fieri, ne maius peccatum fiat: ſed vtrumq; eſt prohibendum fieri, cum vtrumque vitari poſsit; licet ſi oporteat, maiorem vel minorem pœnam ſubire, minor eſſet tollerãda potius, quã maior. Videretur etiam, quòd hoc in Dei iniuriam redundaret, ſi permitteret aliquod peccatum fieri, & hoc indulgeret lege data. Dicente hîc Chryſoſto. in hom. Scalptro curare indignum eſt Deo, quem admodum, cauillum eſſe, indignum eſt phyloſopho.

Pſal. 18.

Caſſiodo.

Rom. 7.

Gloſ.

Rom. 7.

Gloſ.

Chryſoſt. hom. 17.

SVMMARIVM.

Propter ſupradictas difficultates, vt lex Moyſi excuſetur ab hoc, quòd non permiſit, nec conceſſit adulteria tam multa, quæ ſequerentur ex lege diuortij: Ponitur ſecunda opinio, quæ dicit quòd dicta lege manente, vel licentia, vel diuortio; non erat adulter ille qui dimittebat ſi alteram acciperet, nec ille, qui dimiſſam ab alio in vxorem acciperet, erat adulter: ſed

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

ex quo dicta permissio, vel licentia sit reuocata per Dominum in Euangelio, tàm dimittens vxorem, & aliam accipiens, quàm dimissam in vxorem ducens, adulteri sunt.

VI Mar.10. PRopter quæ fortè alicui uideretur, quòd in lege veteri, manēte dicta permissione, vel præcepto, (quia præceptum vocatur Mar.10. Ad duritiam cordis vestri, scripsit vobis Moyses præceptū istud) de vxore dimittēda, & licentia data, quòd vir dimittens vxorem, alterā ducere posset, & mulier dimissa, nubere posset alteri, quòd dicta permisio, præceptum, vel licentia soluerit uinculum matrimonii inter tales: sic quòd uir dimittens uxorem propriam & alteram ducens, non adulteraret; & quòd mulier dimissa à viro, alteri nubens, non esset adultera: & quòd illud, quod Dominus hîc dicit, haberet veritatem, & obligaret ex tunc, ex quo Dominus, qui legem dedit, & dictam licentiam in lege concessit, eam nunc reuocauit; ita quod ex tunc ex quo dicta licentia, de dimittenda uxorē est reuocata, & reducti fuimus per Christum ad modum matrimonii institutum in lege naturæ: quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, facit eam adulterare, & qui dimissa vna, aliā ducit, adulterat super eam, & qui dimissam ab vno duxerit, mœchatur. Matt.19. Mar.10. Vnde Dominus, & hîc, & infra 19. & Mar. 10. semper loquitur per uerba futuri temporis dicens, Qui dimiserit uxorē suam, & aliam duxerit, & qui dimissam duxerit, mœchatur. Benè enim potest esse, quòd ille, qui aliquando licentiam dedit de aliquo, quod prius non licebat, postea dictam licentiam reuocare possit, & tunc licentia reuocata, est illicitum, sicut & antequam licentia daretur fuit: Sed manente dicta licentia, est licitum, & per consequens pro tunc non est peccatū, maximè, quando Deus talem licētiam dat. Quemadmodum à principio, non fuit licitū habere multas vxores simul, quia dictū fuit, Gen.2. Adherebit uxori suæ, non uxoribus. Tamen postea licitū fuit in ueteri lege, quo usq; Dominus in nouo testamēto dictam licentiam reuocauit, & matrimonium reduxit ad primum statum. Manente tamē dicta licentia, non fuit peccatum plures habere uxores, nec erat adulter, qui post primam uxorem, non dimissa ipsa, aliam, vel alias accipiebat. Dicente August. 22. lib. cōtra Faustum cap.47. Iam verò quòd pro ingenti crimine Iacob quatuor obiiciūtur vxores, generali prælocutione purgatur. Quando enim mos erat, crimē non erat, & nunc propterea crimen est, quia August.

A mos non est. Alia enim peccata sunt contra naturam, alia cōtra mores, alia contra præcepta. Quæ cū ita sint, quid tandē criminis est, quòd de pluribus simul habitis vxoribus objicitur sancto viro Iacob? Si naturam consulas, non lasciuiendi, sed gignendi caussa illis mulieribus utebatur. Si morem, illo tempore, atq; in illis terris hoc factitabatur. Si præceptum, nulla lege prohibebatur. Nunc verò cur crimen est, si quis hoc faciat, nisi quia & moribus & legibus hoc non licet? Quæ duo
B quisquis contempserit, etiam si tantummodo caussa generandi uti possit pluribus fœminis, peccat tamen, & ipsam uiolat humanam societatem, cui necessaria est propagatio filiorum. Et eodem modo videretur quod manente dicta licentia de dimittenda dicta vxore, si ipsa dimissa, duceretur alia, adulterium non esset; cum ipsa non dimissa, & alia accepta, manente licentia de habēdis pluribus uxoribus, non esset adulterium cum secunda. Et pro hac opinione videtur facere illud, quod dicit
C hîc Chrysost. in homil. dicens: Qualiter adulterium æstimatur, quod prius concessum est? Et respondens subdit, Quoniam infirmitatis eorum, qui suscipiebat legē, erant quę tunc dicta sunt; adulteriu nunc igitur æstimatur hoc tale, quādo adaucta est virtus. Ne igitur expetas virtutē eorū, cū transit eorū vtilitas. Et infra. Et qualiter utiq; idem fiet, nūc quidem bonum, nunc autem non bonum? Et respondens subdit, quòd uniuersæ res acclamant, & artes, & fructus, quòd idem fiet bonum, & Chrysost. hom.17. Ibidem.
D non bonum. Vide nimirum in natura id primū quomodo contingit; Portari enim in humeris hominum in prima ætate bonum est, postea autem miserrimum: Et ferre vestimentū puerile, infanti quidem bonum, viro autem facto, turpe; Et infra. Homicidium quod ab omnibus cōcessum est esse malū, opportunè aliquādo factū, eum qui id operatus est, Phinees. s. maximè fecit sacerdotij honore decorari. Nō igitur res simpliciter inuestigemus, sed & tēpus, & caussam, & consiliū, & personarū differentiā, & quęcūq; alia eis contingunt; omnia cum diligentia quæramus, aliter enim
E non est adipisci ueritatem; & studeamus, vt aliquid amplius veteribus præoccupemus. Et si sic diceretur, lex Moysi defenderetur, quod licentiā peccandi vel adulterandi, non dedisset; cum tunc adulteriū non esset, stante dicta licentia, vel permissione legis. Ibdem.

SVMMARIVM.

Objcitur contra istam secundam opinionem, &

ex

ex hoc magis videtur prima opinio, quæ supra posita est & declarata, probabilior esse.

VII Luc.16. SEd dubiũ occurrit si hoc dicatur, quia Luc.16. dicit Dominus. Lex, & prophetæ vsque ad Ioannem: ex eo regnum Dei euãgelizatur, & omnis in illud vim facit; facilius est autẽ cœlũ, & terrã præterire, quàm de lege unum apicem cadere. Omnis qui dimittit uxorem suam, & ducit alteram mœchatur, & qui ducit dimissam à viro, mœchatur. Quod exponens Beda dicit. Ne putarent in eo quod dixit, Lex, & Beda. prophetæ usque ad Ioannẽ, legis, vel prophetarum ab eo destructionem prædicari: hoc excludit subdens. Facilius, &c. Quod autem de lege in perpetuum non uiolanda prædixerat, vno de illa sumpto testimonio, confirmat dicens. Omnis qui dimittit, &c. vt & ex hoc uno dicerent, & in cæteris eum non absoluenda, sed adimplenda decreta legis venisse, vbi non loquitur Dominus de futuro, sed de præsenti, cum dicit. Omnis qui dimittit uxorem suam, & aliam ducit, mœchatur. Quod uerbum videtur se posse extendere, ad omne tempus, sicut qui facit uoluntatem patris mei qui in cœlis est: Et cum facis eleemosynã: & multa alia mandata similiter, sunt posita in præsenti sermone Domini, quæ tamen omne tempus concernũt; sicut & multa sunt posita sub uerbis futuri temporis, quæ tamen ad omne tempus se extẽdunt, sicut illud, quod dicitur supra. [*Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam,*] quod non solum ad futurum, sed etiam ad præteritum, & ad præsens se extendit. Vnde & Dominus hîc non dicit. Qui dimissam duxerit, ex nunc adulterabit: sed dixit, [*Qui dimissam duxerit, adulterat.*] Propter quod fortè tutior uia esset, & magis secundum sanctos, & iuxta Domini dictum, quòd semper fuit adulterium, dimittere uxorem, dato libello repudij, & alteram ducere; & quòd dimissa ab uno nubat alteri, adulteriũ esse, licet non fuisset punitũ in lege ueteri, quia dicta permissio licet pœnã temporalem remiserit, tamen crimen adulterii non abstulit, vt satis supra declaratum fuit.

SVMMARIVM.

Soluitur prima obiectio, quæ supra facta fuit contra primam opinionem, & ostenditur quòd Deus non præcepit diuortium, sed Moyses permisit.

VIII ET ad id quod dicitur, quòd lex Dei nullum pecatum concedit, sed omnia peccata prohibet; dici posset, hoc uerum esse de lege, quam Deus promulgauit, in qua omne adulterium prohibuit, dicendo, Non mœchaberis; Sed non esse verum hoc de lege, quam non Deus, sed Moyses eius seruus, propter populi duritiam eis dedit, vel indulsit. Sic enim Moyses concessit usuras facere cum extraneis, quod tamen ex se est iniquum. Et eodem modo est de lege diuortij, quæ eis fuit concessa, propter duritiam cordis eorum per Moysen. Et hoc modo hanc obiectionem soluere videtur Ambro. 8. lib. super Luc. cap. 2. dicens. Moyses permisit vobis dare libellum repudij, & dimittere uxores, non Deus iussit; Ab initio autem lex Dei est? Quæ est lex Dei? Relinquet homo patrẽ, & matrẽ, & adhærebit uxori suæ, & erunt ambo in carne vna. Ergo qui dimittit vxorem suam, carnem suam scindit, & diuidit corpus. Ostendit autem hic locus, quę propter fragilitatẽ humanã scripta sunt, non à Deo fuisse scripta. Et Hiero. exponens illud infra 19. Moyses ad duritiam cordis vestri &c. dicit. Nunquid potest Deus sibi ipsi esse contrarius, vt aliud ante iusserit, & sententiam suam nouo frangat imperio? non ita sciendum est. Sed Moyses cum uideret, propter desiderium coniugum secundarum quæ, vel ditiores, vel iuniores, vel pulchiores essent, primas uxores interfici, aut malam vitam ducere, maluit indulgere dissidium, quã odia vel homicidia perseuerare. Simulq; considera, quòd non dixit, propter duritiam cordis vestri, permisit vobis Deus, sed Moyses. Vt iuxta Apostolum, consilium esset hominis, & non imperium Dei. Et secũdum hoc, dissidium quod erat in lege Moysi, non esset introductum per Deum: sed solum esset permissum per Moysen, qui constrictus infirmitate populi, permisit hoc, non quasi bonum, sed ne peius fieret.

Ambro. Matt.19. Hieron.

SVMMARIVM.

Assignantur causſæ quare Moyses propter malitiam populi, & ne peiora per eos fierent, potuit licitè concedere Iudęis diuortium facere.

IX LIcet autem lex vetus innuerit omne genus iniquitatis malum esse, non tamen prohibuit expresse, propter populi imperfectionem, qui uix illa quæ sunt manifesta, & magna mala poterat vitare; cui si prohiberẽtur expresse parua mala, nec ista, nec illa obseruaret; qui enim se non poterat continere ab alienis uxoribus, iuxta illud Hiere. 5. Equi amatores in fœminas, & emissarij facti sunt, vnusquisq; Hiere.5.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

ad vxorem proximi sui hinniebat. Et Ezechi. 22. Vnusquisq; in uxorem proximi sui operatus est abominationem, & socer nurum suam polluit nefariè, frater sororem suam, filiam patris sui oppressit in teminus vtiq; se possent cohibere, ab impudico aspectu uxoris alienæ. Si etiam fuisset eis prohibitum à principio, quòd alienam mulierē, incontinentibus oculis non viderēt, nec hoc feciſſent, nec se ab adulterio cohibuiſſent. Et eodem modo licet fuerit eis ostensum, quòd malum erat dimittere vxorem, & propter hoc difficultates multæ fuerunt appositæ ad hoc, vt supra dicebatur, tamē non fuit eis expressè prohibitum ne ad deteriora prolaberentur. Qui autem offendit alicui infirmo malum esse aliquid, licet non prohibeat illud sibi expresè timens eius infirmitatem, quæ semper nititur ad prohibita, non est eius iniquitatis particeps, sed eius infirmitatis compatiens, & expectans, quòd paulatim abiecta infirmitate, veniet ad perfectum virtutis statū, in quo dum erit, mala, quæ prius non prohibuit incipit prohibere, quia uidet quòd, & parua mala vitabit de cætero, & maiora; Quemadmodum infirmitati puerili natura condescendēs, lac præparauit quo nutriatur infantis, qui non poterat ali solido cibo, propter naturæ debilitatem, qua abiecta, & confortata natura; lac, & vbera abhominabilia fieri procurantur puero, & mala dicuntur, & deinde amara apponuntur ad vbera, vt pueri fortes detestētur, & abominentur sugere ipsa. Sic, & existentibus rudibus hominibus in principio, quando lex data fuit, & duris corde, non omnia mala prohibita fuerunt, sed aliqua quæ erant manifesta; & parua mala fuerunt ostensa eis esse mala, non tamen fuerunt eis prohibita, quia non poterant sustinere, quousq; veniens Christus, qui naturam nostram, data gratia sua confortauit, parua mala etiā prohibuit, ostendens malitiā in illarum rerum malarum, quæ parua videbantur. Vnde & Chrysost. hic in homil. Nisi illa mandata veteris legis præcucurriſſent, non utique ista suscepta essent, quæ nunc sunt, si enim alia non bene nos nutriſſent & ad susceptionem maiorum aptos feciſſent, non vtique modo apparerent inutilia. Quemadmodum enim nutrix cum suum omne expleuerit opus, & ad perfectiorē mensam puerum dimiserit, inutile iam apparet lac: Et genitores, qui prius necessarium puero id existimabant, postea multis conuitijs detrahunt, & amaris circumcingunt vbera, farinatis, vt cum non poterūt verbo intemperatam de ipso destruere pueri indispositionem, saltem res extinguant desiderium. Sic & Christus fecit in principio, dans prima præcepta, & deinde ista altiora. Quemadmodum puero, lacte nutriri, & ubera suggere in principio est utile, & salutare, postea tamen est pessimum, & nociuum, sic in principio fuit bonum dare dicta præcepta grossa, & permittere aliqua mala, vt homines multū uitiosi paulatim traherentur ad virtutem; quæ tamen permissiones de malo non debēt durare, veniēte homine ad virtutis statum, quia iam non sunt bonę, nec etiam bonum est sic eis condescendere, sed sunt malæ, & nociuæ, Et ideo si Moyses cōdescensiuè se habuit, ad Iudæos corde duros, & in vitijs nutritos, nō fecit malè immo utiliter, & benè, Sicut & Apostolus Corinthijs, tamquam paruulis in Christo lac potum dedit non escam, quia nec dum poterant cum carnales essent. Cum, & quandoq; non bonum præceptum sit faciendum, ne fieret magnum malū, sicut Iudæis fuit præceptum vt immolarent Domino animalia bruta: non quòd hoc esset bonum, sed ne prædicta immolarent dæmonijs, quibus erant assueti in Aegypto sacrificare. Vnde & præcepta de immolatione animalium Deo facienda, dicta sunt præcepta non bona. Ezech. 20. Vbi dicitur, Quòd quia post Idola patrum suorum erāt oculi eorum, ideo, & ego dedi eis præcepta non bona, & iudicia in quibus non viuent, & pollui eos in muneribus suis. Quod exponens Hieron. 6. lib. super Ezech. dicit. Ante offensam, decalogum tñ acceperūt; post idolatrias verò & blasphemias multiplices; legis cerimonias, vt Deo potius offerrent victimas, quas dæmonibus offerebāt, & ex cōparatione sacrilegij leuius fieret quod non erat per se bonum, & nequaquam malum, quia Deo offerebantur, & tamen non bonum, quia boni auctorem offendebant. Et malum etiam factum fuit ne magnum bonum distardaretur, sicut tempore Ezechiæ magna pars populi de Effraim, & Manasse, & Isachar, & Zabulon, quæ sanctificata non fuerat, comedit phase, non iuxta quod scriptum est, vt totus populus faceret festum Paschæ sollemne, quod factum non fuerat in diebus Salomonis tam sollemne: de quo tamē Dominus placatus fuit ad orationē Ezechiæ, vt patet 2. Paralip. 30. Malum etiam factum fuit, & contra Domini præceptum, per Iosue, qui pepercit Gabaonitis; à quibus deceptus iurauerat quòd nō noceret eis; quibus pepercit contra Domini præceptum, ne incurreret periurium, vt patet Iosue 9.

Ezech. 22.

Chrysost.

Cor. 3.

Ezech. 20.

Hieron.

2. Para. 30.

Iosue 9.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Si ergo quãdoq; præcipitur non bonum vt non fiat malum, peius, quandoq; etiam malum fieri permittitur, ne magnum bonum distãrdetur, vel impediatur: Quandoq; etiam fit malum, & contra Dei præceptum, ne maius malum, & maius Dei præceptum violetur. Et si isto modo malum dissidij fuit per Moysen permissum in lege, ne peius malũ fieret, scilicet vxoricidium, non fuit multum mirum, cum hoc fieri non præciperetur sed toleraretur. Et secũdum hoc fortè videretur quòd rationabiliter teneri posset, quòd repudium vxorum ex legis dispensatione, solueret matrimoniũ primum, sic, quòd non esset adulter, stante dicta dispensatione, ille, qui dimisisset propriam vxorem, dato libello repudij, aliam accipiendo, quousque dicta licentia per Dominum fuisset reuocata, secundum quòd supradicta secunda opinio dicit, quæ videtur esse Chrysost. In homil. secundum quòd patet per verba eius supra inducta. Vel quòd diceretur secundum opinionem primã, quòd semper matrimonium remansit inter dimittentem vxorem, dato dicto libello, & vxorem dimissam; Quòd si viuente altero coniugum, alter nuberet alteri, adulterium committebat, licet non vt adulterium puniretur, permittẽte hoc lege, non tãquam bonum, sed ne peius contingeret: Et eligat quilibet quod ei videbitur, vel inueniat alium modum soluendi difficultatem præsentem, cum circa hoc variè sancti loqui videãtur, vt satis deductum est supra.

Chrysost. hom. 17.

SVMMARIVM.

Quòd tam in veteri, quàm in nouo testamento prohibitum est, ne fidelis nubat infideli; & si hoc fecerit, tale eorum matrimonium separari debet: licet si infidelis nubat infideli, dum manent in sua infidelitate, matrimonium sit inter eos, & separari ab inuicem non debent licet non sit ratum matrimonium eorum, quia altero eorum veniente ad fidem, si alter non velit commorari sine iniuria creatoris cum fideli, separari debent.

X

NEc obstat si dicatur, quòd non solum diuortiũ inuenitur in scriptura esse concessum, vt maius malum euitaretur, immo vt simpliciter bonum: Vnde & Esdræ 10. dicitur. Nos præuaricati sumus in Dominum nostrum, & duximus vxores alienigenas de populis terræ: & nunc si est pœnitentia in Israel super hoc, percutiamus fœdus cum Domino Deo nostro, proijciamus vniuersas vxores, & eos, qui de eis nati sunt, iuxta voluntatem Domini. Et Neemiæ 13. dicitur. Vidi Iudæos ducẽtes vxores Azotidas, Ammonitidas, & Moabitidas, & obiurgaui eos, & maledixi: Et cecidi ex eis viros, & decaluaui eos. Et infra. Mundaui eos ab omnibus alienigenis vxoribus. Apostolus etiam 1. ad Corint. 7. dicit de coniuge infideli coniuncto fideli, Qui infidelis non consentit sine creatoris iniuria manere cum fideli, si infidelis discedit, discedat: Non est enim seruituti subiectus frater, aut soror in eiusmodi. Quod exponens Glossa, dicit: Si infidelis vir, vel mulier discedat odio fidei, discedat, ne pro ipso, fidem fidelis deserat: & eodem modo mulier infidelis rectissimè dimittitur, quia non debetur reuerẽtia cõiugi, qui horret auctorem coniugij: Non est autem ratum matrimonium, quod sine Dei deuotione est: Et ideo non est peccatum ei, qui dimittit alium propter Dominum, Si alij se copulauerit. Contumelia enim creatoris, soluit ius matrimonij circa fidelem, ne accusetur alij copulatus: Ex quibus videtur quòd non solum esset permissum diuortium, immo etiam esset præceptum. Et ad hoc est dicendũ, quòd licet coniugium sit inter infideles sibi mutuo copulatos, nec se separari possint sine peccato, tamẽ quòd fidelis ducat infidelem, vel nubat fidelis cum infideli, est contra Domini præceptum. Et si vocetur matrimonium, tamen non est ratum, vel firmum, quin separari debeat, vel possit, Dicente Apostolo, Nolite iugum ducere cum infidelibus 2. ad Cor. 6. Et vt dicit Ambro. lib. 8. super Luc. cap. 2. Quidam putant omne coniugium esse à Deo, quod si uerum esset, omne coniugium non liceret solui: Et quomodo ergo dicit Apostolus: Quod si infidelis discedit, discedat? In quo mirabiliter, & noluit apud christianos caussam residere diuortij, & ostendit non à Deo esse omne coniugium. Neque enim christiani gentilibus Dei copulatur iudicio, cum hæc lex prohibeat. Et infra. Non habent armoniam suam nuptiæ, quia christiano viro, gentilis mulier non legitimè copulatur. Et propter hoc in lege fuit prohibitum, quòd Iudæi fideles non se copularẽt matrimonialiter cum infidelibus mulieribus Deuter. 7. Non sociabis cum eis coniugia, filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo: quia seducet filium tuum ne sequatur me, & vt magis seruiet Dijs alienis. Et propter hoc quia contra Dei præceptum mulieres alienigenas Iudæi reuersi de captiuitate Babiloniæ duxerant, de mandato Esdræ, & Neemiæ, separauerunt se ab eis,

Esdræ 10.

Neem. 13.

Ibidem.

1. Cor. 7.

2. Cor. 6. Ambro.

1. Cor. 7.

Ambro.

Deut. 7.

vt

vt patet per illa, quę ſuperius inducta ſũt, & per illud, quod dicit Hieron. in prima
Hieron. reſponſione contra Iouinianum. Pleræq; fideles contemnẽtes Apoſtoli iuſsionem, iunguntur Gentilibus, & templa Chriſti idolis proſtituũt. Nec intelligunt ſe eius corporis partem eſſe, cuius & coſtæ ſunt: Ignoſcit Apoſtolus infideliũ coniunctioni, quæ habentes maritos, poſtea in Chriſtum crediderunt: non iis quæ cum chriſtianæ eſſent, nupſerũt Gẽtilibus, ad quas alibi loquitur, Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iuſtitię cũ iniquitate? Aut quæ ſocietas lucis ad
2. Cor. 6. tenebras? Quæ autem conuentio Chriſti ad Belial? Aut quæ pars fideli cũ infideli? Qui autem conſenſus tẽplo Dei cum idolis? Vos enim eſtis templum Dei viui. Licèt enim in me ſeuituras ſciam plurimas matronarum, licet impudentia eadẽ, qua Dominum cõtempſerunt, in pulicem ſciam nimium debacaturas: tamen dico quod ſentio, loquar quod me Apoſtolus docuit, non illas iuſtitiæ eſſe, ſed iniquitatis: non lucis, ſed tenebrarum, nõ Chriſti, ſed Belial, non tẽpla Dei viuentis, ſed pha
Hieron. na, & idola mortuorum. Et infra: Apoſtolus, qui ſecundas nuptias, tertiasq; concedit in Domino, primas cum Ethnico prohibet. Vnde Abraam adiurat ſeruũ ſuum in fęmore ſuo, ideſt in Chriſto, qui de eius erat ſemine naſciturus, vt filio ſuo Iſaac alienigenam non adducat uxorem. Et Eſdras offenſam Dei huiuſcemodi vxorum repudiatione compeſcuit. Et Malachias Propheta. Præuaricatus eſt (inquit) Iudas, & abominatio facta eſt in Iſrael, & Ieruſalem, quia contaminauit Iudas ſanctificationem Domini, quia dilexit, & habuit filiam Dei alieni. Diſperdat Dominus virum, qui fecit hoc, magiſtrum & diſcipulum de tabernaculis Iacob, & offerẽtes munus Domino exercituum. Quod expo
Idem. nens ibi Hiero. in originali dicit. Reuerſi Iudæi de captiuitate Babiloniæ, tàm Principes, & Sacerdotes, & Leuitæ, quàm reliquus populus abiecęrunt vxores ſuas Iſraelitici generis, quæ paupertatem, & iniuriã longioris viæ, fragilitate ſexus non ferentes, confectæ erant, & infirmitatẽ, ac deformitatem contraxerãt corporum, & cum alienigenis, vel ætate florentibus, vel cultu corporũ pulchrioribus, ac diuitum filiabus matrimonia copularunt. Corripit itaq; eos Eſdra Propheta, & ad repudium nouarum coniugum prouocat, vt vxores, quas dimiſerãt, recipiant. Quod vt faciãt, Prophetę ad eos, ſermo dirigitur, vt à peccato maledictionis retrahantur, & diſperdat Dominus virum, qui fecerit hoc. Quã

A pulchrè non abſcidit errori veniã, nec dixit, Maledicat Dominus ei, qui fecit hoc: ſed qui fecerit, in futurum, tendens maledictionem, vt peccatores ad pęnitentiam prouocet. Doctorem (inquit) atq; diſcipulũ de tabernaculis Iacob. Quia ſiue ille ſacerdos ſit, ſiue laicus, qui tale quid fecerit, vna maledictione ferientur, & non erit in eis pœnæ diuerſitas, in quibus peccata ſunt paria: & offerentem munus Domino exercituum, ſubauditur, diſperdat Dominus, & eũ, qui pro huiuſmodi hominibus
B voluerit ad altare, munus offerre, quorũ ſolum remedium eſt, non facere, quæ fecerunt. Vnde & 28. quæſt. 1. cap. Iudæi, qui chriſtianas, dicitur, Iudæi, qui chriſtianas mulieres in coniugio habent, admoneãtur ab Epiſcopo Ciuitatis illius, vt ſi cum eis manere cupiunt, chriſtiani efficiantur, & ſi admoniti non redierint, ſeparẽtur; quia non poteſt infidelis in eius permanere cõiunctione, quæ iam in chriſtianã tranſlata eſt fidem. Et cap. Caue chriſtianæ, dicitur. Caue chriſtianæ Gentili, aut Iudęo filiam
C tuã tradere. Caue, inquit, ne Gentilẽ, aut Iudæã, atq; alienigenã, hoc eſt hæreticã, atq; omnẽ alienã à fide tua, accerſias tibi.
Auguſt. Et Aug. lib. 1. de adulterinis coniugijs recitãs dictum Polentij qui dixit, Domini præceptũ eſt tam in veteri, quã in nouo teſtamẽto, vt non niſi vnius religionis, & fidei coniugia maneãt copulata. Quod verbũ Polentij exponens Aug. cap. 21. dicit.
Idem. Illud enim de coniugiis dr, quæ ſibi primitus copulãtur ne nubat fęmina nõ ſuæ religionis viro, vel ne vir talem ducat vxorem. Id enim, vt dicis, iubet Dñs, docet Apoſtolus, vtrunq; præcipit teſtamẽtum. Sed non eſt ſic de infidelibus cõiunctis matrimonialiter, dum ambo erant infideles, quorũ alter conuertitur ad fidẽ, remanẽte alio in infidelitate: quia tunc eſt conſiliũ Apoſtoli, & fidelis non dimittat infidelẽ, ſi vult manere cum eo ſine iniuria creatoris. Alioquin licitè dimittere poteſt ſi vult
D fidelis infidelẽ, ſed nullo modo cõiugium eſt dicendũ indiſſolubile, immo ẽt nec cõiugiũ propriè, ſi vir fidelis ducat infidelẽ mulierẽ ſciẽter, vel fidelis mulier nubat viro infideli. Vnde & Hugo in lib. Sentẽtiarũ cap. 58. dicit. Chriſtianus cũ Iudæo vel Gentili nõ poteſt facere coniugiũ; nã ẽt in veteri teſtamento prohibitũ eſt, fideles viros ducere infideles vxores, dicente Dño. Ne vxores de filiabus eorum ducerẽt filij tui, ne fornicari faciãt filios tuos in Deos ſuos. Iuxta quod Dñi præceptũ Iudæorũ coniugia cũ Gẽtilibus inhibita, Eſdras ſeparauit. Sicut autẽ hoc conſtituit Dñs in veteri teſtamẽto, ita obſeruatur in nouo.
Hugo.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

SVMMARIVM.

Quòd si in scriptura sancta dicatur, quòd aliqui fideles acceperunt vxores infideles: vel mulieres fideles viros infideles; hoc factum fuit, vel quia Gentiles mulieres iudaizabant, vel ex secreta Dei dispensatione, vel propter necessitatem, deficientibus mulieribus, quibus coniungi matrimonialiter possent; vel transgrediendo legem Dei: In quo casu vltimo, talia matrimonia dissolui poterant, & debebãt, quia contra Dei voluntatem erant facta.

XI

ET si in veteri testamento inueniatur quòd fideles ducerent infideles uxores, vel hoc factum fuit transeuntibus mulieribus ad ritum, & sectam Iudæorum

Deut.21. iuxta modum, qui ponitur Deuter. 21. Si videris in numero captiuorum mulierem pulchram, & adamaueris eam, volueriſq; habere uxorẽ, introduces eam in domum tuam: quæ radet cęsariem, & circumcidet vngues, & deponet vestẽ, in qua capta est; sudensq; in domo tua flebit patrẽ, & matrem uno mense: & postea intrabis ad eã, dormiesq; cum illa, & erit vxor tua. Et sic quasi mulier iudaizabat. Vnde & adhuc Iudæi, quando Iudæos baptizatos volunt ad iudaismũ reducere, illo modo eos iterum iudaizant, quo facto, mulier non reputabatur Gentilis, sed Iudæa, cũ qua licitè poterat matrimonium fieri: quomodo Iudęi dicũt Dauid feciſſe quãdo cępit vxorẽ Macham filiã Ptolomei Regis Gessur

2.Reg.3. 2. Reg. 3. Vel hoc fecerunt Dei inspiratione: quemadmodum Sanson accepit mulierẽ de Philistijm. Vnde & Iudic. 14,

Iudic.14. dicitur. Postquam dixerat Sanson patri suo, Hãc mihi accipe, quia placuit oculis meis: parentes eius nesciebant, quòd res ista ad Deo fieret, vt quæreret occasionem contra Philistijm. Quomodo etiã factum videtur esse de Hester Iudæa, quæ nupsit Assuero infideli. Vnde & ipsa tale matrimonium detestabatur dicens. Nunquam lęta fuit ancilla tua, ex quo huc translata

Esther 14. sum: Et cap. 4. dicitur. Quis nouit vtrum

Idem 4. iccirco ad regnum veneris, vt in tali tempore parareris. Vel hoc fecerunt propter necessitatem, deficientibus mulieribus fidelibus, quas possent accipere in uxores, sicut fecerũt Iudas Patriarcha, & Ioseph, & fortè alij Patriarchæ, quia iam in domo vnde exierat Abraam, defecerat fides: cũ, & Rachel furata fuerit Idola patris sui Laban. Propter quod non traduxerunt vxores de illo genere, sed acceperunt vxores de terra in qua habitabãt, vel de Aegypto. Quamdiu autem mansit fides in prima domo Abraæ, de illa domo vxores acceperunt. Vnde & Abraam adiurat seruũ suũ, & non accipiat vxorem filio eius de filiabus Chananęorum, inter quos habitabat: sed ad terram, & cognationem eius proficisceretur, vt ibidem acciperet vxorẽ filio eius Isaac: qđ & seruus fecit, Gen. 24. Et

Gen.24. Rebecca dixit Iacob. Tędet me vitæ meæ propter filias Eth, si acceperit Iacob vxorẽ de stirpe huius tetrę, nolo viuere. Gen.

Idem 27. 27. Vel hoc fecerunt legem Domini transgrediendo, quemadmodũ & alia pręcepta Domini transgressi sunt: quemadmodum fecit Salomon, de quo dicitur 3. Reg. 11.

3.Reg.11. Rex Salomon adamauit mulieres alienigenas multas: filiam quoq; Pharaonis, & Moabitidas, & Ammonitidas, Idumeas, & Sidonias, & Cętheas, de gẽtibus, super quibus dixit Dominus filiis Israel. Nõ ingrediemini ad eas, neq; de illis ingredientur ad vestras. Certissimè enim auertent corda vestra, vt sequamini Deos earũ. Et cum iam esset senex, deprauatum est per mulieres cor eius, vt sequeretur Deos alienos. Et Neemiæ vlt. dicitur. Nonne in hu-

Neem.vlt. iuscemodi re peccauit Salomõ Rex Israel? Et certè in gentibus multis non erat Rex similis ei, & dilectus Deo suo erat, & posuit eum Deus Regem super omnẽ Israel, & ipsum ad peccatum duxerunt mulieres alienigenæ. Sic ergo non fuit licitum Iudæis fidelibus, accipere infideles mulieres in uxores, & propterea talia matrimonia fuerunt separata, nisi in casibus supradictis. Et sicut tunc non licuit, ita etiã nunc non licet viro christiano, vel mulieri christianæ se coniungere matrimonialiter cũ aliquo, vel aliqua infideli: nisi hoc fortè dispensatiuè fieret per Ecclesiã Romanã, propter magnum bonũ, quod ex inde speraretur euenire: nisi fortè infidelis ante matrimonium, promitteret, ante consummationem matrimonij ad nostram fidem se conuersurũ. Et si talia matrimonia in contrariũ fierẽt, dissolui possent & etiã deberent, cum matrimonia non sint censenda, quæ cõtra Dei prohibitionẽ fiunt.

SVMMARIVM.

Quòd si inter duos infideles, dum manent in infidelitate sua, matrimoniũ contrahatur, est inter eos verum coniugium, & se mutuò carnaliter cognoscendo, non fornicantur, nec debent abinuicẽ, dum in tali statu sunt, separari, quia verum coniugium est inter eos, licet non sit ratum, vel sanctum.

XII

SEd si ambo sunt infideles, quãdo se matrimonialiter copulant, dum manẽt in sua infidelitate, eorum matrimoniũ verũ est, licet non sit ratũ, vel sanctũ: quia effectũ spiritualẽ sacramẽti matrimonii nõ accipiunt, cũ sint infideles, & unus eorũ non

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

potest alterũ dimittere, & si se carnalitèr coniunguntur, dũmodo præcesserit matrimonium inter eos, non fornicãtur; dicente Augustᵒ. 1. lib. de adulterinis coniugijs cap. 18. Quando cępit Gentibus Euangelium prædicari, iam coniunctos Gentiles Gẽtilibus comperit coniuges. Et cap. 21. dicit. Ecce coniuges duo, vnius infidelitatis, ita fuerunt quando coniuncti sunt. Iam sunt cõiuges, & adhuc ambo sunt infideles, adhuc tales sunt quales fuerũt antequam iungerentur, qualesq; coniuncti sunt. Vbi planè Augu. Tales infideles coniuges vocat, & coniugium inter eos esse dicit: & alibi etiam dicit idem. Si Dominus determinans de coniugiis solam caussam fornicationis amittit, & coniugẽ paganum dimitti prohibet; consequens est, vt paganismus non subiaceat fornicationi. Et Vgo 2. lib. de sacramentis parte 11. cap. 13. dicit. Ego dico, quòd quando infidelis propter propagationem filiorum ducit vxorem, fidem thoro coniugali seruat, sociam diligit, & custodit, & illa viuente, ad aliam societatem non transit, quamuis in alio infidelis sit, quia scilicet non credit. In hoc tamen neq; contra fidem, neq; contra diuinam institutionem facit; & ideo dicimus coniugij sacramentum, secundum aliquid, apud illos rectè verum esse, licet ratum, siue sanctum non esse dicatur; quia solum sacramentum habentes, vel non rectè credendo, vel prauè viuendo, virtutem eius, & effectum spiritualem accipere non merentur? Dicente Augustᵒ. Sacramentum coniugii omnibus Gentibus commune est; sanctitas autem sacramenti non est, nisi in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius. Sic ergo si infideles se matrimonialitèr coniungãt, quia sacramentum coniugii est inter eos, licet non sanctitas sacramenti, non fornicãtur cum carnalitèr mutuò se cognoscũt: Nec vnus aliũ, quamdiu viuunt, dimittere debet, & si faciat, facit fornicari dimissam, & qui dimissam duxerit, adulterat, iuxta Domini sententiam, nulla lege vel consuetudine, vel potius corruptela eos super hoc excusante. Dicente Ambro. 8. lib. super Luc. cap. 2. Dimittis vxorem quasi iure sine crimine, & putas id tibi licere, quia lex humana non prohibet, sed diuina prohibet? Qui hominibus obsequeris, Deum verere. Audi legẽ Domini, cui obsequuntur etiam qui leges ferunt: Quæ Deus coniunxit, homo non separet. Et hoc teneri debent quamdiu ambo coniuges, in infidelitate existentes, matrimonium inter se contraxerunt, & post matrimonium in sua infidelitate manent.

Augustᵒ. Idem. Hugo. Augustᵒ. Ambro. Matt. 19.

A B C D E

SVMMARIVM.

Quòd si alter dictorum coniugum ad fidem Christi conuertatur, altero manente in sua infidelitate, conuersus ad fidem, si infidelis sine iniuria creatoris non vult secum manere, debet se ab eo separare, quia infidelis perdidit ius suum, quod habebat in eo: sed si infidelis vult commorari cum fideli sine iniuria creatoris, fidelis potest, si vult, eum dimittere, maximè cum videt, quòd in sua infidelitate vult manere: potest etiam cum eo manere, si sperat quòd eum ad fidem possit inducere.

XIII

QVòd si alter coniugum infidelium ad fidem conuertatur alio remanente in sua infidelitate, licitè, & sine peccato fidelis coniux, infidelem coniugem dimittere potest, & accipere fidelem cõiugem: cum hoc non inueniatur prohibitum esse à Domino, dicente Aug. lib. 1. de adulterinis coniugijs cap. 17. Si dimittere infidelem coniugem non liceret, hoc fieri Dominus prohiberet. Nam si propter fornicationem carnis permittitur homo à coniuge separari: quantò magis in coniuge, mentis fornicatio detestanda est, id est infidelitas? de qua scriptum est. Ecce qui longè se faciunt à te peribunt: perdidisti omnes, qui fornicantur abs te. Et Hugo 2. lib. de Sacramentis parte 1. cap. 13. dicit. Non cogitur fidelis, quasi aliquo debito obligatus, ad sequi infidelem discedentem, aut sustinere creatorem contemnentem: non est subditus seruituti, liber est, vt faciat quod vult, tantùm in Domino ducat vxorem: Si vir ille est, si fœmina, nubat, quam vult societatem eligat, non iam tenetur debito prioris societatis, cuius ius solutum est propter iniuriam creatoris. Siue enim discedat, siue manere eligat infidelis, nihil debet illi, qui fidelis factus est. Vnde si ipse fidelis magis societatem fidelem eligens, infidelem cohabitare quidem volentem, sed fidem recipere renuentem, Christiana deuotione detestatur, excusatus est si etiam alteri nubat, vel aliam ducat. Vnde fidelis in nullo tenetur ex debito iustitiæ infideli, siue velit cum eo habitare, etiam sine iniuria creatoris, siue non. Cuius caussam assignas Hugo 2. lib. de Sacramentis parte 11. cap. 13. dicit. Debet vir vxori, & vxor viro, vt alter ab altero non discedat; & si fortè discesserit alter, coniugum, tamen ius, & debitum inuiolatum custodiat. Sed est caussa Dei maior, aduersus quam nulla stare debet caussa cum leditur, contra eam nulli aliquid debetur, in omni caussa ius

Pſal. 72. Augustᵒ. Hugo. Idem.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

suum perdit, qui huic causſę aduersatur. Sub illa, & secundum illam, quædam debemus, contra illam, nihil. Dixit tibi vxor tua, Christianus factus es; Ego te non sequar, quia Idola nō colis, quia parentum tuorum ritum, & consuetudinem abiecisti. Eo ad alium, vel si non ad alium, non eo tecum. Iam non eo, non te cognosco maritum, nisi Christum neges. Hic tibi intende, iniuria creatoris soluit ius matrimonij, nihil illi amplius debes, perdidit ius suum, quia creatori suo iniuriā fecit. Non enim tibi licuerat illam deserere, si ius suum in te non perdidisset; potestatem habuit in corpore tuo, & non tibi licitum erat tollere illi quod suum erat, donec ipsa creatori tollere noluit quod suū erat. Postquam autem iniuriam creatori suo facere voluit, iurè ius suum amisit. Et infra, Videte quia contra causſam Dei, nulla causſa stare potest; immo nec causſa est, quæ illi causſę aduersatur, quæ summa, & sola est. Ad hunc modum dimisso propter Deum, non est peccatum si alij coniungitur: iniuria enim creatoris soluit ius matrimonii. Si infidelis discedit, discedat. Non est subditus seruituti frater in eiusmodi sicut subditus esset, si vel traheretur inuitus, vel teneretur non voluntarius. Nihil illi debet siue discedat, siue maneat: perdidit ius suum, qui creatori iniuriam fecit; & sic fidelis effectus non tenetur in aliquo astrictus infideli coniugi, quia infidelis ius suum perdidit, quod habebat in eo ex debito iustitiæ, sed potest nubere cui vult in Domino.

Ibidem.

SVMMARIVM.

Quòd infidelis coniux, postquàm alter eius coniux est ad fidem conuersus, si nō vult conuerti ad fidem, remanet obligatus fideli coniugi, licet fidelis coniux non sit ei obligatus; & ideo si infidelis coniux dimissus à fideli nubat alteri, adulterium committit, & tamen fidelis dimittens infidelem, & nubens fideli, non committit adulterium; si tamen postquàm ad fidem conuersus cōiux, dimisso infideli, nupserit fideli; si postea infidelis ad fidem conuertatur, non est coniux, qui alteri nupsit, ei restituendus, sed ipse alteri nubere potest.

XIIII

SEd infidelis coniux remanet obligatus fideli, sicut & prius erat obligatus dū ambo infideles erant; quia fidelis nihil commisit, propter quod haberet perdere ius, quod habebat in coniuge infideli: Et ideo si coniux infidelis nubat cuicunq; alteri, dum manet in sua infidelitate, adulterium committit cum illo, cui nubit: vel

F quam ducit, dicente August. 1. lib. de adulterinis coniugiis cap. 18. Prohibet Apostolus consilio charitatis, quòd fidelis coniux non dimittat in fidelem coniugem, si consentit cohabitare cum ea: quia talis separatio affert impedimentum salutis, non solum, quia pernitiosissimè scandalizantur offensi, verum etiam quia in alia coniugia cum ceciderint, viuentibus eis, à quibus dimittuntur adulterinis nexibus colligati, difficillimè resoluuntur. Vbi planè vocat coniugium, quod facit in
G fidelis dimissus à fideli coniuge cum alio, colligamentum adulterinum. Et Hugo 2. lib. de Sacramentis parte 11. cap. 13. dicit, Culpa infidelis fidelem à debito, quo astrictus erat ei, absoluit, & è contrario, Iustitia fidelis, infidelem debito astringit. Itaq; non peccat fidelis si alteri se cōiungit, quoniam à iure matrimonii aduersus infidelem solutus est. Sed infidelis etiam derelictus sine culpa, alienam societatem non appetit, quem adhuc ius matrimonii, & debitum coniugalis fœderis erga fidelē astringit. Ergo non potest adulterium vocari, si fidelis alteri coniungitur, infidelis autem, etiam derelictus, crimē adulterij incurrit, si alteri copuletur.
H Sed si postea, quando iam coniux primus fidelis, alteri fideli est coniunctus, infidelis coniux ad fidem conuertatur, non est ei restituendus primus coniux, qui alteri est copulatus; sed ipse infidelis, factus fidelis, nubere potest in Domino, vt declarat dicto lib. & cap. idem Hugo dicens. Ecce
I infidelis quicunque Christianus efficitur, vxorem quā prius habuit, quia sequi eum ad fidem non vult, fidei libertate derelinquit, aliam fidelem ducit. Contingit postea, vt compuncta, infidelitatem suā horrere incipiat, ad fidem veniat, Christiana efficiatur, Quid de hac muliere faciendum est? Continere non potest, expostulat ab Ecclesia, vt aut virū suū recipiat, aut alteri nubere sibi concedatur. Et infra dubitationem hanc soluens dicit. Liberata videtur mulier hæc postquàm fidem percepit, & sacramētum libertatis & nouitatis induit, vt deinceps prioris copulæ debito non teneatur. Iustum est enim, vt
K quam iniuria creatoris alligauit, reuerentia nūc, & fides eius absoluat. Propter hoc nō prohibet Ecclesia eiusmodi, si continentiam seruare noluerit, cum alijs matrimonialitèr copulari. Quamuis autem ex debito iustitię, fidelis factus non teneatur coniugi in infidelitate permanenti, adhærere, tamē hoc facere potest, iuxta consilium Apostoli, ex charitatis affectu, vt infidelis citius per societatem fidelis ad

Augu.

Hugo.

Hugo.

Ibidem.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

fidem protrahatur, & ne si dimittatur infidelis, & nubat alteri, adulterium committat vt supra dixit Augustinus. Sed hoc obseruandum est, si non verisimiliter timeatur, quòd infidelis citius protrahat fidelẽ neophytum ad infidelitatem pristinam, quàm fidelis infidelẽ, ad fidem adducat: & vbi de hoc timeatur, securius est quòd statim factus fidelis, separetur ab infideli, quàm si cum ea conuersaretur; ne dum vtrumque lucrari volumus, ambos simul perdamus, quia tunc non esset charitas manere cum tali infideli, immo subuersio charitatis,

SVMMARIVM.

Quòd si inter illos, qui fideles sunt, dum in sua fidelitate manent, matrimonium contrahatur, si alter dictorum coniugum transeat ad infidelitatem, sicut quòd fiat Gentilis, Iudæus, vel hæreticus, non propter hoc alter coniux, qui manet in sua fidelitate, potest contrahere cum alio, vel alia matrimonium, quia matrimonium primò factum inter eos, est firmum, & ratum.

XV QVamuis autem hoc sit tenendũ, quando ambo coniuges, dum erant infideles, matrimonialiter copulati sunt, de quibus postea alter eorum ad fidem conuertitur, alio remanente in infidelitate, quia fidelis factus, potest contrahere cum alio dimisso infideli, & non ex hoc efficitur adulter; licet infidelis dimissus per fidelem, non debeat contrahere cum alio, & si contrahat adulterat, quia matrimonium primum inter eos, dum erant infideles, erat verum, licet non ratum: Tamen non sic est, quando ambo erant fideles, quando primum matrimonium contraxerunt, & postea alter eorum efficitur infidelis, puta Iudæus, Paganus, vel Hæreticus, alio remanente fideli; quia tunc nec fidelis, nec infidelis potest ad alias nuptias conuolare, & si faciant, crimen adulterij committunt, & hoc pro tanto, quia cum matrimonium inter fideles contractum, sit verum, & ratum, ac firmum, & secundum Dei ordinationem factum; non potest dum alter eorum viuit dissolui; quia matrimonium factum secundũ Christi ordinationem, indissolubilitatem includit. Et propter hoc extra de diuortiis cap. Quanto te dr. Si alter fideliũ coniugũ labatur in hæresim, vel transeat ad gentilitatis errorem, non credimus quòd in hoc casu is, qui relinquitur, viuente altero, possit ad secundas nuptias conuolare, licet in hoc casu, maior appareat contumelia creatoris, nam & si matrimoniũ verum inter infideles existat, nõ est tamẽ ratũ; inter fideles autem, verum, & ratum existit, quia sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam admittitur, & ratum efficit coniugii sacramentum, vt ipsum in coniugibus, ipso durante per duret.

SVMMARIVM.

Soluuntur obiectiones suprapositæ, de separatione coniugum fideliũ cum infidelibus vel duorum infidelium, quorum alter ad fidem conuertitur altero manente in sua perfidia, quia separatio taliũ coniugum fieri potest, & aliquando debet, quia propter viri, hoc tales non sunt mariti, nec mulieres vxores, & ideo si alteri nubat, non committit adulterium, quia Dominus notanter posuit, quicunque dimiserit vxorem suam.

EX quibus clarè patet solutio ad illa, XVI quæ supra in contrarium inducebantur. Matrimonium enim censendum non est quod contra Dei voluntatem, & præceptum contrahitur, cuiusmodi matrimonium est quando fidelis nubit infideli, & propter hoc, diuortium potest, & debet fieri inter eos, secundum vtrunq; testamentum, & nubens alteri, vel ducens aliam non mœchatur, quia primum matrimonium, non fuit matrimoniũ, quia contra Dei voluntatem, & præceptum fuerat factum. Dicente Augustino, 1. de adulterinis coniugiis cap. 18. Dominus per Esdram Augustin. prophetam iussit fieri diuortiũ, & factum est, Dimiserunt Israelitæ vxores alienigenas, quicunq; tunc habere potuerunt, per quas fiebat vt & ipsi ad alienos seducerentur Deos, & nõ vt ille per maritos vero acquireretur Deo. Vnde iusserat Dominus Esdræ 10. per sanctum Moysen, ne quis vxorem alienigenam duceret, Merito ergo quas duxerant Domino prohibente, Domino iubente dimiserunt, Quamuis inter infideles, dum manent in sua infidelitate, verum coniugium sit, tamen, quãdo alter eorum Deut. 7. ad fidem conuertitur, altero remanẽte in infidelitate; quia infidelis propter iniuriam creatoris, ius quod habebat in fideli perdidit & nõ è contrario: Iccirco fidelis nubere alteri potest, quia non est obligatus infideli, & quo ad Deum matrimoniũ est solutum, vt iam non possit dicere infidelis quòd fidelis sit eius maritus, vel uxor. Et propter hoc fidelis alium ducẽs, vel alteri nubens adulterium nõ committit, quia nõ est maritus, vel vxor alterius, & propter hoc dici non potest, quòd di-

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

miserit vxorem suam, nec iste, nec primus fidelis, qui contraxit cum infideli, quia vnus est absolutus ab vxore, alter non habuit talem pro vxore; Dominus autem dixit. Qui dimiserit vxorem suã: & primus non habuit talem vxorem: secundus verò si habuit talem vxorem suam, iam facta est non sua, quæ uxor perdidit ius, quod habebat in eo, vt dictum est.

SVMMARIVM.

Quòd si ambo, qui matrimonium de facto contrahunt, ante dictum matrimonium solemne votum castitatis emiserint, vel si alter eorum hoc fecerit alio nescio, matrimonium tale est dissoluendũ; quia fuit initum contra Dei mandatum; & ambo, vel ille, qui sic vouerat, cogendi sunt, vel cogendus est ad votum suum perficiendum; Sed in votum priuatum castitatis, si postea nubatur non est tale matrimoniũ dissoluendum per ecclesiam, licet peccent illi, qui tale votum prius emiserunt, & postea contrahunt.

XVII EOdem modo etiam dicendum est de omni coniugio quod potest diuidi iuxta ecclesię ordinationem, sic quòd diuisi ab inuicẽ, vel eorum unus, vel ambo aliis nubere possunt, vel habent manere innupti. Quemadmodũ contingit si alter coniugum, vel ambo prius castitatẽ vouissent voto solemni, quam contraxissent matrimonium de facto, cum de iure non possint, Deo tale matrimonium prohibente, cum dicit, Vouete, & reddite. Tunc enim si ambo prius feciſſent continctiæ votum solemne, matrimonium subsequens separãdum esset; cum in veritate matrimoniũ non fuisset, sed fornicaria coniunctio, & neuter eorum esset permittendum, quòd alteri nuberet; eadem ratione, qua primũ matrimonium factum, nõ fuit permissum, stare. Si verò alter eorum votum solemne, castitatis prius feciſſet, & deinde contraheret matrimonium cum illo, qui tale votum non feciſſet, nec sciret etiam suum coniugem dictum votum feciſſe, tunc matrimonium esset separandum; & ille qui votum non feciſſet nubere alteri in Domino posset, & de tali matrimonio facto, & non vero loquens Augu. 1. lib. de adulterinis coniugiis cap. 24. dicit: Quisquis non alligatus vxori, continentiam Deo vouerit, nullo modo credat vxorem sibi esse ducendam, etiam si pagana, quæ eius nuptias appetit, futuram se esse Christianam promittat. Quod enim cuiquã antequam vouisset licebat, cum id se nunquam facturum vouerit, non licebit: Si tamen id vouerit quod vouendum fuit, sicut est perpetua virginitas, vel continentia post experta connubia, solutis a vinculo coniugali, vel ex consensu viuentibus & carnalia debita sibi inuicem relaxantibus, fidelibus castisq; coniugibus; quod alterũ sine altera, vel econtra, vouete fas non est. Hæc ergo, & si qua alia sunt quæ rectissimè vouẽtur, cum homines vouerint, nulla conditione rumpenda sunt, quæ sine vlla conditione vouerunt, quia & hoc Dominum præcepisse intelligendum est. Vbi legitur; Vouete, & reddite Domino Deo vestro. Et Hugo 2. lib. de Sacramentis parte 11. cap. 12. dicit. Illi qui post votum castitatis, etiam professione publica sub testimonio Ecclesiæ erga Dominũ se obligauerint, & fortè (quod amplius est) ad sanctimoniã continentiæ consecrati sunt; post tale votũ manifesta professione confirmatum, ad coniugale fœdus descendere nõ possunt, & si fortè hoc aliquando attentauerint, non coniuges sed fornicarios, & spiritualis castitatis, vel castimoniæ violatores, ad pristinam præpositi sui integritatem reparandam, & conseruandam districtè renocandi sunt. Si autem temerario ausu incepto persistere voluerint, & illicitam copulam, quam contra primæ professionis debitum inierunt deserere contempserint, quasi inobedientes, & incestu fornicationis nefandè contaminatos, iustè seueritatis sententię, ab Ecclesiæ communione præscindendos, nullatenus ad pœnitentiam recipiendos, nisi se ab infamis societatis cõuersatione, se retraxerint. Et ad hoc sunt multa capitula; extra: Quòd clerici vel vouentes, matrimonium contrahere non possunt, & si contrahãt, de facto eorum matrimonium est dissoluendum; cum tale matrimonium sit factum contra Dei præceptum. Secus tamen esset si votũ castitatis esset simplex, quia tunc & si nubere non deberet, tamen si nubat, matrimonium postea tenet, & non potest separari, quia tale votum non dirimit matrimonium contractum. Sicut dicitur in dicto titulo, in capitulis diuersis. Et hoc dicit idem Hugo lib. & cap. superius allegatis. Si quis post votũ continentiæ factum, ad carnales nuptias transierit, si occultum fuit votum eius, nõ potest illud prohibere Ecclesia, quin nubat, & postea facti pœnituerit, Ecclesia namq; de occultis pœnitẽtẽ à consilio salutis repellere, neque propter occulta ea quæ manifesta sunt dissoluere potest. Vnde talia coniugia contracta post votum solemne, Ecclesia non iudicat esse coniugia, sed fornicarias copulas, propterea ipsa separat,

F G H I K

Psal 75. Hugo. Idem. Augusti.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

parat, quia contra Domini præceptum sunt, & fuerunt inita. Vnde & Num. 30. dicitur. Si quis virorum votum vouerit Domino, aut se constrinxerit iuramento: non faciet irritum verbum suum, sed omne quod promisit implebit.

Num. 30.

SVMMARIVM.

Quòd inter consanguineos, & affines, & maximè inter illas personas, quas Dei lex prohibuit matrimonio copulari, vel etiam postea Ecclesia sequens spiritũ Dei, nõ est matrimoniũ verũ, & si præsumatur de facto separari debet.

XVIII EOdem etiam modo matrimonia contracta, inter consanguineos, & affines, quia sunt contracta cõtra Domini, & Ecclesiæ præceptum, dissoluuntur, nec reputantur postquàm sciuntur, matrimonia esse, sed incestus. Vnde & Leuit. 18. dicitur. Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, vt reuelet turpitudinem eius; & ibi excipiuntur diuersæ personæ, cum quibus non potest matrimoniũ fieri, sicut pater, & mater, nouerca, soror ex parte patris, vel ex parte matris, filia, & filij, nepotes ex filia, vel filio, amita, matertera, patruus, & vxor eius, nurus vxor fratris, vel sororia, priuigna, soror vxoris, & omnis coitus cum talibus personis est incestus: Ecclesia etiam multo plures personas excepit à matrimonio, cum quibus si matrimonium fiat, est separandum: quia contra prohibitionem Ecclesiæ tale matrimonium est factum. Vnde & Hugo 2. lib. & cap. superius allegatis dicit. Sicut Ecclesia tenet, sic nos tenere debemus, quia Ecclesiæ instituta sequimur, & salubre esse credimus, quicquid spiritu Domini dictante, ab illa fuerit institutum, & dignum reuerentia iudicatum, etiam si alijs temporibus aliquando non ita fuisset, & nunc aliter esse quàm fuit demonstratur, nec debemus cogitare, quasi leuitate aliqua factum sit, vt nunc aliter teneatur, & aliter institutum sit quàm fuit. Sed quia tunc oportebat, & ita salubre fuit, vt sic teneretur, & sic nuberetur, nunc autem alia esse tempora, & aliud esse coniugiũ necessariũ saluti humanæ; Vnde licet à principio humani generis quatuor personę fuerint à matrimonio exceptæ, scilicet pater, mater, filius, & filia; postea tamen sub lege, multò plures fuerunt quàm nunc, vt patet per multa iura; quæcunque autem personæ cõiunctæ consanguinitate, & affinitate, copulatæ fuerunt matrimonia, licèt contra Dei præceptum, vel Ecclesiæ, cui dixit Christus.

Leuit. 18.

Hugo.

A B C D E

Qui vos audit me audit, iuxta statutum Ecclesiæ sunt separandæ, postquàm Ecclesia hoc iudicauerit, quia talia matrimonia facta sunt contra Domini præceptum.

SVMMARIVM.

Quòd inter illos, qui consentire in matrimonium non possunt, quia carent vsu rationis, vel inuiti, aut timore, qui in virum constantem cadit, si matrimonium de facto contrahunt, non est verum matrimonium, & ideo dissolui potest.

VErum est etiam, quod matrimonia dissoluuntur propter hoc, quòd deficit causa matrimonii, scilicet consensus: quo deficiente matrimonium non est. Vnde si omnino consensus deficiat, vel quia non est, sicut in amentibus, & pueris, vel quia simplicitèr coactus est, matrimoniũ non est, quiâ consensus deficit, qui matrimonij causa est, dicente Hugone 2. lib. de Sacramentis parte 11. cap. 4. Societas maris & fœminæ coniugium est, quæ fœdere spõsionis mutuò consecrantur, quando vterq; volontaria promissione, debitorem se facit alteri, vt deinceps nec ad alienam altero viuente societatem transeat, neque se ab illa quę inuicem constat societate, disiungat; ad cuius quidem societatis consensum, si etiam carnalis commixtionis consensus in prima fœderatione cõiungitur, eiusdem cõmixtionis debito coniugati postmodum adinuicẽ constringuntur. Quòd si fortè in fœderatione coniugij vterq; pari voto, consensus carnis remittatur, pro eodem deinceps coniugati ad inuicem non tenerentur: talis enim consensus, indiuidualem vitæ consuetudinem retinere creditur, quia ad hoc factus est, vt mutua societas, quæ ad inuicem per ipsum initiata est, vtroq; viuẽte, amplius diśidium non patiatur. Qui ergo diffinire voluerit coniugium, dicere potest; Coniugium esse consensum legitimum, hoc est inter legitimas personas, & legitimè factum, masculi, & fœminæ, ad indiuidualem vitæ consuetudinem obseruandam. In quo quidem consensu copulæ carnalis commercium pari voto aut futurum non contradicitur, aut non futurum laudatur. Et si quis quærat, quando coniugium incipiat esse, dicimus, quia ex quo talis consensus, qualem diffiniuimus inter masculum, & fœminam, factus fuerit, ex eo statim coniugium est. Vnde vbi talis consensus non est, vel quia personæ consentire non possunt, quia carent vsu rationis, sicut pueri, & amentes: vel est coa

XIX

Hugo.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

ctio talis, quæ in perfectum virum timorem incutiat, matrimonium non est. Ideo vnus eorum non est coniux alterius: propter quod cum hoc constat, per ecclesiam separari potest. Vnde extra de sponsalibus, & matrimonio cap. dilectus filius, dicitur. Quòd quia furiosus non habuit legitimum consensum, non potest matrimonium contrahere. Multa enim iura sunt ad prædicta, scilicet, quòd coacti, & inuiti, coactione, quæ in virum constantem cadit, matrimonium contrahentes, possunt separari, quia non consentiunt. Vnde & in titulo præallegato cap. Cum locum, dicitur. Cum locum non habeat consensus, vbi metus, vel coactio interceſsit, necesse est vt ibi, vbi consensus cuiuscunq; requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem solo consensu contrahitur, & vbi de ipso queritur, plena debet securitate gaudere. Vnde & animum eius indagamus, ne per timorem, dicat sibi placere quod odit, & sequatur exitus, qui de inuitis nuptijs solet prouenire. Et idem habetur ex cap. consultationi tuæ. Vnde quia inter tales, coniugiũ non fuit, non potest dici, quòd fuerit vxor, vel maritus eius.

SVMMARIVM.

Quòd ille qui consensit matrimonium contrahere cum aliqua certa persona, quia existimat, quòd actum coniugalem cum ea possit exercere, quem etiam exercere proponit, si illa persona sit talis, quòd cum ea talis actus exerceri non possit, potest ab ea separari. Sed si ante, personæ proponebant non se velle carnaliter cognoscere, quando matrimonium contraxerunt, posito, quòd talis defectus sit, quòd mutuò carnaliter se cognoscere non possunt, etiã si vellent, non debent ab inuicem separari.

XX SI autem adsit consensus in personam, sed voto, vel proposito, contrahens matrimonium cum aliquo, vel alia, intendebat consentire in eum, vel eam ad actum carnalis copulæ, & alter dictorum coniugum non est ad hoc aptus, quia vir est castratus, vel frigidus, aut alias impotens, vel mulier est stricta, vel ambo maleficiati sunt, vel aliquid aliud impedimẽtum est, propter quod nõ possunt carnaliter commisceri, quia licet consentiret, in persona tamen consentiebat sub conditione, vt scilicet coniugem carnaliter cognosceret, quod facere nõ potest, tale matrimonium separari potest, vel declarandum est non fuisse, si talia impedimẽta matrimonium, & carnalem copulam præcedant. Et si impedimẽta sint talia, quæ per accessum ętatis, naturam, vel artem, auferri non possint, maximè si nolunt simul cohabitare, tunc illa persona ob cuius defectum prouenit impotentia coeundi, debet manere innupta, quãdo est impotentia naturalis: sed si postea alteri se coniugat, & cognoscatur per eum, primo coniugi est restituenda. Maleficiati verò, quia cum alijs se coniugere carnaliter possunt, licet non sibi mutuo, danda est eis licẽtia, quòd vterque alteri nubat. Vnde & extra titulo de frigidis, & maleficiatis cap. 10. dicitur. Volo filios procreare, & ideo maritũ accepi, sed vir quem accepi, frigidus natura est, & non potest illa facere propter quæ accepi illum, & si probari potest per rectum iudiciũ separari potest, & illa si vult nubat in Dño. Et cap. ex literis, dicitur. Si vitium quod mulier contrahit à natura est, nec opere medicorũ poterit adiuuari, viro aliam recipiendi liberam tribuas facultatem. Et in cap. fraternitatis, multa dicuntur super ista matrimonia, quæ omnia contingunt, ex hoc quòd consensus erat in talem, quæ credebatur esse potens ad talem actum, quæ tamen non est, & consentiebat in ea, vt ad talem actum carnalem pertingeret cum ipsa, vel ipso. Sed si ambo coniuges, quando matrimoniũ contraxerunt, expresse se absoluerunt à debito coniugali, non intendentes contrahere ad illum finem, quo se mutuò carnaliter cognoscerẽt, immo hoc à se abdicauerunt, sed solum intendebant contrahere matrimonium ad vitam indiuiduam socialem ducendam, si postea inueniatur, quòd erant inepti ad coniugalem actum, separari non deberent, etiam si hoc præsciuissent, & hoc modo posset exponi cap. eodem titulo, Consultationi tuæ. Sicut enim post contractum matrimonium, possunt se mutuo coniuges absoluere à debito petẽdo, vel reddendo, vel antequam carnaliter se mutuo cognouerũt vel post: sic etiam dum contrahũt matrimonium, hoc facere possunt, scilicet, quòd mutuo sibi promittant, quòd non petent, vel reddent debitum coniugale, & tamen propter hoc matrimonium non desinit esse, inter eos. Vnde Augustinus 1. lib. de ser. domini in monte dicit. Beatiora sanè coniugia iudicanda sunt, quæ siue filijs procreatis, siue etiam ista terrena prole contempta, continentiam inter se pari consensu seruare potuerunt, quia neq; contra illud præceptum fit, quo Dominus dimitti coniugem vetat: non enim dimittit, qui cum ea non carnaliter, sed spiritualiter viuit, & illud seruatur, quod per Apostolum di-

Augustinus

citur.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

citur. Reliquum est, vt qui habent vxores, tanquam non habẽtes sint. Et Hugo 2. lib. Hugo. de sacramẽtis parte 11. cap. 5. dicit. Quòd coniugiũ non in coitu constat: sed in consensu, nec in consensu coitus, quia sicut sine coitu; ita etiam sine coitus consensu coniugium esse potest. Si fortè vtrinq; castitatis, & continentiæ propositum placitum fuerit. Vt beatus Ambro. testatur dicens. Non defloratio virginitatis: sed factio coniugalis coniugium facit. Vnde & Ambro. mater Domini à prima dispõsationis fide, coniux vocata est Ioseph, quam concubitu non cognouerat, nec fuerat cogniturus,

SVMMARIVM.

Ex supra dictis concluditur quòd in illis casibus in quibus Ecclesia dicit, vel concedit diuortium, & quòd coniuges abinuicem separati, possunt nubere, vel alter eorum, aut ambo debeant manere innupti, à principio non fuit verum matrimonium, licet fuisset extimatum, propter quod, nec iste est maritus illius, nec ista vxor eius. Vnde si abinuicem separentur per iudicium Ecclesiæ, & postea alijs matrimonialiter copulentur, non committunt adulterium, quia Dominus dicit, quòd ille, qui dimittit vxorem suam adulterat.

XXI EX quibus omnibus patet, quòd in omnibus casibus, in quibus Ecclesia concedit diuortium, & quòd matrimonio separato alter coniugum, vel ambo contrahere matrimonium cum alijs possint: primum licet in facie hominum fuisset reputatum matrimonium, tamen in veritate non fuit, vel quia contra Dei præceptum fuit factum, vel quia defecit consensus mutuus, qui est matrimonij caussa, vel simpliciter, vel respectu huius personæ, vt satis deductum est supra. Propter quod in istis casibus, nec ista est vxor illius, nec iste est maritus eius. Licet quamdiu per Ecclesiam reputatur verum matrimonium, vt coniugium dicatur. Ad quod aduertẽs Dominus dixit. [*Ego dico vobis, quia omnis, qui dimiserit vxorem suam &c.*] Nõ est enim vxor hominis simpliciter mulier, quæcunque accepta ad concubitum, vel etiam ad coniugium, nisi adsint illa, quæ adesse debent in vero matrimonio, siue coniugio, aliter nũquam Ecclesia, quæ Christi sequitur voluntatem in tot casibus concessisset diuortium, & quòd ambo, vel uterq; coniugum, aliam ducere, vel alteri nubere possent: quia multa adulteria concederet committenda, quod nullo modo dici debet. Sic ergo illud matrimonium, quod A secundum iudicium Ecclesiæ; & ordinationem separari potest, verum, & ratum matrimonium à principio non fuit, licet pro tali haberetur; nec iste fuit maritus illius, nec illa fuit vxor istius. Vnde & Hugo 2. lib. de sacramentis parte 11. cap. 11. dicit. Putamus quædam coniugia vere dici posse, quamdiu secundum iudicium Ecclesiæ rata habentur, quæ tamen postmodum exigentibus caussis legitimis, rectè soluũtur, & postea si contra Ecclesiæ prohibitionẽ pertinaci præsumptione tenentur, illicita, & illegitima iudicãtur. Quando ergo omnia, quæ ad verum & ratum matrimoniũ exiguntur sunt in coniugio, tale coniugiũ separari non debet per hominẽ, cum tale coniugium Deus coniunxerit, & quod Deus coniunxit homo non separat, vt dicitur infra 19. Propter quod Deus prohibet quòd homo non dimittat propriam vxorem. Hugo. Matt. 19.

SVMMARIVM.

Quòd si matrimonium est, & ratum à principio: neuter coniugum potest dimittere alterum, nec quo ad habitationem, nec quo ad coniugale debitũ, si petatur, nisi propter duas caussas, scilicet, vel fornicationem corporalem alterius eorum, à quo castus coniux potest se separare, quantum ad redditionem debiti: licet nisi per iudicium Ecclesiæ possit se separare à cohabitatione: vel propter votum de consensu mutuo coniugum emissum perpetuę castitatis, & tunc debent se separare quantum ad debitum reddendum, licet possint, si volunt simul cohabitare, vel etiam si magis volunt monasterium intrare. In neutro tamen casu viuente altero eorum soluitur vinculum coniugale, & ideo non possunt ad alias nuptias conuolare.

XXII DImittitur autem vxor, vel quo ad habitationem, & lectum, vel quo ad lectum solum: non debet autem vxor dimitti, quo ad lectum, & quoad habitationẽ, scilicet, quòd non prouideatur ei in necessarijs, & quòd ipsa petente, & requirente, non soluatur ei debitum coniugale, si hoc vir facere possit, sine detrimẽto corporis sui, pensatis circunstantijs, quæ debent attendi in executione operis precepti affirmati, quia hoc esset directè dimittere eã. Vnde & in lege Moysi supra inducta dicitur. Quòd dato libello repudij in manu vxoris, dimittat eam de domo sua. Deut. 24. Quod hic prohibetur, nisi propter fornicationem solum, qua inexistente, licet vir possit eam dimittere quantum ad lectum, proprio indicio: tamen non quo ad habitationem, nisi per iudicium Ecclesiæ. Deut. 24.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Quia cum matrimonium sit ordinatum, ad concubitum, & prolis generationem, & ad vitam domesticam indiuiduam ducendam, vxor quæ fornicatur, quia peccat cõtra primum, illo iure se priuat. Non enim est debitũ vxori fornicanti, quæ contra debitum, quo viro astricta erat, fornicata est, quòd ei debitum coniugale reddatur, ex quo nõ seruauit promissum: sed adhuc manet secunda obligatio, quæ est in vita indiuidua, quæ quia non potest pacifica esse inter tales, nę deterius cõtingat, si simul cohabitare cogantur, per Ecclesiæ iudicium, separari potest vxor fornicans à marito, quo ad habitationẽ, licet ei maneat semper iuxta vinculo matrimonij, quantumcunq; ab eo & lecto, & habitatione fuerit separata. Dimittere verò quo ad lectum, vir vxorem non debet, nisi propter supra dictam causſam, vel ex mutuò consensu, & hoc vel ad tempus, vel ad semper. Vnde si vterq; coniugum ex consensu mutuò, voueant castitatẽ, solatum est debitum, quoad eos, quantum ad thorum, quia ex tunc vnus alteri non tenetur debitum thori reddere. Dicente Augustin. in Epistola ad Editiam. Quòd enim Deo pari consensu ambo voueratis, perseuerãter vsq; ad finem reddere ambo debuistis: à quo proposito si lapsus est ille, tu autem constantissime perseuera, Quod te nõ exhortarer, nisi quia tibi ad hoc ipse consentiat. Et in Epistola ad Armentarium, & Paulinam dicit idem. Cum illam paratam esse audiam, dicare Deo continentiam, & sicut tu iã fecisti: ambo Dei reddite, quod ambo vouistis, & illi persoluatis, quod ab alterutro non exigistis: sed si ambo cõmuni consensu non vouerant continentiam, alter sine altero vouere non potest, & si voueat cogendus est ad debitum reddendum, dicente eodem Augustin. in supra dicta Epistola ad Armentarium, & Paulinam. Vna sola esse causſa posset, quare id quod vouisti, non solum nõ hortaremur, verum etiam prohiberemus implere: si fortè tua coniux hoc tecum susc ipere animi seu carnis infirmitate recusaret. Nam & vouenda talia non sunt à coniugatis, nisi ex consensu & voluntate communi. Et si propere factum fuerit, magis est corrigenda temeritas, quàm persoluenda promissio. Nec enim Deus exigit, si quis ex alieno aliquid vouerit, sed potius vsurpare vetat alienum, & vxor nõ habet potestatem sui corporis, sed vir, secundũ Apostolum. Et in Epistola ad Editiã dicit idem. Contristor, quia tanto humilius, & obediẽtius tuo viro obsequi domestica conuersatione debuisti, quãtò ille religiosius tibi rem tam magnam etiam imitãdo concesserat. Non enim quia pariter tẽperabatis à commixtione carnali, ideo tuus maritus esse destiterat: immo tantò sanctius inter vos coniuges manebatis, quãtò sanctiora concorditer placita seruabatis. Vnde hæ duæ causſæ sunt dimittendi vxorẽ, scilicet, vel solum à lecto, vel à domo, & lecto. Deus ratione voti, dicitur separare, quæ coniunxerat. Homo vero ratione fornicationis carnalis, de qua Dominus hic loquitur. Vnde super illud infra 19. Quod Deus coniunxit homo nõ separet, dicit Glossa. Homo separat, quando pro desiderio secundæ, primã dimittit. Deus separat (qui & coniungit) quãdo ex consensu propter cultum Dei, eo quòd tempus in aucto sit, sic habemus vxores, quasi non habentes. Et alia Glossa, Augustin. dicit. Vxor vt dimittatur, vna carnalis causſa, est fornicatio, vna spiritualis, timor Domini, vt ea viua, alia ducatur, in lege Dei, nulla causſa est.

Matt. 19. Gloss.

Augustin.

SVMMARIVM.

Quòd propter nullas alias causſas, nisi propter duas prædictas, si legitimè sit vxor ducta à viro, non potest dimitti, sine peccato adulterij, propter quod, & Apostoli dixerunt Domino, quòd non expediebat homini nubere, &c.

XXIII

VNde cum propter prædictas causſas modo supra dicto, dimitti vxor possit, aliæ causſæ sunt excluſæ quæcunque, excepta fornicatione spirituali, de qua infra agitur, dummodo matrimoniũ in principio legitimum, & ratum fuerit. Vnde si sit turpis, senex, fœtida, rixosa, ebriosa, infirma, etiam leprosa, dimittenda non est. Vnde Aug. 1. lib. de ser. Domini in monte dicit. Dominus vt non facile vxor dimittatur, solam causſam fornicationis excepit. Cæteras verò vniuersas molestias, si quæ fortè extiterint, pro fide cõiugali, & pro castitate, sustinere iussit. Vnde quia nulla alia causſa, nisi pro prædictis duabus causſis, vxor est dimittenda, Apostoli Domino dixerũt, audito, quòd non licet vxorem dimittere, infra 19. Si ita est causſa hominis cum vxore, non expedit nubere. Quod exponens Chrysost. dicit in expositione. Audientes Discipuli cogitabant apud se, mulier bona, difficilè inuenitur, quid est enim aliud mulier, nisi amicitiæ inimica, inextinguibilis pœna, necessariũ malũ, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, delectabile detrimentum, mali natura, boni colore depicta? Quam si dimittere peccatum

Augustin.

Matt. 19.

Chrysost. hom. 32.

est, tenere autem tormentum necesse est, vt aut ipsam dimittentes adulteriũ faciamus, aut tenentes quotidianas pugnas, & amaritudines habeamus.

SVMMARIVM.

Ponitur obiectio hæreticorum Manichæorum, & Valdensium, quòd vxor sit dimittẽda, propter Christum, & reprobatur maximè error Valdensium, circa hoc, & quorũdam aliorum hæreticorum, qui dimittẽtes vxores proprias, nolunt se separare ab extraneis mulieribus, & soluitur dictum domini. Qui dimiserit vxorem propter me, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit, & ostenditur, quando dimitti debet vxor propter Dominum.

XXIIII Matt. 19. SEd huic Domini sententię videtur esse cõtraria illa quæ ponitur infra 19. Omnis qui reliquerit domum, aut fratres, aut patrem, aut matrẽ, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Ex qua sententia videtur, quòd non solum malum non esset vxorem relinquere propter Christum, imo etiam, quòd hoc bonum esset, cum præmium tantum promittatur vxorem relinquentibus propter nomen Christi. Ex qua sentẽtia aliqui decepti, hæretici sunt effecti: dicentes, quòd propter nomen Christi, etiam vxore inuita, poterant castitatem vouere, & tenere, ac vxorem etiam dimittere, & quo ad lectum, & quo ad habitationem, sicut vsque hodie faciunt Manichęi, electi, vel consolati, & etiã aliqui alij hæretici, de quibus 1. Tim. 4. loquens Apostolus 1. ad Timot. 4. dicit. In nouissimis temporibus discedẽt quidam à fide, attẽdentes spiritibus erroris, & doctrinis dęmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteria tã habentes suam conscięntiam, prohibentium nubere, abstinere à cibis, quos Deus creauit, ad percipiendum cum gratiarum actione. Et Bernar. Ber. super cantica ser. 65. loquens de quibusdam hæreticis sui tẽporis dicit, Quòd apud eos, Mulieres relictis suis viris, & itẽ viri dimissis vxoribus, ad istos se conferunt. Clerici & sacerdotes populis ecclesijsq; relictis intonsi & barbati apud eos inter textores, & textrices plerunq; inuenti sunt. An non hæc opera vulpium? Et magis declarat in sequẽti sermone. Vnde de eis dicit, Idem. Quòd sunt habitu oues, astutia vulpes, actu, & crudelitate lupi, qui fingunt se amore castitatis dicere illud, quod dicunt de vxoribus dimittendis, & caussa turpitudinis fouendæ, & multiplicandæ adinuenerũt. Et non aduertũt quaA liter omni immunditię, laxat habenas, qui nuptias damnat. Tollẽs de Ecclesia honorabile connubium, & thorum immaculatum, non ne reples eum concubinarijs, incestuosis, seminifluis, mollibus, masculorum concubitoribus, & omni genere denique immunditiarũ? Quæ hæresis secundũ quòd apparet, ex erroribus positis in dicto sermone, fuit Valdensium, cũ multi articuli dictæ sectæ in dicto sermone ponantur. Quam etiam opinionẽ inueniuntur tenere noui hæretici, vocati Beguini, B & aliqui alij eorũ sectatores, qui dimissis legitimis matrimonijs, sibi adiungũt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducũtur varijs desiderijs, semper discentes, & nunquam ad veritatis scientiam perueniẽtes. Hoc autem Dominus non consulit, nec præcipit, quòd scilicet mulier, vel vir, seinuicem dimissis, alijs adhęreant, & dimittentes filios, se transferant ad tales societates, nisi se ponant in religionibus approbatis, & de cõmuni consensu, viri cum viris, & mulieres cum mulieribus: cuius C tamen contrarium faciunt Valdenses, qui separantes vxores à viris, post se, ducunt ipsas, quocunq; vadunt in vna domo, & cubiculo, cum eis commorantes, sicut experientia nos docet. Et Ber. in supra dicto sermo. dicit de eis. Quotidie latus tuum Idem. ad latus iuuẽculæ est in mẽsa, lectus tuus, ad lectum eius in camera, oculi tui ad illius oculos in colloquio, manus tuę ad manus illius in opere, & hoc modo capi possunt, si reuertamur ad consortium, & contubernium fœminarũ, hoc enim inter eos D nemo est qui careat. Interrogo ergo vnũ quempiam horum. Heus bone vir, quænam hæc mulier, & vnde hæc tibi? Vxor ne Ibidem. tua? Non inquit, nam voto, istud non conuenit meo: Filia ergo? Non. Quid? Num soror, num neptis, num aliquo saltẽ propinquitatis, vel affinitatis gradu attinẽs tibi? Nullo prorsus. Et quomodo tuta erit cum ista cõtinẽtia tua? sanè nec tibi licet istud. Cohabitationem virorũ, & fęminarũ, in ijs qui vouere continentiã, ecclesia vetat. Et cũ vult propter hoc, abijcere fœminã, E in hoc fraus eius deprehẽditur. Cum dominus prohibuerit quòd pro nulla caussa, excepta fornicatione, vir dimittat vxorẽ, vel vxor virum, etiam pro continentia seruanda, nisi hoc procederet, ex communi voto amborum coniugum, dicente Apostolo 1. Cor. 6. Vxori vir debitum reddat, similiter autem, & vxor viro, mulier 1. Cor. 6. sui corporis potestatem non habet, sed vir, similiter autem, & vir potestatem non habet, sed mulier, nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus,

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Ibidem. vt vacetis orationi, Et iterum reuertimini in id ipsum, ne tentet vos sathanas, propter incontinẽtiam vestram, Et infra. Ijs qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro nõ discedere; quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari, & vir vxorem non dimittat. Vbi dicit Glossa, Præcipio non ego, sed Dominus, id est, Dominus in propria persona præcepit vxorem à viro non discedere, supple, nisi caussa fornicationis; Hęc est enim caussa quam Christus excepit, quæ hîc tacetur; quia notissima est. Aliud tamen est discedere, aliud ex communi consensu continere. Illud enim malum est, hoc bonum. Quòd si discesserit, scilicet caussa fornicationis, præcipio manere innuptam, viro viuente; aut reconciliari viro suo, si ipse non continet. Et Augustinus, 1. lib. de adulterinis coniugijs cap. 2. dicit. Si vxor nõ habet potestatem sui corporis, sed vir, & è contrario, quomodo hoc verum erit, nisi quia nolente coniuge, non licet coniugi continere? Nam si licet mulieri, sic dimittere virum, vt maneat innupta, non vir habet sed ipsa, sui corporis potestatem. Et infra. Prohibitum est hominem dimittere vxorem, nisi vlla caussa fornicationis extiterit. Et cap. 3. Quid si dicat vir, dimitto quidem vxorem meam sine vlla caussa fornicationis, sed continens permanebo, ideo ne dicemus eum impune feciisse quod fecit? Quis hoc dicere audebit, qui voluntatem Domini intelligit, quoniam nec continentiæ caussa dimitti coniugem voluit, qui caussam solum fornicationis excepit? Et infra cap. 4. Ecce placuit continentia mulieri, viro non placuit. Discessit ab eo mulier, & cœpit viuere continenter, ipsa scilicet casta mansura, sed factura quòd Deus non vult, adulterum virum, qui cum se non continuerit, alteram quærit. Quid sumus dicturi mulieri? nisi quòd dicit Ecclesię sana doctrina, Redde debitum viro: ne dũ tu quæris vnde amplius honoreris, ille vnde damnetur inueniat. Et infra. Cũ tuum maritum de fornicatione arguere nõ possis, quomodo te putas, quòd ab eo discedis, non nubẽdo excusare, à quo tibi nõ licet omnino excepta caussa fornicationis, discedere? Ex quibus clarè patet quòd altero coniugum renuente, alter discedere ab eo non potest, nisi fortè alter eorum fornicatus fuerit, etiam si dimisso coniuge, continenter viuere velit. Et si hoc facit, iuxta hanc Domini sententiam, facit suum cõiugem adulterari: Et si non licet alteri coniugum alterum dimittere, vt diuisus ab eo continenter viuat, minus licet ei alteri adhærere, vt cum eo vel fornicetur, vel si non fornicetur, scandalizet Ecclesiam, quæ de hoc, scandalum sumit, dicente Hiero. in Epist. ad Eustochium. Pudet dicere (pronephas) triste sed verũ est. Vnde in Ecclesijs Agapetharum pestis introiuit? Vnde sine nuptijs aliud nomen vxorum? Immo vnde nouum concubinarum genus? Plus inferam, Vnde meretrices vniuiræ? Quæ eadem domo, vno vocabulo, sæpè vno tenentur lectulo: & suspitiosos nos vocant, si aliquid æstimamus? frater sororem virginem deserit cę libem, spernit virgo germanum fratrem, quærit extraneum; & cum in eodem proposito esse se simulent, quærunt aliorum spiritale solatium, vt domi habeant carnale commercium. Vnde & ad illud quod Dominus dicit, quòd relinquens vxorem centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit, est respondendum, quòd illic hoc intelligitur de vxore relinquenda de communi consensu vtrorumq; cõiugum, quia hoc est opus supererrogationis cũ licita dimittuntur propter Dominum, vt liberius Deo vacetur. Vel intelligitur de vxore, non quæ iam habetur, sed quæ duci posset, & dimittitur duci, propter Dominum, vt liberius Deo seruiatur, quia tales sunt eunuchi, qui se castrãt propter regnum Dei. Infra 19. Vel intelligitur in casu in quo vxor, vel Deus oportet, quod relinquatur, quia tali emergenti casu, vxor est potius dimittenda, quam Deus. Vnde Chrysost. hoc exponens in homel. dicit. Cum dicit, Qui reliquerit vxorem, non hoc ait vt simpliciter diuellat nuptias, sed quod de anima dixit, Quoniam qui perdiderit animam suam propter eum, inueniet eam; non vt interficiamus nosmetipsos à corpore: sed vt prę omnibus aprætiemur pietatem: hoc in vxoribus, & fratribus ait. Videtur autem mihi, & persecutores enigmaticè insinuare, quia enim multi erant patres in impietatem trahentes filios, & vxores viros, cũ traxerint, inquit, ad impietatem, neq; vxores sint, neq; patres. Sic ergo nõ præcepit Dominus relinquere vxorem inferius, nisi modis supradictis, ne sit sibi contrarius hîc, & ibi.

Gloss. August. Hiero. Matt. 19. Chrysost. Idem.

F G H I K

SVMMARIVM.

Quòd solũ ob causam fornicationis corporalis potest dimitti vxor, & à thoro, & à domo: sed ille qui eam dimittit, & etiam illa, quæ dimissa est, quamdiu alter eorum viuit, non potest alteri nubere; & si faciat, non est ma-

tri-

trimonium, sed contuberniam adulterinum, quia in talibus, ex dicta caussa separatis, manet vinculum coniugale, quod durat vsq; ad mortem alterius eorum.

XXV

IN hoc autem quod dicit, [*Qui dimiserit vxorem suam excepta caussa fornicationis*] dat intelligere quòd propter carnalem fornicationem, potest dimitti vxor, quantum ad debitum reddendum, & cohabitationem, vt superius dicebatur. Sic tamen quòd tam dimittens, quàm dimissa, maneant innupti; vt iam inductum est per Apostolum. Quia adhuc manet inter eos vinculum coniugale, quod si ruptum, vel solutum esset, liceret mulieri nubere, & viro aliam ducere, cuius tamen contrarium hîc dicit Dominus: quia dimissam ducens, adulterat, & dimittens vxorem, & ducens aliam, adulterat. Vnde & hic continens, & fidem seruans, punitur propter incontinentiam, & infidelitatem fornicantis. Vnde, & Aug. 2. lib. de adulterinis coningijs cap. 4. dicit. Nullius viri posterioris mulier vxor esse incipit, nisi prioris esse desinerit. Esse autem desinet vxor prioris, si moriatur vir eius, non si fornicetur. Licitè itaq; dimittitur coniux ob caussam fornicationis; sed manet vinculum prioris. Propter quod sit reus adulterij qui dimissam duxerit, etiam ob caussam fornicationis. Sicut enim manẽte in se sacramento regenerationis, excommunicatur cuiusquam reus criminis, nec illo sacramento caret, etiam si nunquã reconcilietur Deo: ita manẽte in se vinculo fœderis cõiugalis, vxor dimittitur ob caussam fornicationis, nec carebit illo vinculo, etiam si nunquam reconcilietur viro; carebit autem si mortuus fuerit vir eius, Et cap. 19. dicit, Hos alloquor vt quod facere deberent, si haberent coniuges diu turno languore marcescẽtes, vel loco sibi inaccessibili absentes, vel animositate illicita continentes: hoc faciãt si habuerint coniuges adulterina inquinatione sordentes, & propter hoc à suo consortio diuortiantes: non alia quærant coniugia quia non erunt coniugia sed adulteria. Vt enim dicit 13. cap. dicti libri. Puto christianum neminem reluctari, illum adulterum esse, qui vel diu languente, vel diu absente, vel continenter viuere cupiente vxore, alteri commixtus est fœminæ. Vnde quo ad hoc quòd alter coniugum, altero viuẽte, non possit alteram ducere, vel alteri nubere, propter quamcunq; caussam, etiã propter fornicationis caussam, æquale est, & si hoc fecerint, ille, qui alteram ducit, vel nubit alteri, mœchatur.

Augustin.

Idem.

Idem.

SVMMARIVM.

Ostenditur in quo differat coniux continens, qui dimittit coniugem fornicantem à coniuge fornicante, quia primò differt, quia coniux continens, licitè dimittit fornicantem, nec potest cogi, vt recipiat ipsum, & tunc coniux incontinens, etiam inuitus, potest cogi vt reconcilietur coniugi continenti, & ex hoc etiam contingit, quòd coniux continens, inuito incontinẽte potest intrare religionem, & tamen non potest incontinens intrare religionem inuito continente. Potest & continẽs reconciliare sibi incontinentem, si pœnituerit de peccato, & hoc faciendo, bene facit: sed si non pœnituerit de peccato, male faceret, si ipsum sibi reconciliaret. Incontinens autem non habet posse reconciliare sibi continentem, quia ius suum quoad hoc perdidit.

XXVI

SEd quo ad tria est differentia, quando propter fornicationẽ alter coniugum, alterum dimittit. Primò quia dimittere vxorem, propter fornicationem licitũ est, & inuitus castus vel casta non potest cogi ad reuertendum cum fornicante. Dicente Aug. 2. lib. de adulterinis coniugijs cap. 9. Post viri diuortium caussa fornicationis factum, nemo compellit, quòd suscipiatur adultera, quia fortè lex aliqua huius sæculi vetat. Suscipiatur ergo continentia, quam nulla lex prohibet. Et 1. lib. cap. 17. dicit idem. Propter fornicationis caussam permittitur homo à coniuge separari. In nullo autẽ alio casu licet homini vxorem dimittere, & si faciat, cogẽdus est ad eam redire. Dicente Aug. 2. lib. de adulterinis nuptijs cap. 10. Incontinentibus lex Christi displicet, qui vxores litigiosas, iniuriosas, imperiosas, fastidiosas, & ad reddendum debitum coniugale difficillimas, repudio interposito abijcere volunt, & alteras ducere. Immo, & si maritum relinquat vxor, vel maritus vxorem, non caussa fornicationis, sed potius continẽtiæ, sitq; incontinens, cui repudium propter hoc datur: Quero vtrũ non erit adulter, vel adultera, si alteri copuletur? si dicitur, nõ erit: Domino contradicitur, cuius hæc verba sunt. [*Qui dimiserit vxorem suam, excepta caussa fornicationis, mœchari eam facit, & qui dimissam duxerit mœchatur.*] Ecce dimissa est, non dimisit: & quia continere paucorum est, incontinentiæ cessit, & nupsit, & tamen adulter adulteram duxit. Sed respondebis, non eam debuisse dimitti, quia fornicationis nulla caussa præcesserat. Verum dicis, nam peccatũ mariti eius, Dominus expressit, vbi ait. [*Qui dimiserit vxorẽ suam, excepta caussa fornicationis, facit eam mœchari,*

Augustin.

Idem.

Idem.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

Ex hoc etiam quòd coniux continens, licitè potest fornicantem coniugem dimittere, & non potest cogi quòd ei reconcilietur; coniux continens, inuito incontinente, potest ad religionem trãsire. Potest etiam inuitum coniugem fornicãtem sibi reconciliare, non autem è contrario: quia coniux fornicans, non potest intrare religionem, inuito continente; nec etiam inuitum continẽtem potest ad se reducere, nisi fortè continẽs simili crimine, ante diuortium fuerit irretitus. Quia vt dicit Aug. 1. lib. de ser. dom. in mon. Nihil iniquius quã fornicationis causſa dimittere vxorem, si & ipse conuincitur fornicari. Occurrit enim illud, In quo alterum iudicas, te ipsum condẽnas. Eadem enim agis, quæ iudicas. Qua propter quisquis fornicationis causſa, vult abijcere vxorẽ, prius debet esse à fornicatione purgatus. Quod similiter, & de fœmina dixerim. Et 2. lib. de adulterinis coniugijs cap. 8. Inducens authoritatẽ Antonini Imperatoris dicit. Periniquum mihi videtur esse, vt pudicitiam vir ab vxore exigat, quam ipse non exhibet. Quamuis autem sit licitum coniugi casto dimittere adulterum coniugẽ, tamen, si vult, potest eum retinere, nec cogitur ad dimittendum eum. Verum est tamẽ quòd si coniux est adulterãs, & in suo peccato permanere, & nõ se corrigere intendit, particeps eius criminis castus coniux fieret nisi eã abiiceret, iuxta illud Prouer. 18. Qui tenet adulteram stultus est, & impius. Et Chrysost. dicit. Sicut crudelis est, & iniquus, qui castam dimittit; sic fatuus est, & iniquus, siue iniustus, qui retinet meretricem: nam patronus turpitudinis eius est, qui crimen vxoris celat: sed quando adulterans coniux velit se corrigere, potest non dimitti, & postquam dimissus est, potest recõciliari, Dicẽte Aug. 2. lib. de adulterinis coniugiis cap. 9. Non erit turpis neq; difficilis, etiam post perpetrata, atq; purgata adulteria reconciliatio coniugum, vbi per claues regni cœlorum non dubitatur remissio fieri peccatorum: non vt post viri diuortiũ adultera reuocetur, sed vt post Christi consortium adultera nõ vocetur. Et cap. 14. dicit. Propterea mariti parcere debent adulteris fœminis, & peccatricibus præbere veniã, vt & ipsi pro suis peccatis misericordiam consequantur. Et Hugo in lib. Sententiarum cap. 67. dicit. Hermes in lib. pastores dicit. Ego dixi pastori, Domine, si quis mulierẽ fidelem habuerit in domo, & hæc venit in adulterio, nunquid peccat vir, si viuit cum ea? Et dixit mihi, Quàm diu nescit peccatũ eius, sine crimine viuit cum illa: si autem sciet vir vxorem deliquisse, & non egerit pœnitentiam mulier, & permaneat in fornicatione sua, & conuiuit vir cum illa, reus peccati eius erit, & particeps mœchationis. Quid ergo si permanet in vitio suo mulier? & dixit. Dimittat illam vxorẽ, & vir per se maneat. Quid si mulier dimissa egerit pœnitentiam, & voluerit ad virum suum reuerti? non recipietur à viro suo? Et dixit. Immo si non receperit eam vir suus, peccat, & magnũ peccatum committit. Ergo debet suscipere peccatricem, quæ pœnitentiã egit; sed non sæpe. Sic ergo vir vxorem fornicantem, licitè potest dimittere, & debet hoc facere, si incorrigibilem, & impœnitentẽ se ostendat, & potest eam non dimittere, dummodo peccare desistat. Et etiam postquã eam propter fornicationem dimiserit, potest eam sibi recõciliare correptam; Et eodem modo est intelligendum de muliere casta respectu viri adulterãtis, quia quo ad hoc, vir, & mulier ad paria iudicantur.

Aug. G

Rom. 2.

VV Aug.

H

SVMMARIVM.

Ponitur secunda differentia, quia si coniux continens, dimissa propter fornicationem incontinente, alteri nubit, minus peccatum adulterij committit, quàm si incontinens, sic dimissus, alteri nubat, quia primus solum vnum adulterium committit, secundus verò duo adulteria.

Prou. 18. Chrysost.

SEcundò si coniux castus, dimissa coniuge adultera, aliam ducat, vel alteri nubat, licet adulteriũ committat, tamen minus peccat, quàm ille, qui propter adulterium dimissus, alteri se matrimonio coniungit: quia castus solum vnum adulterium committit, quando alteri se coniungit. Adulter verò dimissus, duo adulteria committit, & contra primum matrimonium adulterando, & postea alij se matrimonialiter iungendo; dicente Aug. primo lib. de adulterinis coniugijs cap. 9. Maius adulterium esse quis negat, vxore non fornicãte dimissa, adulteram ducere, quàm fornicantem quis dimiserit, & tũc alteram duxerit: non quia, & illud adulterium non est, sed quia minus est, vbi fornicante dimissa, altera ducitur. Et infra. Est mœchatio etiam eorum, qui alias ducunt, relictis propter fornicationem prioribus: sed vtique minor est, quàm eorum qui non propter fornicationem dimittũt, & alteras ducunt. Sic igitur licet vtrobique committatur adulterium, quando sine causſa fornicationis, vxor dimittitur & altera ducitur, & quando propter fornicationem

I XXVII

Aug.

Ibidem.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

nicationem vxor dimittitur, & altera ducitur, tamen minus peccatum adulterij est in secundo, quàm in primo.

SVMMARIVM.

Ponitur tertia differentia, quia si coniux continens dimittat incontinẽtem, & dimissus adulterium committat, adulterium illius non imputabitur dimittenti illum: Sed si incontinẽs dimittat continentem, si postea cõtinens adulterium committat, adulterium illius imputatur coniugi incontinenti. Et posito quòd non committat adulterium continens, tamen quia incontinens dedit causſam sufficientem ei, quòd committeret adulterium, imputatur ei, qui talem causſam dedit.

XXIX TErtiò est differentia, quia quando vxor non fornicans dimittitur, dimittens eam facit eam mœchari, & si ipsa mœchatur, peccatum mœchiæ vxori dimissę non solum imputatur, sed etiam viro, qui eam dimiserit. Immo etiam, & si mulier dimissa casta permaneat, mœchia imputatur dimittenti eam, quia ipse, quãtum in eo erat, dedit causſam mulieri, quòd mœchetur, & si ipsa non adulteret, non remanet propter virum, sed propter ipsam; dicente Aug. 2. lib. de adulterinis coniugijs cap. 17. Niſi fortè quis dicat neminem posse vxorem suam mœchari facere, si pudica est: & tamen Dominus, [*Omnis qui dimiserit*, inquit, *vxorem suam præter causſam fornicationis, facit eam mœchari*. Vtique propterea, quia cum esset pudica cum viro, tamen dimissa cogitur propter incontinẽtiam viuo priore, alteri copulari, & hoc est mœchari. Quòd si hoc ista non fecerit, tamen ille quantum in ipso est, facere compulit, & hoc ei Deus peccatum, etiam si illa casta permaneat, imputabit. Vnde super illud 1. ad Cor. 6. Nolite fraudare inuicẽ, dicit Gloſ. id est, subtrahere debitũ, quod posſit esse causſa adulterij; & hoc ideo dicit Apostolus, vt conueniant vir & vxor: ne discensio generet fornicationem. Sed ille, qui mittit vxorem, propter fornicationem eius, non facit eam mœchari, quamuis ipsa dimissa, postea mœchetur, quia ipse non præstitit causſam mœchiæ eam dimittendo, cum & antequam dimitteretur, mœcha esset. Vnde & hîc Gloſſa dicit. Si mulier fornicetur, quia in hoc fides, & castitas connubij rumpitur, ille non facit eam mœchari, sed ipsa est causſa reatus sui: & propter hoc ei, non viro eius adulterium debet imputari.

Augusſt. 1. Cor. 6. Gloſ.

SVMMARIVM.

Quòd coniux qui dimittit coniugem suam ob causſam fornicationis eius, non solum non debet alteri nubere, sed etiam oportet eum castè viuere, nec ad concubitũ alterius mulieris accedere, nec propter remedium incontinentiæ, nec propter filiorum procreationem.

EX hoc autem quòd non licet coniugi continenti, altero dimisſo, etiam propter fornicationis causſam, alteri se coniungere matrimonialitèr, viuẽte suo coniuge, patet quòd minus se coniungere potest alicui commixtione fornicaria. Qui enim prohibet alicui coniugium, quod licitum est, niſi propter causſam superuenientem, quia adhuc viuit eius coniux licitè dimisſus; magis vtiq; prohibet fornicationem, vel adulterium, quæ nullo modo sunt licita, nec fieri bono modo possunt. Vnde non solum debet manere innuptus, dimissa coniuge: Immo etiam oportet quòd perseueret castus, nulli mulieri se coniungendo carnalitèr, vel quòd reconcilietur vxori. Vnde & Aug. 1. lib. de sermone Domini in monte, dicit. Fieri potest vt vir dimittat vxorem causſa fornicationis, quam Dominus exceptam voluit esse; Iam vero si nec illi nubere conceditur, viuente viro, à quo recesſit, nec huic alteram ducere, viua vxore, quam dimisſit: multò minus fas est illicita quælibet stupra committere: Et 2. lib. de adulterinis coniugijs 18. cap. dicit idem. Qui post concubitum coniugum se ipsos castrant propter regnum cœlorum, aut morte amittunt coniuges, aut ex consensu cum eis continentiam ptofitentur, aut necesſitate diuortiorũ, ne viuis cõiugibus, se alijs copulãdo adulteria perpetrent, castrãt se ipsos propter regnũ cœlorũ. Si autẽ non cõtinent, adulteri erunt, quia viuẽtibus coniugibus priniſtis, non cõiugibus proprijs sed adulteris adhærebunt. Et si à regno cœlorum aberunt, vbi erunt, niſi vbi sal vinum erunt? Et cap. 19. Non eos frangat, quòd videtur eorum cõtinentia necesſitatis esſe, quoniam vani sine damnatione ab illa deuiare non possunt: & qui in ea necesſitate contruſi sunt, faciunt eam esſe voluntatis. Et cap. 13 eiuſdem libri dicit idem. Si dimiserit vir aduleram mulierem, & eam non vult recipere, nec post pœnitentiam, custodiat continentiam; & si non ex voluntate eligendi potioris boni, certè ex necesſitate vitandi pernicioſi mali, à quo, si non appetitur vita sanctorum, exhorreatur pœna mœchorum. Et timore saltem frenetur concupiscentia, si amore non eligitur continentia. Sic ergo qui dimittit vxorem, ob fornicationis causſam, vel post peracta

Augusſt. Idem. Idem. Idem.

tur

pœnitentiam vxoris reconcilietur ei; vel continenter viuat; Quia nõ licet ei aliam ducere, nec ei est licitum per fornicationes, & adulteria defluere: non solum, vt non complaceat suis concupiscentijs, immo etiam nec propter volũtatem prolem habendi, dicente Aug. eodem lib. cap. 11. August. Non enim propterea flagitiorum est permittenda licentia, aut vero tam cauendũ est sine posteris mori, quàm eligendum pudicè in posterum viuere. Vnde nullo alio modo licet, vel dimissa vxore, alterã quærere, vel vxore volente, si sterilis est, caussa procreandorum filiorum, ad alteram accedere. Sic fecit Abraham, quando accessit ad Agar, volente & instigante Sarra, quæ se sterilem esse cernebat, quia tũc quærebatur proles, modo continentia præfertur, vt declarat Aug. in supradicto lib. cap. 12. Et sic oportet, quòd maneat innuptus, & etiam contineat, cum nec propter incontinentiam nubere possit, viuente vxore: nec propter procreationem filiorum, vt deductum est. Et sic oportet, quòd contineat, cum concubitus sit vel in officium generandi; vel in remedium continentiæ. Et sic quasi arctatur, vel ad continendum, vel ad reconciliandum sibi uxorem suam. Gen. 6.

SVMMARIVM.

Quòd non propter quamcunque fornicationem spiritualem, quæ est quando amor creaturæ præponitur amori creatoris, vel fœditatem, est vxor dimittenda, vel à thoro vel à domo, sed solum propter fornicationem spiritualem: quæ dicitur idolatria, vel hæresis, aut Apostasia à fide: Quoniam si alter coniugum aliquid eorum commiserit, quamdiu talis permanserit, separare se alter ab eo potest, vel per iudicium Ecclesiæ potest ab illo infideli separari: quæ ei reddi non debet, nisi pœnituerit de infidelitate sua. In cæteris autem vitijs, & peccatis, monenda, confundenda, & castiganda est à marito vxor mala, sed non dimittenda, nec à domo, nec à thoro.

XXXI QVamuis autem fornicatio sit, & carnalis, & spiritualis, quæ quidem spiritualis licet præcipuè attendatur in fidei desertione, qua anima Deo desponsatur; Ose. 2. Iuxta illud Oseæ 2. Desponsabo te mihi in fide; Generaliter tamen in omni peccato, quoà Deo receditur intelligitur. Tamen non propter omnem fornicationem spiritualem licet uxorem dimittere, nisi propter fornicationem infidelitatis, matrimonio fidelium superuenientis, ut puta, quia alter coniugum efficitur hæreticus, Iudæus, uel Paganus. Tunc enim quamuis matrimonium inter eos dissolui non possit, quia à principio fuit uerum, & ratum, ut supra dicebatur, tamen separari quo ad thorum, & si non semper saltem ad tẽpus fidelis ab infideli potest. Vt sic saltem infidelis à sua infidelitate retrahatur, & maximè hoc fieri potest, quãdo timeretur quòd infidelis, sua astutia fidelem ad infidelitatem protraheret, quia tunc fidelis ne fornicaretur à Deo, infidelem dimittere debet, dicente Aug. 1. lib. de sermo. Domini in Monte. Quisquis eam uxorem dimittit, à qua ipse cogitur fornicari, caussa fornicationis utique dimittit, ueluti aliquem cogat uxor sacrificare idolis, Qui talẽ dimittit, caussa fornicationis dimittit, non tantum illius, sed, & suæ: illius, quia fornicatur, suæ ne fornicetur. Vnde, & si iudicio Ecclesiæ talis fidelis separetur ab infideli, non debet ei reddi; nisi infidelis reuersus fuerit ad fidem, Quia tunè reuerti debet ad eum. Si etiam fidelis sine iudicio Ecclesiæ separet se ab infideli, non debet reddi infideli statim, vt tedio victus ab infidelitate retrocedat, secundum quòd satis potest haberi extra de diuortijs cap. de illa. Vbi dicitur de illa, quæ viro habente in hæresim, corporis consortium sine iudicio Ecclesiæ declinauit. Videtur nobis, quòd mulier, maximè si ea intentione discedat, vt vel lapsus in hæresim tædio pariter & confusione confectus ab errore suo conuerteretur, ei cũ reuersus fuerit, est reddenda, quæ etiam, si reuerti noluerit, compellatur. Si verò iudicio Ecclesiæ ab eo recesserit, ad recipiendum eum nullatenus dicimus compellendam. Vnde licet fidelis, altero eunte ad infidelitatem, non possit nubere alteri, viuente eo, tamen bene potest ab eo separari quo ad thorum, & quo ad habitationem, & per Ecclesiæ iudicium, & etiam sine iudicio Ecclesiæ: Sed quando infidelis reuersus fuerit ad fidem, tenetur reuerti ad eum, nisi uelit intrare religionem, antequam conuertatur infidelis ad fidem. Vnde, & de conuersione coniugatorum dicitur extra cap. Mulier. Mulier, quæ in fide remansit, potest nolente viro, qui ab infidelitate reuertitur, propter quam ab eo fuerat iudicio Ecclesiæ separata, ad religionem libera conuolare. Vnde si talis mulier sit ab infideli separata per iudiciũ Ecclesiæ, propter fornicationem spiritualem mariti, & antequam maritus conuertatur ad fidem, & postquam reuersus est, si vult, potest intrare religionem, eo inuito: Sed si in sæculo remaneret, cogere- August.

tur

tur reuerti ad maritum conuersum ad fi A dem. Sed si sine iudicio Ecclesiæ ipsa se separasset à marito infideli, inuito eo, religionem intrare non posset; vt declarat Glossa in supradicto cap. Ex quibus patet, quòd propter carnalem fornicationem, & propter spiritualem, quę fit, quando fidelis prius ad infidelitatem transit, potest alter coniux, alterum dimittere, & etiam propter uotum castitatis de communi consensu coniugum factum: & tunc non homo, sed Deus separat coniugium, ut dictum est supra. Sed pro nulla alia causa hoc est licitum, quando primum matrimonium fuit uerum, & ratum. Vnde & extra de diuortijs cap. Quæsiuit, dicitur. Nos itaque taliter respondemus, quòd mulier pro furto, vel alio crimine viri sui, nisi fidei suæ religionem corrumpere velit, ab eo separari non debet; Verum si coniugem suam ad infidelitatis maleficium traxerit, à viro poterit separari, ita quòd ei nubere alij non liceat. Et. 32. causa, quæstione 5. cap. Si vxorem, dicitur. Si vxorem quis habeat sterilem, siue corpo- C re deformem, siue debilem membris, cœcam, surdam, vel claudam, vel si quid aliud siue morbis, vel laboribus, doloribusque confectam; & quicquid, excepta causa fornicationis, cogitari potest, horribilem vehementer, pro societate, fideque sustineat, & hoc quantum ad fornicationem corporalem. Sed de fornicatione spirituali dicitur, 28. causa, quæstione 1. cap. Idolatriam, Et Idolatria quam sequuntur infideles, & quælibet noxia superstitio fornicatio est, Dominus autem permisit causa fornicationis vxores dimitti. Quis- D quis ergo eam vxorem dimittit, quia cogit eum sacrificare idolis, qui talem dimittit, propter fornicationem dimittit, Et cap. sequenti dicitur. Non solum mœchatio est illius, qui carnem suam coinquinat, sed etiam quæ simulachrum facit, mœchatur. Quòd si in ijs factis perseuerat, & pœnitentiam non agit, discede ab illa, & noli viuere cum illa; sin autem, & tu peccati particeps eius eris. Sed si in alijs peccatis vxor sit malè morigerata, E dimitti non potest, nec a thoro, quin ei reddatur debitum si petat, nec a cohabitatione, licet sit per virum castiganda, dicente Chrysost. super illud 19. Quicunque dimiserit vxorem suam, excepta causa fornicationis, mœchatur. Vir meretricem quidem dimittat, aut malè morigeratam castiget, & teneat. Quomodo? Tribus modis, primum docendo secundum Deum: si autem Dei timorem contempserit, improperando, vt vel homines erubescat. Sed si nec pudorem sentit frequentèr confusa, faciat illi quod præcipit Salom: Cor durum baculo percute. Ergo primum admone, quia multum proficit doctrina iustitiæ. Deinde confunde, quia frequenter, & pudor frœnum est vitiorum. Tertiò iustum est, vt castigetur quasi ancilla, quæ erubescere nescit vt libera. Sic igitur & mores mali, & deformitas naturæ, sunt tollerandi in conirge, & non est propter hoc dimittenda, sed solum propter fornicationem corporalem, vel spiritualem: quia hanc caussam Dominus solam excipit; declarans verum legis intellectum. Quomodo etiam hoc satis haberi potest, ex illo quod dicitur Prouerb. 18. Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum: qui autem tenet adulteram, stultus est, & impius.

Prou. 10.

Prou. 18.

SVMMARIVM

Quòd si vxor dimittatur à viro, sine culpa vxoris, siue propter fornicationem, quam committit: qui ducit eam, & ipsamet adulterium committunt: sed caussa istius adulterij est vir, qui sine fornicatione vxorem dimittit. Si etiã mulier, excepta caussa fornicationis, virum dimittat, vt alteri nubat, si nupserit, adultera est ipsa, & vir eius: & minus excusabile est adulterium dictæ mulieris, quàm illius, quæ dimissa est à viro, vel sine culpa sua, vel ob caussam fornicationis.

SI etiam vxor sine sua culpa dimittatur a viro, & qui dimittit eam, facit eam adulterari, & etiam, qui sic dimissam duxerit, adulterat: quia primo matrimonio existente vero, & rato, quam diu coniuges viuunt, vel alter eorum, matrimonium inter eos primò factum solui non potest. Iuxta illud Apostoli 1. ad Cor. 7. Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit: quòd si dormierit vir eius, liberata est, cui vult nubat, tantum in Domino. Et ideo cum vinculum coniugale maneat inter eos vsque ad mortem naturalem amborum, vel alterius eorum, si mulier dimissa a viro, etiam propter fornicationem, vel etiam sine aliqua culpa mulieris, alteri nubat, & secundus maritus cum ipsa, vt hîc dicit Dominus, & ipsa cum secundo marito, adulterium committit, dicente Augusti. 1. lib. de sermone Domini in monte, Quisquis dimissam a viro duxerit, mœchatur. Quæri potest, Quomodo mœchatur ille, qui ducit sic, & illa quam ducit? Ad quam quæstionem respondens, subdit. Inueniri non potest quom odo cum vir, & mulier pari consen-

XXXI.

1. Cor. 7.

Matt. 19.

Chrysost. homi. 32.

Augusti.

© Bibliothèque du Saulchoir - Paris

ſu ſibi miſceantur, vnus eorum mœchus ſit & non ſit alter: cum etiam hîc Dominus dicat. [*Quòd dimittens vxorem, excepta cauſſa fornicationis.*] Et ſic ſine culpa mulieris facit eam mœchari, quæ vtique mœcha non eſſet, niſi poſtquam dimiſſa eſt, alteri nuberet, vel aliter luxuriosè cum aliquo alio ſe coniungeret. Si enim mulier, excepta cauſſa fornicationis, virum dimittat, tàm mulier, quæ virum dimittit, quàm vir qui illam, quæ virum dimiſit, ducit, adulteri ſunt. Licet maioris criminis adulterij ſit rea illa, quæ dimittit virum, vt alteri nubat; quàm illa quæ dimiſſa ſine ſua culpa, alteri nubit, dicente Auguſt. in ſupradicto loco. Multum intereſt vtrum vxor dimittat virum, aut dimittatur ab eo. Si enim virum ipſa dimiſerit, & alteri nupſerit, videtur cupiditate mutandi coniugium, priorem virum reliquiſſe; quæ ſine dubio adulterina cogitatio eſt: Sed ſi dimittatur à viro, cum quo eſſe cupiebat, non diſcedit ab eo adulterina cogitatione, nec in diſcedendo erat adultera, ſicut prima, quæ adultera eſt in corde, quando virum dimittit: ſed poſtea fit adultera cum eſt dimiſſa, cuius quidem adulterij cauſſa eſt vir dimittens eam. Quia vt dicit Auguſtinus 2. lib. de adulterinis conſugijs, cap. 17. Cum eſſet pudica cum viro, tamen dimiſſa, cogitur per incontinentiam, viuo priore, alteri copulari. Quis enim neſciat quàm ſint rariſſimæ, quæ ita pudicè viuant cum viris, vt etiam ſi ab eis dimittantur, alios non requirant? Incomparabiliter quippe numerus eſt amplior fœminarum, quæ cum publicè adhæreant maritis, tamen ſi dimiſſæ fuerint à maritis, non differunt nubere.

Auguſt.

Idem.

SVMMARIVM.

Quare non eſt licitum in nouo teſtamento, propter quàmcunque fœditatem, excepta fornicationis cauſſa, dimittere vxorem. Et quod fuerit in veteri teſtamento permiſſum, aſſignantur duæ cauſſæ.

XXXII. CAuſſa autem quare permittebantur viri vxores ſuas dimittere in veteri lege, propter multas fœditates, ne contingerent vxoricidia, nunc ceſſat. Quia cum Iudæis hoc eſſet permiſſum, propter duritiam cordis eorum, vt dicitur infra 19. qui cor lapideum habebant, & flecti ad miſericordiam & pietatem nolebant: ideo cum tale cor durum, & lapideum de corde fidelium in nouo teſtamento ſit ablatum, Iuxta illud Ezech. 36. Auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum, & ſpiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea faciatis, & operimini. Quod exponens Hierony. 11. lib. ſuper Ezechiel. dicit. Conſiderandum, quòd cor nouum, & ſpiritus nouus detur poſt effuſionem, & aſperſionem aquæ; quando autem cor nouum datum fuerit, & ſpiritus nouus, tunc auferetur de corde Iudaico omnis duritia, quæ lapidi comparatur. Et pro lapideo corde fiet cor carneum molle, & tenerum, quod ſpiritum Dei poſſit in ſe recipere, & ſcribi literis ſalutaribus: quod in præſenti tempore comprobatur. Iccirco ablata duritia de corde fidelium, auferri debebat permiſſio de vxoribus dimittendis, ob quamcunque fœditatem, dato libello repudij; Ablata enim cauſſa, auferri debet & effectus. Quod etiam propter aliud fit. Duæ enim cauſſæ principales erant, quare homines vxores dimittere volebant, ſcilicet odium primarum, & concupiſcentia ſecundarum. Vxor enim antequam habeatur, multum affectatur, & adamatur; ſed poſtquam eſt habita, vt frequenter amor tepeſcit, & odium, & inimicitia ſuccedit. Vnde & 2. Reg. 13. dicitur. Quòd poſtquam Amnon appreſſit Thamar ſororem ſuam, quam ante multum adamauerat, exoſam eã habuit, odio magno nimis: Ita vt maius eſſet odium, quo oderat eam, amore, quo ante dilexerat. Et in prima reſponſione contra Iouinianum dicit Hierony. authoritate Theophraſti. Vxoris nulla eſt electio: ſed qualiſcunque ſe habuerit, habenda eſt. Si iracunda, ſi fatua, ſi deformis, ſi ſurda, ſi fœtida, cuiuſcunque vitij eſt, poſt nuptias diſcimus. Equus, aſinus, bos, canis, & viliſſima mancipia, veſtes quoq; & lebetes, ſedile ligneum, calix, & vrceolus fictilis, probantur prius, & ſic emuntur: ſola vxor non oſtenditur, ne ante diſpliceat, quàm ducatur, & ſic propter odium vxor dimittatur. Vel etiam, vt pulchriores, ſaniores, opulentiores, vel fecundiores, & iuniores ducantur, primis reiectis. Et ſic vel propter odiũ primarum vxorum, vel propter concupiſcentiam ſecundarum, vxores dimittebantur, ſicut ſupra inductum fuit per Malachiam. Chriſtus autem iam ſupradictas duas paſſiones remouit. Qui enim prohibuit iraſci fratri ſine cauſſa, magis prohibuit odire vxorem; quam, qui diligit, ſe ipſum diligit, vt dicit Apoſtolus ad Epheſ. 5. Et qui eam odit, ſeipſum odit. Vnde dicit. Viri debent diligere vxores, vt corpora ſua. Qui vxorem ſuam diligit, ſe ipſum diligit. Nemo enim vnquam carnem ſuam odio habuit. Vir autem, & vxor vna caro

Ezec. 36.

Hierony.

2. Reg. 13.

Hierony.

Epheſ. 5.

ſunt

sunt effecti. Et propter hoc sicut se ipsum vir debet diligere, & non potest odire, ita etiam debet diligere suam vxorem, & non debet eam odire. Si igitur fratri, id est, Christiano, irasci non debemus, & minus eum debemus odire, vt supra dictum est, minus vtique debemus irasci, & odire vxorem, quæ vnum corpus nobiscum effecta est: & quam præcipimur diligere, vt nos ipsos. Et sic post Domini præceptum, de non irascendo fratri, non potest nec debet vxor dimitti propter iram & odium, cum hoc inter virum, & vxorem non debeant esse. Nec etiam debet dimitti vxor propter concupiscentiam alterius pulchrioris, iunioris, ditioris, cum iam supra Dominus dixerit quòd non solum aliena mulier, non debet concupisci, vel desiderari, immo etiã nec oculo, vel visu concupiscentiali debet cerni. Et ideo, sedata ista passione concupiscentiæ, non dimittitur propria, vt alia ducatur. Quæ duæ passiones non sic, nec cum tanta vehementia prohibitæ fuerant A in veteri testamento, & per consequens ex dictis duabus passionibus non refrenatis, vxores dimittebãtur. Vnde non statim Dominus à principio prohibuit dimittere vxorem, sed postquam passiones iræ, odij, & concupiscentiæ superius regulauit, quia dictis passionibus, sub regula Christi existentibus, vxor ob nullam ex dictis caussis dimittetur, nisi solum ob fornicationẽ eius, vt hìc Dominus dicit. Quam rationem assignans hìc Chrysost. dicit in homil. Post- Chrysost. hom. 17.
B quam Dñs iram omnem destruxit, non occasionem solã, sed & simpliciter irasci prohibens, cum facilitate, & hanc inducit legem. Et infra. Vides qualiter cõuenientia, Ibidem.
C hæc sunt anterioribus. Qui enim non vidit aliam mulierẽ incontinentibus oculis, non fornicabitur, qui autem nõ fornicatur, non tribuet occasionem viro ꝙ propriã dimittat vxorem. Et in expositione dicit idem. Cum de irascente, siue & de concupiscente fecisset verbũ, competenter intulit mandatum de vxoribus non dimittendis. Amen. Idem.

LAVS DEO.

Finis expositionis Quinti Cap. Euang. Matthæi per Benedictum Papam XI. ex Ordine Prædicatorum.

© Bibliothèque du Saulchoir • Paris